UNIVERSA PHILOSOPHIA
ARISTOTELICO-THOMISTICA,

Veterum, Recentiumque, præſertim Maignani, Carteſii, Gaſſendi, &c. placita non ſegniter excutiens.

AUTHORE

P. F. JOANNE SYRI
UVADANO

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

Utriuſque Lombardiæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum Alumno.

TOMUS SECUNDUS
PHYSICAM GENERALEM CONTINENS.



VENETIIS, MDCCXIX.

Sumptibus Andreæ Poleti.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

INDEX

Librorum, Quæſtionum, Articulorum, Concluſionum, & §§.

Præloquium Prodromum. *De Philoſophia Prodromis.* folio 1
Quæſtio Unica. *De Obiecto Philoſophiæ.* 2
Artic. Unicus. *Utrum Philoſophiæ obiectum ſit ens mobile.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Naturalis Philoſophiæ obiectum aptius explicatur per ens mobile radicale. Ubi num. 3. De Mobili accidentali.* ibid.
§. 3. *Solvuntur obiectiones.* ibid.

Liber Primus Phyſicorum.

Quæſtio Prima. *De Principiis entis naturalis in communi.* 4
Art. Unicus. *Quot, & quæ ſint Principia entis naturalis.* ibid.
§. 1. *Refertur, ac confutatur opinio Chymicorum.* 5
§. 2. *Refertur, & refutatur opinio Elementariſtarum.* 7
§. 3. *Veterum pariter, ac Nuperorum Atomiſtarum placitum proponitur, ac confutatur primò.* 8
§. 4. *Secunda confutatio præfati placiti Democriti, & Anaxagoræ.* 10
§. 5. *Tertia ejuſdem placiti Democriti refutatio.* 11
§. 6. *Quarta hujuſce placiti refutatio.* ibid.
§. 7. *Quinta placiti hujuſce refutatio ex capite ſubſtantialis mutationis.* 13
Obiectionum tela contra ſubſtantialem mutationem retunduntur. 14
§. 8. *Sexta hujuſce placiti refutatio.* 16
§. 9. *Reflexio ſuper Atomiſtarum placitum.* 17
§. 10. *Reflexio confutativa ſuper Carteſianorũ placitum.* 18
§. 11. *Atomiſtarum, Carteſianorumque argumenta diſſolvuntur.* 21
§. 12. *Quid ſit dicendum de corpuſculis inflatis.* 23
§. 13. Concluſio. *Principia entis naturalis in fieri ſunt tria, in facto eſſe, duo.* 24
§. 14. *Solvuntur argumenta ex oppoſito parata.* ibid.
Quæſtio Secunda. *De Materia prima.* 26
Præloquium Primum. *De exiſtentia materiæ primæ.* ib.
Præloquium Secundum. *De quidditate, ſeu eſſentia, ſive definitione Materiæ Primæ.* ibid.
Articulus Primus. *Num materia Peripatetica ſit ita pura potentia, ut ex ſe nullum habeat actum entitativum.* §. 1. 27
§. 2. Concluſio. *Materia prima Peripatetica ita eſt pura potentia, ut quemcumque explodat actum entitativum.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 28
Artic. Secundus. *Utrum Materia primo Peripatetica habeat actum metaphyſicum.* §. 1. 29
§. 2. Concluſio. *Materia primo Peripatetica caret omni actu etiam metaphyſico propriè tali.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 31
Art. Tertius. *Utrum materia Peripatetica prima habeat propriam partialem exiſtentiam.* §. 1. 34
§. 2. *Concluſio negativa.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 35

Articulus Quartus. *Poſſit ne Materia prima Peripotetica per abſolutam Dei potentiam exiſtere abſque ulla forma.* §. 1. 39
§. 2. Concl. *Materia prima Peripatetica nec attenta Dei abſoluta potentia poteſt exiſtere abſque ulla forma.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 41
Art. Quintus. *Utrum Materia prima appetitu innato appetat formas amiſſas.* §. 1. 43
§. 2. Concluſio. *Materia prima non appetit formas amiſſas.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 44
Appendix. *An Materia Prima ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.* 45
Quæſtio Tertia. *De Forma, & Privatione.* ibid.
Art. Primus. *Utrum formæ in ſecunda rerum productione educantur de potentia materiæ.* §. 1. 46
§. 2. Concluſio. *Omnes Formæ ſublunares in ſecunda rerum productione educuntur de potentio materiæ, dempta Anima rationali.* 47
§. 3. *Solvuntur argumenta contra primam partem Concluſionis parata.* 48
§. 4. *Solvuntur argumenta contra ſecundam partem Concluſionis.* 49
Appendix. *De eductione Formarum accidentalium.* 51
Art. Secundus. *Num plures Formæ diſparatæ poſſint ſimul informare eandem materiam, vel una plures materias.* §. 1. 52
§. 2. Concluſio. *Nec naturaliter, nec de potentia Dei abſoluta poſſunt plures Formæ diſparatæ eamdem materiam ſimul informare; nec una plures materias ſive ſimul, ſive ſucceſſivè.* ibid.
§. 3. *Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.* 53
Quæſtiuncula. *De Privatione.* 56
Sciſcitaberis. *Num in eadem materia ſit una, vel plures, privationes.* 57
Quæſtio Quarta. *De Toto Compoſito naturali.* ibid.
Art. Primus. *Num Materia, & Forma fiant unitæ media unione, quæ ſit nexus realiter ab utraque diſtinctus.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Materia, & Forma fiunt unitæ immediatè per ſe ipſas abſque unione, quæ ſit modus, vel nexus ſuperadditus.* 58
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 59
Art. Secundus. *Num Totum ſubſtantiale realiter diſtinguatur à partibus ſimul ſumptis, & unitis.* §. 1. 61
§. 2. Concluſio. *Totum non realiter, ſed duntaxat ratione ratiocinata diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis, & unitis.* 62
§. 3. *Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.* 63
Quæſtio Quinta. *De Exiſtentia.* 65
Art. Primus. *Num in rebus creatis Eſſentia diſtinguatur realiter ab Exiſtentia, & quomodo.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio Prima. *Eſſentia actualis in rebus creatis diſtinguitur realiter ab Exiſtentia actuali.* 66
§. 3. *Proponitur ſecundum ratiocinium.* 67
§. 4. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* 68
§. 5. *Solvuntur alia argumenta.* 71

§. 6. Secunda Concluſio. *Exiſtentia diſtinguitur realiter ab Eſſentia, ut modus à re.* fol. 72
Art. Secundus. *Utrum Exiſtentia ſit perfectior ſimpliciter Eſſentia.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio, *Eſſentia eſt ſimpliciter perfectior ſua Exiſtentia.* 73
§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* ibid.
Artic. Tertius. *Utrum Accidentia habeant propriam exiſtentiam realiter ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam.* §. 1. 75
§. 2. Concluſio. *Nullum Accidens habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſed omnia per eandem exiſtentiam ſubſtantiæ exiſtunt.* ibid.
§. 3. *Adverſariorum ſolvuntur Argumenta.* 76
Art. Quartus. *Utrum eſſe, ſeu exiſtentia ſit effectus, ita proprius Dei, ut neque principaliter, neque inſtrumentaliter poſſit quò ad entitatem dici à creatura productum.* §. 1. 79
§. 2. Concluſio. *Cauſa ſecunda etiam principaliter producit exiſtentiam ſui effectus.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 80
Articulus Quintus. *Utrum eſſe, ſeu exiſtentia ſit effectus formalis formæ, & an ab ea activè dimanet.* §. 1. 81
§. 2. Concluſio. *Exiſtentia eſt effectus eſſentiæ in quolibet cauſarum genere.* 82
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.
Appendix. *Num in toto compoſito ſubſtantiali exſtent exiſtentiæ partiales.* 83
Quæſtio Sexta. *De Subſiſtentia.* ibid.
Artic. Primus. *Num ſubſiſtentia conſtitutiva ſuppoſiti, ſeu perſonæ, ſeu hypoſtaſis diſtinguantur realiter à natura individua.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Suppoſitum, ſeu perſona, ſive (quod idem eſt) ſubſiſtentia diſtinguitur realiter à natura individua.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 85
Art. Secundus. *Num ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum addat ſupra naturam ſingularem aliquid poſitivum, vel ſolam negationem dependentiæ, aut communicabilitatis alteri ut ſuppoſito.* §. 1. 88
§. 2. Concluſio. *Subſiſtentia non in ſola negatione, ſed aliquo poſitivo ſita eſt.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 89
Art. Tertius. *Utrum Subſiſtentia diſtinguatur realiter ab Exiſtentia.* §. 1. 91
§. 2. Concluſio. *Subſiſtentia realiter ab Exiſtentia diſtinguitur.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 92
§. 4. *Solvuntur argumenta ab authoritate D. Thomæ.* 94
Art. Quartus, & ultimus. *Num ſubſiſtentia priusquam Exiſtentia in ratione ſubſtantiali recipiatur.* §. 1. 95
§. 2. Concluſio. *Subſiſtentia ordine executivo præcedit Exiſtentiam in natura ſubſtantiali.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 96
Percontaberis. *Num in compoſito ſubſtantiali ſint admittendæ ſubſtantiæ partiales.* 98
Appendix. *De Axiomate illo:* Actiones ſunt ſuppoſitorum, *quod eſt Ariſtotelis 1. Phyſicor. cap. 1. & 1. de Anima, tex. 65.* ibid.

Liber Secundus Phyſicorum.
De Natura, & Cauſis.

Quæſtiuncula Prima. *Quid ſit, quibuſve Naturæ ratio conveniat.* 99
§. 1. Dico 1. *Natura exactè definitur ab Ariſtoteli hic cap. 1. quod ſit* principium, & cauſa motus, & quietis ejus, in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens, *eſtque definitio eſſentialis.* 100
§. 2. Dico 2. *Materia, & Forma (comprehendendo etiam Animam rationalem) convenit ratio naturæ.* ibid.
§. 3. Sciſcitaberis, *Dicatur ne univocè Natura de Materia, & Forma.* 101
§. 4. Dico 3. *Cælo competit ratio Naturæ.* ibid.
Quæſtiuncula Secunda. *Quid ſit Ars, & num poſſit naturæ opera efficere.* 102
Dico. *Ars virtute propria nequit efficere opera naturæ, benè verò applicando activa paſſivis.* ibid.
Quæſtiuncula Tertia. *Quid ſit violentum, & num inferatur, vel inferri queat à cauſa ſuperiore, & an extet potentia neutra.* §. 1. 103
§. 2. Dico 1. *A Deo ſe ſolo ut agente univerſali nequit inferri violentia, benè verò ut agente particulari.* ib.
§. 3. Dico 2. *Inter naturalem, & violentum non extat potentia neutra, præter obedientialem.* ibid.
Quæſtiuncula Quarta. *De Cauſa in communi.* 104
§. 1. *Quid, quotuplex ſit cauſa, & num ſit ſemper effectu perfectior.* ibid.
§. 2. Dico. *Cauſæ intrinſecæ ſunt, non perfectiores, ſed potius imperfectiores ſuo effectu: Cauſæ verò extrinſecæ, vel ſunt perfectiores, vel æqualis perfectionis cum effectu; loquendo tamen ſecundum eſſe; quia certum eſt, quòd ſecundum rationem cauſæ, aliquam ſemper majorem perfectionem dicunt; cum ſint id, à quo effectus dependet.* 105
Quæſtio Prima. *De Cauſa efficiente.* 106
Art. Unicus. *Num ſubſtantia creata ſit, vel eſſe poſſit immediatè operativa.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Subſtantia nec eſt, nec eſſe poteſt immediatè operativa.* ibid.
§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur.* 108
Quæſtio Secunda. *De Cauſa inſtrumentali.* 113
Art. Primus. *Num inſtrumentum conſtituatur in ratione inſtrumenti, per virtutem, & motionem ſibi intrinſecè comunicatam à principali agente.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Inſtrumentum inſtituitur in ratione inſtrumenti per virtutem, & motionem ſibi intrinſecè à principali agente communicatam.* 114
§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur.* ibid.
Art. Secundus. *Sit ne de ratione inſtrumenti phyſici habere propriam actionem præviam.* §. 1. 116
§. 2. Concluſio. *De ratione eſſentiali inſtrumenti eſt habere propriam præviam actionem.* 117
§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur.* 118
Appendix. *Quænam ſit cauſalitas cauſæ efficientis.* 120
Quæſtiuncula. *De Caſu, Fortuna, & Fato.* ibid.
Quæſtio Tertia. *De Cauſa Finali.* 121
Artic. Primus. *Quænam ſit ratio formalis finalizandi in finem.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Ratio formalis* ſub qua *Finis eſt bonitas; apprehenſio verò eſt conditio neceſſariò requiſita.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 122
Art. Secundus. *Quænam ſit Finis cauſalitas.* §. 1. 124
§. 2. Concluſio. *Cauſalitas Finis non eſt actio agentis; nec amor activus, ideſt ex parte voluntatis inſpectus; ſed eſt amor paſſivè ſumptus; ideſt ipſum appeti, & amari, ſe tenens ex parte ipſius Finis.* ibid.
§. 3. *Adverſantium argumenta ſolvuntur.* 125
Art. Tertius. *Quibus competat agere propter finem, & quomodo.* §. 1. 126
§. 2. Prima Concluſio. *Agentia omni cognitione etiam ſenſitiva deſtituta agunt propter finem, ſaltem executivè. Ubi & Divina Providentia vindicatur.* 127
§. 3. *Bruta operantur cum cognitione Finis, adeoque, & meliùs, ac alia agentia naturalia propter finem agunt.* 128

§. 4.

§. 4. *Bruta omni prorſus ratione formali, & diſcurſu formali carent.* fol. 129
§. 5. *Bruta agunt propter Finem elicitivè, non tamen directivè formaliter.* ibid.
Appendix. *Num Natura producendo Monſtra operetur à caſu, vel potiùs ſint ab ea intenta, ita quod etiam ea efficiendo dicatur agere propter Finem, & quomodo.* 130
Quæſtiuncula. *De Cauſa Ideali, & Exemplari.* ibid.
Sciſcitaberis. *Ad quod Cauſæ genus pertineat Idea, & Exemplar?* ibid.
Quæſtio Quarta. *De Cauſarum Congreſſu.* 131
Articulus Unicus. *Poſſint ne duæ Cauſæ totales adequatæ ejuſdem generis, & ordinis effectum eundem numero producere.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Nec per abſolutam Dei potentiam poteſt idem numero effectus à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis ejuſdem generis, & ordinis produci, ſive ſimul, ſive ſuccedaneè.* ibid.
§. 3. *Adverſantium argumenta ſolvuntur.* 132
Appendix. *Num Cauſæ poſſint eſſe in invicem Cauſæ.* 136

Liber Tertius Phyſicorum.
De Motu, de Actione, Paſſione, ac de Infinito.

Quæſtio Prima. *De Motu.* 137
Art. Unicus. *Num, & quando à ſubiecto mobili à termino, & ab Actione, ac Paſſione Motus diſtinguatur.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Motus diſtinguitur realiter à ſubiecto à termino, tum* à quo, *tum* ad quem, *ac ab Actione, & Paſſione.* ibid.
§. 3. *Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.* 138
Percontaberis. *Quanam ſit definitio Motus, & num conveniat mutationi inſtantaneæ, motibuſque intentionalibus.* 139
Appendix. *De Motu Elaterio, & Sympathico.* ibid.
Quæſtio Secunda. *De Actione, & Paſſione.* Præloquium. 140
Artic. Unicus. *Num Actio tranſiens ſit ſubiectivè in Agente, vel in Paſſo.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Actio tranſiens ſubiectatur non in Agente, benè verò in Paſſo.* 141
§. 3. *Solvuntur Adverſantium argumenta.* 142
Quæſtio Tertia. *De Infinito.* 143
Art. Primus. *Num ſit poſſibile Infinitum ſecundum magnitudinem, vel ſecundum intenſionem.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Contradictione laborat Infinitum in actu ſecundum magnitudinem, vel intenſionem.* ibid.
§. 3. *Argumenta Adverſariorum, & ſolutiones.* 145
Artic. Secundus. *Num ſit poſſibile Infinitum ſecundum multitudinem.* §. 1. 148
§. 2. Concluſio. *Contradictionem redolet Infinitum in actu ſecundum multitudinem.* ibid.
§. 3. *Argumenta Adverſariorum cum eorum ſolutionibus.* ibid.
Appendix. *Cum in caſu quo extaret Infinitum in actu unum Infinitum foret majus alio.* 150

Liber Quartus Phyſicorum.
De Loco, & Tempore.

Quæſtio Prima. *De* Ubi. ibid.
Art. Unicus. *Num* Ubi *diſtinguatur realiter à re ubicata.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. Ubi *diſtinguitur realiter à re ubicata, ejuſque loco.* 151
§. 3. *Adverſariorum argumenta, & ſolutiones.* ibid.
Appendix. *Quotuplex ſit* Ubi. 153

Quæſtio Secunda. *De Loco.* fol. 153

DEFINITIO LOCI. ibid.

Percontaberis Primò. *Num* Ubi *ſit eſſentialiter dependens à Loco.* ibid.
Sciſcitaberis Secundò. *Unde ſumatur immobilitas loci.* 154
Dico. *Immobilitas Loci ſumitur ex determinata diſtantia à polis Mundi, & centro Terræ.* ibid.
Quæres Tertiò. *Num corpora omnia ſint in Loco.* 155
Dico. *Corpora omnia ſunt in loco, dempta ultima ſphæra, quæ eſt in Loco duntaxat ſecundum partes, & in potentia; non verò ſecundum ſe totam, & in actu.* ibid.
Quæres Quartò. *Quid de Spatiis imaginariis ſentiendum.* ibid.
Art. Primus. *Num Locus, ut vulgò uſurpatur, conſiſtat in eo, quod Carteſio placet.* §. 1. 156
§. 2. Concluſio adverſus Carteſium. *Spatium locale eſt quid merè aut negativum, aut privativum, interdum privatus; non verò corpus.* ibid.
§. 3. *Argumenta, & ſolutiones.* 157
Art. Secundus. *Num duo Corpora queant ſupernaturaliter eſſe in eodem loco.* §. 1. 158
§. 2. Concluſio. *Non naturaliter, benè verò ſupernaturaliter eſt poſſibile duo Corpora eſſe circumſcriptivè in eodem loco.* ibid.
§. 3. *Solvuntur adverſæ partis argumenta.* 159
Art. Tertius. *Poſſit ne idem numero corpus ſimul eſſe bilocatum circumſcriptivè, abſoluta etiam attenta Dei potentia.* §. 1. 161
§. 2. Concluſio. *Contradictione manifeſta laborat, unum, idemque Corpus eſſe multilocatum in ſimul circumſcriptivè per ſe pluribus in Locis adæquatis.* 162
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 163
Quæſtio Tertia. *De Inanis, ideſt Vacui Inanitate.* 165
Art. Unicus. *Num, & qua virtute ſit poſſibile Vacuum.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Nulla naturali etiam Angelica virtute poteſt dari Vacuum in rerum natura, ſed duntaxat virtute Divina.* ibid.
§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur.* 167
§. 4. Percontaberis Primò. *Num motus, quo gravia contra propriam inclinationem aſcendunt ad deplendum Vacuum ſit naturalis, vel violentus.* 168
§. 5. Percontaberis Secundò. *Num admiſſo Vacuo poſſet in eo dari motus localis, & quomodo.* ibid.
Reſolutio. *In Vacuo ſi extaret, poſſet naturaliter haberi motus localis, dempto motu projectorum, de quo infra lib. 7. q. 1. in appendice ponenda poſt articulum unicum.* 169
Quæſtio Secunda. *De Tempore.* 170
Præloquium. *De Temporis definitione, & ſubiecto.* ibid.
Sciſcitaberis. *Num Tempus ſit quid reale poſitivum.* ibid.
Corollarium adverſus Campanellam. ibid.
Articulus Primus. *Num Tempus diſtinguatur realiter à motu, & duratio à re durante.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Tempus diſtinguitur realiter à motu, & duratio à re durante.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 171
Artic. Secundus. *Quomodo Tempus exiſtat.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Tempus exiſtit non ratione partium: ſive partes Temporis exiſtunt non ratione ſui, ſed duntaxat ratione inſtantis.* 172
§. 3. *Argumenta diſſolvuntur ex adverſo facta.* 173

Liber Quintus Phyſicorum,
De Termino, Unitate, & Contrarietate Motus,

Quæſtiuncula Prima, *Ad quæ prædicamenta detur per ſe motus*. §. 1. fol. 174
§. 2. Dico 1. *Ad quantitatem datur per ſe motus*. 175
§. 3. Dico 2. *Ad qualitatem datur per ſe motus*. ibid.
§. 4. Dico 3. *Ad* Ubi *datur per ſe motus*. ibid.
§. 5. Dico 4. *Ad ſubſtantiam non datur per ſe motus*. ib.
§. 6. Dico ultimò. *Ad reliqua prædicamenta non datur per ſe motus*. ibid.
Quæſtiuncula Secunda, *Unde ſumatur unitas, & diſtinctio motus*, 176
§. 1. Dico 1. *Unitas generica motus ſumitur à termino* ad quem, *ſpecifica verò ex unitate Termini* ad quem, *& ex unitate ſpatii, ſi iſte ſit motus localis*. ibid.
§. 2. Dico 2. *Ad unitatem numericam motus requiritur unitas mobilis, termini* ad quem, *& Temporis*. ibid.
Quæſtiuncula Tertia. *Unde ſumatur motuum contrarietas*. ibid.
§. 1. Dico 1. *Contrarietas motuum propriè talium ſumitur ex contrarietate terminorum ad quos*. ibid.
§. 2. Dico 2. *Motus contrariatur quieti, non quæ eſt in termino* ad quem, *ſed quæ eſt in termino* à quo, 177
§. 3. Petes. *Num idem mobile poſſit moveri ſimul motibus contrariis*. ibid.

Liber Sextus Phyſicorum.
De Continuo, ejuſque partibus integrantibus.

Quæſtio Unica, *De Compoſitione, Diviſioneque Continui*. ibid.
Artic. Primus. *Num in Continuo extent vera, & realia diviſibilia tum continuativa, tum terminativa*. §. 1. ib.
§. 2. Concluſio. *In Continuo extant vera indiviſibilia cùm terminativa, tum continuativa*. 178
§. 3. *Diſſolvuntur argumenta Adverſariorum*. ibid.
Art. Secundus. *Num Continuum componatur ex ſolis indiviſibilibus*. §. 1. 180
§. 2. Concluſio negativa. 181
§. 3. *Enodantur Argumenta obverſæ partis*. ibid.
Art. Tertius. *Num partes Continui ſint actu partes, ideſt num ſint actu diſtinctæ, ac diviſibiles in infinitum*. §. 1. 183
§. 2. Concluſio. *Partes proportionales Continui ſunt actu realiter inter ſe diſtinctæ; & diviſibiles in infinitum ſincategorematicè*. ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta*. ibid.
Quæſtiuncula prima. *De Modo Inceptionis, & Deſitionis rerum*. §. 1. 186
§. 2. Dico 1. *Entia ſuccedanea, nimirum Motus, & Tempus incipiunt extrinſecè per ultimum &c.* ibid.
§. 3. Dico 2. *Indiviſibilia entis ſuccedanei, nimirum mutato eſſe, in motu, & inſtantia Temporis incipiunt, & deſinunt intrinſecè*. ibid.
§. 4. Dico 3. *Subſtantiæ generabiles, & corruptibiles incipiunt, ac deſinunt intrinſecè in inſtanti, nimirum incipiunt per primum ſui eſſe, ac deſinunt per ultimum ſui eſſe*. ibid.
§. 5. Dico 4. & ultimò. *Res quæ ſunt per creationem, ſive ſpirituales ut Angeli, ſive materiales ut corpora Cæleſtia ſint, incipiunt, & deſinunt in inſtanti intrinſecè*. 187
Quæſtiuncula Secunda. *De Terminis magnitudinis, & parvitatis, ſive de Maximo, & Minimo*. §. 1. ibid.
§. 2. Dico 1. *Viventia habent Terminum intrinſecum, ſive magnitudinis, & parvitatis*. ibid.
§. 3. Dico 2. *Non viventia, ſi attendatur præſens Univerſi ordo, habent limites intrinſecos ſuæ magnitudinis, abſolutè tamen loquendo hunc non habent*. ibid.
§. 4. Dico 3. & ultimò. *Non viventia habent ſuæ parvitatis terminum*. 188

Liber Septimus Phyſicorum.
De Motu relatè ad Motorem.

Quæſtio Prima. *De diſtinctione inter movens, & mobile*. ibid.
Art. Unicus. *Non omne quod movetur, neceſſe eſt, quòd ab alio moveatur*. §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio annuens. ibid.
§. 3. *Solvuntur adverſæ partis argumenta*. 189
Appendix. *Num projecta moveantur per impulſum, & virtutem ſibi intrinſecè ſuperadditam*. 191
Quæſtiuncula. *Num agens poſſit connaturaliter agere in diſtans*, 192
Quæſtio Secunda, *De Promotione Phyſica*, 193
Art. Primus. *Concurrat ne Deus concurſu ſimultaneo ad omnes actiones, & effectus cauſarum ſecundarum*. §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio annuens. ibid.
§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur*. 194
Art. Secundus. *Utrum ultra concurſum ſimultaneum ſit admittendus concurſus prævius*. §. 1. 197
§. 2. Concluſio annuens. ibid.
§. 3. *Adverſariorum argumenta diſſolvuntur*. 199
Art. Tertius. *Num per concurſum prævium imprimatur cauſæ ſecundæ qualitas aliqua*. §. 1. 202
§. 2. Concluſio annuens. 203
§. 3. *Argumenta adverſantia ſolvuntur*. ibid.
Appendix. *Num etiam cæteræ cauſæ univerſales, nimirum Cœli, &c. tum præviè, tum ſimultaneè concurrant his cum inferioribus?* 204

Liber Octavus Phyſicorum,
De Motu per ordinem ad Primum, & Univerſalem totius Univerſi Motorem.

Quæſtio Unica, *De Mundi Æternitate*. ibid.
Art. Primus, *Num Mundus potuerit eſſe ab æterno quò ad res permanentes*. §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio annuens. 205
§. 3. *Adverſariorum argumenta ſolvuntur*. ibid.
Art. Secundus. *Num Mundus potuerit eſſe ab æterno quò ad entia ſuccedanea*. §. 1. 208
§. 2. Concluſio. *Entia ſucceſſiva potuerunt eſſe ab æterno, dempta Geneſi humana*. ibid.
§. 3. *Solvuntur adverſæ partis argumentationes*. ibid.

17v

Ob Authoris præſertim abſentiam, magnamque diſtantiam aliqui errores irrepſerunt, quorum minus principales ex te corrigere poteris, prudens Lector. Principaliores autem ſunt ſequentes, videlicet

		Errata.	*Corrige.*
Fol. 33.	col. 2.	propriè quò ad explicitum	impropriè quò ad
Fol. 40.	col. 1.	*Cap.* Reſpondet Maſtrius forma	Maſtrius formam
Fol. 45.	col. 1.	formæ amiſſo	formæ amiſſæ
Fol. 51.	col. 2.	iteſum	iterum
Fol. 52.	col. 1.	entitativè ſupernaturale	entiıativè naturale
Ibidem in fine		ſuadetur ſui	ſuadetur ſic
Fol. 53.	col. 1.	non eſſe naturaliter poſſibiles	naturaliter poſſibile
Fol. 54.	col. 1.	non negabimus	nos negabimus
Ibidem	col. 2.	cum eis conſertur	cum eis conſtet
Fol. 56.	col. 1.	quæ cognoſcitur	qua cognoſcitur
Fol. 57.	col. 1.	eſt idem ac	non eſt idem ac
Fol. 63.	col. 1.	refutatæ	refutata
Fol. 65.	col. 1.	Nemo noſtrum	Nemo Noſtratum
Fol. 101.	col. 1.	analogiæ	analogía
Ibidem		depentia	dependentia
Fol. 106.	col. 1.	immorem	immorer
Fol. 109.	col. 2.	perfectionis	perfectioris
Fol. 115.	col. 2.	utpote non neceſſarii	non neceſſariis
Fol. 117.	col. 2.	ant. eſt luce notior	luce notius
Fol. 122.	col. 2.	niſi ut apprehenſum & cognitio	& cognitum
Fol. 149.	col. 2.	futuram ſit eſſe ſimul	futurum ſit
Fol 153.	col. 2.	negativè de ubi Sacramentali	affirmativè de ubi
Fol. 157.	col. 1.	non ideo cur	non video cur
Fol. 164.	col. 2.	Eccleſia nomine	Eccleſiæ nomine
Fol. 185.	col. 1.	obverſatus	obverſatur
Fol. 188.	col. 2.	neceſſitudinem	neceſſitatem
Fol. 194.	col. 1.	refutata eſt	refutatum eſt
Fol. 205.	col. 1.	in cap. 1. Gentes	in cap. 1. Geneſis
Fol. 206.	col. 2.	ſuppoſita quòd	ſuppoſito quòd
Fol. 207.	col. 1.	prioritas exiſtentia	prioritas exiſtentiæ
Fol. 208.	col. 2.	via	vita
Ibidem		ae entia permanentia	aliter ac entia
Fol. 211.	col. 1.	ad ſucceſſivè rationem	ad ſucceſſivi

Digitized by Google

AD PHYSICAM PROLEPSIS.

EXordium hic nanciſcitur à Phyſicâ ſcientia illa Philoſophia nuncupata, cujus ornatu quiſque Hominum ſingulari quadam decoris prærogativa humanam tranſcendere conditionem non immeritò creditur. Hic nonnihil pluſquam Homo incipit evadere. Huc facit illud, quod Laertius refert lib. 3. quòd apud Æginetas lex erat, ut ſi quis Athenienſis Æginam veniſſet, capitale eſſet. Illuc cùm eſſet deductus Plato, ut venundaretur, capitis poſtulatus eſt à Carmenio, qui legem eam tulerat. Tempeſtivo tamen cujuſdam joco (ſi jocosè dicere licet) liberatus eſt: ait enim, legem eſſe, *ſi quis Homo*; at hunc Philoſophum eſſe. Quicunque igitur à vulgari iſta Hominum maſſa ſecerni exoptat, Phyſicam amicam habeat, ut totius ſibi Philoſophiæ decorem valeat comparare; atque ſic ſpeciali illa honoris prærogativa haberi mereatur, cùm Philoſophus inter Homines eluceſcit, diciturque *Sophus*, hoc eſt Sapiens, & Philoſophus, nimirum ſapientiæ amator.

Phyſica verò nomen eſt latinum derivatum à græco vocabulo *Phyſis*, quod latinè idem eſt, ac *natura*, eò quòd naturæ naturam ipſam rimetur.

Qualiter hac in parte quiſquis ſtudio deditus eſſe debeat, ejus deſignatur epigraphe. Quandoquidem inſcribitur *de phyſico auditu*, ſive *de naturali auſcultatione*, ſingularem indigitans, præcipuamque ſollicitudinem, quam ſupra cæteras, minorem præſeferentes difficultatem, poſtulat. Mirum ſiquidem eſt, quàm ſublimes attingat veritatis gradus. Naturam etenim ejuſdemmet naturæ perſcrutatur; motus univerſalitatem aſſequitur, & præcurrit; rerum omnium principia dignoſcit; cauſarum, atque effectuum conditiones veſtigat; temporis curſum, locorumque ſpatia metitur, necnon ipſius menſuræ, quantitatis nimirum menſurabilitatem; Imò ad ipſum primum Motorem, & Mundi æternitatem pertingit.

Iſta igitur Philoſophiæ portio, quæ Phyſica compellatur, agit de motu in univerſali, & comprehendit octo libros Phyſicorum. In primo agitur de Principiis entis naturalis; in ſecundo de Natura, & Cauſis; in tertio de Motu; in quarto de Loco, & Tempore; in quinto de Unitate, Diſtinctione, & Contrarietate Motus; in ſexto de Continuo; in ſeptimo de Primo Motore; & in octavo de Mundi æternitate.

Iſtos omnes, iſtoque ordine nos explanabimus. Quia tamen in hac, ceu prima, & potiſſima Philoſophiæ parte, conſueverunt prodromæ quæſtiones præmitti. Idcirco ſit

PRÆLOQUIUM PRODROMUM

De Philoſophiæ Prodromis.

PHiloſophiæ nomen latiſſimè pro collectione, & Univerſitate ſcientiarum omnium uſurpari conſuevit. Ob idque à Stoicis definita eſt, quòd ſit *Rerum humanarum, ac divinarum cognitio*. Et hoc modo complectitur Philoſophiam Naturalem, Moralem, & Rationalem, nimirùm Logicam, necnon Metaphyſicam. Ejus poſtea nomine preſsè inſpecto veniunt ſolæ ſcientiæ illæ, quæ principaliter, aut præcisè rerum inſiſtunt contemplationi. Et prout ſic comprehendit Metaphyſicam, Mathematicam, Logicam, & Philoſophiam Naturalem. At verò magis preſsè ſtat pro ſola Philoſophia Naturali, quæ conſiderationem de rebus corporalibus, ac ſenſibilibus habet, vocaturque *ſcientia de ente mobili, ſeu naturali*. Hoc pacto ſumitur impræſentiarum.

Ubi veſtigari plura poſſent. Primò, num Philoſophia ſit ſcientia. Secundò, num ſit ſimpliciter ſpeculativa. Tertiò, num ſit una ſimplex qualitas, & habitus.

Verùm hæc de facili pateſcunt. Planum etenim eſt, eam eſſe ſcientiam; quia probat proprietates de proprio objecto per cauſam redigendo ad prima principia, V. G. probat, omne mixtum eſſe corruptibile, quia conſtat ex qualitatibus contrariis.

Objectio quædam, quæ fieri hic poſſet, diſſoluta eſt in Logica Syntag. 3. q. 5. art. 2. §. 3. ad 4. arg.

Perſpicuum quoque eſt, eam eſſe ſimpliciter ſpeculativam; quoniam ad ſolam veritatis contemplationem ordinatur, ſaltem quantùm eſt ex fine operis; eſtò quantùm eſt ex operantis fine poſſit propter opus intendi.

Nec officit, quòd ei ſubordinentur nonnullæ ſcientiæ practicæ, ut Medicina, Philoſophia Moralis &c. Non, inquam, officit. Etenim quemadmodum in Logicæ prodromis dicebamus, quòd Logica ordinatur ad ſcientias practicas, non ut practicæ ſunt, ſed ut ſcientiæ ſunt; ita dicimus, quòd Philoſophiæ Naturali ſubalternatur Philoſophia Moralis, & Medicina, non ut practicæ ſunt, ſed duntaxat ut ſcientiæ ſunt.

Tandem ex dictis in Poſterioriſticis quæſt. ult. art. 5. §. 3. ad 2. oppugnationem reſponſi dati ad 1. arg. innoteſcit,

Philoſophiam eſſe unam ſimplicem qualitatem, ibique enodatum eſt argumentum ex diverſa abſtractione procedens, quod opponi hic conſuevit.

Objectio alia eſt, quam hic format Cajet. ad probandum, Phyſicam, quæ agit de mobili in communi, eſſe diverſæ ſpeciei à cæteris partibus, quæ agunt de mobili in particulari, talis eſt. Superbia, quæ habet pro objecto ſui excellentiam ut ſic, diſtinguitur ſpecie ab habitu Præſumptionis, Ambitionis, ac Inanis gloriæ, quæ pro objecto habent ſui excellentiam in materia determinata: ergo pariformiter Phyſica, quæ agit de mobili in communi, & ut ſic, diſtinguitur ſpecie à cæteris partibus, quæ agunt de mobili in materia determinata, ſeu in particulari.

Reſp. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia cùm habitus voluntatis, quales ſunt illi, qui adducuntur in argumento, ſint minùs univerſales, quàm habitus intellectus, de quorum numero eſt Philoſophia, quemadmodum & ipſa voluntas eſt minùs univerſalis, quàm intellectus, qui & ad abſtracta fertur; Idcircò habitus illi diſtinguuntur ſpecie ſecundùm quòd reſpiciunt rationem excellentiæ in communi, ac in particularibus materiis. Non ſic verò Philoſophia ſecundùm quòd reſpicit mobile ut ſic, & in materia determinata. Ad eandem quippe ſcientiam ſpectat agere de genere, & de ſpeciebus ejuſdem; ſecùs opus eſſet alia ſcientia, quæ ageret de Homine ab ea, quæ agit de animali.

QUÆSTIQ UNICA.

De Objecto Philoſophiæ.

Recole quæ de objecto diximus in Prodromis Logicæ art. 3. §. 1. & hic pro hujus notione applica. Nos ſiquidem agimus impræſentiarum de objecto adæquato, formali *quod* attributionis Philoſophiæ.

ARTICULUS UNICUS.

Num Philoſophiæ objectum ſit ens mobile.

§. I.

1. Præconſidera, quòd hæc quatuor, nimirum *ens mobile*, *corpus mobile*, *ſubſtantia mobilis*, *ens naturale*, *& ens ſenſibile*, quò ad rem unum, atque idem ſunt, ſolumque in modo explicandi differunt. Ob idque apud omnes exploratum eſt, Philoſophiæ objectum quò ad rem eſſe corpus mobile, ſubſtantiam mobilem &c. Idcircò dubium duntaxat emergit, num objectum Philoſophiæ conſultiùs explicetur per ens mobile, vel per ens naturale, aut per ſubſtantiam mobilem, &c. Ita ut in nomine tota controverſia ſit. ſita

B. Alb. Magnus, & ex Scotiſtis nonnulli dicunt, objectum Philoſophiæ naturalis meliùs ſignificari per ſubſtantiam mobilem. Alii cùm Aureolo per corpus mobile. Alii, inter quos etiam plerique ex Scotiſtis, per ens naturale. Demum alii per ens ſenſibile.

Thomiſtæ verò communiter aſſeverant, aptiùs ſignificari per ens mobile radicale.

§. II.

CONCLUSIO.

Naturalis Philoſophiæ objectum aptiùs ſignificatur per ens mobile radicale.

2. Docetur à D. Th. hic lib. 1. Phyſ. ubi, *hic eſt*, inquit, *liber Phyſicorum, cujus objectum eſt ens mobile: non dico autem corpus mobile; quia omne mobile eſſe corpus, probatur in iſto libro: nulla autem ſcientia probat ſuum objectum: & ideo ſtatim in libro de Cœlo, qui ſequitur ad iſtum, incipitur à notificatione corporis.*

Probatur. Illud eſt Philoſophiæ naturalis objectum, quod ponitur in definitione proprietatis ab ipſa demonſtrabilis, ſed id, quod ponitur in definitione paſſionis demonſtrabilis à Philoſophia eſt ens, non verò corpus, aut ſubſtantia: ergo ens mobile, non verò ſubſtantia mobilis, aut corpus mobile, eſt objectum Philoſophiæ. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd objectum ſcientiæ eſt illud, de quo ſcientia proprietates demonſtrat, quod eſſe nequit, niſi illud, quod ponitur in definitione talium proprietatum; quia ſubjectum ponitur in definitione ſuarum proprietatum. Min. prob. Proprietas, quam Philoſophia demonſtrat, eſt mobilitas; ſed id, quod ponitur in definitione motus eſt ens, cùm definiatur motus à Philoſopho, quòd ſit *actus entis in potentia prout in potentia*: ergo &c. Maj. per omnia cernitur, quia ubique Philoſophia tractat de motu, puta in iſtis octo libris agit de motu in communi; in lib. de Cœlo agit de motu locali, in lib. de Gener. & corrup. de motu alterationis, augmentationis, &c. ergo &c.

3. Probatur ſpecialiter, non eſſe ſubſtantiam mobilem. Quandoquidem dubium apud Philoſophos eſt, num ſolum mobile ſubſtantiale ſit Philoſophiæ adæquatum objectum.

Idque cum Cavinn de objecto primario nonnulli ſatagentes multiplicare quæſtiones de voce, negant; quamquam aliàs minùs rationabiliter, cùm etiam intra ſorum mobilis, adeoque intra ſorum ſcibilis à Philoſophia, accidens ſit proprietas ſubſtantiæ; quia ſicut accidens eſt proprietas ſubſtantiæ, ad quam ſequitur; ita mobilitas accidentalis debet eſſe proprietas mobilitatis ſubſtantialis, ad quam ſequi debet, non ſecùs, ac entitas accidentalis teneatur ſequi ad entitatem ſubſtantialem ſuapte natura.

Prob. deinde non eſſe corpus mobile. Nulla ſcientia probat per ſua principia ſuum objectum, cùm ſupponere illud debeat; quia id, quod primitèr objicitur ſcientiæ, & exhibetur, eſt objectum; ſed Philoſophia per propria principia probat, omne mobile eſſe corpus: ergo objectum Philoſophiæ non eſt corpus mobile. Min. ultra quamquod eſt D. Th. ubi ſupra, manifeſtatur. Siquidem optimè probatur, omne mobile motu phyſico, ſeu ſenſibili, eſſe corpus, quia debet eſſe quantum, & diviſibile, cum motus ſucceſſivus fiat modo ſucceſſivo, & diviſibili. Eodem ratiocinio iterum probatur, non eſſe ſubſtantiam corpoream.

4. Prob. ultimò, non benè explicari Philoſophiæ objectum per ens naturale. Etenim (ut benè Compl.) hoc nomen *naturale* eſt nomen æquivocum. Poteſt namque ſignificare id, quod contraponitur ad liberum, id, quod contraponitur ad ſupernaturale; id, quod contraponitur ad artificiale; & id, quod ad violentum contraponitur; ſed objectum Philoſophiæ, ceu ſpecificans, ſcientiam univocè unam, debet eſſe univocum: ergo minùs benè Philoſophiæ objectum per ens naturale ſignificaretur.

5. Demum perſpicuum videtur, objectum Philoſophiæ minùs benè exponi per ens ſenſibile, Tum quia ſenſibilitas in ſubjecta materia eſt proprietas alterius proprietatis à Philoſophia, nimirum ipſius motus ſenſibilis. Tum quia, ut viſum eſt num. 3. proprietas demonſtrata non eſt ſenſibilitas, ſed mobilitas. Quo ratiocinio iterum probatur, non eſſe ens naturale, quia proprietas demonſtrata non eſt naturalitas.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

6 Objici primitùs poſſent nonnullæ authoritates S. Th. quibus indigitari videtur, objectum Philoſophiæ eſſe corpus, aut ſubſtantiam mobilem.

Verùm iſtæ omnes facilè exponuntur, dicendo, quòd Angelicus duntaxat intendit, Philoſophiæ objectum eſſe corpus, aut ſubſtantiam mobilem, ſi inſpiciatur objectum quò ad rem; non verò vult, eſſe explicandum per ſubſtantiam, aut corpus mobile.

Arg. 5. Philoſophiæ objectum explicari debet per illud, cui convenit per ſe primò mobilitas; ſed illa per ſe primò convenit corpori, non verò enti mobili: ergo corpus mobile ſtatui pro Philoſophiæ objecto debet. Maj eſt ince ipſa nitidior. Min. prob. Mobilitas per ſe primò convenit illi, ratione cujus convenit cæteris; ſed mobilitas convenit enti ratione corporis, non è contra: ergo &c. Prob. min. Verum namque eſt dicere, ideò ens movetur, quia corpus movetur, non verò è contra, ideo corpus movetur, quia ens movetur, ſecùs omne ens moveretur; ſeu omne ens eſſet mobile (quod eſt moveri in actu primo) proindeque etiam Deus eſſet mobilis motu etiam ſenſibili, & corporali: ſicut quia verum eſt dicere, quòd ideo Homo eſt ſenſitivus, quia eſt animal, omne animal eſt ſenſitivum: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. cui convenit mobilitas per ſe primò tùm in eſſendo, tùm in exprimendo, concedo, duntaxat in eſ-

ſendo,

ſendo, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Equidem in eſſendo mobilitas per ſe primò convenit corpori: tamen in exprimendo non convenit ei per ſe primò, Tùm quia id quod ponitur in definitione motus eſt ens, non verò corpus. Tùm quia omne mobile eſſe ens ſupponitur, omne verò mobile eſſe corpus non ſupponitur, ſed probatur in Philoſophia, nt vidimus num. 4.

Contra. Mobilitas etiam in exprimendo per ſe primò convenit corpori: ergo &c. Prob. ant. Ratio differentialis per ſe priùs etiam in exprimendo convenit generi proximo, quàm remoto, V. G. rationalitas convenit animalitati priuſquàm viventi, corpori &c. etiam in exprimendo; ſed genus proximum mobilitatis eſt corpus, non verò ens, imò ens non eſt genus: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. data maj diſtinguo min. non verò ens, ſi ſumatur ens in tota ſui latitudine, concedo, ſecundùm quod ſtat pro quidditate mobili, nego min. & conſequentiam. Siquidem dum ſignificamus Philoſophiæ objectum per ens mobile, ſumimus ly *ens* non prout ſignificat eſſe (quo pacto ſignificationem univerſaliſſimam habet) ſed prout idem eſt perinde, ac res, ſive quidditas mobilis, quæ quò ad rem idem eſt, ac Corpus mobile. Quo pacto optimè poteſt eſſe ratio generica contrahibilis proximè per mobilitatem.

Contra. Differentialis ratio per ſe primò convenit in exprimendo ei, quod in exprimendo minorem præſefert univerſalitatem; ſed ens mobile etiam prout idem eſt, ac res, ſeu quidditas mobilis majorem in exprimendo univerſalitatem præſefert: ergo &c. Min. eſt aperta. Maj. quoque. Ratio namque differentialis priùs in eſſendo convenit, ei quod eſt minùs univerſale in eſſendo: ergo pariformiter in exprimendo priùs conveniet ei, quod eſt in exprimendo minùs univerſale.

Reſp. diſt. maj. Si id, quod eſt minùs univerſale ſit æquè notum, concedo, ſecùs, nego maj ac diſtincta min. nego conſequentiam. Ratio autem Corporis eſt minùs nota in noſtro caſu, Tum quia id, quod ponitur in definitione motus non eſt Corpus, ſed eſt ens. Tum quia omne mobile eſſe ens ſupponitur, omne verò mobile eſſe Corpus non ſupponitur, ſed probatur in Philoſophia.

7. Arg 2. probando, objectum Philoſophiæ conſultiùs explicari per ens naturale, quàm per ens mobile. Ens naturale explicat naturam, quæ eſt principium motus: ergo Philoſophiæ objectum aptiùs exponeretur per ens naturale, quàm per ens mobile.

Reſp. diſt. conſequens, niſi eſſet nomen æquivocum ſignificans etiam aliud præter naturam, concedo, ſecùs, nego conſequentiam. Quamquam etenim naturam exprimat ens naturale; tamen non præciſè naturam exprimit, ſed eſt nomen æquivocum, juxta dicta num. 5. Idcircò minùs benè per illud ſignificaretur Philoſophiæ objectum. Ens mobile autem non eſt ſic æquivocum; quia mobile contraponitur duntaxat ad immobile.

Contra. Quamvis ens in tota ſui latitudine ſit quid analogum; tamen ſumptum pro quidditate mobili eſt univocum: ergo pariter ens naturale licèt in tota ſui latitudine inſpectum ſit æquivocum; tamen acceptum prout naturam ſignificat, erit univocum.

Reſp. dato ant. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen eſt, quia in primo caſu diverſitas non cadit ſupra ultimam differentiam, quæ eſt ly *mobile*, ſed præciſè ſupra ens. In ſecundo autem caſu cadit non tantùm ſupra ens, verùm etiam ſupra ly *naturale*, quod eſt ultima differentia.

Dices. Philoſophia naturalis denominatur naturalis ab ente naturali: ergo ſignum eſt, quòd habet pro objecto ens naturale.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens quò ad rem, concedo, quò ad explicari, nego conſequentiam. Ad hoc ſiquidem, ut Philoſophia denominetur naturalis, ſat eſt, quòd quò ad rem habeat pro objecto ens naturale eſtò non quò ad explicari. Quò ad rem autem objectum Philoſophiæ naturalis eſt ens naturale; quia quò ad rem hæc omnia, nimirum *ens naturale*, *ens mobile*, *Corpus mobile*, *ſubſtantia mobilis* &c. unum, atque idem ſunt, juxta dicta §.1. num. 1.

Reſponſum aliud habetur in Logica Syntag 4. q. 3. art. 5. §. 3. num. 6. ad 3. ubi vidimus, quòd ſubſtantia quamquam à ſubſtando dicatur, non tamen conſtituitur per ſubſtare aliis.

Similiter aliud traditur lib. 1. de Anima quæſt. unica prodroma art. unico §. 3. num. 9. ad 3. ubi videbimus, quomodo eſtò libri illi inſcribantur de Anima, tamen non ſola Anima, ſed ens animatum eſt eorum objectum.

8. Arg. 3. Objectum adæquatum Philoſophiæ illud eſt, in quod omnes reſolvuntur proprietates à Philoſophia demonſtrabiles; ſed iſtud non eſt ens mobile, benè verò ens ſenſibile: ergo adæquatum Philoſophiæ objectum erit ens ſenſibile, non verò ens mobile. Prob. min. Quandoquidem proprietates, quas Philoſophia demonſtrat non eſt ſolus motus, verùm etiam plures aliæ, puta Philoſophia agit etiam de quiete, demonſtrat etiam quantitatem eſſe ſapidam, coloratam, &c. cùm de iſtis nulla alia ex ſcientiis pertractet: ergo &c.

Reſp. nego min. ſi loquatur de proprietatibus, quæ per ſe primò ſunt demonſtrabiles; quicquid ſit de illis, quæ duntaxat de ſecundariò ſunt demonſtrabiles. Ad prob. diſt. ant. verùm etiam plures aliæ de ſecundariò, & per ordinem ad motum, concedo, de primariò, nego ant. & conſequentiam. Proprietates ſiquidem, quas præter motum Philoſophia demonſtrat, ordinantur ad motum, ſolumque de ſecundariò, & per ordinem ad iſtum, demonſtrantur à Philoſophia, V. G. quies conſideratur à Philoſophia prout eſt privatio motus: Privationes enim & negationes cognoſcuntur per formas oppoſitas. Similiter reliquas proprietates conſiderat per ordinem ad motum, V. G. colorem, quia iſte poteſt cauſare motum viſionis in potentia viſiva; ſaporem, quia poteſt cauſare alterationis motum in guſtu. Item demonſtrat qualitates de elementis, puta calorem, algorem, humiditatem, ac ſiccitatem, quia & iſtæ ſunt ſuo modo principium motus calefactionis &c. Idem dico de ingenerabilitate, & incorruptibilitate Cœli, quas Philoſophia demonſtrat, quatenus iſtæ ſunt qualitates quædam oppoſitæ mobilitati, & conducunt ad majorem ejus notionem; quia oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Quorum omnium ulterior ratio eſt, quia cuncta iſta demonſtrat per principia motus.

Contra inſurgit clariſſimus ex noſtris quidam in autographo, cui diſplicet præfatum reſponſum. Hujuſcemodi qualitates ſunt nobiliores motu, quia iſte propter illas intenditur, non illæ propter ipſum intenduntur: ergo eas pluſquam motum Philoſophia conſiderat.

Inſuper cuncta recenſita demonſtrantur per principia, quæ per ſe primò ad Philoſophiam pertinent, nimirum per principia motus: ergo per ſe primò conſiderantur à Philiſophia.

Reſp. ad 1. diſt. ant. ſunt nobiliores intra forum entis, concedo, intra forum ſcibilis, nego ant. & conſequentiam. Motus eſt cæteris omnibus illis nobilior in eſſe ſcibili, Tum quia eſt omnibus notior. Tum quia natura, quæ eſt illa, quæ per ſe primò conſideratur a Philoſophia, definitur per ordinem ad motum.

Ad 2. primodum poſſet argumentum retorqueri. Quandoquidem ſi per principia motus Philoſophia omnia illa demonſtrat: ergo univerſa per ordinem ad motum conſiderat.

Deinde, nego conſequentiam. Siquidem per principia per ſe primò ad ſcientiam aliquam ſpectantia poſſunt demonſtrari primariò illa, quæ primariò ad ſcientiam pertinent, & de ſecundariò illa, quæ de ſecundariò ad eandem attinent ſcientiam. Quælibet namque ſcientia per principia, quæ per ſe primò ad eam ſpectant, demonſtrat etiam ea, quæ de ſecundariò duntaxat conſiderat.

9. Arg. poſtremò. Si per impoſſibile extaret Corpus aliquod immobile, adhuc ſpectaret ad Philoſophiæ objectum: ergo Philoſophiæ objectum non eſt ens mobile tantùm. Ant. prob. quia adhuc ſtaret ſub ratione formali Philoſophiæ, nimirum ſub abſtractione ab omni materia ſingulari concernendo materiam ſenſibilem.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo antecedens, ſtaret repugnanter, concedo, non repugnanter, nego ant. & conſequentiam. Ac dico, quòd tale ſenſibile Corpus omnino immobile, ut ab opponente confingitur, ea in conficta hypotheſi ſtaret, & non ſtaret ſub abſtractione ab omni materia ſingulari concernendo materiam ſenſibilem. Staret ut ſupponitur, & non ſtaret; quia ratio ſenſibilitatis eſt impræſcindibilis à mobilitate. Deinde dico, quòd ſtaret ſub abſtractione Philoſophiæ, ſolùm de ſecundariò, quatenus opponeretur enti mobili, ſicut diximus de ingenerabilitate, & incorruptibilitate Cœli num. 9. ad 3. arg.

Quomodo autem Cœlum Empyreum non ſit immobile, dicam 2. Phyſicorum, quæſtiuncula prima.

LIBER PRIMUS
PHYSICORUM.

LIbri hujus in exordio non pauci Noſtrates conſueverunt nonnulla cum Philoſopho circa ordinem cognitionis diſcutere, nimirum quomodo cognitio incipiat ab Univerſalioribus, quæ ſunt notiora nobis &c.

Verùm quia de hoc ſermo habebitur in Metaphyſica q. 1. Idcircò his prætermiſſis ſex in hoc primo libro habebimus quæſtiones, primam nempe de principiis entis naturalis, ſecundam de materia, tertiam de forma, & privatione; quartam de toto compoſito naturali; quintam de exiſtentia; ſextam demum de ſubſiſtentia.

QUÆSTIO PRIMA,

De Principiis entis naturalis in communi.

ANtequam Principiorum quidditatem explanare adoriamur, præmittenda ſe offert differentia inter hæc tria, nimirum *Cauſa, Elementum*, & *Principium*. Non enim principium idem eſt, ac Cauſa, ſed Principium latiùs patet, quàm cauſa. Quandoquidem Cauſa habet influxum, non ſic verò Principium, cùm Privatio, ut infra dicetur, ſit verè principium, & tamen nullum influxum habeat. Ob idque ad rationem Principii ſat eſt, quòd ab eo principiatum dependeat. Item tùm Cauſa, tùm Principium latiùs patet, quàm Elementum. Non enim omnis cauſa eſt Elementum, cùm efficiens, & finalis cauſa non ſint Elementum. Similiter Privatio eſt Principium, & tamen non eſt Elementum; quia Elementum eſt pars conſtitutiva, nimirùm materia, & forma, quæ ſunt cauſæ tantummodò intrinſecæ: quemadmodum etiam quatuor Elementa mundi ſunt illius partes conſtitutivæ. Quæ omnia luculentiùs eniteſcent art. ſequenti unico §. 14. ad 3 atq. ſub num. 32. Quibus habitis

Principia prout apud Philoſophos ſumuntur impræſentiarum definiuntur ab Ariſt. hic tex. 24. ſic: *Principia ſunt quæ non fiunt ex aliis, nec ex alterutris, ſed omnia fiunt ex ipſis.*

Explanatur definitio. Dicitur primò, *quæ non fiunt ex aliis*, ſecùs prima non eſſent. Per quas dictiones tanquam per genus conveniunt Principia entis naturalis cum cæteris principiis, quæ non fiunt ex aliis, putà cum Elementis mundi. Dicitur nec ex *alterutris*, ad differentiam Elementorum, quæ, cùm conſtent ex materia, & forma corruptibili, ſunt invicem tranſmutabilia, & unum ex alio ſaltem mediatè fieri poteſt, ut lib 2. de Gener. & Corrupt. videbimus. Iſta autem Principia ſic ſe habent, quòd non tantùm ex aliis fieri non poſſunt, verùm nec unum fieri ex alio poteſt: Quemadmodum palam eſt, quòd characteres, qui ſunt principia, ex quibus fiunt dictiones, nec fiunt ex aliis characteribus, nec unus character fit ex alio.

At debent intelligi, quòd non fiant ex alterutris tanquam ex parte intrinſecè componente. Eapropter forma quamquam fiat ex privatione tanquam ex termino *à quo*, non tamen tanquam ex parte componente. Item licèt educatur de potentia materiæ, non tamen conſtat ex materia tanquam parte intrinſecè componente; quia materia eſt quidem compoſiti, neutiquam verò formæ, pars. Dicere ni volueris, quòd forma licèt educatur de potentia paſſiva materiæ, non fit propriè ex materia; quia educi de potentia materiæ non eſt fieri ex materia, ſed duntaxat eſt fieri dependenter à materia, ut dicetur quæſt. 3. art. 1. §. 1.

Dicitur demum *omnia fiunt ex ipſis*, ad ſignificandum, quòd unaquæque res fit ex hujuſcemodi Principiis, quemadmodum ex characteribus dictiones omnes conſurgunt. Quæ tamen particulæ non ſic intelliguntur, quòd in ſingulis rebus naturalibus Principia omnia, & ſingula reperiantur; cùm Cœlum, ceu creatum, cæteræque res omnes in prima rerum productione, non ſint factæ ex privatione. Sed cum diſtributione accommoda, nimirùm quòd omne ens naturale ex aliquo iſtorum fiat, ita ut ſi res generetur, concurrunt omnia; ſi per creationem fiant concurrunt duo, materia videlicet, ac forma: Non ſecùs, ac evenit, quòd non in qualibet dictione ponuntur characteres omnes.

ARTICULUS UNICUS.

Quot, & quæ ſint Principia entis naturalis.

CUm entis naturalis principia non pateant ad ſenſum, mirum eſt, quot circa ipſa fuerint Priſcorum errores, necnon Nuperorum etiam.

PRÆLOQUIUM,

In quo refertur opinio Pythagoræ, Xenophantis, ac Platonis.

1. PRimus error fuit Pythagoræ, qui rerum omnium principium poſuit, eſſe Numeros.

Philoſophum iſtum, & nonnullos alios ex infrà citandis, interpretantur quidam fuiſſe in allegorico ſenſu locutum; improbabile ducentes, Philoſophum illum adeò inſipienter ſenſiſſe; cùm perſpicuum ſit, quòd numerus numerans ſupponit res numeratas, imò ex earum diviſione reſultat, ac per conſequens eas non conſtituit, ſed conſtitutas ſupponit. Nec ex numeris numeratis poſſunt res fieri; quia cùm numeri numerati ſint res numeratæ, idem fieret ex ſeipſo, nimirùm res numeratæ ex rebus numeratis fierent. Verùm tametſi probabilitate non omninò careat, quòd allegoricè loqueretur, intelligendo fortaſſis per numerum, numeroſam proportionem, in qua à Deo univerſa ſunt condita, juxta illud Sap. 1. *omnia in numero, pondere, & menſura feciſti*, & iterum Sap. undecimo: aut intelligendo per numeros ideas Divinas, ſicut poſuerunt Platonici. Tamen dubitandi locum reliquit, quòd fuerit in litterali ſenſu locutus, cùm nulla alia entis naturalis principia deſignaſſe comperiatur. Alii dicunt (ſed neſcio quo fundamento) per numeros intellexiſſe atomos, ut Philoſophos omnes veteres ſuam in ſententiam pertrahere conentur.

2. Secundus fuit Xenophantis, Colophonii, & aliorum, qui rerum omnium principium unum duntaxat conſtituerunt omnino immobile. Iſti tamen ſunt inter ſe diviſi. Eorum namque quidam dixerunt, eſſe ens quoddam, ſeu ſubſtantiam quandam, quæ in omnibus eſt eadem, diverſa tantummodò ſecundùm ſenſibilem apparentiam, ut teſtatur S. Th. hic 1. Phyſ. lect. 10. Ita Parmenides Xenophantis Diſcipulus, & Meliſſus, qui propterea dicebant, calidum, & frigidum eſſe inter ſe idem. Sic etiam ſentire videntur Carteſiani, dicentes, non extare in rebus differentiam, niſi penès figuram, motum, quietem, &c.

Alii dixerunt, eſſe ignem, ut Heraclitus.

Alii aerem, ut Diogenes.

Demum nonnulli dixerunt, eſſe aquam, ut Tales. Cui ſententiæ favere nonnihil videtur ipſamet aquæ etymologia. Dicitur namque aqua quaſi *à qua*, ideſt à qua ſunt omnia. Quæ tamen etymologia non ita intelligenda venit, ſed à qua habetur, præſtatur modus obtinendi omnia. Media etenim aquâ, & navigiorum beneficio, res de Regionibus longinquis ad alias remotiſſimas vehuntur; & propter hoc id, quod alicubi oritur, videtur ubique oriri ratione hujuſcemodi aptitudinis illud obtinendi. Et huc fortè facit hexameter quidam, quem, licèt ut alio intuitu editum, refert Goudin.

Opinio iſta de unico Principio vera quidem eſt de Principio extrinſeco, quod eſt unum tantummodo, nimirùm Deus. In quo ſenſu intelligendus eſt etiam Plato, qui & ipſe unicum poſuit cunctarum rerum principium, nempe Deum, cùm ideas, & materiam ut principia ſic conſtituit, ut Deus velut Anima mundi, materia ut corpus, quod primò confuſum, deinde juxta ideas diſtinctum fuit in elementa;

Google

menta; per quæ elementa, vult Joannes Sagueus, quòd intellexerit particulas, ſeu atomos elementares. At quia, etſi nihil *tam abſardè dici poteſt, qaod non dicatur ab aliquo Philoſophoram*, ut ait Tullius lib. 2. de divinatione, credibile tamen non videtur, tantum Philoſophum fuiſſe adeo abſurdè locutum; idcircò communiter cenſetur, partim enigmaticè, & partim etiam metaphoricè fuiſſe locutum, ita, ut præcipuè cùm dixit, Deum eſſe Animam mondi, intellexerit per ſimilitudinem quandam ad Animam; quòd videlicet quemadmodùm Anima eſt illa, à qua tota corporis ſormoſitas pendet, ita Deus ſit ille, qui totam Univerſo venuſtatem præbet: non ſecùs, ac pars potior alicujus ſtructuræ ſolet ejus Anima nuncupari, V. G. dum aliqua in urbe viam aliquam pulcherrimam ſpectamus, dicere ſolemus, Animam talis civitatis eſſe viam illam, eò quòd præcipua civitatis pulchritudo ea in via ſita ſit. At ipſe quoque dubium idem, ac Pythagoras ſuppeditavit, cùm nullum aliud entis naturalis principium ſtatuerit. Et quidem quòd non poſuerit atomos ex eo liquet, quòd S. Auguſtinus fuit Platonicus, & tamen nuſquam atomos profeſſus eſt, cùm eas ſummopere, earumque ſantores execratus ſit, ut videbimus §. 9. quicquid in oppoſitum dicat Saguens ſuo illo cum Maignano, obteſtaos, ſe tenere atomos Platonicas.

At quicqoid ſit de hoc: Redeundo ad opinionem illam, quæ unicum rerum omnium Principium ſtatuebat dicimus, falſitate ipſa falſiorem eſſe, loquendo de Principio intrinſeco. Quandoquidem ſi unum duntaxat foret Principium intrinſecum, ſequeretur, entia omnia eſſe ejuſdem rationia, & ſpeciei. Quòd licèt annuere non dubitarent Philoſophi illi: tamen ſibimet quamquam nolentes, quamquam neſcientes, grandem irrogabant injuriam, quaſi quòd Parmenides, Xenophantes, Colophonius, Tales, &c. ejuſdem cum Jumentis eſſent naturæ, & ſpeciei. Idque inſuper falſitate ipſa falſius eſſe viſum eſt in Logica Syntag. 4. quæſt 4. quæ fuit de Quantitate artic. 2. § 2. in probationis conſ. ex diverſis operationibus Hominis, & Jumenti. Rerum ſiquidem eſſentiæ, ceu prima earundem rerum principia, nequeunt, niſi à poſteriori probari. Item nec res ullæ tranſmutarentur, ac gignerentur.

Nec dixeris, quòd Principium illud, tametſi unum, poteſt tamen varios ſubire ſtatus, ut addenſari, rareſcere, fluere, ſolidari, &c. ſicque rerum conſtituere diverſitatem, atque generationi, corruptionique obnoxias eſſeres.

Ne, inquam, id dixeris. Iſta ſiquidem eſt varietas duntaxat accidentalis, adeòque perſiſtit, quòd entia omnia ejuſdem forent rationis, ac ſpeciei.

Nec iterum dixeris, quòd ſtatus illi, licèt ſint accidentales Principio; ſunt tamen eſſentiales principiato. Quæ eſt doctrina nonnullorum etiam ex Atomiſtis, præſertim Carteſianis, dicentium, quòd figuræ varietas, licèt ſit accidentalis atomis; eſt tamen eſſentialis compoſito: non ſecùs, ac figura gladii, licèt ſit accidentalis ferro; eſt tamen eſſentialis gladio.

Ne, inquam, id dixeris; quia eſſentialitas iſta accidentium eſt duntaxat accidentalis, non verò ſubſtantialis; cùm etiam accidentia ſuam habeant eſſentiam: ſecùs ſequeretur, quòd non magis differret Parmenides, vel Democritus, aut Carteſius à Jumento, quàm gladius, & ſerra invicem, ceu eâdem ex re conſtantes, ſolumque in figura differentes. De his aliquid iterum §. 5. ſub finem.

Deinde (ut loquitur Goudin) diverſi illi ſtatus diverſa poſtulant Principia, quibus conſtituantur, & diſtinguantur: ergo ſemper plura erunt principia. Ob idque ſubdit idem Goudin, quòd qui unicum poſuere Principium, aliquid præter ipſum admiſere, quo earum diverſitas cauſaretur; ſicque ſolâ voce unicum dixere, re verò ipſa plura poſuere Principia.

Demum mox in fine hujus præloquii ſequenti num. 3. & §. 2. conſtabit, particulas elementares non poſſe eſſe rerum Principia. Et ulteriùs § 13. manifeſtum fiet, principia eſſe pluſquam unum.

3. Tertius fuit Empedoclis, cui placuit, iſta principia eſſe quatuor elementa mundi, quæ per litem, & amicitiam, ideſt ſecundùm quod uniuntur, vel ſeparantur inter ſe diverſas res naturales efformet.

Quod placitum licèt non adeo procul, ac duo priora, non parùm tamen & ipſum à vero diſtat. Quandoquidem elementa (ut ita dicam) principiantur, & fiunt ex aliis. Palam namque eſt, quod ex re combuſtibili candefacta conſurgit ignis: ergo non ſunt prima rerum principia. Eò vel maximè, quòd elementa ſunt generabilia, & corruptibilia, ut cùm ex terra gignuntur vapores, ex vaporibus aqua pluvialis. Imò cuilibet non cæco pateſcit, quòd aquæ gutta in ardentiſſimum ignem injecta, illicò in ignem convertitur.

§. I.

Refertur, ac confatatur Chymicorum, ſeu Spagiricorum opinio.

4. PRimo loco in examen vocatur opinio Spagiricorum, ſeu Alchimiſtarum, ſive Hermeticorum, qui cum Hermete eorum duce tria adinvenerunt rerum naturalium principia, nimirum *Mercarium, Sulphur, & Sal.*

Nomine iſtorum creditur, eos non intelligere id, quod vulgò ſolet, ſed intelligere alia prorſus diverſa, nimirum nomine Salis intelligant partem terreſtrem fixam, quæ non aſcendit: nomine Mercurii partem aqueam, & humidam: nomine Sulphuris partem ſubtilem, & vividam, quæ aſcendit. At veritas eſt, quòd nec inter ſe omnino conveniunt Chymici in aſſignando, quid nomine Mercurii intendant. Ex quo meritò infert Jo: Baptiſta du Hamel in ſuo opere, cui titulus eſt *Philoſophia vetus, & nova* tom. 4 tract. 1. Phyſicæ generalis cap 5. diſſert. 3. nihil poſſe determinatè concindi pro Principiis entis naturalis. Videatur ipſe. Et ego legi opellam quandam, cui titulus *Novam lamen Chemicum* cujuſdam anonymi, qui tenet, nomine Mercurii intelligi Mercurium nobis uſualem. Verùm quicquid de hoc ſit

Refellitur 1. opinio iſta ſic. Principia entis naturalis in omni ente naturali reperiri debent; ſed Mercurius, Sulphur, & Sal non ſunt in omni naturali ente: ergo Mercurius &c. non ſunt entium naturalium Principia. Prob. min. Quandoquidem nunquam ex igne extrahent Hermetici partem illam humidam, nec ex aqua partem illam ſubtilem, ſicut nec ex marmore partem illam mollem, ut vel illemet author illius novi luminis chymici annuit.

Si quiſquam reſpondeat, Chymicos loqui de Principiis duntaxat mixtorum.

Contra eſt, Tum quia hic ſermo ſit de Principiis, non ſolùm mixtorum, verùm etiam ſimplicium, qualia ſunt elementa. Tum quia ſi ſimplicium Principia non ſunt Mercurius, Sulphur, & Sal, vel ſunt illa Peripatetica, nimirùm materia, & forma: ergo extat materia, & forma, quas adeo ipſi execrantur. Vel aſſignent quid aliud. Atomos namque infra penitus abjiciemus.

5. Confutatur 2. Prima entis naturalis Principia non debent fieri ex aliis, ſecùs non eſſent prima, nec in alia reſolvi; ſed Mercurius, Sulphur, & Sal fiunt ex aliis, & reſolvuntur in alia: ergo &c.

Prob. min. primò quòad p. p. Mercurius, Sulphur, & Sal deſcendunt ab aliis, nimirùm ex Corpore igni applicato. Imò ipſe legens præfatum novum lumen chemicum, inveni, quòd tract. 2. in titulo *de tribus principiis omnium rerum* habet, quòd à prima conditione rerum ignis cœpit agere in aerem, & produxit ex aere Sulphur: aer quoque cœpit agere in aquam, & produxit Mercurium: aqua etiam cœpit agere in terram, & produxit Sal. Terra autem cùm non habuerit, in quod ageret, non produxit quicquam, ſed productum remanſit in illa. Et loquitur de terræ elemento, ſicut & de igne, aqua, & aere, non verò de terra illa ſua damnata.

Prob. præterea eadem min. quòad 2. p. Etenim ut compertum eſt experimentis factis à viro doctiſſimo D. *Du Clos* relato à præcitato du Hamel, ſpiritus vini inflammabilis, quem ex Chymicis alii vocitant Mercurium, alii dictitant Sulphur, magna ex parte in aquam reſolvitur, & iſta in vapores, ſive Salem volatilem. Et ſanè Mercurius extractus, ſi igne validiore examinetur, reſolvitur in quid ſubtilius, & evaneſcit. Cujus ſignum eſt, quòd Alchimiſtæ ignem ad certam duntaxat menſuram in ſuorum artificiis ei adhibent. Idem compertum eſſe dicit in oleo craſſo, & fœtido ex variis plantis extracto.

Inſuper eadem min. quòad eandem 2. p. ſuadetur. Siquidem poſt illa tria ſupereſt *caput mortuam, terra damnata* num. ſequenti 6. explananda.

Ad hoc reſpondebat unus ex eis quidam, quòd caput mortuum, & terra damnata ſunt Principia paſſiva. Sed

Contra. Quandoquidem Principia paſſiva ſunt ipſamet entia naturalia, quæ ex Principiis naturalibus coaleſcunt, & omnia naturalia entia ſunt Principia paſſiva: ergo non benè hoc, quod eſt eſſe Principium paſſivum reſtringitur ad caput mortuum, terramque damnatam duntaxat. Prob. ant. Principium paſſivum illud eſt, quod eſt principiatum, quemadmodùm Principium activum eſt illud, quod eſt principians; ad eum modum, quo amor paſſivè eſt amari, ſeu eſſe amatum, & amor activè eſt amare, ſeu eſſe amantem, ſive amatorem; ſed omnia entia naturalia ſunt principiata, ſeu principiantur conſtitutivè, ſive conſtituuntur ex principiis: ergo &c.

Neque dixeris, quòd & nos dicimus, materiam primam eſſe Principium paſſivum.

Ne, inquam, id dixeris. Etenim profitemur, eſſe potentiam paſſivam, non verò Principium paſſivum. Sanè materia eſt potentia paſſiva reſpectu formæ; non eſt autem Principium formæ, ſed eſt Principium totius compoſiti.

Poſſet demum modis aliis hæc refelli opinio, ut puta quòd ex triplici duntaxat rerum varietate nequit tanta tot, ac propemodùm infinitarum rerum, quæ Univerſum complent, efformari varietas. Item quia nequeunt eſſe Principium vitæ in viventibus, præſertim cognitionis ſenſitivæ, & multò minùs intellectivæ.

Chymicorum argumentum diſſolvitur.

6. TOta Baſis, ſuper quam tota fundatur Chymicorum opinio, ſic efformata habetur. Tot ſunt Principia, quot ſunt partes intrinſecæ, in quas poſſunt res naturales reſolvi; ſed poſſunt reſolvi in Mercurium, Sulphur, & Salem: ergo iſta ſunt prima Principia. Min. probant experimentis. Si namque Planta V. G. applicetur igni, ſtatim egreditur ſubſtantia quædam humida, eſtque Mercurius; ſi verò fiat ignis major applicatio, effluit ſubſtantia quædam viſcoſa, & unctuoſa, quæ Sulphur dicitur: & tandem ſi per calcinationem redigatur in cineres, ſub illis reperietur ſubſtantia quædam alba, & ſicca, corruptioni nullatenùs obnoxia, imò à corruptione cætera præſervans, & dicitur Sal.

Quod autem, abſtracto ex cineribus Sale remanet, & ſupereſt, vocitatur ab Hermeticis *caput mortuum*, *terra damnata*, ceu ad omnia inutilis: Idcircò inter Principia non recenſetur; ſicut nec phlegma inſipidum, quod etiam reperitur in reſolutione corporum.

Mercurius dat fluiditatem, & colorem (ajunt ipſi) Sulphur calorem, & odorem; Sal denique ſaporem, & gravitatem.

Idipſum exemplo illuſtrant in Vino. Vinum namque alembico impoſitum, poſtea admoto igne, primò emittit liquorem ſubtilem, & inflammabilem, poſtea aquam inſipidam; atque iis exhauſtis materia illa craſſior, & viſcoſa, quæ reſidua eſt, in aliud Vas, quod Retortam vocant, vulgò italicè *la Storta*, translata, admoto vehementiori igne, pinguem, oleoſamque ſubſtantiam, ex ſe emittit odoroſam, & inflabilem, ideſt Sulphur ipſum. Poſtea quæ ſupereſt ſubſtantia durior, & ſicca, igne reſoluta in cineres ac aqua fervidâ diluta, eam Sale impinguat. Hæc enim aqua per filtratam, ideſt bubulam Chartam, vel mediis panni liciniis in aliud vas ſeorſim diſtillata, dùm admoto igne fuerit diſtillata, *Salem* in fundo vaſis deponit. Extracto Sale ſupereſt pulvis aridus, ideſt *terra damnata*, ſeu *caput mortuum*.

Reſp. Goudin, eſſe humores quoſdam, & liquores.

At reſponſum hoc non videtur facere ſatis. Siquidem quocumque nomine donentur, ſunt id, in quod ultimò reſolvitur res: ergo ſunt prima Principia, quæ à Peripateticis dicuntur humores, aut liquores, ac evaporationes, à Chymicis verò *Mercurius*, *Sulphur*, ac *Sal*, appellantur.

Dicere autem, hujuſmodi humores, & exhalationes, componi ex materia, & forma, eſſet petere principium; quia hoc eſt, quod impræſentiarum diſputatur, & oppugnatur, nimirum quòd materia, & forma ſint entis naturalis Principia, & contenditur, iſta eſſe Mercurium, &c. quia in iſta ens naturale reſolvitur. Aliter igitur

Reſp. primitus per dicta ſub finem numeri 4. quòd ſi quid probat, non niſi de mixtis probat. Nos autem loquimur tùm de ſimplicibus, tùm de ipſis mixtis.

Deinde diſtinguo min. poſſunt reſolvi in Mercurium &c. ut in partes ſui, nego, tanquam in aliquid de novo genitum, concedo min. & nego conſequentiam.

Dices. Unumquodque componitur ex his, in quæ reſolvitur; ſed in illa tria reſolvuntur res per dictas experientias: ergo & ex illis conſtituuntur.

Reſp. primitùs, ſi ultimata de reſolutione loquamur, maj. eſſe falſam, cùm & in alia Mercurius reſolvi queat, ut ex dictis num. 5. probando ſecundam min. partem, eniteſcit.

Deinde diſt. maj. unumquodque componitur ex his, in quæ reſolvitur per ſeparationem, concedo, per novam generationem, nego maj. & diſtinguo min. reſolvuntur in illa tria per ſeparationem partium, quæ antea rem illam componerent, nego, per novæ formæ generationem, concedo min. & nego conſequentiam. Igitur unumquodque componitur ex his, in quæ reſolvitur per ſolam ſeparationem, ſive reſolutione purè ſeparativâ; ut cùm rationalis Anima ſeparatur à materia, ſive etiam reſolutione ſeparativâ, & corruptivâ ſimul. Ex his verò, in quæ reſolvitur per novam generationem ſubſtantialem, non componitur actu, ſed potentiâ, quatenùs in materia illius extat potentia diſpoſitiva, vel diſponibilis ad generationem ejuſcemodi formæ. Et hoc pacto mixtum reſolvitur in illa tria, nimirùm Mercorium &c. quatenùs eorum formæ poſſunt educi de materia mixti, & ex mixtis generari.

Concludo igitur, quòd Mercurius, Sulphur, & Sal, ſunt formæ de novo genitæ.

Reſponſum hoc cùm oppugnare nequaquam ſciret ex Chymicis quidam, qui publico in diſputatorio congreſſu adverſus ex diſcipulis meis unum, cui ego præeram, argumentabatur, clamare cœpit: *quænam ergo erunt Principia rerum naturalium?* Reſpondebamus; materia, & forma, &c. *Quid eſt* (majori voce conclamabat) *iſta materia prima?* Reſpondebamus; *Primum ſubjectum, ex quo aliquid fit cùm inſit* &c. *Quid eſt* (perſequebatur ille) *iſtud primum ſubjectum?* Tum nos eum interrogavimus, *quid eſt Homo?* Ad quod ille, *animal rationale*. Iterum ſciſcitabamur, *quid eſt hoc animal rationale?* Ad quod cùm ipſe ulteriùs reſpondere nequaquam ſciret, diximus ei, quòd nec nos progredi ulteriùs tenemur ad diſcendum, quid ſit iſtud primum ſubjectum; quia in hoc ſtat definitio materiæ primæ. Et quando ventum eſt ad definitionem rei, non eſt ulteriùs progredi; quia tunc ventum eſt ad prima Principia, nimirum ad primum eſſentiale conſtitutivum, ultra quod progredi non permittitur.

Ea ex re totus evaneſcit conatus Joannis Sagnens, tametſi non chymici, ſed Atomiſtæ, hoſtis infenſiſſimi materiæ primæ, non tam ſua in Philoſophia, ſed & magis ſuo in Syſtemate Euchariſtico, ubi petere non ceſſat, *quid eſt iſta prima potentia?*

Inſiſtebat Chymicus, quòd iſta materia prima gratis omnino adſtruitur, cùm eam videat, aut viderit nemo.

Reſpondebamus ex dictis in Logica in lib Poſteriorum præloquio primo § 3. *dico ſecundo* num. 7. Satis videri in ſuis effectibus, qui ejus ex poſitione habentur, nimirùm ea mutationibus ſubſtantialibus, quæ quotidiano cernuntur experimento. Et ſic ſatis eſſe. Quemadmodum pori in humano corpore exiſtentes, licèt non appareant ſenſui in ſeipſis; tamen dignoſcuntur ex effectibus, nimirùm ex ſudore. Quòd autem non gratis à nobis materia prima adſtruatur, pateſcet quæſt. 2. in principio.

Expectabat Chymicus aliam materiæ definitionem, nimirum *nec eſt quid, nec quale, nec quantum*, ut poſſet, non quidem oppugnare, ſed deturpare verbis, quæ referemus, & retundemus quæſt. 2. in principio.

Potuiſſet verò oppugnare, licèt non expugnare. Primò. Illa dicuntur prima Principia, quæ non ſunt in alia ulteriùs reſolvibilia; ſed tria dicta nequeunt in aliud reſolvi: ergo ſunt prima Principia. Prob min. Siquidem primodùm *terra damnata*, ſeu *caput mortuum* tametſi in ignem mittatur, non amplius deſtruitur; Mercurius autem, Sulphur, & Sal, ſi in ignem mittatur, utique cremabitur, nihil tamen ex eo fiet: ergo &c.

Secundò. Non eſt excogitabile, à quo generentur illa tria, nimirùm Mercurius, Sulphur, & Sal: ergo non gignuntur de novo. Prob. ant. Non enim gignuntur ab igne: quia iſte in ſe non habet humiditatem illam, ac viſcoſitatem; nemo autem dat, quod non habet: ergo &c.

Reſp. ad 1. nego min. Ad id, quod de *terra damnata*,

ſive

ſive *capite mortuo*, dicitur, reſpondemus, quòd *caput illud mortuum*, ſeu *terra damnata*, ſicut etiam cinis ſunt quid ſimplex, non verò mixtum; Et quòd quantùm ad ſubſtantiam, ſeu ſpeciem, ſunt terra compoſita ex materia, & forma terræ (elementa etenim dicuntur ſimplicia corpora, non quia non ſint compoſita ex materia, & forma, ſed quia unum elementum non eſt quatuor ex elementis mixtum) licèt varient quò ad aliqua accidentia in eis procreata ex diſpoſitionibus materiæ ex priori forma mixti corrupta. Cujus in ſignum habes, quòd ab ipſiſmet Hermeticis vocitatur *terra damnata*. Ob idque ſicuti terra non comburitur, ita nec *caput illud mortuum*, quemadmodùm nec cinis.

Et ratio eſt, quia, ut dicetur lib. 2. de Gener. & Corrup. q. 2. art. 2. unum ex elementis nequit in aliud tranſmutari, niſi mediatè, nimirum niſi mediante mixto aliquo. V. G. aqua ut in aerem tranſmutetur, debet priùs in vaporem tranſmutari. Nequit autem tam feſtinè in vaporem tranſmutari, niſi minima ſit aquæ gutta aut terræ, aut cineris minimum fragminulum. Quemadmodùm namque unum corpus naturaliter priùs pergit in locum proximiorem, & medio iſto in alium remotiorem: Ita materia naturaliter priùs tranſit ad formam proximiorem, & poſt iſtam ad aliam remotiorem. Formæ autem elementorum ſunt formæ extremæ, & forma mixti eſt forma veluti intermedians. Et ſi fuerit elementum craſſius, ac ſolidius, ut terra, ſicut etiam cinis, & *terra damnata*, quarum formæ quò ad ſubſtantiam eſt forma terrea, vel ſaltem ad formam terream multum accedit, indiget diuturnis diſpoſitionibus, adeoque diutino tempore, ſi in notabili ſit quantitate, ut in vaporem tranſmutetur.

Hinc etiam dato, quòd terra illa damnata eſſet quid mixtum, adhuc tamen quia mixta quædam, ut cinis maximè affines ſunt alterius extremi elementi formæ, ut putà terræ, nequeunt in aliud transformari elementum, puta ignis, niſi tranſeundo per aliam formam mixti minùs diſtantem à forma illius elementi, puta ignis V. G. per vaporis formam &c. & poſt hujus amiſſionem pergere ad aliam formam illius elementi, puta ignis. Eum proportionalem ad modum, quo illuſtravi exemplo corporis, quod, ſaltem naturaliter loquendo, nequit ad locum remotiorem pertingere, niſi priùs proximiori fuerit in loco. Idcircò quemadmodum corpora quædam, quæ tardiùs moventur diuturniori indigent tempore, & quæ tardiſſimè moventur, indigent diuturniſſimo tempore, ut id obtineant; & ſi longiſſima adſit diſtantia, opus habent longiſſimo tempore, attentâ eorum ſummâ tarditate cum maxima diſtantia illa. Ita ſurmæ, quæ difficiliùs, adeòque tardiùs, tranſmutantur, accedente tàm magna diſtantia, ſeu diſſimilitudine illa, non niſi maximam poſt diuturnitatem, poſſunt in illud tranſmutari.

Accipe tamen ſimilitudinem duntaxat quadam cum proportione, cùm exempla claudicent centum pedibus.

Et quamvis etiam ſententia aſſeverans, elementa eſſe immediatè invicem tranſmutabilia, ſit in via Thomiſtica valdè probabilis. Tamen loquitur in re modica. Et hoc modo illius Patroni dicunt, quòd *Mercurii* gutta, pauca *mortui capitis* grana, ſicut & terræ, ac cineris, ſi magnum in ignem mittantur, tranſmutabuntur in ignem. Inſuper licèt poſſibile eſſe dicant, non tamen dicunt; quòd regulariter eveniat. Quomodo autem id ſalvent, ipſi cogitent.

Ad id, quod de Mercurio, Sulphure &c. dicebatur, & in quo vim facit P. Mazzotta Cœleſtinus in ſua triplici Philoſophia poſt quæſtiones diſputatas lib. 2. Cap. primo, ſecutus Patrem Ceſium Monachum Caſſinenſem, dico quòd ſeipſum interimit. Quandoquidem ſi (ut vel ipſe fatetur) crematur, jam corrumpitur: ergo cùm corruptio unius ſit generatio alterius, jam quidpiam ex eo fit. Itaque ſi in magna extet quantitate, ignem, cui injicietur, extinguet; ſin autem tranſmutabitur, dum crematur, in vapores, ex quibus poſtea vel ignis ibi, vel in aerem, ſurſum elevatis, conſcendendo reſolvetur.

Prætereà ex dictis num. 5. probando ſecundam Min. partem, habes; quòd ex Mercurio alembico impoſito, poteſt aqua extrahi. Vide ibi.

Ad 2. interim dicimus, quòd gignuntur, non per ſe, ſed per accidens ab igne, non ut à cauſa principali, ſed ut à cauſa inſtrumentali; non ſolius ignis virtute, ſed concurrente corporum cœleſtium influxu, cum vi ipſius ignis applicati materiæ ſic diſpoſitæ. Ubi corpora cœleſtia tunc ſe habent ut cauſa æquivoca, non verò univoca.

Dixi *interim*, quia potius reſponſum dabimus lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 2. § 3. ſub num. 6. ad ultimas inſt. contra reſponſum dandum ad 2. arg. aſſignando, à quonam producatur forma cadaverica. Et nonnihil etiam hic infra §. 6. num. 19.

Et per hæc ſolutæ remanent etiam objectiones quædam, quibus Jo: Saguens utitur tom. 3. diſp. 13. art. 1. ad probandum, quòd ignis, qui de novo excitatur, non procreetur de novo, dum ex ſilice explodatur, chalybe, vel ex calce, aqua, &c.

Inſuper videbimus lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 8. art. 3. §. 3. ad 3. arg. illa tria, nimirùm Mercurium, Salem, &c. non eſſe, niſi humores quoſdam, aut liquores, aut vapores. Vide Goudin de Gener. & Corrupt. q. 2. §. 2. concl. 2. pag. 248. & 249.

§. II.

Refertur, & refutatur opinio Elementariorum, ſeu, quod idem eſt, Elementariſtarum.

7. NUperi nonnulli, quaſi propriam de atomis erubeſcerent ſententiam, eam ab illa Empedoclis, & infra citandi Anaxagoræ, necnon Democriti, diverſam exhibere volentes (quamquam diverſa nequaquam ſit, eò vel maximè, quòd & Anaxagoras atomos elementares admiſit, ut videbimus §. ſequenti 3. num. 12. & 13. & §. 4. num. 15.) ponunt pro rerum naturalium Principiis inſenſibiles elementorum particulas. Ita ſentire ſe dicit P. Honoratus Fabri, cui adhærent alii nonnulli, præſertim in autographis, necnon Joan. Saguens ſua in Philoſophiâ Maignani, injurias adhibens, ac conviciis abundans magis quàm rationibus. Quibus ſpretis, & condonatis

Opinionem hanc (ſi opinionis gradum attingere valet) præterquamquòd etiam confutatam habebimus ex dicendis §. 5 in num. 20.) Confutamus Primò ſic. Quandoquidem debet excogitari quænam ſint Principia elementorum; ſed elementa conſtitui nequeunt ex particulis elementaribus: ergo particulæ elementares non ſunt entium naturalium principia. Maj. tàm certa eſt, quàm certum eſt, quòd elementa non ſunt ipſa prima principia per iſtos Authores, cùm non ſint ipſæ particulæ, imò etiam elementa ſint in particulas diviſibilia, adeoque debent eſſe quid principiatum. Tum quia ſunt & ipſa ens naturale. Min. autem prob. Si elementorum Principia forent particulæ elementares, ſequeretur, quòd elementa principiarentur, ſeu conſtituerentur ex ſeipſis, ſeu eſſent principia ſui ipſius; ſed eſſe hoc nequit: ergo &c. Min. ex terminis innoteſcit, quia quod eſt principiatum non eſt principium, cùm principium ſit principians, & non principiatum. Maj. prob. Si principia elementorum eſſent particulæ elementares, elementa principiarentur ex elementis: ergo elementa principiarentur ex ſeipſis. Prob. ant. Particulæ elementares ſunt elementum: ergo ſi elementa principiarentur ex particulis elementaribus, elementa principiarentur ex elementis. Prob. ant. à ſimili. Si namque extarent particulæ mixturales, ſeu particulæ mixtorum, forent particulæ iſtæ quid mixtum: ergo à pari particulæ elementares, ſeu (ut volueris) particulæ elementorum, ſi extant, ſunt & ipſæ elementum.

Confirmo, quandam præcludendo Adverſariorum evaſionem. Siquidem ſi diceretur V. G. quòd mixta componuntur ex particulis mixturalibus, eſſet idem perinde, ac dicere, quòd mixta componuntur ex mixtis; quia particulæ mixturales ſunt quid mixtum, cùm non ſint quid ſimplex, ſecùs eſſent particulæ elementares, non verò mixturales; quemadmodum V. G. ſi diceres, quòd atramentum componitur ex particulis atramentalibus, idem perinde eſſet, ac ſi diceres, quòd atramentum componitur ex modicis atramentulis; ſicque de cæteris diſcurras, ſtando ſaltem in rebus inorganicis: ergo pariter dicere, quòd elementa componuntur ex particulis elementaribus, idem perinde eſt, ac dicere, quòd elementa componuntur ex elementis.

Hinc Saguens poſtea in aliis operibus extra Philoſophiam palam atomos profeſſus eſt.

8. Confutatur 2. Quandoquidem ſi naturalium entium Principia eſſent elementares particulæ, ſequeretur, nullas in Univerſo extare ſubſtantiales mutationes; ſed hoc apud

quem-

quemquam non captum oculis eſt falſum: ergo particulæ elementares non ſunt rerum naturalium Principia. Maj. eſt ineluctabilis, Tum quia iſtos per authores rerum mutationes non fiunt, niſi per hoc, quòd diverſimodè inter ſe diſponantur particulæ illæ elementares, non ſecùs ac dictionum varietas per hoc fit, quòd diverſimodè characteres diſponantur, ac coaptentur; iſta autem diverſa diſpoſitio non eſt niſi accidentalis mutatio. Tum quia ipſi uno ore formas cunctas ſubſtantiales reſpuunt. Min. autem, quam temerè inficiantur Adverſarii, ultraquamquod fuſè, & luculenter oſtendetur infra §. 6. pateſcit cùm carbo extinguitur; quia tunc ignis ſubſtantiam amittit, ut cuique non cæco, & cuique tactus ſenſorio non privato, perſpicuum eſt vel Brutis ipſis.

Reſponſum quoddam quod adhiberi forſan hic poſſet, vide confutatum ſupra in præloquio hujus quæſtionis refellendo opinionem de unico Principio, & exemplum de gladii figura.

Reſpondet aliter Saguens, quòd carbo dum ſubtùs aquas extinguitur, amittit duntaxat apparentiam, non verò ſubſtantiam ignis.

Verùm hoc, quod nonniſi à ſenſus inope proferri potuiſſet, reſponſum, refellemus §. 4. ſub num. 55. ſub finem. Et ſanè hoc eſt confuſaneam velle innovare Chaos Anaxagoræ, quam ſequenti §. confutabimus.

Ulteriùs mirum, & quidem mirum, quòd adeo obſtinatè obteſtentur, non eſſe admittendum, niſi quod dilucidè ſenſui pateſcit, ut vidimus in Logicæ Poſterioriſticis præloquio primo §. 3. *dico ſecundo* ſub num. 7. & tam audacter inficiaſeant, quòd Carbo dum ſubtùs aquas extinguitur, ignis ſubſtantiam deperdat, cùm adeo experimento patens id & viſui, & tactui ſit, eò quòd non ultra comburit.

9 Confotatur 3 Poſſibile minimè eſt, res tanta in varietate conſtitui ex particulis elementaribus; quia quadruplex duntaxat varietas inter quatuor elementa ſita, nequit tantam tot rerum in Univerſo varietatem efformare.

Reſpondet Saguens, elementares particulas non eſſe illas duntaxat quatuor elementorum, ſed alias complures, ac innumeras aliarum ſpecierum nobis ignotas extare.

Verùm reſponſum hoc refelli facilè poterit ex dicendis §. 9. in fine.

10. Confutatur 4. Inter naturalia entia ſupputantur & viventia, præcipuè ſenſitiva; ſed particulæ elementares eſſe nequeunt principium vitæ, præſertim ſenſitivæ, nimirum ſenſitivæ cognitionis, aut intellectivæ: ergo non ſunt entium naturalium Principia. Maj ſaltem de Homine à nemine reſpuitur. De Brutis verò manifeſtabitur tum infra lib 2. Phyſ. q. 3 art. 3. tum lib 2. de Anima q. 2. art. 2. ubi ex profeſſo de Brutis veſtigabimus *num Bruta agant propter finem*, *& num vivant*. Sicut etiam inquirendo *quot ſint Animarum genera*, videbimus quomodo Anima ſenſitiva agat independenter à qualitatibus elementaribus.

Saguens, qui, ſi poſſibile ſibi fuiſſet, devorare noluiſſet illud adeo grave abſurdum cæterorum Atomiſtarum, vitam Brutis adimentium, reſpondet, quòd atomi, ſeu particulæ elementares, ſeorſim ſunt principium vitæ inchoativè, unitim verò ſunt principium vitæ in facto eſſe, ſine eo, quòd obſtet atomorum materialitas, & indiviſibilitas; quia etiam Animæ animalium, ſeu Brutorum, ſunt materiales, & indiviſibiles ſecundùm nonnullos Peripateticos. Sed

Contra. Atomiſtæ, ſive Elementariſtæ ſi reſpuunt formas omnes, animas quoque reſpuent, quæ vitæ principium ſunt, adeoque omnem vitam, ſeu animationem.

Inſuper ſi atomorum materialitas, & exilitas, non obeſt, quominùs atomi ſint principium vitæ ſenſitivæ, ſanè nec obſtabit, quin etiam in lapidibus ſint vitæ principium.

Dixi *vitæ ſenſitivæ*, quia de vita vegetativa loquendo, iſtam Saguens in libris de Anima concedit etiam lapidibus.

Dices ex quadam doctrina ejuſdem Saguens, non quidem hic in Philoſophia, ſed alia in ſua opella, cui titulus eſt *Syſtema Eucharisticum* dialogo 4. num. 25. quòd viventia conſtant ex quibuſdam atomis ſpirituoſiſſimis, & actuoſiſſimis, quas formæ V. G. Aſininæ præponendas eſſe in ſpirituoſitate, exultans obteſtatur. Sed

Contra. Per ly *ſpirituoſiſſimis*, *& actuoſiſſimis*, vel intelligit ſpiritualitatem aliquam, ſeu immaterialitatem, ſitam in hoc, quòd aliquid minus de materia habeatur; quemadmodum omnimoda immaterialitas ſita eſt in hoc, quòd nihil de materia habeatur. Et en materiam, ac formam, quam nos Peripatetici dicimus, eſſe viventem per aliquem majorem exceſſum ſupra materiam, ſeu per non omnimodam immerſionem in materia, ut explanabitur lib. 2. de Anima q. 2. art. 5. Vel intelligit majorem aliquam activitatem. Et tunc ignis potiori jure, quàm Aſinus eſſet dicendus vivens, cùm activitatem longè majorem habeant atomi igneæ, quàm atomi Aſininæ. Ignis namque eſt præ cæteris rebus activitatis magnæ, ut de ſe palam eſt.

Nec animæ ſunt omnino materiales; quia (ut 2. de Anima q. 2. art. 5. dicemus) earum aliquæ majorem, nonnullæ minorem, ſupra materiam habent elevationem. Item Animæ ſunt indiviſibilas propter exceſſum perfectionis; atomi ſunt indiviſibiles propter defectum perfectionis, ut dicemus §. 6. num. 20. ſed de hoc iterum §. 8. num. 24.

Ea ex re idem Saguens poſtea tom. 4. altera Philoſophiæ parte poſteaquam totis viribus conatus eſt, tutari animam ſenſitivam in Brutis, tandem ibi num. 55. communem cæterorum Atomiſtarum turpem in errorem & ipſe lapſus eſt, dicens, operationes Brutorum eſſe operationes purè machinales.

Demum lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 8. art. 2. videbimus, quatenus elementa, non formaliter, ſed duntaxat virtualiter ſunt in mixto.

Argumentum unum, quod objici forſan hic poſſet, licèt Anaxagoreticum, ſolvetur §. 4. in fine.

§. III.

Veterum pariter, ac Naperorum Atomiſtarum placitum, proponitur, & confutatur Primò.

11. HOc nomen *Atomus* (uti quilibet non penitùs græci ſermonis ignarus novit) nomen eſt latinum, derivatum à græco vocabulo *Atomos*, quod latinè idem perinde valet, ac *inſectile*. Dicitur namque à littera *A* quod græcè idem perinde eſt, ac ſi latinè diceretur *ſine*, & à vocabulo *tome*, quod græcè idem perinde eſt, ac ſi latinè diceretur *ſectio*. Eo proportionali modo, quo nomen hoc *Atheus* nomen eſt latinum derivatum à græca dictione *Atheos*, quod latinè idem perinde eſt, ac *ſine Deo*, quia *A* idem eſt, ac *abſque*, & *Theos* idem perinde eſt, ac *Deus*. Ob idque Athei dicuntur, qui Deum ullum negant extare.

Eapropter factum eſt, ut vulgò, imò etiam à nonnullis minùs peritis Atomiſtis, atomi appellari ſoleant minutiſſimus pulvis, ac per aerem errantes feſtucarum laciniolæ, præcipuè ad radios Solis. Nihilominùs (ut in hoc §. adverſus paucos quoſdam videbimus) non ita ſicut apud vulgum ſumitur impræſentiarum atomus, ſed ſumitur pro corpuſculo tantæ aut parvitatis, ut à Maignaniſtis, aut ſoliditatis, ut à Gaſſendiſtis, aut ſpiſſitudinis, ut à Carteſianis, quòd nullà potentià dividi poſſit. Nullà, inquam, potentià dividi queat, ſaltem naturaliter, licèt divinitùs valeat in indefinitum dividi, judice Gaſſendo. Imò Maignanus, Caſimirus, & Saguens præcipuè ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico parte 2. dialogo primo num. 6. profitentur, quòd nec ſupernaturaliter dividi poſſit. Idque docet etiam Carteſius, ſed diverſo ex motivo. Quandoquidem Saguens ex Maignano profitendo, ſe defenſitare atomos Platonicas, dicit, eſſe etiam divinitùs indiviſibiles ratione minimeitatis; Carteſius verò aſſeverat, eſſe etiam divinitùs indiviſibiles; quia inter earum partes non eſt poſſibile ſpatiolum aliquod; Obteſtatur ſiquidem Carteſius, vacuum nec ſupernaturaliter eſſe poſſibile, ac repugnare non minùs, ac montem ſine valle, & circulum quadratum.

Itaque Leucippus, ejuſque familiaris Democritus, quos longè poſtea ſecutus eſt Epicurus, ſtatuerunt, quòd plenum, & vacuum formarent Univerſi Fabricam. Plenum dicebant corpus naturale compoſitum ex dictis atomis, ſeu corpuſculis indiviſibilibus. Vacuum ponebant, eſſe ſpatiola quædam, ſeu vacuitates quaſdam inter corpuſcula illa. Quas vacuitates ideò adſtruebant, tùm ut poſſet fieri motus localis in rebus; quia cùm localis motus fiat per corporis ingreſſum ubi priùs non erat, ſi locus omnis plenus eſſet, non fieret ſine penetratione latio; de quo infra lib. 4. refellendo vacuum, quòd poſt Gaſſendiſtas Maignaniſtæ vocitant vacuum diſſeminatum, ad differentiam alterius vacui,

Digitized by Google

vacui, quod vacuum aggregatum dictitant: Tùm etiam, ut ultra motum localem poſſet fieri rarefactio, & condenſatio. De quibus tùm lib.4. agendo de vacuo, tùm in lib.1. de Gener. & Corrup. agendo de rarefactione, & condenſatione.

Modus autem, quo volebant, ex multiplicibus illis atomis per diverſas earundem atomorum combinationes formari diverſas res, luculenter illuſtratur à Priſcorum Philoſophorum Cenſore, ſeu correctore Ariſtotele 1. Metaphyſ. tex.4. exemplo litterarum. Quemadmodùm namque ex paucis litteris variè inter ſe diſpoſitis innumeræ formantur dictiones, V.G. aliter ſonat vox *Roma*, aliter *Maro*, aliter *Amor*, quamquàm eædem ſint litteræ: ita ex diverſo ſtatu, & ordine illarum atomorum innumerabiles rerum ſpecies fiunt, & prodeunt. Inſuper quemadmodùm ex litteris ſyllabæ, ex ſyllabis dictiones, & tandem ex dictionibus conſtant orationes: ita ex atomis corpuſcula quædam, ex his alia majuſcula coaleſcunt, ita ut atomi materiæ, compoſitio verò formæ locum obtineant. De quo iterum infra §.11. ad 3. arg.

12. Dividitur atomus à nonnullis, licèt paucis Atomiſtis, in ſubſtantialem, & accidentalem. Subſtantialis dividitur in elementarem, & non elementarem. Sub elementari quidam ponunt igneas, aqueas, & terreas. Sub non elementari aereas.

Unicuique atomorum tribuunt Atomiſtæ figuram, & qualitatem, ita ut atomus ignea ſit ex natura ſua calida, & lucida; aquea ſit humida, & diaphana; terrea ſit frigida, & opaca; aerea verò nullis ex his ſit affecta. Omnem tamen eſſe capacem, & à natura ordinatam, ut agentium activitatem puram ad paſſum tranſmittat.

Igneis, aqueis, & aereis figuram ſphæricam adſcribunt, ceu ad motum magis idoneam, promptèque diviſibilem; terreis cubicam, ſeu quadratam, & immutabilem. Sic etiam Saguens, qui tamen poſtea palinodiam cantavit, ut conſpicies num. ſequenti 13.

Atomorum fautores fuere, non ſolùm Leucippus, & Democritus, verùm & Anaxagoras, Empedocles, & Zeno. Quorum Atomiſteam Philoſophiam jam diù à Scholis exulem, per fas, ac nefas de exilio revocare, ſimulque in exilium pellere Peripateticam Philoſophiam conabantur Novatores non pauci, ſi fortè Gigantem à Pumilione, vel Pygmæo dejici poſſibile foret.

In duobus autem diſcrepabant. Primò, quòd Democritiſtæ dicebant omnes illas atomos eſſe duntaxat in figura heterogeneas, ſeu ſolùm diverſæ figuræ, non verò diverſæ ſpeciei: Ob idque volebant, omnes ejuſdem eſſe ſpeciei. Zeno autem, Anaxagoras, &c. dicebant, aliquas eſſe diverſæ ſpeciei, & non tantùm diverſæ figuræ. Hinc atomi aliæ appellantur Zenoniſticæ, aliæ Democritiſticæ. Secundò, quia Democritiſtæ, & Epicuræi (ut §.8 videbimus) impiè profitebantur, atomos eſſe improductas, & omnino à caſu unitas. Non ſic verò Zeno, & Anaxagoras, qui profitebantur, eſſe à Deo productas, ac unitas. Ea de re Anaxagoras commendatur ab Ariſt.1. Metaphyſ. tex.2. comparaturque ad Democritum, ſicut ſobrius ad ebrium.

Nuperi autem nonnulli Atomiſtarum conantur Democritum ab hac nota vindicare, ut videbimus § 8. volentes, quòd ejuſmodi atomi fuerint à Deo creatæ modo, quo ipſi exponunt. Quemadmodùm etenim (inquiunt) ſolers, accuratuſque Typographus ab initio characteres omnes efformat, ex quorum deinde varia combinatione tàm varia, tam diverſa, tamque contraria conſtruit: non è contra ſummus omnium Artifex rerum cunctarum ſeminaria condidit ab exordio, nimirùm tenuiſſimas ſubſtantias invicem diverſas, intrinſecè ſubſiſtentes, & naturæ ſequaces, ut ex varia tandem ipſarum unione omnia rerum genera formarentur.

Sic P. Franciſcus Caro Somaſchus diſcurrit, ſeu potiùs diſcurrebat quondam. Siquidem poſteà ſua illa, qua par eſt, ingenuitate deprehendens atomorum vanitatem, univerſis atomis perpetuum vale dixit, ut etiam celebrat noſter Gennarus, reſpondente ſuper hoc Joanne Saguens ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico parte prima dialogo 7. ac dicente, *nil* mirum eſſe, quòd ex Atomiſtis unus atomos retractaverit, cùm & nonnulli Peripatetici ad Atomiſtica tranſierint caſtra; Sed & alios Atomiſtarum Segreges factos, ac transfugas videbimus §.10. Nec verum eſt, ex Peripateticis quempiam, qui priùs typis mandaverit Doctrinam Peripateticam, eandem poſteà in prælo ejuraverit. Quod accuratiùs in P. Caro conſiderare debuiſſet Saguens parte prima dialogo 6. num.35. ſicque de palinodia Peripateticos non inſultaſſet. Excipias tamen Hæreticos illos, Joannem nimirum Hus, Wicleffum, &c. qui ut vidimus in Logica Syntag.4. q.4. art.3. §.2. num.3. ſicut Fidei, ita Peripateticæ Philoſophiæ rebelles facti ſunt.

Horum omnium Principia Joannes Baptiſta du Hamel ſuo in opere, cui titulus eſt *Philoſophia vetus, & nova*, vocitat Principia mechanica.

Prima Confutatio.

13. Confutatur igitur placitum hoc Primò. In reſolutione rerum non cernuntur iſtæ atomi: ergo non ſunt earum principia. Ant. planum eſt. Siquidem dum per ignem reſolvitur lignum in ignem, quicquid ſupereſt omninò corporeum, & dividuum eſt, nec in illo igne ex ligno noviter extracto, apparent atomi ligneæ. Conſequentia prob. Atomi illæ ſi extarent deberent oculis cerni: ergo ſi non cernuntur, ſignum eſt, quòd non extant. Prob. ant. Haberent requiſita omnia, ut eſſent objectum viſus; ſed objectum viſus eſt id, quod cadit ſub viſu, ſeu quod oculis cernitur: ergo &c. Prob. maj. Objectum viſus eſt lucidum, coloratum, figuratum; ſed hæc omnia haberentur in atomis illis, ſi iſtæ extarent, nimirum eſſent quid figuratum, coloratum, & lucidum, ſeu illuminatum (quicquid modò ſit, num lux, & color ſint quid reale, vel duntaxat apparens) ergo &c. Prob. min. Forent quid lucidum, id eſt illuminatum, dùm eas Sol irradiaret; forent quoque quid coloratum vel realiter, vel apparenter, ſecùs totum quod ex eis conſtaret, non foret coloratum. Eſſent demum quid figuratum, quia dogma eſt atomiſteum, eas atomos habere ſuas figuras, nimirum alias cubicas eſſe, alias ſphæricas &c. vel ſaltem omnes ejuſdem eſſe figuræ.

Id, inquam, dicunt, nimirum eſſe ſic figuratas, idque dicebat & Joan. Saguens tota ſua in Philoſophia Maignani ſuo cum Maignano, ſicut & in ſuo Syſtemate Euchariſtico. Poſtea palinodiam cantavit, eamve ſe canere fatetur ſuo in *Atomiſmo Demonſtrato, & Vindicato*, quem poſtea edidit contra Palancum dialogo 3. ubi ſentire ſe dicit, quòd non ſint figuratæ, ea convictus demonſtratione, quòd omne figuratum eſt extenſum, & aliàs ipſe cum Maignano, contendit, eſſe inextenſas. Aſt quoniam ſic palinodiam canere debuit, debuiſſet quoque ulteriùs pergere, & explicare, quomodo atomi adeo firmiter unitæ maneant in marmore, in metallis, &c. niſi uncinatæ ſint. Item ſi figuratæ non ſunt, quomodo valeant formare tot res figuratas, & diverſimodè figuratas. Quæ omnia fuerunt motiva ob quæ in Philoſophia docuerat, eſſe figuratas. Similiter quomodo fluant in aqua, niſi ſphæricæ, ſeu rotundæ. Nos enim ſuo loco oſtendemus, fluiditatem eſſe qualitatem realiter diſtinctam.

Reſpondent 1. ex Atomiſtis nonnulli, atomos adeò exiles eſſe, ſeu tenues, ut inviſibiles ſint. Et inſtant de materia prima, quæ non videtur. Item de aere, & quibuſdam vaporibus, qui non cernuntur viſu. Sed

Contra. Quandoquidem (ultraquamquod ipſi, ut conſpeximus in Poſterioriſticis Logicæ preloquio primo §.2 dico 2. execrantur quicquid ſenſui perſpicuum non eſt) adhuc inſto ſic. Objectum viſus, ut dixi, eſt lucidum, coloratum, figuratum; ſed atomi non ſunt adeò tenues, ut non ſint quid figuratum, lucidum, coloratum: ergo nec ſunt adeò exiles, ut non ſint objectum viſus, adeòque nec erunt ita tenues, ut non cadant ſub viſum, ſeu non cernantur oculis.

Ad id verò, quod de materia dicitur, reſpondeo, non eſſe ad rem; quia materia prima extat quidem, ſed informata accidentibus, ad quæ ſola immediatè fertur viſus. Aer ideò non cernitur, quia eſt Corpus ſummè diaphanum, ſeu omninò tranſparens. Idem dico de ſubtilioribus quibuſdam vaporibus, in quos nonnunquam res naturales reſolvuntur. Et ſic fit ſatis cuidam objectioni Patris Joannis Saguens ex illo ſuo Maignano hauſtæ.

Reſpondebis, objectum viſus eſſe lucidum, coloratum &c. quod habet ſufficientem entitatem, ut cernatur, quam non obtinent atomi. Sed

Contra. Reſponſum hoc eſt mera principii petitio. Siquidem habent atomi ſufficientem entitatem, ut ſint quid coloratum, figuratum, lucidum, ſeu illuminatum, ſive ut

fiant illucidatæ ; ſed objectum viſus eſt lucidum, coloratum, figuratum : ergo habent ſufficientem entitatem, ut ſub viſum cadant, tanquam objectum ejus.

Explanatur hoc. Quandoquidem facto hoc argumento : *Quod tendit deorſum eſt grave ; ſed gutta V. G. aquæ tendit deorſum : ergo gutta aquæ eſt gravis*. Si quis reſponderet *diſt. maj. Si habeat ſufficientem entitatem, ut ſit grave, concedo, ſecùs, nego*, eſſet mera petitio principii : & optimè refelleretur ſic : *Quod habet ſufficientem entitatem, ut tendat deorſum, habet ſufficientem entitatem, ut ſit grave ; ſed gutta aquæ habet ſufficientem entitatem, ut tendat deorſum : ergo aquæ gutta habet ſufficientem entitatem, ut ſit gravis*.

Vel ſi ego probare volens, quòd Pygmæus, vel Pumilio ſit Homo, dicerem ſic : *Homo eſt animal rationale, ſed Pygmæus, & Pumilio eſt animal rationale : ergo Pumilio eſt Homo*. Si quis reſponderet *diſt. maj. ſi habeat ſufficientem entitatem, ut ſit Homo, concedo, ſecùs, nego*, eſſet mera principii petitio : & optimè impugnaretur ſic : *Quod habet ſufficientem entitatem, ut ſit animal rationale, habet ſufficientem entitatem, ut ſit Homo ; ſed Pygmæus, & Pumilio habet ſufficientem entitatem, ut ſit animal rationale : ergo habet ſufficientem entitatem, ut ſit Homo, ideſt Homo Pygmæus, & Homo Pumilius*. Sic in caſu noſtro, &c.

Reſpondent 2. alii Atomiſtæ, quòd ſi non cernuntur in ſe, ſaltem cernuntur in ſuis effectibus, putà odorantur, guſtantur, &c. Sic quondam P. Caro Somaſchus, qui exemplis ſatagit illuſtrare quatenùs in ſuis effectibus cernantur, quia V. G. crines in aere denſo ſenſim madeſcunt, veſteſque ſudant ex minutiſſima inhæſione vaporum, benè arguitur, eò accreviſſe atomos aqueas, nec enim neceſsè eſt, quòd quando feruntur diviſæ, tunc atomi cernantur ; ſed tamen ſatis videntur quoties unitim convenerint ; *vagantur ſiquidem non agnitæ* (ajebat ex Hipocr. 1. de ratione victus idem ex Atomiſta Peripateticus P. Caro) *invicem verò mixtæ cognoſcuntur*. Item cùm ora puteorum, ubi demittunt funes, videantur ſectim corroſa, ædiumque limina ex continuo pedum afflictu diminuta, & vomeres diutino uſu detritos cognoſcimus, & minima, & atomos, tametſi non ſentiantur, frequentiſſimè diſcurri, & devehi alio. Sed

Contra primitèr id, quod dicitur de ſentiri in ſuis effectibus, quatenùs odorantur, guſtantur, &c. Quandoquidem præfata ratiocinatio noſtra probat, quòd & per viſum percipi deberent, & non tantùm per olfactum, aut per guſtum. Ultraquamquod temerè omnino, ac contra omne experimentum, aſſeritur, quòd atomi guſtentur, ac olfactu percipiantur.

Contra poſtea id, quod ſubditur juſto ſic. Etenim deberent videri, non tantùm ſuis in effectibus, aut unitæ, verùm & in ſeipſis, ac etiam dùm feruntur diviſæ, præcipuè cùm deſtruitur ens naturale ; quia in ſeipſis ſingulæ etiam ſeorſim (ut ex noſtro liquet ratiocinio) eſſent quid lucidum, coloratum, & figuratum.

Et nego, quòd capilli in aere illo denſo madeſcant ex atomorum incremento. Madeſcunt etenim, vel, ſi eſt ſerò, quia (ut dicemus agendo de Meteoris, in aſſignando quatenùs fiat ros, & pruina) vapores, qui ſerò à Sole extolluntur, cùm nequeant ab eo recedente ſatis elevari, iterùm deſcendunt. Vel per hoc, quòd qualitas humida, quæ eſt in aere, producit aliam humidam qualitatem, ſeu aliam humiditatem in capillis, quæ ſucceſſivè poſteà in illis magis intenditur.

Nec vapores, qui aeri miſcentur humectantes & capillos, ſunt atomi. Non, inquam, ſecùs de capillis illas excutiendo, dimitterentur, ſicque feſtinè capilli ſicci, & aridi evaderent. Sunt ergo ſubſtantia quædam tenuis, ſeu ſubtilis ex terræ exhalatione genita, Soliſque vi elevata ; ſeu quædam terræ exhalationes ſunt.

Dicere ni malueris, quòd humiditas eſt una ex naturalibus proprietatibus aeris, ut videbimus lib. 2 de Gener. & Corrup. q. 1. & quòd Sole recedente, ad illam paulatim ſe recipit, ſicque per illam crines paulatim humectat.

Reſpondent 3. alii præ omnibus minùs periti Atomiſtæ, frequentiùs tamen, interdùm etiam videri oculis, & citant Niſſenum ſic dicentem 1. Hexam. *Individua, & cæca iſtu corporu intueri poteritis aerem talibus refertum aſpicere, quando radii Solis per feneſtram excepti, eum aeris partem clariorem reddiderint. Hic enim infinita corpuſculorum in aere volitantium multitudo, quæ reliquo in aeris ſpatio oculis cerni non poteſt, radiorum beneficio videtur*.

Verùm iſti, bonâ veniâ, ſuſceperunt cauſam, cujus nec ſtatum attigiſſe, ſanè ſe indicant. Quod

Oſtendo. Quandoquidem corpuſcula illa in aere non ſunt alia ignea, alia aquea, alia terrea, &c. Item non ſunt indiviſibilia, nec etiam phyſicè, nec tantam præſeferunt ſoliditatem, ſed mollia ſunt, ac facilè cedunt. Nec demùm quicquam eorum habent, quæ ab Atomiſtis adſcribuntur atomis.

Neque dixeris, atomos illas, quæ in aere cernuntur, eſſe atomos duntaxat aereas.

Ne, inquam, id dixeris ; Tùm quia ſequeretur, quòd eſſet ſubtilior aer ex illis compoſitus, quàm atomi aerem componentes ; quia aer non ita ſenſim viſu percipitur ; hoc autem eſt prorsùs impoſſibile, quoniam Principia ſunt ſimpliciora ipſo principiato. Ob idque etiam impoſſibile eſt, corpuſcula illa eſſe nonnihil opaca, & minùs diaphana, ac aer. Tùm quia aliæ atomi non aereæ nullibi cernerentur. Tùm demum quia plerumque emittuntur ex capite noſtro, cùm agitantur capilli, & ex veſtibus, dum ad eoſdem Solis radios excutiuntur.

Ulteriùs ratiocinium noſtrum procedebat in alicujus rei ruinâ, quæ tametſi Solis ad radios deſtruatur, putà corrumpatur, has non exhibet atomos.

Hinc num. 11. diximus, non ſic ſumi à celebrioribus Atomiſtis atomos, cum corpuſcula illa ad radios Solis apparentia non ſint, niſi quædam errantes feſtucarum lanciniolæ, aut minutus pulvis.

Et de his forſan loquitur Niſſenus, non quòd voluerit, eſſe rerum Principia. Quo etiam poſito, pluris facimus S. Thomam &c.

Reſpondent demùm mathematicè alii cum Magneno, quòd res viſibiles juxta regulam Perſpectivæ, ab oculo percipiuntur ſecundùm Angulos, quos emiſſi à re radii in ipſo oculo conſtituunt, nihilque omninò cerni poteſt, niſi in angulo, cujus baſis ſit in objecto. Debet ergo objectum eſſe capax plurium radiorum, ut poſſit facere, non modò angulum, ſed & conum, vel pyramidem, cujus vertex ſit in oculo, baſis in objecto. Cùm ergo in atomo erigi non poſſit baſis, aut pyramis, aut conus phyſicus ad viſionem neceſſarius, ſequitur, eam inviſibilem eſſe. Sed

Contra. Tùm à pari. Siquidem in re majoris momenti erigitur pyramis, aut conus major : ergo pariter minima illa in atomi entitate poſſet erigi pyramis, & conus phyſicus, licèt minimus, adeoque poſſet videri, eſtò ſumma cum difficultate, & ſaltem beneficio microſcopii, ſive meteoroſcopii, ſeu tubi perſpicilli ; quemadmodùm res cæteræ majores majori cernuntur celeritate. Eò vel maximè, quòd atomi in tanta forent quantitate, ac multiplicatæ. Tùm quia ut poſſit in aliquo erigi baſis, pyramis, aut conus phyſicus ad viſionem neceſſarius, ſat eſt, quòd ſit figuratum, lucidum, & coloratum, ſed atomi ſi extarent, eſſent quid lucidum, coloratum, & figuratum : ergo poſſet in eis erigi pyramis, baſis, & conus phyſicus neceſſarius ad viſionem. Maj. prob. Quoniam, ut ſuperiùs diximus, objectum viſus eſt lucidum, coloratum, figuratum, ſicut objectum V. G. Guſtus eſt humidum, ſaporoſum. Et hic aptanda confutatio primi reſponſi ; nimirùm quòd ſi ſufficientes ſunt ad eſſe figuratum, coloratum &c. ſufficientes ſunt ad formandum conum &c. pro viſu ; quia illud eſt viſus objectum.

§. IV.

Secunda confutatio præfati placiti Democriti, & Anaxagoræ.

14. QUò ad Democriti, & Epicuri ſtultam impietatem, dico, ſatis eam refutari à Theologis p. p. agendo de exiſtentia Dei, ubi oſtenditur, debere extare primam cauſam, à qua cuncta ſunt in Univerſo producta (de quo aliqua & nos lib. 7 q. 1. art. unico) adeóque atomi illæ non forent improductæ. Rurius lib. 2 q. 3. quæ erit de cauſa finali art. 3. §. 2. videbimus, res non evenire à caſu.

15. Quò ad vulgarem Chaos Anaxagoræ, qui profitebatur, rerum omnium particulas, puta ignis, aquæ, terræ, plantæ, carnis, &c. invicem permixtas eſſe, quas Panſ-

per-

permiam vocitabat, Ideſt rerum omnium ſeminariam maſſam; generationem fieri autumavit, quatenùs ex ea maſſa particulæ rei cujuſpiam apparebant, corruptionem verò dum interiùs retundebantur.

Quò, inquam, ad iſtam confuſaneam Chaos, dicimus, quòd meritò ob ipſam detrimentum non modicum paſſus eſt laudis illius, quam judice Stagyritâ ſibi paraverat. Quandoquidem ubi eum celebraverat Stagyrita, eò quòd vix ipſe tot inter veteres mentionem de Deo habuerat, eaque de cauſa ſicuti ſobrium ebrio eum Democrito comparavit; itidem eundem redarguit, dicens, *Anaxagoram hoc in parte diſſerere de rebus ſenſibilibus contra ſenſibilem apparentiam.*

Anaxagoræ placitum hoc, quod ne quidem opinionis nomenclaturam promeretur, exploſum ſatis extat ex dictis §. 2. refutando placitum de particulis elementaribus; & iterùm refutatum manebit ex dicendis §. 6. n. 20.

Interim autem ſcire ſufficiat, quòd hoc primodùm obverſatur rationi; quia contraria ſe invicem deſtruunt: ergo eorum integræ partes nequeunt inſimul miſceri. Inſuper ſi quodlibet eſt in quolibet, jam in lapidibus eſſet quid de vita Brutorum, ſicque vel marmora ipſa ſenſu prædita forent.

Deinde quotidianæ obverſatur experientiæ, qua conſtat, nihil de aqua ex igne manare, quamquam totis viribus premeretur.

Et ſanè qui placitum hoc ratum habebant, aut habent, credendum eſt, non modò intellectus, ſed & ſenſus inopes fuiſſe, ac eſſe. Quomodo namque in igne aderit aqua, quæ ignem reſtinguit? aut in aqua erit ignis, qui aquam conſumit?

Reſpondet ad hoc Jo:Saguens hic diſp. 5. art. 4. aſſertione unica pag. 44. n. 12. quòd dum carbo ſubtus aquas extinguitur, tùm carbo non deperdit quicquam de ſubſtantia ignis, ſed duntaxat amittit apparentiam (forſan crediderim, velit ipſe dicere, quòd atomi aquæ ſubeant ignis poros) adeòque non corrumpitur ſubſtantialiter. Cujus ſignum eſſe dicit, quòd ſi de novo accendatur, vividiùs urit. Intantùm autem non caleſacit, dicere poſſet; quia juxta ejus principia, calor conſiſtit in motu. Sed

Contra. Si ſolam deperderet apparentiam, & non ſubſtantiam ignis, ſequeretur, quòd ſi conſervaretur, denuò elapſo diutino tempore appareret in eodem carbone ignis, tametſi nullus de novo ei applicaretur ignis ad reaccendendum ignem; ſed ſic eſt, quòd nunquam in eo ampliùs carbone apparet ignis, niſi denuò accendatur (quod aliàs celeriùs fiet propter præcedentes diſpoſitiones ex præcedenti forma ignis relictas) ergo ſignum eſt, quòd deperdidit, non tantùm apparentiam, verùm etiam ſubſtantiam ignis. Maj. prob. Quando ab aliquo panno purà damaſceno, non eſt perfectè deterſa, putà olei, vel vini, &c. macula, ſolùmque ſuperficialiter, ac in apparentia per imperfectam abſterſionem eluta, & non quò ad ſubſtantiam, aliquod poſt temporis intervallum iterùm apparet in panno illo macula illa, tametſi nullus ei denuò applicetur liquor olei,, aut vini, &c. ergo ſimiliter ſi &c. Prob. conſequentia. Ideò namque macula illa abſque nova olei, aut vini applicatione denuò conſpicuam ſe præbet, quia quò ad apparentiam duntaxat fuit deperdita in panno: ergo eadem propter rationem &c.

Inſuper ſi ſolam apparentiam deperderet ignis, retinendo ignem, deberet etiam ſolam combuſtionis apparentiam deperdere, retinendo combuſtionem cum vi comburendi, ſicque ſi manu premeretur, combuſta maneret manus; quemadmodùm cùm premitur ignis, ſine eo, quòd multum moveatur, ac agitetur ignis, aduritur manus. Quod omni experimento reſpuitur. De hoc iterum §.6.

Inſuper quòd calor non ſit in motu ſitus, oſtendemus lib. 2. de Generatione, & Corruptione q.1. in præloquio. Et etiam hypotheticè hoc dato, quemadmodùm ignis quamquam nihil, vel ſaltem pauliſper moveatur, caleſacit, ſic carbo ille quamvis modicè agitaretur, caleſaceret.

Videat modò quiſquis Neotericus, num propter has tricas, & apinas ſufficiens nec ne habuerit motivum appellandi Ariſtotelem infeliciſſimum in rerum agnitione, jactantiam imitans Carteſii Joannes ille Saguens citatus §.2. Vide etiam quæ dico lib.2. de Gener. & Corrup. q 1. in præloquio citato §.3. *dico* 3. num.10. ad primam objectionem ejuſdem Saguens, cujus tandem opera per S. Congregationem ad indicem deputatam proſcripta fuere.

Denique ſi extinctus ignis retineret ignis ſubſtantiam, ſequeretur, quòd ſeipſum reciperet ad priſtinum calorem, nullo ei admoto igne; ſed hoc quàm falſum ſit, & cacchinnis excipiendum pateſcit omnium ſenſui: ergo ignis extinctus, non retinet ignis ſubſtantiam. Prob. maj. Quandoquidem aqua caleſacta, quæ ſubſtantiam retinet aquæ, ſeipſam reducit ad priſtinam frigiditatem, ſemoto igne, & nulla alia ei admota aqua, (quicquid modò ſit, num calor, & frigus ſint quid diſtinctum, nec ne à ſubſtantia) ergo pariter ſi &c. Conſequentia eſt exacta à pari, quoniam quemadmodùm ſubſtantia ignis eſt calida, ità ſubſtantia aquæ eſt frigida.

Vel ſi per ipſos aqua caleſacta deperdendo paulatim de atomis intra ſe ab igne receptis, evadit iterùm frigida; ità carbo ille ſubtùs aquas extinctus, deperdendo paulatim de atomis frigidis, & humidis, ſeu aqueis in ſe ab aqua receptis, evaderet iterùm calidus, & igneus ex ſe. Quicquid modò ſit, num frigus ſit quid poſitivum, vel purè privativum, ſeu mera caloris privatio, de quo lib.2. de Gener. & Corrup.

16. Objicies in ſavorem Anaxagoræ. Omnia fiunt ex omnibus: ergo omnia ſunt in omnibus.

Reſp. diſt. ant. omnia fiunt ex omnibus per commixtionem, nego, per generationem, & corruptionem, concedo ant. & diſtinguo conſequens: ergo omnia ſunt in omnibus in actu, nego, in potentia paſſiva materiæ, concedo conſequentiam. Omnia ſiquidem, ſi non immediatè, ut diximus §.1. num.6. ſaltem mediatè fiunt ex omnibus, quatenùs omnes formæ continentur in potentia paſſiva materiæ, ut quæſt. 3. planum fiet.

§. V.

Tertia ejuſdem placiti Democriti Refutatio.

17. REſutatur modus dicendi ipſius Democriti, qui profitebatur, omnes atomos eſſe ejuſdem ſpeciei, & duntaxat diverſæ figuræ. Democritus quamquam non dubitaret denegare, ullam extare in rebus naturalibus varietatem eſſentialem, & ſubſtantialem (licèt inſipienter, ut palam eſt ex dictis in præloquio hujus articuli, refellendo placitum eorum, qui profitebantur, unum duntaxat eſſe rerum naturalium principium intrinſecum) nuſquam tamen negare potuit varietatem accidentalem, ſaltem quò ad exteriorem figuram, cùm diverſitas hæc cunctorum jugiter conſtet oculis; ſed ex pluribus atomis ejuſdem ſpeciei, tametſi diverſæ figuræ, reſultare nequeunt res diverſæ diverſitate etiam accidentali quò ad figuram: ergo atomi ejuſdem ſpeciei, tametſi diverſæ figuræ, nequeunt eſſe rerum Principia. Min. prob. ſeu potiùs illuſtratur. Quandoquidem videt omnis non cæcus, quòd ex pluribus litteris puta *B* licèt diverſimodè formatis, puta ſic: b *b* B *B* *b* b aut ſic: d D *d* d *D* d nequeunt variæ formari dictiones: ergo ſimiliter ex atomis ejuſdem ſpeciei, licèt diverſimodè formatis, nequeunt &c.

De quo denuò infra §.15. ad 3. arg.

Reſutatur deinde ſic. Diverſitas proprietatum indicat diverſitatem inter naturas, è quibus profluunt, & emanant; ſed paſſiones ex atomis ignis, & aquæ reſultantes, nimirum ſummus calor, & ſumma humiditas ſunt diverſæ rationis: ergo atomi igneæ, & aquæ ſunt diverſæ rationis. Maj. eniteſcit, tùm ratione, quoniam proprietas debet proportionari naturæ, cujus eſt proprietas. Tùm à pari. Nam proprietates ejuſdem rationis indicant, eſſe ejuſdem rationis naturas, à quibus profluunt: ergo pariter, & ab oppoſito &c.

De hoc, ſicut & de impoſſibilitate varietatis ſpecificæ atomorum redibit ſermo infra §.8. & §.9. in fine.

§. VI.

Quarta hujuſce Placiti Refutatio.

18. REſutatur 4. Epicheremate, quod iterùm proponemus lib.6. q. unica art.2. §.2. num.3. ubi §.3. ad 1. arg. ſolvemus objectiones quaſdam, quæ fieri ex adverſo conſueverunt. Rerum corporalium, ac extenſarum Principia debent poſſe conſtituere rem diviſibilem, & extenſam; ſed atomi nequeunt conſtituere quicquam diviſibile, & extenſum, ſaltem in mixtis: ergo nullatenùs poſ-

ſunt atomi eſſe rerum corporalium, & extenſarum Principia.

Triformitèr reſpondent, vel reſpondere poſſent Adverſarii. Primò, quòd atomi eſtò ſint indiviſibiles phyſicè, non tamen ſunt indiviſibiles mathematicè.

Secundò cum Maignaniſtis, quòd eſtò ſint indiviſibiles formaliter, ſunt tamen diviſibiles virtualiter. Idque nonnulli exemplis illuſtrare ſatagunt, tùm in animabus animalium perſectorum, quæ duntaxat virtualiter ſunt diviſibiles. Tùm in exiſtentia animalium imperfectorum, & aliorum viventium. Tùm in indiviſibilibus continui terminativis, & continuativis, de quibus & nos dicemus lib. 6. art. 5 & a

Tertiò cum Gaſſendiſtis, quòd indiviſibilitatem atomi habent, non ab exiguitate, ſed à ſoliditate. Vel cum Carteſianis, quòd indiviſibilitatem habent, non ab exiguitate, nec à ſoliditate, ſed ex eo, quòd nullum intermiſcetur vacuum inter earum partes aliàs neceſſarium ad motum diviſionis.

Contra omnes inſto 1. Ita ſunt indiviſibiles, ut nequeant conſtituere quicquam diviſibile, ſaltem ubi miſcentur aliis diverſæ figuræ, vel ſpeciei: ergo tametſi mathematicè, aut virtualiter, aut quovis ex capite, ſint diviſibiles, nequeunt eſſe rerum diviſibilium Principia. Prob. ant. ad hominem contra Atomiſtas. Quemadmodùm indiviſibile opponitur diviſibili, ita inſenſibile opponitur ſenſibili; ſed atomi ita ſunt quid inſenſibile, quòd ubi aliis in mixtis admiſceotur, nequeant conſtituere aliquid ſenſibile phyſicè, ſaltem tactus ſenſibilitate: ergo à pari ita ſunt quid indiviſibile, ut quicquam diviſibile phyſicè conſtituere nequeant. Min. eluceſcit in mixtis, in quibus Atomiſtæ profitentur, eſſe particulas igneas, quæ tamen adeò exiles ſunt, ut minimè à nobis percipiantur, ſaltem per tactum, licèt nonnulli percipi per guſtum, & olfactum, & nonnulli ſpecialiter per viſum (de quo jam vidimus §. 3.) velint, & non per tactum. Eò vel magis, quòd ignis per tactum meliùs, quàm per viſum ſentitur.

Confirmatur, & explanatur. Si in mixto extarent particulæ igneæ, ſemper forent tangibiles, ideſt tactu perceptibiles; ſed non ſemper ſunt ſic tangibiles; ergo non extant ſaltem in mixtis. Min. eſt perſpicua in pleriſque mixtis, putà in plantis, & metallis, ut ferro &c. Maj. prob. Licèt namque ſint indiviſibiles phyſicè, adhuc poſſunt conſtituere aliquid diviſibile phyſicè per Atomiſtas: ergo pariter quamquam ſint inſenſibiles phyſicè, poſſent conſtituere aliquid ſenſibile phyſicè, & tangibile. Conſequentia eſt exacta ut ſupra, quoniam quemadmodùm inſenſibile opponitur ſenſibili, ita indiviſibile diviſibili opponitur.

Nec dicere ſuffragatur, quòd formant quid tangibile, ſed tamen tactu non percipiuntur; quia ſunt ſubtùs, ſeu intùs latitantes. Non, inquam, quia ſi eſſent intùs latitantes, ſaltem dum E. G. Planta in minuta fragminula, ſeu minutiſſimas partes intùs exiſtentes divideretur, deberent ſentiri, cùm tamen ne tunc quidem particulæ, ſeu atomi igneæ tactu percipiantur. Et in hoc ſenſui facere ſatis ſe non poſſe fatetur ubi ſupra illo ſuo in Euchariſtico Syſtemate Saguens.

Hac eadem viâ refellitur ſecundum reſponſum. Siquidem adeò inſenſibiles, & intangibiles ſunt, ut nec virtualem habeant tangibilitatem ſufficientem ad formandum quid formaliter tangibile: ergo pariter propter earum indiviſibilitatem adeò indiviſibiles erunt, ut ne virtualem quidem habeant diviſibilitatem ſufficientem ad formandum aliquod formaliter diviſibile. Conſequentia eſt exacta ut ſupra, quia quemadmodum inſenſibile ſenſibili, ſeu intangibile tangibili, ita indiviſibile diviſibili opponitur.

Neque verum eſt, quòd in mixtis etiam aliquo modo ſentiantur, per hoc, quòd dum in metallis V. G. percipitur frigus non in ſummo, ibi percipitur calor temperans frigus, ne frigus ſit in ſummo.

Non, inquam. Percipere namque frigus non in ſummo eſt percipere minus frigus, non verò aliquid caloris, quicquid modò ſit unum frigoris minoritas proveniat ex calore temperante: ergo falſo innititur datum reſponſum. Prob. ant. Siquidem frigus non in ſummo eſt minus frigus quàm in ſummo, non aliquid caloris, secùs frigus eſſet calor, & calor eſſet frigus, ſicque unus Atomiſta æquè in igne, ac in aqua frigeſceret: ergo &c.

Reſpondebis, quòd quia in nonnullis mixtis magis abundant atomi frigidæ, idcircò prohibent alias igneas ſentiri. Sed

Contra. Eſtò in nonnullis excreſcerent atomi alterius figuræ, nihilominùs non prohibent formare aliquid diviſibile, & extendibile: ergo pariter nec atomi numero majores unius ſenſibilitatis, puta frigidæ impedient calidas ne ſuam faciant calidam ſenſibilitatem, ſi non ſtatim ſentiendam (quia ceu pauciores pro modica ſenſatione valerent, nonniſi prægrandi advertentiâ perceptibile) ſaltem aliquod poſt temporis, vel notabilem poſt advertentiam, præſertim loquendo de atomis igneis, cùm ignis ſit maximæ activitatis.

Id demum, quod dicere poſſent, non ſentiri ignem, quia calor conſiſtit in motu, exploſum eſt ſupra §. 4.

19. Objicies contra: Tùm quia ex ſilice chalybe contuſa erumpunt ſcintillæ; & tamen tactu in illa non ſentiuntur. Tum quia Thomiſtæ ponunt, elementa eſſe ſaltem virtualiter in mixto; & tamen nonnunquam ſentitur tactu unum, quin aliud ſentiatur.

Reſp. ad 1. quòd illæ ſcintillæ erant ibi, non in actu, ſed duntaxat in potentia. Educuntur enim de potentia materiæ, ac de novo gignuntur à contundente, vel collidente, vel impellente; non quidem per ſe, cùm plerumque tale agens non habeat in ſe tales formas, ſed occaſionaliter duntaxat, & per accidens, quatenùs violenter deſtruit partem aliquam corporis obſiſtentis, & deſtructio, ſeu corruptio unius eſt generatio alterius, concurrente causâ ſuperiori cœleſti æquivocâ, uti dicemus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 2. § 3 ſub num 6. ad penultimas inſtantias contra reſponſa danda ad 2. arg. aſſignando à quonam generatur forma cadaverica. Et iterum ibi q. 8. art. 2. ad 3. arg. ſub num. 10.

Ad 2. primitùs. Reſp. quòd, ut videbimus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 8. art. 2. elementa ſunt in mixto transſmutativè; quia dum ponuntur in mixto, deperdunt propriam formam, & ſubſtantiam, ac acquirunt in mixto novam formam mixti, novamque mixti ſubſtantiam, in qua ſunt qualitates ad quandam mediocritatem, & temperiem redactæ.

Præterea dico, quòd nos dicere poſſumus, effectum eſſe adeò exilem, ut ſentiri nequaquam poſſit. Quod dicere nequeunt Atomiſtæ; quia cùm ipſi dicant, quòd atomus licèt ſit adeò exilis, adhuc poteſt extenſionem formare, ac diviſibilitatem, ità dicere à pari tenentur, quòd poſſit formare ſenſibilitatem. Nos autem id minimè dicimus; Idcircò paritas non urget nos, nec ex uno aliud cogit, quemadmodùm cogit in ipſis.

20. Modus dicendi Gaſſendiſtarum, nimirùm quòd atomi habeant ſuam extendibilitatem; quia non ab exiguitate, ſed à ſoliditate habent indiviſibilitatem: ſicut & modus dicendi Carteſianorum, videlicet habere indiviſibilitatem ex eo, quòd inter partes non eſt poſſibile vacuum ex dictis refutatus manet.

Ulteriùs refellitur ſic. Atomi ſi habent ſuam extenſionem, ſive extendibilitatem, jam multò magis ſuam habebunt ſenſibilitatem; quia non erunt adeò exiles, ut ſentiri nequeant. Deinde ſi duntaxat à ſoliditate, & non ab exiguitate, habent indiviſibilitatem, jam mathematicè, ideſt ſupernaturaliter à Deo dividi poſſent, ut Gaſſendiſtæ ultrò annuunt, ſicque poſſent diviniùs fieri ex aliis, nimirùm ex aliis partibus minoribus reuniri, & fieri, proindeque non ſunt prima rerum Principia; quia iſta non ſunt ex aliis factibilia ceu omnium primordia. Idem dico, ſi ſolummodò ex eo, quòd inter earum partes vacuum nullum permiſcetur, ſunt indiviſibiles. Nam tunc quantùm eſt ex earum natura, erunt diviſibilitati obnoxiæ, & dividerentur ni impedirentur ex vacui impoſſibilitate: ergo quantùm eſt ex earum natura, eſſent factibiles ex aliis.

21. Ad id, quod de Anima ſubdebatur, dico, quòd eatenùs Anima animalium perſectorum eſt virtualiter diviſibilis, quatenus eſt indiviſibilis propter exceſſum perfectionis, qua cæteras ſuperat formas. Atomus autem eſt indiviſibilis propter defectum.

Sanè atomus, ſi eſſet virtualiter diviſibilis, jam una ſola atomus abſque alterius atomi conſortio, poſſet conſtituere aliquid diviſibile; quemadmodum una Anima ſe ſolâ abſque alia Anima poteſt dare eſſe diviſibile, & quantum.

Plura alia contra diviſibilitatem, & indiviſibilitatem formarum, & præcipuè animalium, congerit Saguens, non quidem hìc in ſua Philoſophia, ſed ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico dialogo 4. Quæ omnia reſolvemus lib. 2. de

Anima,

Anima, ſciſcitando *num animæ animalium ſint indiviſibiles*.

Exiſtentia autem & punctus ſunt quid virtualiter diviſibile duntaxat terminativè, aut continuativè, non verò entitativè, & conſtitutivè per modum conſtituentis diviſibile. De quo luculentiùs lib. 6.

Si opponas. Continuum eſt diviſibile in partes ita minimas, ut ulteriùs dividi in alias partes nequeant. Tùm verò ſic. Cogita, quòd continuum illud ità divideretur, & poſteaquam fuiſſet ſic divitum cogita, quòd partes illæ divinitùs reunirentur, facerent quicquam extenſum: ergo ex indiviſibilibus phyſicè poteſt fieri diviſibile phyſicè.

Reſp. nego ant. cujus falſitas patefcet 6. Phyſ. art. 2. §. 3. ad 1. arg. & etiam hic §. 11. ad 2. arg. Et en everſum præcipuum fundamentum Joannis Saguens.

Nec ultima pulveris granula, in quæ tandem reſolvitur V. G. Cadaver, ſunt omnino indiviſibilia etiam ſupernaturaliter ſaltem, imò etiam naturaliter poſſunt ulteriùs dividi, donec corrumpantur, & in vapores ſolvantur.

De his iterum 6. Phyſ.

§. VII.

Quinta placiti hujuſce Refutatio.

22. Refutatur 5. & ſemper potiùs. Quandoquidem ſi iſtæ atomi forent Principia, ex quibus entia naturalia conſtituuntur, ſequeretur, nullam extare mutationem ſubſtantialem; ſed hoc vanum eſt: ergo & vanitatis convincitur placitum iſtud, eſtque error, & non opinio. Maj. conceditur ab Atomiſtis, mutationem omnem ſubſtantialem profligantibus, ac dicentibus, non extare, niſi quaſdam *vellicationes*, ideſt intromiſſionea, & extramiſſiones corpuſculorum. Conceditur, inquam, quia illæ atomi vel ſunt omnes ejuſdem ſpeciei, vel ſi ſunt diverſæ ſpeciei, tamen in illis, nec per illas haberi poteſt mutatio aliqua ſubſtantialis; Tum quia de omnibus habentur in omnibus, quamquam nonnunquam emergant, & appareant unæ, & non aliæ. Tum quia extat diverſitas duntaxat accidentalis, quatenùs ſecundùm quòd diverſimodè diſponuntur, & coordinantur, diverſas exhibent res. Min. quam ipſi audacter inficiantur dicendo, quòd cùm de novo quicquam gignitur, intervenit mutatio quædam duntaxat accidentalis, nimirum quò ad apparentiam, nitet ex dictis §. 4. ſub num. 15. dimicando pro carbone ſubtùs aquas extincto adversùs Joannem Saguens. Et ulteriùs evincitur ſic. Unumquodque appetit conſervationem ſui eſſe; ſed conſervatio iſta non ſtat ſine ſubſtantiali geneſi: ergo cùm aliàs fruſtraneus eſſe nequeat hujuſce appetitus, ceu naturalis, ideſt inditus à natura, quæ nihil operatur fruſtra, dicendum eſt, quòd extat ſubſtantialis generatio, adeòque mutatio ſubſtantialis. Maj tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd unumquodque refugit ſui eſſe deſtructionem. Min. prob. Conſervatio rerum ſublunarium nequit naturaliter eſſe perpetua in ſeipſis, ſolumque poteſt conſervari in ſuo ſimili, ſeu ſua ſpecie; ſed conſervatio hæc non obtinetur, niſi per ſubſtantialem geneſim, cùm omne ſimile gignat ſibi ſimile: ergo &c. Min. prob. Etenim ſecùs res ſublunares forent indefectibiles ſubſtantialiter; quod quotidiana abnuit experientia.

Vide etiam, quod dictum eſt in præloquio hujuſce articuli num. 2. non longè à fine de gladii exemplo.

Non dubitant Adverſarii, annuere talem ſubſtantialem indefectibilitatem. Obteſtantur etenim, quòd dum V. G. ex arbore Caſtanea fit alia Caſtanea arbor, remanet quò ad ſubſtantiam eadem Caſtanea arbor prior, ſolùmque variatur quò ad apparentiam. Et ſimiliter cùm ex Leone gignitur Leo, dùm ex Equo procreatur Equus, &c. Ob idque volunt, quòd ſaltem in his, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, ea, quæ de novo generantur, ſint idem ſubſtantialiter cum iis, quæ corrumpuntur, & ex quibus gignuntur.

Verùm hoc primitùs obverſatur experientiæ, qua §. 4. ſub num. 14. ſub finem omninò videndo contra Anaxagoram, & multò magis adversùs Joannem Saguens, oſtendimus, quòd ſubſtantialiter, & non tantùm quò ad apparentiam, corrumpitur, & deſtruitur ignis, cùm ſubtùs aquas carbo reſtinguitur.

Non me præterit, ex Atomiſtis alios dicere, quòd ignis deſtructio fiat alio modo, nimirùm non per hoc, quòd corrumpatur ignis, ſed per hoc, quod atomi igneæ localiter ſeparentur, diſperdantur, ſeu translocentur; & accenditur per earum reunionem.

At hic eſt error pejor priore; Tùm quia ſi humectatio illa in tali carbone fit per hoc, quòd translocentur atomi igneæ; etiam ab oppoſito calefactio aquæ deberet fieri per hoc, quòd translocarentur atomi aqueæ, & non præciſè per hoc, quòd atomi igneæ ſubeant aquæ poros; ſicque aqua calefacta non valeret ſe ad priſtinum algorem recipere: quemadmodùm ignis extinctus nequit priſtinum ad calorem ſe recipere. Eò vel maximè, quòd ignis eſt ſummæ activitatis. Tùm quia tunc non cernuntur tot erumpere ſcintillæ, quæ fiant diſperſæ. Demùm quia non eſt excogitabilis quiſnam atomos illas diſperſas ad reunionem revocet, cùm ignis accenditur, & quomodo revocentur, ac colligantur.

Ulteriùs, res materiales ſubſtantiales eſſe ſubſtantialiter per corruptionem defectibiles, oſtendo ratione ſic. Quemadmodùm Angelus eſt in inferiori gradu ſubſtantiæ ad Deum, ità proportionali quodam modo ſunt in inferiori gradu ſubſtantiæ materiales ad Angelos; ſed Angeli ita ſunt in inferiori gradu ſubſtantiæ ad Deum, ut ubi Deus eſt indefectibilis, Angeli ſunt defectibiles ſubſtantialiter per annihilationem: ergo ſubſtantiæ materiales ita erunt in inferiori gradu ſubſtantiæ, ut ſint defectibiles ſubſtantialiter, non tantùm per annihilationem, quæ & Angelis competit, verùm etiam & per annihilationem, & per corruptionem ſubſtantialem.

Dices. Etiam corpora cœleſtia extant in inferiori gradu ſubſtantiæ ad Angelos; & tamen non ſunt corruptibilia ſecundùm Thomiſtas.

Reſp. diſt. ſunt in inferiori gradu tanquam quid ſupremum, concedo, ſecùs, nego. Cùm etenim ſupremum infimi attingat infimum ſupremi, idcircò corpora cœleſtia, quæ ſunt quid medium inter ſubſtantias materiales, & Angelos, attingunt infimum ſubſtantiarum ſpiritualium, quod eſt eſſe defectibile per ſolam annihilationem. Ob idque poteſt argumentum formari ſic. Corpora cœleſtia ſunt in ſuperiori gradu ad corpora ſublunaria; ſed iſta ſunt defectibilia, non tantùm per annihilationem, verùm etiam per corruptionem: ergo corpora cœleſtia erunt defectibilia duntaxat per annihilationem.

Conſ Quandoquidem extant ſubſtantiæ ſubſtantialiter indefectibiles, ſolummodò verò defectibiles accidentaliter, ut Angeli in ſuis operationibus, putà volitione &c. ſicut etiam per acquiſitionem, vel amiſſionem majoris, vel minoris ſcientiæ, viſionis &c. & corpora cœleſtia quò ad lucem, & alia; ergo propter, integram univerſi perfectionem extabunt ſubſtantiæ defectibiles tùm ſubſtantialiter, tùm accidentaliter; quemadmodùm extant ſubſtantiæ ſubſtantialiter viventes, & aliæ non ſubſtantialiter viventes.

Oſtenditur præterea in Homine, cujus generatio, & corruptio ſubſtantialis extat, cùm ſit ut fidei dogma in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. definitum, quòd Anima rationalis eſt vera corporis forma. Quo ex principio ſequitur, idem quoque eſſe dicendum de Brutis, quoniam videmus, iſta gignere ſibi ſimile per propagationem ſeminalem, non ſecùs, ac faciat Homo. De quo luculentiùs §. ſequenti.

Conſ. ex hoc placito ſequitur, quòd una res naturalis non procrearet aliam ſibi ſimilem, ſi conſtitueretur per ſolam atomorum diſpoſitionem; quemadmodùm res artificialis, quæ per diſpoſitionem conſtituitur, non eſt principium generandi ſibi ſimile, ut domus non eſt principium alterius Domus, nec unum poema alterius poematis.

Denique ex eo evincitur, eſſe admittendas ſubſtantivas mutationes, quia per eas faciliùs deprehenduntur, & deprehenſa explicantur, quæ de rebus naturalibus experimur, ut quomodo ex aere fiat aqua, ex ligno ignis, &c. Redditur etiam per ipſas ſufficiens ratio, cur aqua calefacta ſe recipiat ad priſtinum algorem, ignis verò extinctus non ſe recipit ad priſtinum calorem; & Planta dum areſit non recuperat vitales actiones; & ſimiliter alia cadavera, quia nimirùm aqua calefacta retinet formam ſubſtantialem aquæ, ex qua naturalis emanat algor, ut dicebamus §. 4. ſub num. 14. ſub finem omnino videndo. Vivens autem dum moritur, amittit ſubſtantivam viventis formam; & ignis cùm extinguitur, ſubſtantialiter corrumpitur.

Objectionum tela, ſubſtantivam mutationem oppugnantia, retunduntur.

23. ADverſus noſtram hanc refutationem varia objiciunt Atomiſtæ.

Primò objicit Carteſius, quia dedecet Dei immutabilitatem, res ab eo factas mutationi ſubſtantiali ſubjacere.

Conf. ex Saguens tom. 3 diſp. 53. art. 1. Si ignis cùm accenditur, produceretur, ſequeretur, quòd Deus à principio non produxiſſet totum integrum elementum ignis.

Excuſabilis ſanè Carteſius, qui totus Mathematicis Facultatibus addictus, res Theologicas pertractare non novit, nec noſſe tenebatur, quamquam abſtinere debuiſſet; quaſi Dei in beneplacito non ſit, res cunctas mutare. Nec advertit, tale argumentum eſſe illud idem, quo Hebræus conatur probare, Legem Moſaycam nuſquam ceſſare debuiſſe, nec etiam quòad cerimonialia. De quo videri poteſt S. Th. p. 2. q. 98. art. 2. ad 2. ubi exponens illud Eccleſiaſtici *didici quòd omnia opera quæ fecit Deus perſeverant in æternum*, inquit, *quæ ſic fecit Deus, ut in æternam perſeverent*. Et quæſt. 103. art. 3.

Et certè cùm Deus ſit immutabilis etiam accidentaliter, ſequeretur ex Carteſii argumento, quòd nulla vel accidentalis mutatio in Univerſo poſſibilis foret.

Reſp. itaque, quòd id verum foret, ſi Deus condidiſſet res, ut nunquam mutandas; quia ſi decreviſſet, nuſquam mutandas, decretum poſtea ſuum variaret, eas mutando. Secùs autem cùm eas fecerit, ut mutandas. Undè potiùs è contra mutaretur ipſe Deus, ſi eas non mutaret; quia eas nuſquam mutando, ſuum variaret decretum, quod priùs fecerat de eis mutandis. Undè autem deprehendamus, Deum tale feciſſe decretum, eas mutandi; dico, ex eo, quòd reapſe res mutentur ſatis deprehendi.

Ad Conf. nego ſequelam, Tùm quia parum pro nihilo reputatur. Tùm quia ille, qui de novo accenditur, & gignitur, ſubrogatur loco alterius, qui alibi extinguitur, & corrumpitur.

Aliud ejuſdem Saguens argumentum ſolvitur ex dictis §. 3. ad 2. inſt. ſub finem.

24. Objicitur 2. ad probandum, non extare ſubſtantivam geneſim. Quandoquidem generatio, ad differentiam creationis non fit ex nihilo; ſed ſubſtantia nullum habet ſubjectum: ergo nullius ſubſtantiæ generatio eſt poſſibilis. Prob. min. Siquidem ſubſtantia eſt primum ſubjectum: ergo &c.

Reſp. nego min. loquendo de ſubjecto *quod*. Siquidem quemadmodùm ſola forma ſubſtantialis eſt actus primus, & ſola materia eſt primum ſubjectum: ità quia accidens, ſeu forma accidentalis, eſt actus ſecundus, ſubſtantia completa, nimirum totum compoſitum ſubſtantiale, eſt ſubjectum ſecundum.

Contra. Subjectum ſecundum eſt accidens; ergo ſubſtantia non eſt ſubjectum ſecundum. Ant. prob. Tum quia quantitas, quæ eſt ſubjectum receptivum aliorum accidentium eſt accidens. Tùm quia actus ſecundus eſt accidens: ergo ſimiliter ſubjectum ſecundum erit accidens. Prob. conſequentia. Nam quia actus primus eſt ſubſtantia, etiam primum ſubjectum, nimirum materia, eſt ſubſtantia: ergo pariter quia actus ſecundus eſt accidens, etiam ſubjectum ſecundum erit accidens.

Reſp. nego ant. Ad prob. 1. dico, quòd quantitas eſt ſubjectum ſecundum *quo*, non verò *quod*; quemadmodum forma ſubſtantialis eſt primum ſubjectum *quo*, materia verò eſt primum ſubjectum *quod*; ac totum compoſitum eſt ſecundum ſubjectum *quod*.

Ad 2. prob. nego conſequentiam. Ad prob. nego iterum conſeq. & paritatem. Diſparitas autem eſt, quia ex eo, quòd ſubjectum ſecundum ſit ſubſtantia, non ſequitur illud inconveniens, quod ſequeretur ex eo, quòd ſubjectum primum recipiens actum ſubſtantialem eſſet accidens. Quandoquidem ſi iſtud eſſet accidens, ſequeretur, quòd accidens foret priùs, quàm ſubſtantia. At ex eo, quòd ſubjectum ſecundùm ſit ſubſtantia, duntaxat ſequitur, quòd ſubſtantia ſit prior, quàm accidens, uti neceſſarium eſt.

Deinde ex dicendis lib. primo de Gener. & Corrup. q. 2. art. 1. §. 3. ſub num. 8. ad 3. arg. dico, quòd ſubſtantia eſt primum ſubjectum ſuſtentans, ſimul & complens; materia verò prima eſt primum ſubjectum præcisè complens, non verò ſuſtentans. Undè S. Thom. opuſc. 31. dixit, quòd materia prima non eſt propriè ſubjectum, ſed materia.

25. Objic. 3. Si extaret ſubſtantialis generatio, deberet fieri ex nihilo ſimpliciter, ſicut & corruptio in nihilum ſimpliciter terminari; ſed hoc repugnans eſt: ergo & repugnans eſt ſubſtantiva mutatio. Min. ſupponitur, quia productio, quæ fit ex nihilo, eſt creatio. Maj. prob. Siquidem quòd fit ex non ente ſimpliciter, fit ex nihilo, & quod redigitur in non ens ſimpliciter, redigitur in nihilum ſimpliciter, cùm non ens ſimpliciter ſit nihil ſimpliciter; ſed talis generatio ſubſtantialis deberet fieri ex non ente ſimpliciter, & corruptio ſubſtantialis in non ens ſimpliciter, ad differentiam generationis, & corruptionis accidentalis, quæ, cùm ſit generatio, & corruptio entis ſecundùm quid, eſt ex non ente ſecundùm quid, & in non ens ſecundùm quid: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. maj. eo modo, quo fit ex non ente ſimpliciter, & in non ens ſimpliciter, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. ſi ly *ſimpliciter* ſumatur prout diſtinguitur à ſecundùm quid, concedo, ſi accipiatur prout idem eſt, ac non ens abſolutè, & omnibus modis, nego min. & conſequentiam. Subſtantiva itaque generatio fit ex non ente tali ad ens tale, puta ex non igne fit ignis, & corruptio terminat in non ens tale de igne, puta non ignis. Non autem ex non ente abſolutè, ſicut fit creatio. Siquidem ignis generatio fit ex materia ligni, & corruptio formæ igneæ fit remanente materia ignis ſub forma cineris.

Inſtantiæ nonnullæ, quæ fieri hic ex P. Maignano poſſent, ſolventur infra q. 4. art. 3. §. 3. ſub num. 6. ad 2. arg. & lib. 1. de Gener. & Corrup. q. 2. art. 2. § 2. num. 2. & §. 3. ſub num. 5. ad ult. inſt. contra reſponſum dandum ad 1. arg.

26. Obji. 4. Unâ, eâdemque ratione videtur fieri ſubſtantiva generatio, qua & augmentatio; ſed iſta non contingit ex productione quantitatis novæ: ergo neque geneſis fit ex novæ ſubſtantiæ productione.

Reſp. maj. eſſe veram de generatione partiali, quæ dicitur aggeneratio, & diſt. min. non fit ex productione quantitatis novæ totalis, concedo, partialis, nego min. & conſequentiam, vel diſtinguo conſequens pari modo. Quemadmodum namque per augmentationem producitur nova quantitatis pars; ita per aggenerationem producitur nova ſubſtantiæ pars. Ob idque retorquetur argumentum. In generatione autem totali producitur, ſi eſt materialis, vel unitur, ſi eſt ſpiritualis, ut Anima rationalis, tota forma.

Obji. 5. Generatio Hominis eſt vera ſubſtantialis generatio; ſed in iſta nulla nova ſubſtantia producitur: ergo ſubſtantialis geneſis non fit per novæ ſubſtantiæ productionem. Min. eluceſcit, quia materia, & Anima rationalis habent eſſe per creationem.

Si reſpondeas, quòd producitur totum per hoc, quòd uniuntur materia, & Anima rationalis, & quod Hominis geneſis, eſt geneſis purè unitiva, non verò entitativa.

Contra eſt, quia hoc illud eſt, quod Atomiſta contendit nimirum generationem fieri, non per novæ ſubſtantiæ productionem, ſed per novam rerum jam exiſtentium unionem. Idem dicit de corruptione, nimirum fieri, non per alicujus ſubſtantiæ interitum, ſed per ſolam ſeparationem rerum perſiſtentium. Nihilominùs

Reſp. benè ibi. Ad oppugn. dico, quòd benè id inferret Atomiſta, ſi extarent ſubſtantiales formæ anteà præexiſtentes, & poſt perdurantes: quemadmodùm evenit in Homine, cujus forma, ceu ſpiritualis *ut quod*, & per ſe exiſtens, licèt ſit materialis *ut quo* eminenter, poteſt ſegregata à materia perſiſtere. Cujus oppoſitum in rebus materialibus contingit.

Dices primò ex Saguens ſuo in *Atomiſmo demonſtrato, & Vindicato* dialogo 2. & dial. 3. Eadem actio nequit eſſe creativa & unitiva: ergo &c. Ex quo etiam nititur probare, quòd nihil unquam poſſet creari; quia ſemper fieret ex partibus.

Dices 2. Gratis omninò aſſeveratur, quòd iſtæ formæ non perſiſtant, & non permaneant poſt diviſionem, quam Peripateticus corruptionem dicit: ergo &c. Prob. ant. Nullum extat fundamentum id aſſeverandi: ergo &c. Prob. ant. Etenim ſi aliquod haberetur fundamentum, maximè quia videmus, rerum aliarum interitum, aliarumve ortum; ſed nullum inde ſuppeditatur fundamentum: ergo &c. Prob. min. Siquidem etiam videmus interitum Hominis, videmus Hominis ortum; & tamen inde non habetur ſufficiens fundamentum dicendi, quod poſt talem Hominis interitum, non permaneat ejus anima ſeparata; ergo ſimiliter licèt videamus, &c.

Reſp.

Reſp. ad 5. quòd ad id dicetur inſra tutando, quòd unio non diſtinguatur realiter à partibus, & quòd totum non diſtinguatur à partibus collectivè ſumptis: Eſtò aliàs nequeat eadem actio eſſe eductiva ſimul, & creativa; quia creatio, & eductio opponuntur.

Ad 2. Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterùm ant. ad cujus prob. diſt. maj. præcisè ex hoc, nego, ex hoc, & aliquo alio, concedo maj. & diſtinguo min. ex hoc non ſuppeditatur ſufficiens fundamentum, quando aliud obſtet, concedo, quando aliud non obſtet, nego min. & conſequentiam. Fundamentum namque habemus ex eo, quòd formæ ſubſtantiales materiales ſunt in earum eſſe dependentes à materia, adeòque quòd ab illa disjunctæ ſtatim pereant. Quòd verò dependeant à materia quò ad eſſe, ex eo evincitur, quia operari ſequitur ad eſſe; illæ autem formæ dependent quò ad operari à materia. Non ſic autem Anima rationalis, cujus operationes, nimirum intelligere, & velle, ceu immateriales, ſunt à materia independentes. De quo infra q. 3. art. 3.

Quòd verò ſubſtantiæ illæ, quæ acquiruntur, ſint formæ ſubſtantiales, & non atomi, colligitur ex hocmet Adverſariorum argumento; quia nimirùm Hominis geneſis fit per acquiſitionem novæ formæ, cùm ſit ut fidei dogma definitum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Animam rationalem eſſe veram corporis formam. Inſuper, quia vidimus, iſtas atomos non poſſe ſubſtantivam inducere mutationem, quam adeò evidenter oſtenſum eſt, extare debere. Ob idque retorquetur argumentum. Et

Conſ. In generatione Hominis forma, nimirum Anima rationalis, licèt non producatur per actionem illam generatricem; tamen aliunde producitur de novo, ni innovare Atomiſta velit hæreſim Origenis, qui docuit, Animas eſſe corpore antiquiores: ergo etiam in cæteris generationibus debent formæ per actionem aliquam de novo produci.

Ulteriùs quòd nequeant eſſe atomi, ſed debeant eſſe formæ de novo acquiſitæ, ſuadetur; Tum quia ſi eſſet generatio per unionem atomorum, ſive ſubſtantiarum jam præexiſtentium, cùm ex pluribus entibus præexiſtentibus in actu nequeat fieri unum per ſe, ſequeretur, quòd nullum agens diceretur generare ſibi ſimile. Qua ratione Architectus, licèt ædificet domum, uniendo lapides, non dicitur, gignere domum. Tùm quia non eſt excogitabile quodnam agens, nec eſt explicabile, quomodo diſperſas atomos colligat, & uniat. Ob idque non ſic magis periti Atomiſtæ dicunt, fieri rerum generationes, ſed fieri dicunt per hoc, quòd atomi intùs detruſæ aſcendant, & appareant; Et corruptionem per hoc, quòd atomi foris priùs apparentes, intùs detrudantur, ut ſuprà de carbone ſubtùs aquas extincto ajebat Joannes ille Saguens.

27. Objic. 6. per exemplum Germinum. Cùm ramus, herba, & hujuſmodi uno ictu, aut momento ſeu ceditur, ſeu divellitur, eſt vera corruptio viventis, &, ut Thomiſta profitetur, manet cadaver; ſed tùm non interiit ſubſtantia: ergo in corruptione ſubſtantiali non deperditur ſubſtantia aliqua, ſeu ſubſtantialis forma. Prob. min. Quandoquidem ad ſubſtantivam corruptionem debuiſſet jugis antecedere alteratio contraria.

Reſp. primitèr, quòd tunc non fit ſtatim corruptio, quia (ut 2. de Anima dicemus) Anima vegetativa, imò & anima imperfectorum animalium eſt diviſibilis.

Sed quia idem poſſet argumentum fieri de brachio uno ictu abſciſſo ex corpore animalis perfecti, imò & Hominis, aut de tali animali uno ictu occiſo. Idcirco hoc ſecundo in caſu, dico, quòd tunc corrumpitur tale brachium, vel alia pars, ac deperdit Animam. Ad prob. min. dico, quòd tanta alteratio præcedere debet, quando corruptio fit naturali modo; quia tunc paulatim per alterationem ſemoventur diſpoſitiones ad manutentionem formæ requiſitæ. At in caſu adducto fit repentè vehementiſſima, adeòque violentiſſima, tollens ferè in momento, vel ſaltem modico, & quaſi imperceptibili tempore ſucceſſivo ſucceſſione moruiæ breviſſimæ, & quaſi imperceptibili, diſpoſitiones cunctas.

28. Objicitur 7. per exemplum de rebus inanimis. V. G. ſi teratur lapis, ut Muriani mos eſt, atque ad inſtar farinæ in minutiſſima redigatur, certè mixtum corrumpitur; ſed hic non interit ſubſtantia: ergo in ſubſtantiva corruptione non deperditur ſubſtantia. Maj. certa eſt. Non enim ea contritio minor eſt, ac quæ naturâ exerceretur, niſi quòd natura magis etiam, magiſque diſſolveret. Min. etiam conſtat, quia ſi deſiiſſet ſubſtantia, quicquid ex ea contritione manet, ſaltem amiſiſſet pondus: quæ tamen res non evenit. Inſuper ſi ſubſtantia interiit: ergo nova ſucceſſit. Rogat autem opponens: quis hanc recenter genuit. Sicut itaque non adeſt nova, ſic vetus enecata non eſt.

Reſp. poſſe utrumque ſuſtineri, nimirùm & quòd corrumpatur, & quòd non corrumpatur. Ob idque primitùs, nego maj. niſi tamen adeò in minuſcula redigatur, in quibus ſuas operationes exercere forma nullatenùs queat, & reſolvatur in vapores; quia (ut dicemus 6. Phyſ. poſt art. 3. quæſtiuncula 2. *dico ultimo*) res naturales habent ſuæ parvitatis terminum; & clariùs dicetur hic infra §. 12. ad 5. arg. in 2. reſp. Ad prob. vel dici poteſt, quòd nec ut facta à natura eſſet corruptio. Res enim inanimes non exigunt ad exercendas proprias operationes adeò grandem materiam, quantam exigunt animantia, indigentia organicis potentiis. Vel dici poſſet, quòd etiam dato, quòd ſi eſſet à natura facta illa diviſio, foret corruptio, adhuc eſt diſcrimini locus; quia nimirùm ſi eſſet facta à natura, eſſet facta per putrefactionem, & per reſolutionem, ac diviſionem putrefactivam, mediis quibuſdam qualitatibus humectantibus, & putrefactivis.

Deinde, nego min. Ad prob. dico, quòd non remanet idem numero pondus, ſed æquale: Non ſecùs, ac lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 2. §. 3. ad 2. arg. per totum videndum dicemus, quòd in animali mortuo remanent ſimiles, non verò eædem numero cicatrices; quia cùm mutetur forma ſubſtantialis, mutantur quoque accidentia, ad illam conſecuta.

Ad aliam prob. liquet ex dictis tum §. 2. in fine, tum §. 6. num. 19. quòd talis nova forma gignitur, non per ſe, ſed per accidens à dividente, & in virtute cauſæ ſuperioris æquivocæ, ſeu cœleſtis influentis, concurrentibus etiam diſpoſitionibus relictis in materia ex præcedenti forma corrupta.

29. Objic. 8. experimentum de elementis Aqua æſtuans, & vehementer fervens, omninò tandem abſumitur (hanc verò Peripateticus dicit, eſſe corruptionem) ſed aqua ſubſtantialiter non mutatur: ergo in ſubſtantiæ corruptione non fit ſubſtantiva mutatio: ergo &c. Prob. min. Aqua exhalans, manet intrinſecùs aqua, tametſi per ignem attenuetur. Quod conſtat circa vaſis orificium, ubi ex vaporum coitione, concreſcunt guttæ inſtar ſudoris, quæ ſi omnes uniantur, vera aqua ſunt.

Confirmat objiciens in nubibus, quæ cadunt in pluviam. Non enim minima ea, quibus denſantur nubes, deſierunt eſſe aqua: ergo iſtius deſtructio non dicit ſubſtantiæ corruptionem.

Reſp. ad arg. primodùm cum D. Th. in 2. ſent. diſt. 19. quæſt. unica art. 2. ad 2. Et in 2. Contra Gentes cap. 9. negando, quòd illa ſit corruptio ſubſtantiva; quia vapores illi remanent ſubſtantialiter aqua; idcircò iterum in aquam ſe produnt.

Deinde, nego min. Ad prob. nego ant. ad cujus annexam prob. dico, quòd illæ guttæ ſunt, non illa prior aqua, ſed alia numero aqua, illis ex vaporibus genita; in quos vapores ignis vi per exhalationem converſa erat prior aqua abſumpta. De quo iterum lib. 2. de Genet. & Corrupt. q. 2. art. 2. §. 2. in fine num. 3.

Nec inconveniens eſt, quòd materia, quæ amiſit formam aquæ, iterùm ad aliam ejuſdem ſpeciei, & diverſam numero formam, redeat. Non, inquam. Nam quando Peripateticus cum Ariſt. dicit, quòd à privatione ad habitum, ſeu ad formam non fit naturaliter regreſſus, non intendit de ſimplicibus, cùm de facto videamus, quòd Homo ex terra procreatus, iterùm in terram revertatur; ſed intendit de mixtis in quibus id exigitur pro rerum variatione ab Univerſi bono, cujus pulchritudo ſummoperè in rerum variabili viciſſitudine ſita habetur. Non ergo valet in ſimplicibus, ideſt elementis; quæ ſimplicia dicuntur, non quia non ſint compoſita ex materia, & forma, (ut falsò nonnulli autumant, inter quos quondam P. Caro) ſed dicuntur ſimplicia comparativè ad mixta, quæ ultra compoſitionem ex materia, & forma, etiam quatuor elementorum mixtionem important. Imò nec valet in aliis, quæ maximè ad elementa accedunt, ut metalia, quæ nonnunquam igne liqueſcunt, & iterùm poſteà metalla ſolida redeunt.

Vel (& ſatiùs) principium illud intelligendum eſt de regreſſu ad eandem numero, non verò de regreſſu ad eandem

Digitized by Google

dem in ſpecie formam, ut dicemus lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 4. & ultima.

Ad Conf. dico, falſum eſſe ſuppoſitum, nimirùm, quòd vapor ſit aqua. Eſt enim vapor ex terræ exhalatione genitus, qui reſolvitur; & ex ejus reſolutione, ſive corruptione, gignitur aqua, ſive pluvia. Vel cum D. Th loco nuper citato dicas, ibi non intervenire ſubſtantivam corruptionem.

30. Objicitur 9. ſimile argumentum. Meteora ex mera ſubſtantivæ materiæ coitione conſurgunt, & ex ſubſtantiarum disjunctione variantur. Hinc enim & ignis, & grando, & nix, & ros, & petræ, quas vocant fulmineas, in quibus certè ignis meteoricos eſt ejuſdem rationis cum igne elementari. Imò grando in ſciſſuris montium ſi aſſervetur, ibi magis coacta, preſſa, unita, migrat in criſtallum.

Reſp. ex dicendis in tract. de Meteoris conſideratione 1. num. 2 hæc omnia per veram fieri generationem ex vaporibus, & poſteà deſtrui per veram corruptionem. Item ex grandine in montium rimulis, ſeu ſciſſuris aſſervata (ſi verum eſt, quòd in criſtallum mutetur) dici poteſt, quòd veram per geneſim fiat, acquirendo novam criſtalli formam.

Vel dici poteſt, non eſſe mixtum, nec ſpecie, imò nec numero diverſum à grandine, adeoque ibi non intervenire ſubſtantivam illam mutationem, de qua hic loquimur, ſed accidentalem duntaxat penès majorem ſoliditatem.

Similiter poſtea per veram corruptionem nivem in aquam mutari; imò, & aquam in gelu, & gelu iterùm aliam in aquam, ſaltem numero diſtinctam ab illa, ſub cujus materia prius erat per generationes, & corruptiones ſubſtantiales; quia, ut dicebamus ad antegreſſum 8. argumentum, non repugnat in elementis à privatione ad formam tranſmutabiliter regreſſus mediatus, nimirùm medio mixto. Sed de his omnibus fuſiùs in lib. de Gener. loco nuper citato.

Reſponſum aliud videri poteſt apud Guerinois hic quæſt. 3. quæ eſt de forma ſubſtantiali art. 5. §. 8 ad 11. arg. ubi ſentit, non intervenire tunc mutationem ſubſtantialem, & corruptionem.

31. Objic. demum argumentum ab authoritate nonnullorum ex SS. Patribus, præcipuè Niſſeni orat. 1. in Hexameron; ubi innuere videtur, quòd corruptiones fiant per abſumptionem aliquarum particularum, præcipuè de oleo, quod paulatim flammâ attenuatur, & conſumitur.

Reſp. primiter, SS Patres, qui duntaxat quicquam raptim, & obiter, & non ex profeſſo hiſce de rebus egerunt, non eſſe conſiderandos; quoniam locuti ſunt non in propria ſententia, ſed in ſententia antiquorum quorundam Philoſophorum.

Vel dico, quòd non proinde PP. negant, tunc fieri in illis tranſmutationes, & corruptiones ſubſtantiales illarum particularum in vapores, licèt horum aliqui craſſiores in terram relabantur, poſtquam aerem petierint. Et ſic intelligenda ſunt verba Niſſeni, dicentis, aerem eò petere, & iterum in terram deſilire.

Meritò itaque idem P. Caro Somſchus, cujus complura ſunt ex jam ſolutis argumentis, non ignarus, quòd *ſapientis eſt mutare conſilium*; Univerſis atomis perpetuum vale dixit.

Quomodo autem fiat hæc reſolutio in minimas partes; dicetur infra §. 11. ad 1. arg.

32. Demum objicit argumentum Chymicorum, quod jam ſupra §. 1. ſub num. 6 diſſolutum eſt.

En reſolutam difficultatem, quæ lib. 2. de Gener. & Corrupt. agitari conſuevit, quam hic complere volui, ne bis adigeremur de eadem re pertractandum ſuſcipere.

§. VIII.

Sexta hujuſce placiti refutatio.

33. REfutatur 6. ſic. Non minùs eſt ens naturale Homo, quàm ſint cætera entia; ſed Homo non componitur ex atomis: ergo nec cætera entia naturalia componuntur ex atomis. Prob min Anima rationalis eſt vera corporis forma, ut fuit definitum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Et in Concilio Viennenſi ſub Clem. V. Quòd nec Saguens negare eſt auſus, imò ex profeſſo defendit tom. 4 alterâ parte diſp. 4 num. 17. licèt de eo, quod præſentem attinet ad difficultatem, nec verbum ibi habeat, fortaſſis quia via nulla, aut rimula effugiendi ei patebat.

Luſtrando poſtea *Atomiſmum demonſtratum*, *& vindicatam* aliquid deprehendi dialogo 4. ubi dicit, Peripateticos nunquam adinveniſſe rationem, ob quam ex eo, quòd Anima rationalis ſit forma corporis, poſſit inferri, etiam in aliis compoſitis materialibus extare formas.

Aſt eam facilè quiſquis rationem deprehendet ex eo, quòd iidem effectus, qui cernuntur V. G. in Belvis, conſpiciuntur in vitâ Hominis per Animam.

Sub finem dialogi 5. eodem in *Atomiſmo demonſtrato* poſtquam fusè dixerat, nullo philoſophico in ſenſu definitum fuiſſe in Conciliis, contendit, poſſe propugnari formam ſubſtantialem in Homine, quæ haud aliud ſit, quàm connexio, & habitudo inter corpus, & Animam.

Ubi quantam violentiam faciat Conciliari definitioni, nemo non viderit. Quandoquidem vel connexio illa eſt ipſa Anima rationalis, vel non? Si ſic: ergo illa connexio erit immortalis, invariabilis, æterna, ſicut eſt Anima rationalis à corpore ſejuncta. Quod falſum eſſe palam fit in Hominis morte. Si non: ergo cùm definiant Concilia, Animam rationalem eſſe formam, jam aliquid aliud præter illam connexionem erit forma ſubſtantialis. Et ſanè illi, quos contra definiebant Concilia, negabant, eſſe formam ſubſtantialem in ſenſu Peripatetico.

Rem tandem abſolvit eodem *in Atomiſmo demonſtrato*, &c. dialogo 6. concludens, ſenſitivas, & vegetativas actiones in Homine haberi, non ab Animâ rationali, ſed ab illis atomis perfectioribus. Undè non adigi, plures in Homine agnoſcere Animas, ac pugnare cum generali Concilio octavo, quod fuit Conſtantinopolitanum quartum act. 9. can. 11. Imò addit poſſe defendi in Homine vegetativam, & ſenſitivam extare Animam diſtinctam realiter ab Animâ rationali, quia Concilium illud haud aliud intendit, quàm damnare hæreſim Manichæorum duas Animas rationales extare in Homine dogmatizantium.

Aſt ſcire amabo à Jo: Saguens, ad quid Anima rationalis ponitur forma corporis, niſi ad conſtituendum illud vivum, niſi ad ſenſitivas, & vegetativas præſtandas operationes. Non enim ponitur ad intellectivas & volitivas præſtandas corpori operationes, cùm iſtæ non exerceantur per organum corporeum, quod non eſt excogitabile (quamquam pro hoc ſtatu unionis indigeant miniſterio ſenſuum) nec ſunt actiones corporeæ, ceu quæ ab Anima etiam ſejuncta à corpore exercentur, ſi fidem conſulas, & rationem.

Quòd ſi nonnullæ ſenſitivæ, omneſque vegetativæ exercentur ab Anima invita, & renitente, præſertim illæ, quæ non imperante Anima rationali eliciuntur: hoc eſt, non quia non habeantur & illæ ab Anima rationali, ſed quia modo naturali ab ea exercentur corpori unita, ſicut modo naturali, & non libero informat corpus dum ei eſt unita. Sicque evaneſcit objectio Saguens.

Reſpondere nonnullos audivi, quòd Homo ſecundùm partem materialem corpoream conſtat ex atomis, ſecundùm verò partem intellectivam, nimirùm ſecundùm Animam rationalem, non conſtat ex atomis.

Contra quod reſponſum ſic arguas. Atomi non ſunt ſubſtantialis formæ capaces, ſecùs quomodo poſſet Atomiſta aliis in rebus formas ſubſtantiales adeo execrari? Sed pars corporea Hominis debet eſſe capax formæ ſubſtantialis: ergo Homo nec ſecundùm partem materialem, ſive corpoream componitur ex atomis. Prob min. in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & in Concilio Viennenſi ſub Clem. V. definitum eſt, Animam rationalem eſſe veram corporis formam: ergo &c. Cùm enim Anima rationalis non ſit una ex formis illis, quas ſolas Atomiſta admittit ſitas in coordinatione ipſa, & diſpoſitione atomorum, qui ut ordinabiles, & diſponibiles vocitantur ab Atomiſta materia, quemadmodum ipſa ordinatio, & diſpoſitio, dictitatur ab eodem forma (ſecùs illa diſpoſitione, & ordinatione atomorum pereunte, periret Anima rationalis,) jam Anima rationalis erit forma ſubſtantialis actuans.

Alii dicunt, entia omnia naturalia eſſe compoſita ex atomis, dempto Homine, quia ejus Anima eſt ſpiritualis, & fit per creationem.

Verùm reſponſum hoc nemine impellente extemplò corruit, Tùm quia eatenus dicit Atomiſta, res naturales ex atomis concreſcere; quia in minima entia reſolvuntur res illæ. Etiam autem Homo reſolvitur in pulveris granula. Tum quia dum poſtea ex Homine moriente fit cadaver, ſive corpus mortuum, illud cadaver nequit eſſe compoſitum ex atomis; quia factum non ex forma corporeitatis, quam

Ato-

Atomiſta, formas omnes execrans, non agnoſcit, benè verò ex Homine, qui ex atomir non componitur. Ex quo ergo Cadaver illud erit compoſitum?

Alii metuentes S. Petri Martyris, hoc eſt Inquiſitionis gladium, dicunt, ſe nolle tractare de Fidei rebus, inter quas eſt Anima noſtra: ſed de rebus duntaxat naturalibus Philoſophari ſe velle.

Iſtud eſt extremum illud Vallum, quo ſe recipit Atomiſta.

Quod tamen effugium magis, magiſque reos facit eo in foro, ceu damnatum à Leone X. in Lateranenſi Concilio, ut conſpeximus in Logica Syntag.4. quòd fuit de Prædicamentis q.4. quæ fuit de Quantitate art.3. §.3. num.9. Et re vera ſuam, etiam nolens, fatetur falſitatem, dum Fidei rebus conſors non eſt, cùm unum verum alteri non obverſetur; & omnes naturales veritates ad fidei veritatem tanquam lydium ad lapidem debeant comprobari. Et certè quemadmodùm lex naturalis, ſive lex naturæ cum lege ſupernaturali non pugnat, ſed optimè cum illa cohæret; ità veritar naturalis non debet cum ſupernaturali veritate pugnare, ſed cum illa cohærere jugiter debet; præcipuè loquendo de Anima rationali, ne eorum incidamur in errorem, qui Sapientiæ 2. reprehenduntur, eò quòd dixerint, quòd *unus eſt interitus Hominum, & Jumentorum*.

Refutatur demùm placitum hoc. Quandoquidem atomi nequeunt eſſe principia conſtitutiva entium naturalium viventium, præcipuè Brutorum, cùm eſſe nequeant principium cognitionis ſenſitivæ eò, quòd ſunt materiales. De quo infra lib.2. Phyſ. q.3. art. 3. dicetur, & denuò lib.2. de Anima q.5. quæ erit de Anima ſenſitiva in præloquio.

Reſponſum, quod dari ad hoc poſſet, exploſum jam fuit ſupra §.2. num.9. contra Saguens dimicando.

Ulteriùs ſi vivens nil aliud foret præter atomos, aut commixtas elementorum particulas, poſſet naturaliter obtineri mortuorum reſurrectio. Poſſet namque Angelus cùm lucis, tùm tenebrarum, haud difficili opera Canem mortuum vitæ reſtituere. Poſſet ſiquidem ſuperſtites atomos reſumere, & ad priſtinum ſtatum reducere. Sicque miraculoſa minimè fuiſſet Tauri reſuſcitatio per S. Sylveſtrum facta, coram Conſtantino, & Helena.

Eapropter Democritur (ut ſequenti §. videbimus) putavit, mortuorum reſurrectionem naturaliter eventuram, vel ipſis in Hominibus.

Et quidem ſemel hoc placito admiſſo, denegari nequit poſſibilitas reſurrectionis Hominis etiam naturaliter, ſaltem virtute Angelorum; quia poſſet per localem diſpoſitionem illorum corpuſculorum reproduci Corpus humanum cum omnibus diſpoſitionibus, ut requiritur ad hoc, ut ſit ſubjectum proportionatum hujus numero Animæ. Juxta namque curſum ordinarium poſito corpore diſpoſito ad unionem Animæ, illicò Anima ei unitur. Siquidem Corpus ſtatim ac eſt diſpoſitum, petit, quòd Anima ei uniatur: ergo pariter ſtatim ac denuo eſt diſpoſitum, petit, quòd ſibi Anima uniatur denuò.

Si quis poſtea fuſiùs agnoſcere cuperet, quatenùs ex animabus nulla ſenſitiva in atomis conſiſtere poſſit, legat noſtrum B. Albertum Magnum in Summa de creaturis, quæ eſt tom. 19. part.2. tract.1. q.3. art.1. folio 12. col.2. ſub num. 6. & folio 14. & 15. à num.5. Ob idque Atomiſtæ, præſertim Carteſiani, eò devenerunt, ut Brutis vitam denegare non dubitent. De qua dicemus lib.2. Phyſ. q.3. art. 3. & iterùm lib.2. de Anima q.2. art.2. licèt tàm grande abſurdum, ſi poſſibile fuiſſet, non devorare optaſſet Saguens, ut vidimus §.2. ſub finem.

Cùm præfatas ratiocinationes à §.3. expoſitas propoſuiſſem variis temporibus cuidam ex Atomiſtis mihi in alloquiis familiari ſatis pertinaci, tandem poſt multa, attende quid reſponderit: *Mundum* (inquit ex illo Eccleſiaſtes 3.) *tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat Homo opus, quod fecit Deus ab initio uſque ad finem*. Quamquam non illum, quem Atomiſta intendebat, ſenſum reddant præfata verba, ut videre eſt apud Expoſitores, & præſertim apud Eminentiſſimum Hugonem noſtrum.

§. IX.

Reflexio ſuper Atomiſtarum placitum.

35. LEucippus, Democritus, Epicurus, & quotquot erant ejuſdem furfuris viri, mortui ſunt. At proh dolor! eorum revixit placitum, quod (inquit Hurtadur 6. Phyſ.) jam ſuis cum Patronis ſepultum, & oblivioni traditum, ab inferis uſque revocarunt quidam. Hos inter Petrus Gaſſendus, Joannes Chryſoſtomus Magnenus Burgundus Ticinenſi in Academia Regius medicinæ profeſſor, edito peculiari tractatu, inſcripto *Democritus Reviviſcens*, cujus mentionem fecimus ſupra §.3. ſub finem; ſæpè citatus Jo: Saguens cum ſuo illo Maignano, licèt diverſimodè, ut vidimus §.3. num.10. & §.6. num.20. Iſaac quidam Cardoſo Hebræus ſua in *Philoſophia libera*. Plures quoque Neoterici defenſitant hiſce temporibus. Quondam inter eos ſupputabatur etiam P. Franciſcus Caro Somaſcor, qui (ut innuimus §.3. num.12.) poſteà atomiſticam ſectam declinans, noſtra Peripatetica tranſivit ad caſtra.

Reflexio itaque habenda venit, quòd contra præfatum placitum ſtant primodùm Concilia, non tantùm illa §. antegreſſo relata, nimirum Lateranenſe ſub Leone X. & Viennenſe ſub Clem. V. in quibus definitum eſt, Animam rationalem eſſe veram formam Corporis; verùm etiam, & præcipuè Concilium Conſtantienſe. In iſto namque cùm damnarentur errores Joannir Hus, & Vicleffi, eorum inter errores, & falſitates ſupputatum hoc fuit, quòd ſenſerint, lineam componi ex ſolis indiviſibilibus, ut evidere eſt ſeſſ.16.

Deinde ſtant SS. PP. quorum complures videri poſſunt noſtrum apud M. Picinardum, qui hac de re duos confecit codices, dignos tanto viro, & Baptiſtæ Nanio, Veneto hiſtorico nuncupavit.

Præcipuè autem magnum, maximumque illud Eccleſiæ lumen S. Auguſtinus, qui in Pſal 63. poſt commentum illorum verborum *ne avertatur humilis factus confuſus, pauper, & inops laudabunt nomen tuum*, vocat Epicurum Delirum Philoſophum, imò & Porcum. In epiſt. 56. opinionem illius de corpuſculis redarguit ut Portentum quoddam. Et ſubdit, *ſi aliquis pertinacia hanc ſententiam retinere vellet, timerem valde, ne cum Sadducæis ſubſtantias ſpirituales negaret*. Ob idque palam fit, quàm immeritò Petrus Gaſſendus dicat, Epicurum alium prorius eſſe ab illo, quem adeo mollem, & turpem fama declarat, & multo pejùs Epicuri cauſam vindicandam ſuſceperit Emanuel Theſaurur ſua in morali Philoſophia lib. 2. pag.29. De ipſo autem Democrito idem S. Aug. ibi ſic loquitur: *Quantò enim meliùs, ne audiſſem quidem nomen Democriti, quàm cum dolore cogitarem, neſcio quem ſuis temporibus magnum putatum, qui Deos eſſe arbitraretur, quæ de ſolidis corporibus fluerent, ſolidæque ipſæ non eſſent*.

Non me latet, poſſe quempiam reſpondere, etiam S. Thomam, qui aliàs tantam jugiter Patribus reverentiam exhibere conſuevit, non infrequenter reſpondere, Patrum authoritatem in rebur Philoſophicis, non eſſe tanti habendam, quia locuti ſunt juxta ſenſum illorum Philoſophorum, quos ſequebantur, proindeque non eſſe majoris habendam, quàm illorum Philoſophorum authoritatem, ut p.p. q.66. art.2. ad prim. & q.77. art.5. ad 3. ac perſæpè alibi. Et ſic idem poſſe in præſenti dici, imò & ſic dici ad omnes etiam D. Thomæ authoritater, quibur in Logica Syntag.4. q.3. probavimus accidentia peripatetica.

Hoc, inquam, optimè novi, ſed duntaxat ubi Patres raptim aliquid, & obiter dixere, adeoque juxta illos Philoſophos. Idcircò idem Angelicus in 2. ſent. diſt.13. q.1. art. 2. ad 1. ſcribit, quòd alii Sancti dicendo, quòd Firmamentum ſit de natura inferiorum, *id tradiderunt, non quaſi aſſerentes, ſed quaſi utentes his, quæ in Philoſophia didicerant*. Nunquam tamen ubi ex profeſſo tractarunt, ut S. Aug. in epiſt.56. ubi ad quendam Epiſcopum reſpondet, conſulens quamnam Philoſophiam amplexari potiùs ſit. Vel ubi adeo execrati ſunt. Inſuper, quid de Conciliis, quæ ſanè cohærenter ad Patres locuta ſunt?

Nec dicere cum Carteſio juvabit, ideò Concilia, & Patres abjeciſſe opinionem Democriti; quia Democritur attribuebat atomis pondus, & admittebat vacuum.

Non, inquam. Quandoquidem (ut inquit Goudin) quod attribuerit pondus atomir, & admiſerit vacuum res parvi momenti eſt, nec adeò gravis, ut acrem adeò promeruerit cenſuram. Eò vel maximè quòd Gaſſendus admittit in atomis pondur. Et ſanè quid pondus, & vacuum conducit ad inficiandas ſpirituales ſubſtantias, & Deos ipſor? In quo adeò ſcandalizatur Auguſtinus. Legas, quæſo, legas S. Auguſtinum ibi.

Dices ſortaſſis, quòd SS. PP. opinionem Democriti, & Epicuri execrantur; quia ab illis antiquis plures commiſcebantur errores, ut puta dicebant, atomos eſſe improductas, eſſe à caſu unitas, Deoſque vel denegabant, vel corporeos, & ex atomis formatos obteſtabantur. At in hoc Nuperi illos non ſequuntur. Undè cœnum, & non aurum eſt à Platone, & Democrito abjiciendum, ut loquitur Jo: Saguens, ſuo quodam in opere, quod duobus annis ab edita ſua Philoſophia ſcripſit adverſus noſtrum P. Gennarum, cui titulus eſt; ***Syſtema Euchariſticum Maignani*** dialogo 2. pag. 32. num. 2. ubi fatetur atheiſmum Democriti, primam cauſam non agnoſcentis, & omnia à caſu dicentis. Quem atheiſmum plerique de eodem negant Democrito, & non negat Saguens, qui profitetur, ſe defendere atomos Platonicas, non Democriticas, aut Epicuræas. Sed

Contra. Non aliunde illos ad errores ſunt inducti, niſi ex his rebus naturalibus, quas conſtare ex atomis volebant: ergo talis opinio eſt recta via, imò proxima patens janua ad atheiſmum. Prob. ant. Ex rebus naturalibus, ceu benè intellectis, ducimur in cognitionem primæ cauſæ, juxta illud Apoſt. ad Rom. 1 ℣. 20. ***Invisibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur***, ſicque S. Aug. loco nuper citato Pſal. 73 probat, Deum extare adversùs Epicuræos: ergo ab oppoſito dicendum, quòd Democritus, & Epicurus ex rebus naturalibus perperam perceptis, nimirùm ut ex atomis conſtantibus inducti ſint ad perperam de Deo ſentiendum, & prima cauſa. Sicuti namque ex effectibus cognitis ducimur in cognitionem cauſæ; ita ex recta effectuum cognitione trahimur rectam in cauſæ cognitionem, & ex non recta, ſed erronea effectuum cognitione, ſeu ex effectibus erroneè cognitis, pertrahimur in erroneam cauſæ cognitionem. Quemadmodum etenim ſe habet abſolutè ad abſolutè, ita taliter ad taliter. Ea ex re

Formatur reflexio argumentativa. Opinio iſta ad Atheiſmum vehit: ergo eſt anatematizanda. Prob. ant. Siquidem, uti nuper probavi, non aliunde, niſi ex hac opinione rapti ſunt Epicurus, & Democritus &c. ad Atheiſmum; ergo &c.

Qua ex re habes, quòd Democriti, Epicuri, &c. Doctrinam damnamus, non quia improbi fuerint eorum mores, ut falsò concipiunt Atomiſtæ, qui proinde etiam de Ariſtotele nonnullas criminationes ex noſtro Campanella exſcribunt, nimirùm quòd Patriam prodiderit, quòd ſuæ concubinæ immolaverit, quòd Alexandrum veneno tolleſe auſus ſit, & quòd morte deſperatà obierit. Non, inquam, quia (quicquid ſit de horum veritate) doctrinæ veritas non pendet ex moribus docentis. Sed quia non aliunde, quàm ex hoc errore ducti ſunt ad Atheiſmum, ut vidimus, & ſeſtinè magis videbimus. Quod nequaquam in Ariſtotele evenit, ſaltem quò ad ea, quæ demonſtrari naturaliter poſſunt. Et Animæ rationalis immortalitatem admiſiſſe videbimus lib. 3. de Anima, quamquam nonnulli ex Peripateticis, & præcipuè Scotiſtæ, volentes, ratione naturali non poſſe demonſtrativè, ſed duntaxat probabiliter ſuaderi, velint, ejus immortalitatem non certò deprehendiſſe, ſed dubium hac de re Ariſtotelem fuiſſe. Nec ex doctrina de formis, materia, &c. ductus eſt ad illa crimina perpetranda, ſi verum eſt, quòd perpetraverit. Sed de Ariſt. vide quæ dixi tom. 1. poſt epiſtolam ad Lectorem.

Ad omnia præfata reſpondebat mihi ex Atomiſtis quidam, quòd nuſquam Democritus, aut Leucippus, aut Epicurus tales evomuere errores, nempe Deos aut negando, aut corporeos aſſerendo, aut atomos improductas dicendo, atque caſu unitas, ſed omnino gratis tales eis errores adſcribi ab Ariſt. qui prædeceſſores illos Philoſophos diſfamare ſtuduit, ut ſibi ſoli nomen faceret, eorumve ſcripta flammis tradidit. Sed

Contra. Quandoquidem Democritum, omnia à caſu evenire ſenſiſſe, nec Carteſius abnuit 3. p. n. 47 q. 1. n. 28. idque de eodem Democrito ex Seneca 4. de beneſ. 19. fatebatur etiam dum erat Atomiſta P. Franciſcus Caro Somaſcus 2. Phyſ. diſp. 3. in principio agendo de cauſa finali; imò Democritiſta, ut ipſemmet gloriabatur in præludio phyſicæ. Et etiam fatetur Joannes Saguens ſuo in Syſtemate Euchariſtico dialogo 2. pag. 32. num. 2.

Præthereà. Quamquam Anaxagoras Ariſtotelem præceſſerit, ei tamen Ariſtoteles hanc dicam non inurit, eò quòd Anaxagoras talia non dixerat, imò 1. Metaphyſ. tex. 2. eundem extulit (ut §. 3. vidimus) quia primam agnovit cauſam: ergo ſi Ariſt. hujuſcemodi errores adſcribit Democrito, & Epicuro, ſignum eſt, verum eſſe, quòd tales tenuerunt errores, ac docuere. Nam quænam major ratio, quòd Democritum, ejuſque ſectatores, neutiquam verò Anaxagoram inculpaverit. De quo iterum lib. 2. Phyſ. qu. 3. quæ erit de cauſa finali art. 3. §. 2. Item ſi ambitione ſtetus cæterorum ſcripta igni dedit, cur non cremaſſet ſcripta Platonis, quæ etiam nunc perdurant?

Inſuper jam vidimus quid de Epicuro, & Democrito dixerit Auguſtinus, qui fuit Platonicus, & nunquam Ariſtotelicus.

Ulteriùs alii ſunt errores Democriti, ex ejus de atomis opinione profecti, quos non retulit Ariſtoteles, ſed retulit Plinius lib. 2. cap. 55. ut puta, quòd dixerit, reſurrectionem mortuorum naturaliter fieri; quodque ſequi ex Atomiſtarum opinione conſpeximus §. antegreſſo 8. in fine. Ex quo poſteà ſequitur aliud inconveniens, nimirùm quòd perperam Eccleſia habeat pro miraculo reſuſcitationem Tauri factam à S. Sylveſtro coram Conſtantino, & Helena; & plura alia abſurda quò ad Homines miraculosè vitæ reſtitutos.

Et quòd id tenuerit cohærenter ad Atomiſticam doctrinam, colligi poteſt ex eo, quòd ejus ſectator Magnenus id in Synopſi Democriticæ doctrinæ ad atomos pertinentia num. 12. reſerat, & diſp. 2. cap. 2. prop. 19. planè fateatur, Democritum Chimiæ myſteriis mortuorum reſurrectionem admiſiſſe; utque naturæ magis faveret, conſervari ſuum in melle corpus juſſiſſe. Et de hoc nonnulla diximus §. præcedenti in fine. Vid. ibi.

Demùm quòd omnia à caſu fieri docuerit Democritus, doceantque ejus gregales oſtendo. Quandoquidem diverſitas illa atomorum penes figuram, vel eſt ipſa natura atomorum, vel eſt ab earum natura, vel neutrum. Primum dici nequit ab Atomiſtis, nec ſecundum; quia volunt, diverſas res conſtitui per diverſas duntaxat figuras, &c. præſertim Gaſſendus, & Carteſius. Si namque atomus *A* ab intrinſeco excludit figuram rotundam, & exigit V. G cubicam, ſeu quadratam, neceſſe eſt, ut natura, & ſpecie diſtinguatur ab atomo *B* exigente figuram ſphæricam, & excludente cubicam; Debet ſiquidem hæc exigentiæ diverſitas radicem in natura habere, ſicque diverſæ ſpecie res conſtituerentur ex diverſa ſpecie atomorum, & non ex diverſa duntaxat figura; quia figura, motus, & quies non variant ſpeciem, ut palam eſt inductivè in omnibus rebus. Si autem dicatur tertium, jam diverſitas inter Brutum, & Avem ex diverſa figuratione non erit naturalis; quia non ab exigentia naturæ. Cùm ergo nequeat eſſe artificialis; quia Ars, ceu quæ naturam imitatur, ſupponit entia naturalia, quorum ad inſtar entia artificialia fiant (ſi ſemel Artem ſecernere à Natura velimus) erit omnino caſualis. Non enim extat medium, quia unumquodque ens, quod non eſt ſupernaturale, aut violentum, eſt vel naturale, vel artificiale, vel caſuale.

Et en primitùs delirium illud, ex quo negatio primæ cauſæ provenit, nimirum corpora omnia naturalia ex fortuito atomorum concurſu eſſe formata. En inſuper quàm rationabiliter S. Aug. epiſt. 56. citata dixerit, ſe metuere, ne ſi quis pertinaciter vellet Democriti ſententiam tenere, denegaret ſubſtantias cunctas ſpirituales, inter quas potiſſimum ſanè locum tenet prima cauſa, nempe Deus. Quod etiam de Chymicis non parùm timendum. Legi namque ego anonymi cujuſdam opellam, cui epigraphe *Novum lumen chemicum*, quæque per Italiam circumfertur; & inveni in tract. 2. in quodam titulo, qui eſt de elemento ignis, quòd ſentit, Deum, Angelos, & Animam noſtram ex igne conſtare, ut attentè legenti totum illum titulum patebit. Nullus autem invenietur ex Patribus, qui adeò contra Peripateticas formas invehatur. Eò vel maximè, quòd pluris faciendus eſt Auguſtinus, tametſi nonnullus ex Patribus pro atomis ſtare comperiretur.

Quoniam verò quemadmodùm Peripatetici ad invicem concordes non ſunt, quorum uni Thomiſtæ, alii Scotiſtæ, alii Nominales, alii Neoterici, ità Atomiſtæ adinvicem diſſidentes ſunt, & idcircò uni unam, alii aliam doctrinam proferunt. Nonnulli (quos inter præſertim Emanuel Maignanus, & cum eo Jo: Saguens, ut vidimus §. 2. num. 9.) reſpondent, diverſitatem rerum eſſentialem haberi ex diverſa ſpecie atomorum, & diverſitatem non eſſentialem ex diverſitate duntaxat numerica atomorum. Quod idem Saguens ex ſuo illo Maignano repetit ſuo illo in Syſtemate

Eucha-

Euchariſtico, in quo tamen nihil novi habet, ſed duntaxat ea, quæ ſparſim in forma quaſi ſcholaſtica dixerat variis Philoſophiæ ſuæ in locis, redintegrat in Dialogi formam, ibique parte prima, dialogo 2. pag. 48. num. 17. improbat Epicurum, Gaſſendum, ac Carteſium, dicentes, omnes atomos eſſe ejuſdem naturæ, & ſolummodò in figura, motu, ac quiete diverſas. Imò parte 2. dialogo primo num. 6. admittit atomos etiam diverſi generis.

Idcircò ratione oſtendo, atomos illas non poſſe eſſe diverſæ ſpeciei, exigentis ab intrinſeco diverſas illas figuras, quietem, motum, &c. Et primò. Si tot, tantæque extarent diverſæ ſpeciei atomi, ſanè forent, ſi non omnes, ſaltem aliquæ in magna, ac maxima quantitate, & numero deſignabiles, quemadmodùm aſſignabiles ſunt illæ, quæ extant, nimirùm igneæ, aqueæ, & terreæ, ac aereæ; & ſicut apparent iſtæ, ità & illæ perſpicuæ fierent; ſed non ſunt aſſignabiles, nec apparent: ergo non extant.

Pater Saguens ubi ſupra ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico dialogo 3. num. 13. per Arithmeticæ regulam numerum ingentem atomorum ſpecierum eſſe poſſibilem illuſtrat; ſed tamen abſtractivè, nec præter illarum quatuor reapſe, nempe aereæ, igneæ, aqueæ, & terreæ nomen, proprietates aliquas facit ſeorſim apparere, ſicuti facere ut Philoſophus debuiſſet hìc, & non ut Arithmeticus duntaxat.

Aſt quia optimè deprehendebat, ſe parùm, ſeu nihil in hoc facere ſatis poſſe, idcircò ibi à num. 5. ut quantùm poterat à difficultate ſecederet, ac aliò deflecteret, ſe convertit ad redarguendos Peripateticos, eò quòd dicant, ſpeciem phyſicam à forma, & genus phyſicum à materia deſumi, cùm in Angelis extet genus, & ſpecies phyſica; & tamen non extet materia cum forma phyſica.

Sed etiam quia prævidebat, hoc ad nihil penitus deſervire; quia Peripateticus loquitur de rebus phyſicè compoſitis; Ob id objicit de accidentibus, quæ nequeunt haurire genus à ſubjecto, quod dicitur eorum materia; Tùm quia cùm iſtud ſit ſubſtantia, ſequeretur, genus accidentis eſſe quid ſubſtantiale, & ſic accidens ſaltem ſecundùm partem eſſe ſubſtantiam. Tùm quia Accidentia Euchariſtica juxta Peripateticos ſunt ſine ſubjecto.

Verùm enim verò ecquis primitùs non videat, neque hoc eſſe ad rem: Deinde dico, in hoc hallucinari Joannem Saguens. Quandoquidem non dicit Peripateticus, genus phyſicum accidentis ſumi à ſubjecto, nec genus phyſicum formæ ſubſtantialis ſumi à materia. Non, inquam, imò nec in forma ſubſtantiali, nec in forma accidentali, ſive accidente extat genus phyſicum, cùm ſit duntaxat forma, ſive differentia phyſica vel ſubſtantialis, vel accidentalis. Et ſicut differentia Logica, ſeu metaphyſica non conſtat ex genere Logico, aut metaphyſico, ita nec forma phyſica ex genere phyſico. Dicit ergo Peripateticus, genus phyſicum totius compoſiti phyſici ſubſtantialis eſſe materiam, & genus totius compoſiti accidentalis eſſe ſubjectum; differentiam verò eſſe ipſam formam.

Secundò oſtendo, atomos illas non poſſe eſſe diverſæ ſpeciei. Siquidem ſi forent diverſæ ſpeciei, deberent ſic ſe habere, quòd una eſſet eſſentialiter aliâ perfectior, quemadmodum videt quicunque non cæcus, quòd rerum, quæ ſpecie diſtinguuntur inter invicem, una eſt eſſentialiter perfectior alia. Et ſic cùm tot, tantæque, imò innumerabiles eſſent atomi, deberet una extare atomus, quæ foret perfectior illis propemodum infinitis atomis, quas ipſemet Saguens loco nuper citato per viam Arithmeticæ excedentem adeò ad numerum ſpecierum aſcendere contendit; proindeque atomorum extaret aliqua, quæ eſſet perfectionis quaſi infinitæ, adeòque cunctis Angelis perfectior, quaſi ſicut Deus. Et hinc fortaſſe nonnulli veterum Atomiſtarum, juxta ea, quæ ex Auguſt. epiſt. 56. retulimus, dixere, perfectiſſimis ex atomis Deos conſtare. Aſt quomodo tàm modica in atomo tanta colligetur perfectionis ſumma?

Adde, non eſſe excogitabile, in quo ſita ſit diverſitas ſpecifica tot atomorum inter ſe, ultra diverſitatem Figuræ, ſitus, motus, quietis, &c.

Aliud, quod dicere poſſent Atomiſtæ ad ſalvandum atomos omnes eſſe ejuſdem ſpeciei eſt, quòd diverſitas figuræ poteſt oriri ab exigentia earum naturæ numero duntaxat diverſæ, ſeu à differentia individuali, quemadmodùm videmus, duos Homines, licèt ejuſdem ſpeciei, diſcriminari in figura. Sed

Contra. Etenim licèt modica differentia figuræ poſſit à differentia individuali oriri; tamen totalis differentia figuræ oritur à differentia ſpecifica, ut palam eſt de diverſitate figuræ inter Hominem, & Canem, Leonem, & Gallinam, ſolùmque per accidens in monſtris evenit, quòd una ſpecies alterius ſpeciei figuram præſeferat. Atomi autem poſſident figuram penitùs diverſam. Eò vel maximè quòd deberent res ſpecie diverſas formare.

Et quamvis etiam Homines aliqualem habeant ſimilitudinem cum Brutis, uti videmus, quòd Hominum nonnulli bubulam, alii leoninam, &c. figuram exhibent. Tamen hujuſcemodi ſimilitudo eſt valdè modica, & videt quilibet non cæcus, quòd minùs aſſimilatur cum Bove Cajus, habens faciem Bovinam, & cum Leone Sejus, habens Leoninam, quàm Cajus cum Sejo, & è contra.

De primo itaque ad ultimum remanet, quòd illa totalis figuræ diverſitas oriri nequeat à differentia individuali; quia conſpeximus debere oriri à differentia pluſquam individuali; nec à differentia ſpecifica, quia vidimus, non poſſe omnes atomos eſſe inter ſe ſpecie diverſas: jam non poterit diverſitas illa eſſe naturalis; & cùm nequeat eſſe artificialis, ut etiam probavimus, erit omninò caſualis. Ex quo poſteà originem trahunt tot illæ Atheæ doctrinæ, ut nuper conſpexiſti.

Eà ex re veroſimile ſatis eſt, Anaxagoram, ne eos incideret in errores, ſenſiſſe, quòd atomi forent inter ſe ſpeciei diverſæ. Undè cùm probaverimus, non poſſe eſſe diverſæ ſpeciei, vix poterunt ab Atomiſta præſata devitari deliria.

Eapropter dum hæc diſcipulis dictarem, meas ad manus devenerunt Theſes quædam Atomiſtarum Carteſianorum doctrinis plenæ, quæ poſteà ab Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatione proſcriptæ fuere anno 1709. die 17. Julii ſub Clem. XI. & tali inſcriptione procedebant: *Rationalis, & experimentalis Philoſophiæ placita Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino Marcellino Albergotto, Patritio Aretino, & nobili Florentino Marchiæ Gubernatori Generali, à Venantio Crichi Leoniſſano Studente dicata Materatæ M. DCCV.* quæ fuerunt diſputatæ ſub aſſiſtentia D. Stephani Conſalvi Medici, Lectoris publici. Pauló poſt etiam Joannis Saguens opera fuere per S. Congreg. ad Indicem deputatam prohibita.

Non mihi excidit, quòd Atomiſtæ, & præcipuè Jo: Saguens ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico dialogo 6. num. 14. pag. 142. nobis objiciunt, quòd aliquando ab Epiſcopis Galliæ interdicti ſunt libri Ariſtotelis.

Verùm nos loquimur de interdicto ſupremæ Eccleſiæ Romanæ. Deinde dicimus, quòd hoc, vel fuit antequam à D. Th. eſſent expoſiti non rectè intellecti; Vel non fuerunt libri Ariſtotelis, ut colligitur ex verbis cujuſdam Rigordi in vita Philippi Auguſti, à quo, hoc ſe hauſiſſe fatetur idem Saguens, nimirùm *libelli, qui de Ariſtotele, ut dicebantur*, ubi notandum ly *ut dicebantur*, non quòd eſſent. Eo vel maximè, quòd (ut ex Laertio Diogene fert Jo: Baptiſta du Hamel in principio ſuæ Metaphyſicæ) plures fuerunt Ariſtoteles. Et, ut idem adnotavit ex Plutarcho, Strabone, & aliis, Theophraſtus Ariſtotelis Diſcipulus, & Ariſtotelis, & ſuæ Bibliothecæ Neleum quendam reliquit hæredem; poſt obitum Ariſtotelis, & Theophraſti libri metu Attalicorum Regum in terra defoſſi diù jacuerunt, donec poſt multum temporis eruti ſunt, ſed blattis, & tineis exeſi, & penè corrupti. Hos quidam nomine Apellicon Tejus cùm emiſſet, proprio marte emendare, & in ordinem digerere conatus eſt; ac brevi poſt tempore Sylla hos libros ex Græcia Romam devexit; Tyrannioni cuidam Grammatico cura demandata, ut eoſdem corrigeret. Andronicus denique Rhodius eos recenſuit, atque, ut fieri ſolet, quæ ſibi viſa ſunt, adjecit, ac detraxit. Inter cæteros autem obſtruſos, & minùs digeſtos manſiſſe libros quoſdam, qui idcircò trans Phyſicam collocati ſunt, & idcircò Metaphyſica nuncupati ſunt. Quo id minùs mirandum (concludit præfatus du Hamel) videtur, ſi textus Ariſtotelis adeò corruptus ad nos pervenerit, cùm ob temporis injurias, tùm maximè ob pravas imperitorum emendationes, aut potiùs divinationes, adeò ut ordo, perſpicuitas, rerum connexio plerumque deſiderentur.

Ultra quamquod id dicit Saguens duntaxat de aliquibus libris concernentibus Metaphyſicam, non de concernentibus Phyſicam, de quibus modò eſt ſermo. Præterea de Ariſtotele vide quæ dixi tom. 1. poſt epiſtolam ad lectorem.

Tandem in his, in quibus Ariſt. fidei lumine deſtitutus

erravit, Peripateticus Catholicus non eſt Peripateticus, ſed à Peripatu ſecedit, ut puta in eo, quod mundus fuerit ab æterno. At (ut hic vidimus) Atomiſtæ ſequuntur Democritum ea in ſententia, qua ad Atheiſmum perducti ſunt. Animæ autem rationalis immortalitatem, jam diximus, quòd Ariſt. non denegavit ut in 3 de Anima dicemus. Imò Philoponus quotquot oppoſitum de Ariſt. diffamant eos calumniatores appellat tex. 65. & tex. 66. eos deliros dicit. De quo vid. P. Abbas D. Clemens Toſi ſuo in opere italicè edito *dell'India Orientale Gentileſmo confutato* diſc. 13. tom. 5. diviſione quinta, pag. 681. & ſequentibus. Et magis ibi diſc. 14. diviſione prima, & ſeqq. & S. Th. opuſc. 16. & 2. contra Gentes cap. 79.

Ex hactenus habitis apparet, quàm meritò Picinardus dixerit, in atomum Atomiſtas eſſe redactos.

§. X.

Reflexio ſupra Carteſianorum placitum.

36. CArteſiani dicuntur à Carteſio, qui, ceu in Mathematicis non mediocriter verſatus, res naturales phyſicas modo mathematico, & non phyſico, pertractavit. Ob idque ſubſtantiam corpoream nihil eſſe dixit, quam extenſionem.

Primò itaque Carteſius rerum naturalium Principia tradere volens ſupponit, ſeu potiùs, ut ita dicam, fabuloſè fingit, ſubſtantiam extenſam à Deo productam in indefinitum diviſibilem; deinde diviſam in partes quammaximè æquales, quarum nonnullæ eſſent cubicæ figuræ, ſeu quadratæ, aliæ anguloſæ, aliæ oblongæ, aliæ pyramidales, nullas verò ſphæricas; quia volebat, omnes, & ſingulas eſſe talis figuræ, ut conatu immediato omne excluderent vacuum, ſeſe omnino ex parte tangendo. Undè vacuum nec etiam divinâ attenta omnipotentiâ eſſe poſſibile, alibi ipſe contendit. Et hæc ſubſtantia continua primò creata, & ſic in creatione diviſa, vocitatur materia Carteſiana.

Secundò dicit, quòd tali fragminulorum diſtributione facta Deus fragminulis illis impreſſit duos motus. Unum quidem cuilibet particulæ circa proprium centrum, alterum verò pluribus communem, quo commune circa aliud centrum gyrarent.

Tertiò dicit, per primum motum cujuslibet particulæ ex mutuo invicem irruentium concurſu primævam illam æqualem figuram mutaſſe, & fuiſſe diſtributas in tres claſſes, quas tres claſſes vocat tria elementa, hoc modo, videlicet: illo motu detritis, & abraſis illarum complurium particularum prominentibus angulis ſphæricam induiſſe figuram, factaſque eſſe globulos. Deinde ex mutuo tùm iſtorum novorum globorum, tùm anguloſarum partium, quæ ſupererant colliſione, & affrictu deraſa ſcobs tenuiſſima. Itaque primum elementum ait, eſſe ſcobem tenuiſſimam, quam vocat materiam ſubtilem. Secundum conſtare ex globulis. Tertium tandem ex anguloſis partibus craſſiuſculis ineptioribus ad motum, quarum pleraſque dicit, inter globulos fuiſſe contortas ad inſtar cochleæ, quæ ſolet dici lignum illud erectum in torculari ad modum cujuſdam columnæ cum ſtriis, ſeu quibuſdam ſulculis in gyrum, quapropter vocat particulas ſtriatas, & veluti quaſdam columellas, vulgò italicè *à modo di cannella, ò ſia di cinamomo, certe parti cannellate, ſtriate, overo ſolcolate.*

Quartò dicit, per ſecundum motum materiam fuiſſe diſtributam in varios vortices, ad quorum centrum confluens materia ſubtilior, corpora ſolida conſtituat, nempe Solem, ac ſtellas fixas. Globuli verò materiæ ſubtili circumfuſi corpus illud diaphanum, quod Cœlum dicimus. Demum craſſiores illi tertii elementi partes à ſubtilioribus inſtar ſpumæ extruſæ, corpora opaca, nempe planetas, terram, metalla, animalia, &c. componant (etiam terram inter planetas Carteſius ſupputat) nam ex mutua illorum omnium corpuſculorum colliſione, globulorumque efformatione infert, multùm excreviſſe materiam primi elementi, & illius minutias ultra numerum multiplicatas, quæ poſtquam intermedia omnia globulorum ſpatia repleverunt, confluxerunt ad centra ſyderum, quæ ex illis veluti corpora fluida coaluerunt, ità ut Sol, ac fixæ ſtellæ, nihil aliud ſint, quàm moles coagmentatæ ex mobiliſſimis illius primi elementi minutiis. At dicit ſubtilem materiam, quæ habet lucida ſydera componere aliquando obducta ex tertio elemento quadam cruſta ſic obſcurari, & involvi, ut ſuum vorticem tueri nequeat; & tunc illum vicinum in vorticem delapſa primò in cometam, deinde in Planetam convertatur.

Quintò dicit, quantitatem motus à Deo initio inditam perſeverare eandem perpetuò in materia, quamquam ab una parte in aliam transferri queat, & transferatur, dùm unum aliud impellit. Ex quo infert, vacuum nec divinitùs eſſe poſſibile. Et inde ſubinfert primò, mundum infinitum, aut certè indefinitum eſſe. Secundò quòd ſpatia imaginaria extramundana ſunt vera corpora; atque propterea plures mundos nec dari, nec eſſe poſſibiles, eò quòd hujus mundi magnitudo omnia poſſibilia repleat ſpatia. De quo dicemus infra lib. 4. agendo de loco.

Sextò, ex aſſiduo materiæ ſubtilis circumactæ motu colligit ſphæricitatem Solis, ac ſtellarum fixarum; quia nimirum (inquit ipſe) experimento deprehenditur, quòd corpora, quæ circa centrum commune volvuntur, conatu æquali recedunt à centro ſui motus: atque ità partes illæ primi elementi minutiſſimæ per æqualem receſſum à centro ſui motus, ſphæricum Solem efficiunt; & idem dicendum de ſtellis fixis, imò etiam de planetis, ac cometis ex circumactis aliorum elementorum corpuſculis coaleſcentibus. De quo dicam in lib. 2. de Anima agendo de luce contra Carteſium.

Septimò contendit, materiam ſubtilem circumactam, quæ conatur recedere à centro ſui motus, movere globulos circumſtantes, & interjacentes particulas qualeſcumque. In hac verò globulorum impulſione, ac motione, vel potiùs in ipſa inclinatione ad impulſum, & motum (de quo dicemus loco nuper citato ex 2. de Anima, agendo de objecto viſus, & lucis geneſi) conſtituit Carteſius vim omnem luminis, ita ut licèt per impoſſibile vacua forent ſpatia, quæ à corporibus lucidis occupantur, ea tamen cerneremus ſuppoſito motu vorticis, ideſt videretur Sol V. G. tametſi Sol non adeſſet. Ideò autem Carteſius in dubio Solis exiſtentiam poſuit, quia (inquit ipſe) non poſſumus certiores fieri de Solis exiſtentia, licèt eum videamus, eò quòd tametſi Sol non eſſet, adhuc eum videremus. Quid quæſò hoc abſurdius dici unquam poteſt? Inſuper dixit, lucem, & colorem non extare in rerum natura, ſed eſſe meras apparentias, quas ſibi Anima format, & imaginationes. De quo dicemus lib. 2. de Anima poſt quæſtionem quintam, & articulum ultimum illius quæſtionis quæſtiuncula prima & ibi quæſito 3.

Octavo tandem dicit, eam materiam ſubtilem, quo ſubtilior eſt facilius dividi in minores, ac minores minutias; quia habet plus ſuperficiei ratione ſuæ molis; & eò etiam faciliùs, ac celeriùs moveri, quàm alias materiæ partes, licèt ab illis ſuam agitationem acquirat; quia per anguſtiores vias fertur. Quemadmodùm aer ſolle incluſus per tubi anguſtiam evadens celeritate ſua ſuperat motionem, quæ ſolli imprimitur, quando clauditur.

Alia etiam nonnulla habet, quæ brevitatis gratia omitto.

Formatur itaque Reflexio Refutativa.

37. MOdus dicendi Carteſii eſt præter rem: ergo nec audiendus, auribuſque reſpuendus. Prob. ant. Quandoquidem fragminula illa &c. nequeunt eſſe prima rerum Principia: ergo non ſunt ad rem. Prob. ant. ſiquidem fragminula illa, in quæ diviſa fuiſſet illa ſubſtantia, forent facta ex aliquo alio, ſed prima rerum Principia, ceu rerum omnium primordia nequeunt eſſe ex aliis facta: ergo &c. Min. ex nomine ipſo primi Principii, & definitione, eſt plana, ſecùs prima non eſſent, ſed illud potiùs, ex quo fierent eſſet prima Principia, ipſa verò non eſſent, niſi ſecunda, ceu ex aliis principiata. Maj. verò prob. Etenim eſſent ex illa prima ſubſtantia, ex cujus diviſione reſultaſſent: ergo &c.

Conf. præveniendo reſponſum quoddam, quod dari à Carteſianis forſan poſſet. Etenim ſubſtantia illa extenſa, ex cujus diviſione reſultaſſent fragminula illa, fuiſſet & ipſa ens naturale, & quidem completum, ac completiſſimum, & integrum: ergo & pro iſta aſſignari deberent ejus conſtitutiva Principia; ſed talia non eſſent fragminula, cùm prior illis extitiſſet: ergo fragminula illa non ſunt Principia entis naturalis, benè verò prima Principia eſſent illa, ex quibus talis conſtabat ſubſtantia.

Dices cum Carteſianis, quòd ſubſtantia illa erat quidem ens

Digitized by Google

ens naturale, ſed tamen tale ens naturale nihil aliud fuiſſe, & eſſe, quàm extenſionem. Ad hoc autem non requiritur aliud Principium, præter ipſam extenſionem. Et ſic etiam modò ſubſtantia omnis nil aliud eſt, quàm extenſio. Interim autem diviſa fuit illa in fragminula, ut ex eis poſſent formari diverſæ res, quæ nihil aliud ſunt, quàm diverſæ extenſiones. Sed

Contra. Et eſt alia principalis refutatio, oſtenditurque, qualiter dicendi modus Carteſianus non eſt ad rem. Principia entis naturalis phyſica non debent eſſe Geometrica, & abſtracta, ſed Principia iſta, quæ modo iſto profitetur Carteſius, ſunt Geometrica, & abſtracta: ergo nullatenùs ſunt ad rem. Maj. eſt evidens. Nam cacchinnis dignum non minùs eſſet ad rerum naturalium phyſicam conſtitutionem aſſumere Principia Geometrica, & abſtracta, quàm ad abſtractam quantitatem conſtituendam aſſumere Principia Phyſica. Siquidem Principia componentia, & quæ fiunt ex illis compoſita in eodem genere eſſe debent realitatis, vel abſtractionis. Min. verò eniteſcit ex ipſa Carteſiana doctrina. Nulla namque res extat, ad quam ſit contracta ipſa extenſio, ſeu quantitas ſecundùm ſe, ſive abſtracta, ſecùs cùm omnis res per Carteſium ſit extenſio, ſi extenſio eſſet aliquam ad rem contracta, deberet eſſe contracta ad extenſionem, ſicque eſſe realiter contrahens, & realiter contracta. Ulteriùs palam id docetur à Carteſio, cùm dicit parte 2. Princ. Philoſoph. art 6. *Nam planè profiteor*, inquit, *me nullam aliam rerum corporearum materiam agnoſcere, quàm illam omnimodè diviſibilem, figurabilem, & mobilem, quam Geometræ quantitatem vocant, & pro objecto ſuarum demonſtrationum aſſumunt....... & quia ſic omnia naturæ phenomena poſſunt explicari.......... nulla alia Phyſicæ Principia puto eſſe admittenda, nec alia etiam optanda.* Itaque evidens eſt, Carteſium in rebus Phyſicis Phyſicum non fuiſſe, ſed Geometram. Undè illud à Carteſianis exiit tritum

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Conſ. Si ſemel Principia rerum omnium naturalium eſſent Geometrica, jam non diſtinguerentur naturales res phyſicæ à rebus Geometricis; ſed hoc eſt mendacium: ergo mendax eſt Carteſii doctrina. Prob. min. Siquidem ſecùs non diſtingueretur objectum Phyſicæ, ſive Naturalis Philoſophiæ ab objecto Geometriæ; ſed hoc ſabula eſt: ergo &c. Prob. min. Vanum eſt Naturalem Philoſophiam non eſſe ſcientiam diſtinctam à Geometria: ergo & vanum eſt, objectum unius non diſtingui ab objecto alterius. Scientiæ namque diverſæ debent habere objecta diverſa, ut palam eſt de Logica, Philoſophia, &c. Secùs namque eſſet Mare Cœlo commiſcere.

Qua ex re fiet, quòd in poſterum Carteſiani non redarguent Peripateticos dicendo, quòd Peripatetici res phyſicales modo metaphyſicali pertractent. Quandoquidem ubi immeritò, falsò & calumnioſè imponunt Carteſiani id Peripateticis, Peripateticus meritò Carteſianos redarguet, quòd phyſicales res mathematicali modo pertractent.

Deinde quantitatem realiter à ſubſtantia diſtingui probatum eſt in Logica Syntag. 4. quæſt. 4. quæ fuit de Quantitate art. 2. tùm ratiociniis, tum argumento petito ex Euchariſtiæ Sacramento, ubi art. 3. etiam refutavimus univerſa Atomiſtarum reſponſa. Ultra quæ adhuc

Urgetur. Carteſii placitum eſt inconciliabile cum eo, quod Fides docet in Sacramento Euchariſtiæ de conſecratione panis, & vini, quam Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Si namque (ut Carteſius profitetur) quicquid in Univerſo reperitur non eſt, niſi quantitas, nihil tranſubſtantiatur in corpus Chriſti; quia, ut loco relato oſtenſum eſt, & cernit quilibet non cæcus) quantitas ibi remanet peractà conſecratione.

Urgetur magis. Si (ut Carteſio placet) unaquæque res non eſſet, niſi extenſio ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem, jam nonniſi triplici cum hac dimenſione Chriſtus eſſet in Euchariſtia, adeòque modo diviſibili, & extenſo.

Hinc deprehendet Edmundus Purchotius, qui omnia & falſa, & vera; & incerta, & certa ut probabilia propugnanda utcunque ſuſcipit. Deprehendet, inquam, nec eſſe probabile Carteſii Placitum; quia non eſt probabile, Philoſophiam naturalem non diſtingui à Mathematica; per conſecrationem non fieri tranſubſtantiationem, &c.

Et hic innovare cogor quam loco ex Logica nuper citato art. 3. in fine num. 19. precariam petitionem dedi, nimirum quòd abſtineant à ſuppeditando novam Hæreticis materiam.

Tandem Carteſiana doctrina innumeris contradictionibus ſcatet, quas videre eſt apud Joannem Saguens in ſua Philoſophia Maignani hic art. 2. aſſertione unica pag. 22. & apud noſtrum Goudin in ultima editione facta Coloniæ Agrippinæ à pag. 77. uſque ad 79. quarum nonnullas & nos expendemus tùm in lib. de Cœlo q. 1. art. 4. §. 2. num. 3. & q. 2. art. 1. num. 1. & ibi art. 2. §. 2. ſub num. 3. & lib. 2. de Anima poſt quæſtionem quintam, cjuſque articulum ultimum quæſtiuncula prima quæſito 2. num. 4. & ibi quæſito 3. num. pariter 4.

Tales, ac tantæ ſunt ejus contradictiones, ut eis permotus Henricus Morus (ut fert idem Goudin ibi quæſt. 1. art. 4. §. 3.) Vir acris ingenii cùm primò perditè coleret Carteſii inventa, ubi tamen ea maturiùs diſcuſſit, non modò repudiavit ut ſabulas, ſed etiam acerrimè refutavit. Idem eveniſſe in aliis non vulgaris ingenii ſibi notis teſtatur Goudin.

Ecquis cacchinnis non excipiat iſta Carteſii inſomnia. Siquidem videtur, quòd Carteſius Deum de mundi conditore quendam fecerit molitorem, ſeu Molendinarium, qui aſſiſtens Molendino, in quo extenſa illa ſubſtantia in fragminula redigeretur, daret duos illos motus.

Crediderim hæc contra Carteſianos dicta pro refutatione fore ſatis. Nihilominùs poteſt eorum refutari doctrina ex dictis ſuperiùs tùm §. 2. adverſus particulas elementares, & præſertim num. 7. quia nec iſta fragminula poſſunt eſſe vitæ Principia. Tum ex dictis contra Atomiſtas. Quandoquidem (ut pateſcit ex dictis toto hoc §.) ejus Principia in præcipuis capitibus non differunt ab Atomiſtarum Principiis, niſi quod quædam eis Carteſius addidit ſomnia. Præcipuè autem refelli poteſt ex dictis §. 6. quia nimirùm nulla extaret ſubſtantiva mutatio.

Specialis verò in Carteſianos cenſura, erit Eccleſiaſtica inhibitio, quà donec corrigantur, interdicti fuere libri illius Carteſii, qui prædeceſſores omnes Philoſophos in veſtiganda veritate infelices, ac cæcos dictitat.

Dices forſitan, quòd ideò interdicti ſunt Carteſii libri; quia 3. p. num. 47. dixit, ſe adeò facilem modum conſtruendi mundum inveniſſe, quo perinde ac ipſe Deus fabricare potuiſſet. Item quia 1. part. num. 28. voluit, nomen cauſæ finalis à ſua Philoſophia exulare. Quod ſanè Epicuriſmum, & Atheiſmum ſapit. Sed

Contra inſto. Sicuti ſupra §. 9. Siquidem ideò hæc dixit, quia ad id dicendum fuit perductus hac ſua opinione: ergo hæc opinio pertrahit ad blaſphemias, adeòque eſt anathematizanda. Prob. ant. Ideò namque talia dixit (ut ſe declarat) quia ſua hæc ſententia, dicit, ſe inveniſſe modum facillimum conſtruendi mundum: ergo fuit illa inductus ad talem evomendam blaſphemiam. Eò vel maximè quòd non ob aliud cauſas finales profligavit, niſi quia voluit, quòd ex ſolo particularum motu neceſſariò conſequantur.

Memento etiam illarum Theſium ab Eccleſia damnatarum ſupra §. 10. relatarum.

§. XI.

Atomiſtarum, Carteſianorumque argumenta diſſolvuntur.

38. ARg. 1. pro Atomiſtis. Unumquodque reſolvitur in ea, ex quibus componitur; ſed res naturales, ſive entia naturalia, reſolvuntur in atomos: ergo entia naturalia componuntur ex atomis. Prob. min. Palam eſt, quòd Vomeres diuturno uſu fiunt detriti, ædiumque limina ex continuo pedum affrictu fiunt diminuta; ſed hoc provenit, quia paulatim, ac inſenſibiliter ſucceſſivè deperdunt de atomis: ergo &c. Prob. min. Non deperdunt, niſi minimas partes, ſecùs ſi partes notabiles, & non tantùm minimas deperderent, multò citiùs conſumerentur, & ſeparationis tempore cernerentur; ſed iſtæ minimæ partes, illæ ſunt, quæ ab Atomiſtis atomi nuncupantur, nimirùm particulæ non ulteriùs diviſibiles: ergo &c.

Hocque Saguens mutatis verbis redintegrat ſuo *in Atomiſmo demonſtrato, & vindicato* dialogo 2. Contra P. Franciſcum Palancum ſuimet Ordinis alumnum; nimirum quia quælibet pars eſt diviſibilis in alias.

Reſp. 1. ad hoc cujus mentionem fecimus §. 3. diſt. maj.

Unnmquodque reſolvitur per ſe, & ratione ſui in ea, ex quibus componitur, concedo, reſolvitur per alind ſive ratione alterius in ea, ex quibus componitur, nego maj. & diſtinguo min. reſolvuntur per ſe, & ratione ſui in atomos, nego, per alind, ideſt ratione alterins, tranſeat min. quam mox in ſecundo reſponſo negabimus, & nego conſequentiam. Equidem naturale compoſitum dividitur, ac reſolvitur in partes minores, & minores, &c. non tamen ratione ſui, & per ſe, ſed per alind, nimirùm ratione quantitatis, cujus ſicuti eſt facere partes extra partes, ità ejus eſt facere rem divisibilem in partes. Ob idque ſi extaret ſubſtantia materialis omni quantitate nudata (quod optimè eſſe poſſibile vidimus in Logica Syntag 4. q.4. art 4. §.1.) nullatenùs ſubſtantia illa foret diviſibilis in partes, niſi radicaliter ad ſummum, quatenùs præcontineret quantitatem radicalem. Et hæc ſubſtantia degeret in mundo tanquam res extramundana.

Non me præterit Adverſarios negare, quòd quantitas diſtinguatur realiter à re quanta. Sed hoc ideo eſt, quia *abyſſus abyſſum invocat*, & error errorem trahit. Nos autem interim oppoſitum ſupponimus à nobis probatum loco ſuper citato ex Syntag.4. Logicæ, quod fuit de Prædicamentis q. 4. art.2.

En igitur quàm imbecilli innititur Scipioni illa adeò hiſce temporibus Strepens Atomiſtica Philoſophia.

Reſp.2. omiſſa maj. nego min. Ad prob. nego iterùm min. ad cujus prob. diſt. maj. minimas partes perſiſtentes diviſas, nego, evadentes corruptas, tranſeat maj. & in hoc ſenſu nego min. & conſequentiam. Videbimus enim lib.6. art.2. §.3. ad 1. arg. quòd res naturales non reſolvuntur ultimatè in indiviſibiles atomos, ſed in partes, quæ dum devenlunt, ſeu approximantur ad tantam exiguitatem, ut nec divinitùs ſint ampliùs phyſicè diviſibiles, non perſiſtunt, ſed corrumpuntur; quia (ut conſpiciemus 6. Phyſ. poſt art. tertium quæſtiuncula 2. *dica ultimò*) res naturales habent ſuæ parvitatis terminum, extra quem ſubſiſtere nequaquam poſſunt, ceu in quo forma operationes ſuas exercere non valet. Quod præſertim in igne, & aqua fit perſpicuum, quorum nobis operationes ſunt notiores. Si namque ignis ad minimam adeò ſcintillam redigatur, ut nullatenùs adurere ampliùs queat, extinguitur, ac in vapores reſolvitur: aqua ſi talem ad guttam adeò modicam redigatur, ut humectare nullatenùs valeat, abſumitur, ac in vapores ſolvitur. Idem dico de vnmeris, oriſque puteorum, ac liminibus ædium. Atomiſtæ autem profitentur, quòd illæ atomi perſiſtant indiviſibiles, & incorruptibiles.

Nec eſt verum, quòd illa pulveris granula, in quæ reſolvitur cadaver, ſint omnino indiviſibilia. Non, inquam. Si namque manibus perfricentur, minnuntur. Quòd ſi magis, magiſque minuantur, reſolventur & ipſa in vapores.

Dici *omiſſa maj.* (& eſt tertium reſponſum) quia admittit diſtinctionem, & poſtulat diſtingui ſic: loquendo de toto integrali, concedo, de toto eſſentiali phyſico, nego. Ut namque conſpicies infra q.4. triplex eſt totum ſubſtantiale. Unum integrale ex partibus integrantibus, puta capite, brachio, pede, &c. Aliud eſſentiale. Et iſtud eſt duplex, phyſicum unum, metaphyſicum alterum, quod explicabimus ibi, & etiam indigitavimus in Logica Syntag. 4. q 3. quæ fuit de ſubſtantia. Igitur quælibet ex illis partibus quantumvis minima habet ſua Principia eſſentialia phyſica, nimirùm ſuam materiam, & formam, in quæ, ſeu in quas, reſolvitur per corruptionem, & non per diviſionem quantitativam; quemadmodùm ex illis fit per generationem, & non per unionem continui, ideſt quantitativam. Nos autem agendo de Principiis entis naturalis, agimus de principiis eſſentialibus phyſicis totius eſſentialis phyſici. Ex quo

Et inſtu arg. Quandoquidem totum eſſentiale metaphyſicum conſtituitur ex genere, & differentia, quæ ſe habent, ut materia, & forma metaphyſica, non verò ex atomis metaphyſicis: ergo pariter totum eſſentiale phyſicum conſtituetur ex materia, quæ ſe habet ut genus phyſicum, nimirùm ut quid potentiale; & ex forma, quæ ſe habet ut differentia phyſica, non verò ex atomis phyſicis.

Simile reſponſum poteſt adhiberi ad aliud exemplũ de ferro candenti, quod reſolvi in atomos dictitant, quãdo ſcintillas emittit. Quod etiam aliâ occaſione memorabimus infrà q. 2. art.ult. ad inſtantiam contra reſponſum dandum ad 2. arg.

Arg.2. ad idem. Ex diverſa coordinatione litterarum conſurgunt variæ dictiones diverſæ ſignificationis, ut palam eſt in his vocibus *Roma*, *Amor*, *Mora*, &c. ergo pariter ex diverſa elementalium atomorum aptatione conſurgent mixta diverſæ naturæ.

Reſp. primitèr, nego ſuppoſitum, quod extent iſtæ atomi. Deinde, nego conſequentiam, & paritatem. Diſcrimina ſunt plura. Primum, & principalius eſt, quia dictiones habent ſignificationes merè ad placitum, & non ex natura. Secundum eſt, quia litteræ non ſunt inter ſe contrariæ, benè verò elementa, quæ proinde ſunt duntaxat virtualiter in mixto. Tertium eſt, quia litteræ non habent eſſe principium vitæ, benè verò Principia entis naturalis. Et poteſt inſtari, ac retorqueri argumentum ex dictis §.5.

Arg.3. pro elementariſtis argumento ſoluto ſupra §.6. ſub finem num.20. Vid. ibi, & §.7. in fine.

Arg.4. ex Carteſio. Prima Principia debent eſſe clara; ſed nihil clarius figura, extenſione, & motu locali: ergo iſta erunt prima rerum Principia. Majorem non probat Carteſius, ſed, ut beneficii operam ei navemus, probamus eam ſic. Quemadmodùm ſe habent Principia rerum, ita Principia ſcientiarum proportionali quodam modo; ſed iſta ſunt notiſſima ſolo naturali lumine: ergo pariter, &c.

Nec reſpondere juvat, quòd quantitas eſt accidens. Non inquam. Siquidem Principia entis naturalis ſunt ſubſtantia; ſed argumentum probat, quòd quantitas ſit entis naturalis Principium: ergo & probat, eſſe ſubſtantiam.

Reſp. diſt. maj. debent eſſe clara intellectui, concedo, ſenſui, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Senſus etenim judicat duntaxat de accidentibus ſibi notis. Deinde ad min. dicatur, quòd licèt extenſio, & figura ſint quid notum, tamen modus, quo Carteſius dicit, per fragminula illa fieri extenſionem, & figuram, eſt caliginoſiſſimus. Adde, quòd debent eſſe clara in ratione conſtituentis phyſicè Principii entis phyſicè, & non in ratione conſtituentis mathematicè. Vide §. antegreſſo ru. num 26.

Superadde, poſſe negari maj. quia prima Principia, utpote intrà ſecunda, nimirum intrà accidentia occultata, ſunt latentia. Ad prob. nego paritatem. Siquidem Principia complexa, quæ ſunt Principia ſcientiarum, cùm ſint Principia in cauſando cognitionem, debent eſſe notiora, quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Principia autem rerum ſunt Principia in eſſendo.

Arg.5. ex eodem. Corpus eſt ens naturale, ſed Principia conſtitutiva corporis ſunt quantitas, figura, menſura: ergo Principia entis naturalis ſunt quantitas, menſura, figura. Prob. min. Corpus etiam à Peripateticis in Logica tradendo ſpecies quantitatis continuæ definitur, quòd ſit *extenſio ſecundùm profunditatem*. Et quidem definitione eſſentiali, & non tantùm deſcriptiva (ut quædam præcludatur evaſio) quia quemadmodùm Corpus definitur, quòd ſit *extenſio ſecundùm profunditatem*, ita ſuperficies, quòd ſit *extenſio ſecundùm latitudinem*, & linea *ſecundùm longitudinem*. Iſtæ autem ſunt eſſentiales, cùm non ſint excogitabiles aliæ, quæ eſſentiales ſint. Inſuper non alio ſanè modo eſt definibilis tertia ſpecies quantitatis continuæ. Tùm verò ſic. Sed extenſio non eſt, niſi quantitas, & profunditas figura, menſura: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. ex dictis in Logica Syntag.4. q 4 art.2. §.3. dico, quòd per talem definitionem definitur Corpus Mathematicum, quod non eſt, niſi quantitas, ſeu Corpus quantitativum. Præter autem hoc Corpus, quod eſt Mathematicæ objectum, debet extare aliud, nempe phyſicum, quod ſit Philoſophiæ naturalis objectum, ſi ſemel volumus ſcientiam, Philoſophiam dictam à Mathematica ſecernere.

Contra inſto ego in Carteſii favorem. Non extat in re, niſi Corpus mathematicum, ſeu quod eſt quantitas; ſed Corpus, quod eſt quantitas, ſive Corpus mathematicum conſtituitur per trinam dimenſionem, in qua comprehenduntur etiam linea, & ſuperficies: ergo quodvis Corpus per trinam dimenſionem conſtituitur. Prob. maj. Quemadmodùm Corpus definitur quòd ſit extenſio ſecundùm profunditatem, ita ſuperficies definitur, quòd ſit extenſio ſecundùm latitudinem, & linea, quòd ſit extenſio ſecundùm longitudinem; ſed non extat alia ſuperficies, nec alia linea, niſi illa, quæ eſt quantitas, ſeu linea, & ſuperficies quantitativa, ſive mathematica: ergo pariter &c. Maj. eſt patens, & min. magis, cùm non extet ſuperficies,

quæ

quæ non ſit extenſio, extenſio autem eſt ipſa quantitas, qua conſtituuntur partes extenſæ.

Confirmo. Quemadmodum corpus definitur extenſio ſecundùm profunditatem, ita ſuperficies, quòd ſit extenſio ſecundùm latitudinem, & linea, quòd ſit extenſio ſecundùm longitudinem; ſed non niſi unica acceptione poteſt accipi linea, & ſuperficies, nimirum pro ſola quantitate: ergo pariter corpus nonniſi unica acceptione accipi poteſt, nimirum pro quantitate, ſeu extenſione ſecundùm profunditatem.

Urgeo. Quemadmodum ſuperficies definitur, quòd ſit extenſio ſecundùm latitudinem, linea &c. ita corpus &c. ſed linea, & ſuperficies nequeunt accipi pluribus modis, ſed uno duntaxat modo, nimirum pro quantitate, ut jam nuper dictum eſt, cùm non ſint aliæ excogitabiles definitiones pro illis: ergo pariter corpus, non pluribus, ſed uno duntaxat modo accipi poteſt, nimirum pro quantitate, ſeu extenſione ſecundùm profunditatem.

Reſp. ad arg. & omnes Confirmationes nego ant. Ad prob. diſt. min non extat, niſi &c. ſi ſumatur ſuperficies, & linea *ut quo*, concedo, ſi ſumantur *ut quod*, nego.

Contra. Quemadmodum ſuperficies *ut quo* definitur extenſio ſecundùm latitudinem, *ut quod* verò extenſum ſecundùm latitudinem, ita corpus *ut quod* debet definiri extenſum ſecundùm profunditatem, ſicut *ut quo* definitur extenſio ſecundùm profunditatem; ſed extenſum nil aliud eſt, quàm quantum, ſicut extenſio nil aliud eſt, quàm quantitas: ergo quantitas erit eſſentiale conſtitutivum corporis, & quantum erit ipſum conſtitutum.

Reſp. diſt. min. Extenſum nihil aliud eſt, quàm quantum, ſi ſumatur extenſum reduplicativè, concedo, ſi ſumatur ſpecificativè, & ſecundùm ſe pro ſubſtrato, nego min. & conſequentiam. Quemadmodum namque Corpus reduplicativè ut veſtibus amictum nil aliud eſt, quàm veſtitum, & ſi ſumatur paries, ut dealbatus nil aliud eſt, quàm album; ſi verò ſumatur ſpecificativè eſt corpus conſtans ex carne, oſſibus, &c. ſubſtans veſtibus; & paries ſubſtans albedini conſtat ex lapidibus, cemento &c. ita ſi ſumantur linea, ſuperficies, & corpus ut extenſa non ſunt aliud, quàm extenſum; Si verò ſumantur ſpecificativè pro ſubſtrato eſt corpus conſtans ex materia, & forma ſubſtans triplici dimenſioni, ejuſque partes integrales ſubſtant lineæ, & ſuperficiei, ſeu extenſioni ſecundùm latitudinem, & longitudinem. Secùs non poſſet diſtingui Philoſophia à Mathematica, cujus objectum eſt quantitas.

Arg. 6. ex eodem argumento procedente ex immutabilitate Dei. Sed

Reſp. fuiſſe ſolutum §. 7. ſub finem numeri 22.

Arg. 7. Principia entis naturalis debent eſſe ejuſdem rationis, & uniformia, quemadmodum totum compoſitum eſt unum uniforme, & ejuſdem rationis; ſed materia, & forma non ſunt talia, cùm una ſit potentia, & alia actus: ergo non materia, & forma, benè verò atomi erunt Principia entis naturalis.

Reſp. diſt. maj. debent eſſe ejuſdem rationis, & uniformia in ratione termini, & terminabilis, actuabilis, & actuantis, concedo, ſecus nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Imò arg. iſtud in Atomiſtas retorqueri debet, cùm uniformitas hæc minimè reperiatur in atomis, in quibus tantam figurarum varietatem admittunt Atomiſtæ.

Arg. 8. Nulla alia eſt excogitabilis ratio fluiditatis corporum fluidorum, niſi quia corpora fluida componuntur ex corpuſculis ſphæricis, quæ faciliùs ſeparantur inter ſe, & aptiora ſunt ad motum: ergo Principia conſtitutiva entium naturalium ſunt corpuſcula, ſeu atomi.

Reſp. ad hoc, quod mihi quondam objiciebat ex Atomiſtis quidam, nego ant. Ratio namque eſt, quia pollent qualitate quadam, quæ fluiditas dicitur. Fluiditas ſiquidem qualitas quædam eſt ſicut humiditas, ſiccitas, &c. ut videbimus lib. 2. de Gener. & Corrup. in præloquio §. 5. *dico ſecundo* ſub num. 23. Et ſanè quòd fluiditas ſit qualitas à ſubſtantia diſtincta rei fluidæ cuique fideli certum fieri debet ex Euchariſtiæ Sacramento, ubi in Calice conſecrato remanet vini fluiditas; nec tamen remanet vini ſubſtantia, ut fides locum habeat. Idque etiam ratio ſuadet. Nam in aqua, oleo, vino, &c. fluiditas eſt ejuſdem ſpeciei, cen quæ eodem ſe habet modo, & tamen ſubſtantiæ ſunt ſpeciei diverſæ.

Arg. 9. ex Saguens ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico. Si Materia, & forma eſſent principia conſtitutiva rerum, vel unirentur per penetrationem in eodem loco, vel per continuitatem; ſed dici neutrum poteſt: ergo entis naturalis Principia non ſunt materia, & forma, adeoque erunt atomi. Maj. quò ad p. p. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd duo corpora nequeunt naturaliter eodem in loco penetrari. Quò ad 2. etiam eſt manifeſta, quia materia, & forma ſunt in eodem loco, in quo eſt totum, quod conſtituunt.

Reſp. quòd penetrantur in eodem loco. Ad oppugn. Reſp. Id eſſe verum de corporibus quantitate jam affectis. Materia autem, & forma uniuntur pro priori ad quantitatem, non quidem prioritate temporis, & *in quo*, ſed prioritate duntaxat naturæ, & *à quo*. Et quantitas conſequitur ad totum compoſitum, licèt ratione materiæ conſequatur.

Arg. 10. ex eodem Saguens hic diſp. 2. art. 2. num. 11. Omnis ſubſtantia materialis eſt materia; ſed forma ſubſtantialis aſſeveratur à Peripateticis ſubſtantia materialis: ergo forma eſt materia, proindeque non extat forma ſubſtantialis diſtincta à materia. Prob. maj. Quemadmodum materiale eſt unum membrum diviſivum entis ut ſic, ita & ſpirituale eſt aliud; ſed omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt ſpiritus: ergo pariter &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. maj. eodem modo, nego, diverſo modo, concedo maj cum min. & nego conſeq. Spiritualia namque ſubſtantialia ſunt quid ſubſtantialiter ſimplex. At non ſic materialia completa.

Et commonefactus ſis, quòd in forma hoc, quod eſt eſſe materialem eſt mera denominatio extrinſeca habita à materia, ſecùs foret materia, quæ conſtituitur per eſſe materiale. Intrinſeca autem formæ denominatio eſt eſſe corpoream; quia primus gradus, quem materialis forma dat materiæ, eſt eſſe corporeum, ut conſpiciemus contra Scotum in Libris de Anima explodendo formam corporeitatis. Dicitur autem corporea, & non corpus, Tum quia eſt pars, & incompleta, non totum completum. Tum quia eſt quid medium inter materiam, & ſpiritum.

Dices ex Saguens in *Atomiſmo demonſtrato* &c. dialogo 5. Si eſt ſic quid medium non poterit extrahi de ſinu materiæ.

Reſp. quòd ad hoc patebit infra agendo q. 3. art. 1. de eductione formarum, non in eo ſenſu, quo ſupponit Saguens, extrahi de ſinu materiæ.

Argumenta alia ſiunt ab Atomiſtis contra materiam. Et hæc ſolventur quæſt. ſequenti ſecunda in præloquio ſecundo.

Alia ab iiſdem congeruntur contra formam, circa quam non nemo conatur probare, quòd nunquam poſſet creari, adeoque nulla foret poſſibilis creatio, imò quòd nec Anima rationalis poſſet creari, & deberet educi, ſicque corruptibilis foret. Alii è contra conantur probare, quòd nunquam poſſet forma educi, ſed ſemper deberet creari, ſicque nulla foret poſſibilis generatio. Et hæc omnia diſſolventur in quæſt. 3. art. 3. in quo veſtigabimus *quænam formæ educantur de potentia materiæ*, & aliis locis citandis q. ſequenti 2. in præloquio ſub num. 2.

Pro alterius objectionis contra unum ex noſtris ratiociniis ſolutione, vide, quod dixi in præloquio hujus articuli num. 2. ſub finem.

Alia ſolvetur §. 13. num. 23. in fine.

Alia concernentia condenſationem, rareſactionem, &c. ſolventur ſuis locis in lib. de Generat. & Corrupt.

§. XII.

Quid ſit dicendum de corpuſculis inflatis.

39. PAri paſſu placitum inflatorum incedit, ac opinio Atomiſtarum. Etenim quemadmodùm atomi dicuntur eſſe indiviſibiles ſimul, & extenſæ, ita à nonnullis dicitur continuum componi quibuſdam ex punctis inflatis, quæ finguntur eſſe extenſa, & correſpondentia ſpatio diviſibili, & juxta diverſas inflationes, diverſas res per ea formari. Ob idque eadem via, ac adverſus Atomiſtas procedendum venit, præſertim ex dictis §. 7. quòd ſequeretur, nullam extare ſubſtantivam mutationem, & §. 8. de Homine, &c. Et certè quemadmodum Carteſius Deum fecit de Creatore, & Rectore Univerſi Molendinarium quendam; ita iſtud inflatorum adinventum facit Deum follem quendam corpuſcula inflantem.

Abſurda adeo opinio hæc viſa eſt, ut, teſte P. Eliſæo Garcia Carmelita hic num 108. Reverendiſſ. P. Mutius Vitteleſchius Societatis Jeſu Generalis prohibuerit hujuſcemodi opi-

di opinionem de corpuſculis indiviſibilibus inflatis doceri in Scholis Societatis. Quam ordinationem confirmavit Reverendiſs. P. Franciſcus Piccolomineus in Congregat. generali habita anno 1651. Ea ex re dicit P. Antonius Bernaldus de Quiros diſp. 67. de compoſitione continui ſect. 2. 7. num 54. relatus ab eodem Garcia, quòd nullus author Societatis Jeſu auſus fuit hanc ſententiam in lucem edere.

Nihilominùs pro ea à noſtro Guerinois in lib. de Genet. & Corrupt. part. 11. Philoſophiæ quæſt. 11. art. 3. §. 1. in fine refertur Jo: Card. de Lugo, & à Maſtrio ibi, nimirum de Genet. diſp. 4 q. 1. num. 6. referuntur plures Hiſpani, putantes, rarefactionem fieri per inflationem punctorum, quam nos ibi videbimus fieri mediis quibuſdam qualitatibus recenter acquiſitis.

§. XIII.

CONCLUSIO.

Principia entis naturalis in fieri ſunt tria, nimirum materia, forma, & privatio: In facto eſſe duo, nempe Materia, & Forma.

40 SCito pro notione, quòd Generatio (ut habet S. Th. q. 3. de potentia art. 2. in corp.) eſt ſimplex quædam mutatio. Inter mutationem autem, & motum hæc verſatur differentia, quòd mutatio habet pro termino *à quo* quid negativum, & fit in inſtanti; motus verò habet pro termino *à quo* aliquid poſitivum, & fit cum ſucceſſione. Quo ſuppoſito

Probatur concluſio communiter in Peripatu. Et primò quò ad p. p. Tot ſunt Principia in fieri alicujus rei, quot congrediuntur ad fieri illius; ſed ad fieri compoſiti congrediuntur hæc tria, nimirum materia, forma, & privatio: ergo Principia entis naturalis in fieri ſunt tria. Prob. min. Fieri eſt *tranſitus de non eſſe ad eſſe*. Sed ad tranſitum de non eſſe ad eſſe tria requiruntur, videlicèt materia, forma, & privatio; ergo &c. Min. prob. ſeu potiùs dilucidatur. Requiritur privatio, nempe ly *non eſſe*. Requiritur materia, quia requiritur id, quod tranſeat de non eſſe ad eſſe, cùm nequeat hoc eſſe compoſitum; quia iſtud non fuit priùs ſub non eſſe, & id quod nullatenus fuit, nequit dici, quòd tranſeat de non eſſe ad eſſe. Tandem requiritur forma, quæ eſt ipſum eſſe: ergo &c.

Confirmatur. Mutatio, qualis eſt generatio in hoc ſecernitur à creatione, quòd illa fit ex aliquo præſuppoſito, cùm ex nihilo nihil fiat, iſta verò ex nihilo: ergo ad entis naturalis geneſim requiritur ſubiectum aliquod, nempe materia, quæ priùs fuerit ſub non eſſe, ſeu ſub privatione illius eſſe, quod compoſito tribuitur, & tranſeat ad illius eſſe, quòd nil aliud eſt, quàm forma.

Quò ad 2. ſuadetur. Tot ſunt Principia in facto eſſe, quot perſeverant poſteaquam compoſitum jam habet eſſe; ſed hæc nec plura, nec pauciora ſunt, quàm duo: ergo Principia entis naturalis in facto eſſe non ſunt plura, nec pauciora, quàm duo. Min. explanatur. Quando habetur compoſitum, materia eſt ſub eſſe: ergo non ampliùs eſt ſub illius privatione; ergo ſola remanet materia, & forma.

§. XIV.

Solvuntur argumenta ex oppoſito parata.

41. ARg. 1. contra p. p. Privatio (ut ita dicam) non principiat, niſi per accidens: ergo Principia per ſe in fieri ſunt pauciora, quàm tria. Prob. ant. Privationes, & negationes non extant, niſi per accidens; ſeu per aliud, nimirum per formas, quibus privant: ergo nequeunt principiare niſi per accidens: ſicut ſi materia, & forma non extarent, niſi per accidens, non poſſent eſſe Principia per ſe. Ant. Prob. Privatio eſt ipſum non eſſe formæ: ergo &c.

Reſpondeo, nego ant. Ad prob. diſt. ant. Negationes, & privationes formæ corrumpendæ, concedo, formæ introducendæ, nego ant. & conſequentiam. Duplex adeſt in materia privatio, ſive duplicis formæ una privatio, virtualiter ſaltem duplex per reſpectum ad duas formas, vel advenit, cùm gignitur compoſitum. Una eſt privatio formæ deſtruendæ, & altera formæ introducendæ. V. G. cùm ex ligno fit ignis, Materia dum adhuc eſt ſub forma ligni, habet privationem formæ ignis; dum verò poſtea ſtat ſub ignis forma, habet privationem formæ ligni deſtructæ. Licèt itaque hæc ſecunda privatio, ſive ſub hac ſecunda conſideratione, extet duntaxat per accidens; quia conſequitur ad corruptionem formæ; tamen prima, ſive ſub prima conſideratione, extat per ſe; quia fieri eſt per ſe *tranſitus de non eſſe ad eſſe*. Quæ namque ſunt de definitione conveniunt per ſe, adeòque forma introducenda ſupponit per ſe non eſſe, ideſt privationem ſuipſius in materia.

De ſecunda intelligendus venit S. Th. & Ariſt. hic lect. 4. ubi dicit, privationem eſſe principium per accidens.

Contra. Nulla privatio, quæcunque illa ſit extat per ſe: ergo nulla poteſt eſſe Principium per ſe. Prob. ant. Nulla privatio eſt per ſe intelligibilis: ergo à fortiori nec extat per ſe; quia eo modo, quo extat aliquid, eſt intelligibile. Ant. ſupponitur in Thomiſtica ſcriptura de ſcientia Dei, ubi cum S. Th. ſtatuitur, negationes, & privationes cognoſci, non per ſe, ſed duntaxat per accidens, nimirum per formas oppoſitas.

Conf. Magis requiritur ad hoc, ut aliquid principiet, quàm ad hoc, ut intelligatur; ſed privatio non eſt per ſe intelligibilis: ergo nec per ſe eſt Principium. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd plura extant intelligibilia, quæ non ſunt Principium, nullum verò extat Principium, quod non ſit intelligibile, adeoque plus requiritur ad eſſe Principium, quàm ad eſſe intelligibile: quemadmodum quia plura extant, quæ ſunt animal, & non ſunt Homo, plùs requiritur ad eſſe Hominem, quàm ad eſſe animal.

Reſpondeo, nego ant. Ad prob. diſt. ant. nulla privatio &c. prout privatio dicit ipſum non eſſe formæ abſolutè, concedo, prout dicit ipſum non eſſe formæ ut terminum *à quo* derelinquendum, nego ant. & conſequentiam. Quandoquidem Privatio quamvis inſpecta prout dicit ipſum non eſſe abſolutè non ſit per ſe intelligibilis, quia hoc modo non eſt, niſi ad ſummum per accidens, quatenus habet quoddam eſſe in ſuo oppoſito, nimirum in forma. Tamen inſpecta prout eſt terminus deponendus eſt per ſe intelligibilis; quia ejus derelictio eſt ſaltem in obliquo, & de connotato quoddam ens, per ſe à natura intentum; quia per ſe deponitur non eſſe formæ, dum per ſe ipſa forma in materiam introducitur.

Per quod liquet ad Conf.

Contra. Privatio prout dicit non eſſe formæ abſolutè, & prout dicit tale non eſſe ut deponendum, eſt realiter idem: ergo ſi primo modo non eſt per ſe Principium, nec ſecundo modo.

Reſpondeo diſt. ant. eſt idem in recto, concedo, in obliquo, nego ant. & conſequentiam. Equidem privatio & ſecundùm ſe, & ut deponenda, eſt idem in recto; Attamen in obliquo, & de connotato non eſt idem; quia connotat actionem productivam formæ, hujuſque privationis depulſivam. Et hoc modo dicimus, quòd eſt aliquod habens eſſe, & per ſe intelligibile, & per ſe Principium.

Ea ex re apparet, quomodo privatio, eſtò ſit non ens, adhuc poſſit eſſe Principium entis, nimirum non per modum influentis, ſed per modum termini *à quo* derelinquendi, & per modum receſſus. Ob idque privatio tunc dicitur principiare, quando primò non eſt, ſive per primam ſui non eſſe. Siquidem dum deſinit privatio invehitur forma.

42. Arg. 2. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. In materia non adeſt privatio dum gignitur compoſitum; ſed principium debet adeſſe dum adeſt principiatio: ergo privatio non eſt Principium. Maj. eniteſcit. Quandoquidem dum gignitur compoſitum invehitur forma; dum autem introducitur forma deſinit privatio.

Reſp. permiſſa maj. diſt. min. Principium influens, concedo, ſecùs, nego min. & conſequentiam. Igitur privatio non eſt aliquod Principium influens in generationem entis naturalis, ſed eſt Principium duntaxat per modum termini *à quo*, ad quod non requiritur, quod adſit dum gignitur compoſitum.

Et quidem quòd poſſit aliquid eſſe Principium ſine eo, quòd influat, fit planum hoc exemplo: V. G. ſi ad plateam ipſe perrecturus, diſcedam mea à ſchola, tunc Principium per modum termini *à quo* hujus mei motus localis eſt hæc ſchola, quia ibi incipit, ſeu principiatur motus; Et tamen certè nihil prorſus ſchola influit in talem motum. Sic in caſu noſtro, &c. Quandoquidem inter motum, & mutationem

tionem hoc ſolum verſatur diſcrimen, quòd mutatio fit in inſtanti, motus verò fit ſucceſſivè; & quòd terminus *à quo* mutationis eſt quid negativum, ſeu privativum; terminus verò *à quo* motus eſt quid poſitivum, quod tamen, licèt quid poſitivum, nihil influit, ut vidimus. Per quod iterum eniteſcit veritas doctrinæ à nobis traditæ in principio hujus quæſtionis, nimirum quòd non omne Principium eſt cauſa; quia omnis cauſa habet influere.

Dixi *permiſſa maj.* quia privatio tunc aliquo modo adeſt, ſaltem per modum receſsus, & per modum depulſi. Per ultimum enim expelli, quod eſt primum ſui non eſse, principiat privatio.

Dices. Aliqua extat generatio, in qua dum compoſitum generatur, nullo pacto, etiam per modum receſſus, adeſt privatio, imò nec ullatenus præceſſit: ergo nec ut Principium influens, nec ut terminus *à quo* deponendus privatio eſt generationis Principium. Prob. ant. Quandoquidem cùm ex ſpeciebus ſacramentalibus gignitur cinis, vel vermes, ibi nulla extat, aut præceſſit privatio: ergo &c. Prob. ant. Nulla etenim præceſſit materia, quæ potuerit tali privationi ſubeſſe. Non enim poteſt eſſe panis materia, quia totus panis tranſubſtantiatus eſt in Chriſti Corpus; nec materia Corporis Chriſti; quia non tranſit iſta ad cineris, aut vermis formam: ergo &c.

Ad hoc non deſunt, qui dicant, tales vermes, aut cineres non generari verè, & propriè, ſed duntaxat ſecundùm ſenſibilem apparentiam ad occultationem myſterii. Ita P. Maurus, & Milao in tract. de Gener. & Corruptione. Non tamen dicunt hujuſmodi cineres, aut vermes eſſe merè apparentes, ſed profitentur, eſſe reales, licèt non per generationem factos, ſed factus per hoc, quòd quantitas divinitùs convertatur in vermes, & cineres. At quicquid ſit de hoc

Reſp. diſt. ant. nulla anteceſſit privatio formaliter, concedo, nulla præceſſit privatio exigitivè, nego ant. & conſequentiam. Itaque cujuſcunque rei naturalis ad geneſim per ſe requiritur privatio, & duntaxat per accidens interdum poteſt non haberi, ut in generatione cineris, aut vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus. Ubi tamen adhuc adeſt privatio per ſe exigita, & per accidens eſt, nimirum ex defectu, ſive deficientia ſubjecti, ſive materiæ, quod non extet privatio formalis, quatenùs nullum aderat ſubjectum, in quo præſtare poſſet. Et hoc ſufficit, quia eſſentia non actum, ſed aptitudinem, & exigentiam dicit.

Alii dicunt, quòd quantitas gerit vices materiæ. At hoc non videtur cum veritate dictum. Siquidem quantitas nequit gerere vices materiæ in hoc, quòd eſt eſſe ſubjectum formæ: ergo neque videtur poſſe gerere vices materiæ in hoc, quòd eſt eſſe ſubjectum privationis ejuſdem formæ ſubſtantialis; quia forma, & privatio idem habent ſubjectum, ut palam eſt.

Alii dicunt, quòd quantitas convertitur in materiam. Alii quòd materia de novo creatur.

Verùm reſponſa iſta non ſubſiſtunt, quia etiam hypotheticè dato, quòd quantitas convertatur, vel recenter materia creetur, adhuc verificatur, quòd non fuerit ſub privatione; quia ad hoc, ut in ipſa materia præceſſiſſet privatio formæ cineris, & vermis, debuiſſet immediatè ante fuiſſe ſub alia forma; quæ tamen excogitabilis nequaquam eſt. Niſi velint iſti cum nuper citato Milao, & Mauro, eſſe generationem duntaxat quò ad apparentiam.

43. Arg. 3. explodendo formam. Forma eſt terminus generationis: ergo nequit eſſe illius Principium. Ant. planum eſt, quia forma eſt terminus, ad cujus acquiſitionem tendit generatio.

Reſp. diſt. ant. eſt præciſè terminus, nego, terminus, & pars compoſiti, concedo ant. & nego conſequentiam. Forma duo dicit, nimirum eſſe terminum generationis, & rurſus eſſe partem componentem totum. Itaque ſecundùm primam conſiderationem non eſt Principium, benè verò ſub ſecunda conſideratione inſpecta.

Dices. Forma non eſt pars componens, niſi dum compoſitum eſt in facto eſſe: ergo non eſt Principium illius in fieri, ſicque in fieri non erunt tria.

Conf. Forma fit ex alio, nempe ex materia, & ex privatione: ergo non eſt unum ex primis Principiis.

Reſp. ad oppugn. diſt. ant. loquendo de compoſitione in facto eſſe, concedo, de compoſitione in fieri, nego ant. & conſequentiam. Quemadmodum etenim dum compoſitum eſt in facto eſſe, forma eſt componens in facto eſſe; ita dum compoſitum eſt in fieri, forma componit in fieri, ideſt in via.

Ad Conf. Reſp. fuiſſe ſolutam in Principio hujus quæſtionis per doctrinas præloquiales enucleando Principiorum definitionem. Vid. ibi. Et ſcias, quòd in hoc vim facit Saguens hic diſp. 2. art. 2. num. 9.

44. Arg. 4. probando, eſſe plura, quàm tria. Ultra materiam, privationem, & formam introducendam extat aliud Principium, videlicet forma corrumpenda: ergo Principia ſunt plura quàm tria. Prob. ant. Quandoquidem ideò per nos privatio eſt Principium, quia requiritur ut terminus *à quo* depellendus. Sed etiam forma corrumpenda eſt terminus *à quo* amovendus, quia ſine ejus depulſione nequit introduci nova forma: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. quia requiritur per ſe ut terminus *à quo* depellendus, concedo, quia requiritur duntaxat per accidens, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Quamquam ad novi generationem compoſiti debeat depelli forma antegreſſa; hæc tamen forma, ut corrumpenda requiritur tantummodo per accidens, quatenus nequit præexiſtere ſub privatione materia omni deſtituta forma. Cujus ſignum eſt, quòd ſi per impoſſibile poſſet præire materia ſine ulla forma, adhuc poſſet compoſitum generari. Privatio autem prærequiritur per ſe, quia (ut toties diximus ad 5. arg.) fieri eſt per ſe *tranſitus de non eſſe ad eſſe*.

Contra. Nonnunquam forma corrumpenda prærequitur per ſe: ergo tunc ſaltem erunt plura, quàm tria. Prob. ant. Palam ſiquidem eſt, quòd Cadaver petit fieri ex præcedenti forma viva, & acetum V. G. per ſe petit fieri ex forma vini: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. primitùs ex dictis §. 1. ſub numeri 6. finem, & ex dicendis lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 2. dato ant. nego conſequentiam. Non enim per ſe forma viva ad formam cadavericam, & forma vini ad formam aceti prærequiritur, ſed duntaxat per accidens, quatenus ſicut Corpus V. G. nequit pervenire ad locum remotiorem, niſi tranſeundo priùs ad propinquiorem: ita materia nequit pervenire ad remotiores, ſeu diſſimiliores formas, niſi priùs tranſeundo ad formas propinquiores, ſeu ſimiliores. Forma autem cadaverica eſt propinquior formæ vivæ, & forma aceti formæ vini.

Deinde diſt. ant. prærequiritur tanquam diſpoſitio, concedo, tanquam Principium, nego ant. & conſequentiam. Equidem in exemplis adductis prærequiritur per ſe forma corrumpenda; quia ſi ad cadaver non præceſſiſſet forma viva, nequiret dici mortuum; attamen tunc prærequiritur, non ut Principium, ſed ut diſpoſitio, propter debilitatem materiæ, quæ petit diſponi etiam per talem formam ad illam novam formam ſuſcipiendam. Idem dicas de forma aceti, & hujuſmodi.

Contra. Per nos forma corrumpenda requiritur, ut diſpoſitio: ergo diſpoſitiones erunt aliud Principium.

Reſp. nego conſequentiam. Quandoquidem diſpoſitiones eliò requirantur per ſe; tamen non conſtituunt Principium diſtinctum à materia, ſed unicum Principium cum materia conſtituunt; quia ſe tenent ex parte materiæ.

Dices. Etiam privatio ſe tenet ex parte materiæ, & tamen conſtituit Principium diſtinctum: ergo & diſpoſitiones, tametſi ſe teneant ex parte materiæ, adhuc conſtituunt Principium ab ea diſtinctum.

Reſp. diſt. ant. & aliàs diverſo modo concurrit, concedo, eodem modo concurrit, nego ant. & conſequentiam. Quamquam etenim etiam privatio ſe teneat ex parte materiæ; diverſo tamen modo concurrit, ac materia. Diſpoſitiones autem eodem modo concurrunt, ac ipſa materia.

Cujus ratio eſt, quia ſpeciali modo forma acquirenda correſpondet privationi, quo non correſpondet materiæ. Privationi ſiquidem ceu termino *à quo* correſpondet ut terminus *ad quem*; materiæ verò ut pars ſuæ comparti. Cæterùm diſpoſitionibus nullo ſpeciali modo correſpondet forma. Idcircò dici conſuevit, quòd diſpoſitiones præviæ, quia ſe tenent ex parte materiæ, congrediuntur in genere cauſæ materialis; diſpoſitiones verò concomitantes, quia ſe tenent ex parte formæ, congrediuntur in genere cauſæ formalis, ſaltem reductivè, ut dicemus lib. primo de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 3. adeoque diſpar eſt ratio.

45. Arg. poſtremò. Ultra cuncta dinumerata requiruntur

alia Principia, nimirum agens, & finis: ergo ſunt plura, quàm tria.

Reſp. quòd impræſentiarum nos loquimur de Principiis duntaxat intrinſecis, non verò de extrinſecis. Agens autem, finis &c. ſunt Principia tantummodo extrinſeca.

Dices. Etiam privatio eſt extrinſeca, cùm implicet, formam, & privationem eſſe eidem intrinſecas; & tamen numeratur inter Principia: ergo tametſi agens, & finis ſint extrinſeca, adhuc erunt Principia.

Reſp. diſt. ant. eſt extrinſeca compoſito, concedo, materiæ, nego ant. & conſequentiam. Materia ſiquidem dum movetur ad acquiſitionem formæ, ſupponitur formam intrinſecè non habere, & eſſe intrinſecè orbatam, proindeque intrinſecam illius habere privationem. Nec implicat, formam, & privationem eſſe eidem materiæ pro diverſo tempore intrinſecam, quamquam repugnet, eſſe ſimul intrinſecè eodem tempore.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia Prima.

QUæſtionem de Principiis in particulari adorimur poſt quæſtionem de principiis in communi; & primò de de Materia prima.

PRÆLOQUIUM PRIMUM.

De exiſtentia Materiæ Primæ.

EXtare materiam Primam deprehenditur ſatis ex quæſt. & art. præcedenti, ubi §. 13. conſpeximus extare ſubſtantivas generationes probatas in § 7. & per conſequens extare debere ſubjectum aliquod tranſiens de non eſſe ad eſſe, & aliter ſe habens nunc, ac priùs. In quo ſecernitur transmutatio à creatione; quia iſta fit ex nihilo, illa verò ex præſuppoſito ſubjecto, judice S. Th. quæſt. 3. de potentia art. 2. in corp. ubi *creatio*, inquit, *niſi ſecundùm modum intelligendi tantùm, non eſt mutatio; nam de ratione mutationis eſt, quòd aliquod idem aliter ſe habeat nunc, ac priùs*. Eſtque unanimis Doctorum ſenſus.

Hanc autem materiam non eſſe ſitam in atomorum congerie luculenter pateſcit ex dictis ibi in antegreſſi art. §§. jam præmiſſi.

Supponimus adverſus nonnullos vetuſtiſſimos relatos à Scoto, Materiam iſtam primam eſſe realiter à forma diſtinctam; quia ſeparari ab illa realiter poteſt, ut perſpicuum eſt in ſubſtantiva corruptione; & præſertim rationalis Anima realiter ſeparatur, cùm Homo diem claudit extremum.

Neque dixeris, quòd tunc materia non pergit ad aliam formam, ſed totum convertitur in aliud totum. In quo hallucinabantur illi, autumantes, quòd dum unum ex alio gignitur, unum prorſus in aliud convertatur.

Ne, inquam, id dixeris; Tum quia ſi dum ex ligno fit ignis, totum lignum, nimirum forma, & materia ligni converteretur in ignem; tali converſione facta, vel aliquid ligni remaneret in igne, vel nihil. Si ſecundum dicatur, non foret verum, quòd ex ligno factus eſt ſubſtantialiter ignis: eum ad modum, quo Campana non diceretur facta artificialiter ex ære, ni æs in illa remaneret. Si autem dicatur primum, cùm id, quod remanet nequeat eſſe ipſum lignum, quia (uti diximus quæſt. & art. antegreſſo §. 4 probando, quòd non quodlibet fit in quolibet) videt quilibet non cæcus, quòd ignis deſtruit ipſum lignum: ergo remanet duntaxat aliquid ipſius ligni, ejus nimirum materia. Eò vel maximè quòd ſi in igne remaneret lignum, & ſic de aliis, nulla extaret ſubſtantiva corruptio. Quod quæſt. & art. antegreſſo reſutatum eſt. Tum quia ſequeretur, quòd dum è vita decedit Homo, Anima rationalis converteretur in cadaver.

Unum argumentum contra hoc vide ſolutum q. & art. antegreſſu §. 11. ad ult. arg.

PRÆLOQUIUM SECUNDUM.

De quidditate, ſeu eſſentia, ſive definitione Materiæ Primæ.

1. MAteria prima duplici definitione apud Ariſt. gaudet. Definitio una, quæ ab ipſo formatur hic cap. 9. taliſ eſt: *Materia prima eſt primum ſubjectum, ex quo aliquid fit, cùm inſit per ſe, & non ſecundùm accidens*.

Enucleatur definitio. Dicitur *ſubjectum*, per quam dictionem tanquam per genus convenit cum cæteris ſubjectis, puta cum toto compoſito ſubſtantiali, quod eſt ſubjectum accidentium. Dicitur *primum*, per quam dictionem ſecernitur ab aliis ſubjectis, quæ non ſunt omnino prima, ut puta à toto compoſito ſubſtantiali, quod eſt ſubjectum ſecundum, quemadmodum accidens, ſeu forma accidentalis, eſt quidam actus ſecundus, uti vidimus quæſt. & art antegreſſo, ſuſtinendo § 7 extare ſubſtantiales mutationes num. 24. ad 2. objectionem. Dicitur *ex quo aliquid fit*, quia materia prima eſt unum ex principiis, ex quo tanquam ex ſubjecto res naturales fiunt. Dicitur demum *cùm inſit per ſe, & non ſecundùm accidens*, ad denotandum, quòd materia prima eſt pars eſſentialis compoſiti naturalis, prout infra quæſt. 4. in præloquio. Nec ſunt ſuperfluæ dictiones iſtæ. Non, inquam, quia ſunt ad lucem majorem poſitæ.

2. Adverſus definitionem iſtam Atomiſtæ, cæterique Corpuſculariſ objiciunt, quòd ſi extaret materia ſe habens hoc modo ut ſubjectum, nunquam forma poſſet creari, & ſemper deberet educi, aut nuſquam poſſet educi, ſed ſemper deberet creari. Verùm ad hæc patebit quæſt. 3. art. 1. & 2 & 3. & præcipuè art. 3. § 3 ad 2. ponendam in penultima inſtantia contra reſponſum dandum ad 2. arg. ſub num. 6.

3. Alia præterea definitione definitur ab eodem Ariſt. 7. Metaphyſicæ tex. 8. ſic: *Materia prima ſecundùm ſe ipſum nec eſt quid, neque quale, neque quantum, neque aliud eorum, quibus ens determinatur*.

Adverſus definitionem iſtam clamare, & blaterare nuſquam ſaturantur corpuſculari, dicentes, quòd hoc eſt redigere materiam ad nihilum, aut ſaltem ad purum eſſe metaphyſicum. Imò ita d. puro eſſe metaphyſico, dicunt eorum nonnulli, fuiſſe Ariſtotelem locutum, nimirum de materia metaphyſicè, licèt perperam à Peripateticis intellectum.

Verùm quòd Ariſt. admiſerit materiam primam ſic definitam ut principium phyſicum, & non tantùm metaphyſicum, ex eo omnibus in promptu fit, quòd nullum aliud principium phyſicum docuit, cum Democriti, & Anaxagoræ atomos, particulas elementares, & corpuſcula incunctanter damnaverit.

Ad objectionem dico, quòd eſt illam redigere ad nihilum, vel ad purum eſſe metaphyſicum entis actualis, at non entis potentialis, potentialitate etiam ſubjectiva, & non tantùm objectiva, exclaranda art. 1 §. 3. ad ult. inſt. contra reſponſum dandum ad 1. arg. Et hoc in ſenſu audiant (ſed ſurdus non audit, ſicut nec cæcus videt) Auguſtinum 2. Confeſs. cap. 7. ſic loquentem: *Duo feciſti Domine, unum prope te*, nimirum naturas Angelicas, *& aliud prope nihil*, videlicet materiam.

Et quidem quòd irreprehenſibilis talis definitio ſit, evincitur ex eo, quòd materia de ſe nihil debet habere eorum, quæ debent ex ea fieri. Quod ſic ſuadetur. Quandoquidem Ars proportionali quodam modo ſe habet, ac natura, cùm ars naturam imitetur; ſed cernimus in artificialibus, quòd materia, ex qua habent arteſacta fieri, nihil habet eorum, quæ fieri ex ea debent, V. G. quod metallum nihil ex ſe habet de Campana, de ſigillo, & anulo, ac reliquis arteſactis, quæ ab arte fieri ex eo poſſunt: ergo etiam in naturalibus debet extare materia aliqua, quæ nihil habeat eorum, quæ fieri ex ea valent, adeoque *non ſit quid*, *nec quale*, *nec quantum*, &c. Sed de hoc luculentiùs dicetur art. ſequenti 1. §. 2. ſub num. 4.

Adhuc tamen blaterare, non deſinunt evomentes improperia contra materiam, appellantes eam miſeram adeo, ut ex ſe omni careat actu, omni partiali exiſtentia, adeo ut nec per abſolutam Dei potentiam ſine forma exiſtere queat, præſertim Thomiſtica in ſcriptura. Quod eſt eam facere accidentibus deteriorem, ſicque eam ad purum eſſe metaphyſicum redigere. Hæc dicunt, & nonnulli (inter quos Saguens) convicia in Peripateticos addunt. Quibus omnibus abſit convitiis convicia rependere velimus, edocti Hieronymi verbis epiſt. 65. *nihil enim* (ajebat ille) *cauſæ prodeſt maledicentibus remaledicere, aut Adverſarios talione mordere; quibus præcipitur malum pro malo non reddere, ſed vincere in bono malum, ſutaruri ap-*

pro-

probriis , & alteram verberanti præbere maxillam . Maledicant ergo illi ubi ratiocinia non habent , at nos benedicamus .

Ad objectionem igitur liquet ex dictis , quòd eſt eam redigere ad purum eſſe metaphyſicum , aut nihilum entis actualis , at non entis potentialis . Et quidem eſt neceſſarium . Siquidem ſi haberet actum , aut exiſtentiam eſſet ens completum , adeoque non poſſet ex ea , & forma fieri unum perſe ; quia ex pluribus entibus in actu completis non fit unum perſe , ut lapidum in acervo palam eſt , ut iterum art. ſeq. 1. & 2. & 3. Obidque nec ex atomis dicimus , poſſe fieri unum perſe , cùm uniantur per quandam duntaxat juxtapoſitionem .

Sanè vel Atomiſtæ ipſi ſuas atomos , quas dictitant eſſe corporeas , redigunt & ipſi ferè ad nihilum , dum dicunt , eas nec eſſe viſibiles , nec eſſe diviſibiles , nec eſſe ſenſibiles . Utinam aliquando ad nihilum penitus redigant .

Ad id autem , quod dicitur de accidenti , pateſcet hic art. 4. in §. 3. ad 3. arg. ſubnum. 8.

Qua ex re abjecta manet doctrina Corpuſculariorum , dicentium , extare quidem materiam ; non tamen incompletam , quam admittunt Peripatetici , ſed completam , quam vocant partem illam magis craſſam . Rejecta , inquam , manet , eò quòd ex completis nequit unum per ſe fieri .

Exploſa quoque remanet erronea eorum doctrina , qua materiam primam vocitant quid purè metaphyſicum .

Nihilominùs , quia vocant eam qoid metaphyſicum , eò quòd in ſeipſa eam ſenſu non percipiunt . Idcircò contra illos , qui obteſtantur , illud duntaxat eſſe verum , quod clarè , ac diſtinctè à nobis per ſenſum deprehenditur , vide quæ dixi in Logica Syntagm. 5. quod eſt ad Poſteriorum libros quæſt. 2. præloquio primo §. 3. *dico ſecundo* . His præmiſſis

ARTICULUS PRIMUS.

Nam Materia prima Peripatetica ſit ita pura potentia , ut ex ſe nullum habeat actum entitativum .

§. I.

1 LIs hæc , ſicut ſequentes inter eos agitur , qui ejuſdem Præceptoris , nempè Ariſtotelis , principia tutantur . Et

Pro luce conſuevit utraque in Schola tum Scoti , cùm S. Thomæ præmitti , quòd duplex eſt potentia . Una appellatur potentia objectiva , & ſita eſt in ipſa rei poſſibilitate , & dicit duntaxat potentiam , hoc eſt non repugnantiam , ut res aliqua producatur . Secunda ſubjectiva . Et hæc eſt potentia materiæ ad formam ut ſit hujus ſubjectum informationis .

2. Materiam ex ſe habere actum entitativum defenſitant Scotiſtæ , quibus plerumque adhærent exteri .

Quid verò actus entitativi nomine velit ſubtilium cohors non univocè ſentiunt Scriptores . Nonnulli dicunt , ſumere actum entitativum pro actu eſſendi diſtincto à nihilo , vel ab ente purè poſſibili , ita quòd hoc , quod eſt eſſe in rerum natura ſit actus entitativus tranſcendentalis cùm ipſa materia prima identificatus . Ubi Thomiſtæ extemplo obteſtantur , ſe nuſquam id inficiatos , ſed , bona venia , Scotiſtas illos non loqui cum terminorum proprietate , dum nomine actus uſurpant ipſum ens , prout ab ente purè poſſibili , vel à nihilo diſtinctum ; quia (ut non ſemel videbimus) ens dividitur in actum , & potentiam . Obidque ſtat , quòd materia ſit actu ens , tametſi actum nullum habeat . Alii dicunt , intelligere quandam partialem exiſtentiam , quam infra art. 3. excludemus . Modò autem univerſaliter quemcunque actum , ſive tranſcendentalem , ſive exiſtentialem excludendo ſit .

§. II.

CONCLUSIO.

Materia prima Peripatetica ita eſt pura potentia , ut quemcunque explodat actum entitativum .

3. ADeſt D. Th. 2. contra Gentes cap. 43. ubi hæc habet *in rebus invenitur aliquid , quod eſt potentia tantùm ut materia prima , & aliquid , quod eſt actus tantùm , ut Deus , & aliquid , quod eſt actus & potentia ut res creatæ .* Quæ doctrina etiam videtur colligi ex Philoſopho 6. Metaphyſ. tex. 4. & lib. 9. tex. 5. ubi immediate dividit ens reale in actum , & potentiam .

Si dicas , quòd Ariſt. licèt dividat ens reale in actum , & potentiam , non tamen intendit , quòd aliquid ſit pura potentia nullum prorſus includens actum , ſed ſolummodo , quòd datur aliquod ens , quod eſt actus , & aliquod , qood habet rationem potentiæ . Quod optimè ſalvari poteſt tametſi talis potentia habeat aliqoem actum , ſicut eſt materia prima , quæ in ſententia Scoti habet actum entitativum , & tamen adhuc eſt in potentia ad formam .

Contra eſt . Nam ſi illa potentia aliquem includit actum , adhuc ipſa erit diviſibilis in actum , & potentiam , cùm ex utroque conſtet . Et tunc peto , num iſta potentia , in quam eſt diviſibilis , includat aliquem actum nec ne ? Si ſecundum : ergo aliqua extat potentia nullum includens actum . Et hæc eſt materia prima . Si primum : ergo iterum erit diviſibilis in actum & potentiam , & ſic in infinitum .

Dicere autem , quòd id Ariſt. non dixit , ſed fuit ei additum (ut reſponderi à quodam quondam audivi) omnino gratis dicitur , & ſic poſſet reſponderi ad omnes auctoritates .

Deinde prob. ex eodem Philoſopho tex. 69. & 70. ubi , *ita* , inquit , *ſe habet materia ad formas naturales , ſicut æs , vel lignum ad artificiales ;* ſed æs , & lignum ea ſe nullam habet formam , vel actum artificialem : ergo à pari materia ſecundùm ſe nullum habet actum naturalem . Ex quibus

4. Prob. concluſio ſic : Sicut ſe habet materia ſecunda ad formas ſecundas , videlicet ſubjectum ad accidentia naturalia , & materia arteſacti ad actum , & formam artificialem , ita materia prima ad actum , ſeu formam primam , videlicet ſubſtantialem naturalem ; ſed materia ſecunda , ſeu (qaod idem eſt) ſubjectum accidentiom ſecundùm ſe nullum includit actum accidentalem , & materia arteſacti nullum includit actum artificialem : ergo pariter materia prima ſecundùm ſe nullum includit actum entitativum , ſeu ſubſtantialem naturalem .

Reſpondet Maſtrius , diſparitatem eſſe , quia materia arteſacti , & ſubjectum accidentium ſupponit aliquid actu , nimirum ſuum eſſe naturale , & ſubſtantiale , ratione cujus poteſt formas accidentales , & artificiales recipere . Cæterùm materia prima niſi ex ſe habeat actum , non ſupponit aliquid actu . Quod tamen eſt neceſſarium ad hoc , ut recipiat formam ; quia nihil poteſt recipere aliquid in actu , niſi habeat actum .

Contra . Ad hoc , ut materia arteſacti recipiat formam artificialem non eſt neceſsè , quòd pro priori ad illam ſupponat aliquod eſſe actu artificiale : Et ſimiliter ſubjectum , ut recipiat formam accidentalem non eſt neceſsè , quòd ſupponat aliquid in actu accidentali : ergo pariter ad hoc , ut materia recipiat formam ſubſtantialem non eſt neceſsè , quòd ſupponatur in actu naturali ſubſtantiali , ſive entitativo . Conſequentia eſt exacta , quia ſicut materia arteſacti eſt in potentia tali , ſcilicet arteſactibili , & ſubjectum accidentium in linea accidentali , ita materia prima abſolutè eſt in potentia ad formam : ergo ſi &c.

5. Prob. ultimò ex dictis cum D. Th. ſicot Deus eſt purus actus , ita materia prima eſt pura potentia ; ſed Deus ita eſt purus actus , quòd nullam includit potentialitatem : ergo pariter materia prima ita eſt pura potentia , quòd nullam prorſus includat actualitatem . Majorem probo . Sicut Deus eſt primus actus , quo prior alius non eſt dabilis , ita materia prima eſt prima potentia , qua prior non eſt dabilis alia : ergo ſicut Deus eſt purus actus , ita materia prima eſt pura potentia .

Confirmo præveniendo Adverſariorum quandam reſponſionem , quam quondam audivi . Quemadmodum Deus eſt primus actus , ita materia prima eſt prima potentia ; ſed Deus , qoi eſt primus actus , eſt actus infinitus (intellige poſitivè) per incluſionem omnis actus : ergo materia , quæ eſt prima potentia erit infinita , non poſitivè , quia infinitudo poſitiva dicit perfectionem poſitivam , & aliàs potentia , ut potentia dicit imperfectionem : ergo ſaltem negativè per excluſionem omnis actus . Quod eſt eſſe infinitum negativè , ſcilicet negare omnem perfectionem .

Urgeo præoccupando iterum Adverſariorum reſponſum aliod , quod etiam audivi . Sicut Deus eſt primus actus , ita materia prima eſt prima potentia ; ſed Deus , qui eſt primas

actus, includit omnem perfectionem, & excludit omnem imperfectionem, adeoque, & potentialitatem, quæ imperfectionem dicit: ergo pariter materia, quæ eſt prima potentia excludet omnem perfectionem, adeoque omnem actum. Sicut enim potentia quà potentia dicit imperfectionem, qua ratione omnis potentialitas à Deo relegatur, ita actus quà actus dicit perfectionem, qua ratione in Deo omnis collocatur actus.

Objicies contra hoc. Ex eo, quòd Deus ſit ſummum bonum phyſicum, non ſequitur, quòd debeat extare aliquod ſummum malum quoque phyſicum, aliter eſſet deſtructivum omnis boni: ergo pariter ex eo, quòd extet Deus, qui eſt purus actus nullam includens potentialitatem, non ſequitur, quòd debeat extare materia, quæ ſit pura potentia nullum includens actum.

Reſp. primitèr, nos non inferre, quòd debeat extare potentia nullum prorſus includens actum ex eo, quòd extet Deus purus actus nullam includens potentialitatem. Non, inquam, ſed ſuppoſito, quòd extet hæc materia prima, quæ eſt potentia prima, inferimus, quòd nullum prorſus includat actum ex eo, quòd primus actus, qualis eſt Deus, ita eſt purus actus, quòd nullam prorſus includit potentialitatem.

Deinde Reſp. nego conſeq. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia (ut docet S. Th. q. 5. de malo art. 1.) malum eſt pura carentia alicujus boni, & ideo ſi extaret ſummum malum, eſſet deſtructio ſummi boni, ſcilicet Dei, illiuſque deſtructivum, de quo videri poteſt idem S. Th. tum ibi, tum p. p. q. 9. art. 3. Undè nec extat, nec eſt poſſibile ſummum malum: Imò nec extat aliquod poſitivum phyſicum in rerum natura, quod malum ſit, quia malum conſiſtit in deformitate ad voluntatem Divinam, ſicut bonum conſiſtit in conformitate ad voluntatem divinam; non aliter ac verum in conformitate ad intellectum Divinum conſiſtit, ut fusè explicabo in Metaphyſica q. 11. art. 1. per totum. Cæterùm potentia non eſt privatio actus: quinimo eſt poſitiva potentia receptiva actus. Idcircò ex eo, quòd extet pura potentia non ſequitur ademptio puri actus. Undè poteſt extare pura potentia correſpondens puro actui, non verò ſummum malum correſpondens contrapoſitivè ſummo bono.

6. Poſſet demum (& quidem efficaciter) probari concluſio, evertendo Scotiſtarum fundamentum. Quandoquidem eatenus per Scotiſtas materia habet actum, quia eſt ens; ſed hæc illatio eſt non exacta; ergo &c. Prob. min. Latiùs patet ens, quàm actus, quia ens eſt commune potentiæ, & actui, cùm ratio potentiæ non ſit nihil. Cùm ergo à ſuperiori ad inferius non teneat conſequentia, jam &c. Sicut quia latiùs patet animal, quàm Homo, non valet *eſt animal, ergo eſt Homo*. De hac ratiocinatione vide fusiùs Cavinum.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

7. ARg. 1. ex Maſtrio. Materia ex ſe recipit formam in actu; ſed nequit ſic recipere, niſi ſit in actu: ergo materia ex ſe habet actum entitativum. Maj. eſt certa. Min. prob. Nihil poteſt recipere aliquid in actu, niſi ſit in actu: ergo &c. Ant. non probat Maſtrius, poſſet tamen ſic probari. Nihil poteſt aliquid recipere in potentia, niſi ſaltem ſit in potentia: ergo pariter nihil poteſt aliquid recipere in actu, niſi ſit in actu.

Reſp. 1. ex dicendis art. 3. diſt. min. niſi ſit in actu inchoativè, & in fieri, concedo, formaliter completè, & in facto eſſe, nego min. & conſequentiam.

Et nota, quòd tunc non habet aliquem actum incompletum, ſed habet incompletè actum completum, ſcilicet formam, quam dum recipit, dicitur habere illam incompletè, hoc eſt initiativè, vialiter, & in fieri.

Reſp. 2. nego min. abſolutè loquendo. Ad prob. diſt. ant. nihil poteſt recipere aliquid in actu, niſi ſit in actu ſumpto ly *in actu* adverbialiter, concedo, ſumpto ly *in actu* nominaliter, nego ant. & conſequentiam. Igitur verum eſt, quòd id, quod habet recipere aliquid in actu, debet eſſe actu, ideſt debet eſſe actualiter, & non purè poſſibiliter, ſeu non purè poſſibile: ſicut id, quod eſt receptivum in potentia debet eſſe in potentia, ideſt debet ſaltem eſſe poſſibile. Non autem fert neceſſitas, quòd ſit in actu, ideſt habeat eſſe actuale, ſeu actum. Quinimo ſi recipit actum, non debet habere eſſe in actu; quia eſſe in actu tribuitur ab actu, ſeu à forma.

Per quod patet ad prob. antecedentis. Diſtinguo enim ant. niſi ſaltem ſit in potentia objectiva, concedo, ſubjectiva, nego ant. & conſequentiam. Nam Materia dum eſt in potentia ſubjectiva, ſeu extra potentiam objectivam, videlicet extra ſtatum poſſibilitatis, debet ſtatim actu recipere, cùm non poſſit ſine forma exiſtere. Undè quod eſt recipiens in potentia habet eſſe in potentia ſolùm objectiva.

Contra. Materia prima dum recipit in actu formam ita eſt in actu, quòd eſt actualis pars compoſiti; ſed nequit eſſe actualis pars compoſiti, ſi careat omni actu: ergo materia dum recipit formam ſupponitur habere actum formaliter.

Reſp. 1. ut ſupra, diſt. ant. eſt actualis pars compoſiti inchoativè, & in fieri, concedo, formaliter, & in facto eſſe, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam.

Reſp. 2. ſimiliter ut ſupra, diſt. maj. eſt pars actualis, ideſt pars actuando componens, nego, ideſt pars actualiter, & non purè poſſibiliter componens, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Materia igitur eſt actualis pars compoſiti, ideſt eſt actualiter, & non purè poſſibiliter componens. Ad hoc autem nullus requiritur actus; quia componit per modum potentiæ. Non verò eſt actualis pars compoſiti, quaſi quòd componat actuando.

Contra. Materia prima dum recipit formam ita eſt in actu, & actualiter pars compoſiti, quòd eſt extra ſtatum poſſibilitatis; ſed nequit habere eſſe extra ſtatum poſſibilitatis, niſi includat actum: ergo ita eſt in actu, quòd includit actum. Prob. min. Quælibet potentia expletur per aliquem actum; ſed ſi materia habet eſſe extra ſtatum poſſibilitatis habet eſſe extra potentiam objectivam: ergo &c.

Reſp. 1. ut ſupra diſt. maj. extra ſtatum poſſibilitatis inchoativè, & in fieri, concedo, formaliter, completè, & in facto eſſe, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Undè tunc habet etiam actum inchoativè, ideſt in recipiendo. De quo fusiùs art. 3. §. 3. ad 2. arg.

Reſp. 2. nego min. Ad prob. primodùm diſt. maj. quælibet potentia propriè dicta, concedo, impropriè dicta, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Potentia propriè dicta ſolùm eſt illa potentialitas, quam dicit potentia ſubjectiva ad ſuum actum formalem, ſicut eſt illa, quam dicit materia ad formam, eſſentia ad exiſtentiam, ſubſtantia ad ſubſiſtentiam &c. Et ita expleri nequit, niſi per actum: Potentia autem objectiva eſt quædam potentia impropriè dicta, prout idem eſt, ac poſſibilitas rei.

Reſp. 3. diſt. maj. potentia ad actum nequit expleri, niſi per actum, concedo, potentia ad aliquid potentiale nequit expleri, niſi per actum, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Sicut ergo potentia objectiva, quæ reſpicit aliquod ens actuale, ſeu quæ eſt poſſibilitas entis actualis, expletur per actum, ſeu per ens actuale; ita potentia objectiva, ſeu poſſibilitas entis potentialis, ut eſt illa materiæ primæ expletur, non per actum, ſed per ens potentiale, quod ponitur actualiter, ſeu reaple in ſe.

Et ſic retorquetur arg. illud, in quo adeo exultat Maſtrius, non ſolùm hic, ſed & præcipuè in libris de Generatione diſp. 5. q. 1. art. 1. num. 7. ubi etiam prætendit cum Scotiſtis convenire in re, & ſolùm in nomine ab eis diſcrepare Thomiſtas illos, qui concedunt materiæ primæ actum metaphyſicum, de quo art. ſequenti.

Dices. Quod eſt ens purè in potentia eſt nihil; ſed materia ſecundùm ſe non eſt nihil: ergo non eſt purè in potentia, adeoquè includit actum. Maj. eluceſcit. Nam mundus dum erat purè in potentia erat nihil.

Reſp. diſt. maj. quod eſt purè in potentia objectiva, tranſeat, in potentia ſubjectiva, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Intantum ergo mundus quando erat purè in potentia erat nihil, quia erat in potentia purè objectiva, ſeu habebat purè eſſe poſſibile. Materia autem prima dum recipit formam eſt in potentia, non purè objectiva, ſed ſubjectiva, ut vel ipſi Adverſarii fatentur. Dixi *tranſeat maj.* quia probabile eſt inter Thomiſtas, quòd res in ſtatu poſſibilitatis, non ſint purum nihil, ſed ſint actus ens ſaltem in actu ſignato, & nominale, licèt non participiale, & in actu exercito.

Qua ex re apparet, quòd materia licèt non ſit ens actu,

ideſt

ideſt actuale, nequit diei, quòd ſit nihil. Non inquam, quia inter ens actu, ſeu actuale, & nihil extat medium, ſcilicet ens in potentia, ideſt potentiale. Vidimus enim ſupra §. 2. num. 3. cum Philoſopho, quòd ens reale immediatè dividitur in actum, & potentiam. Vide quæ dixi §. 5. num. 2. referendo ſententiam Scoti, & §. 2. n. 6.

8. Arg. 2. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Materia prima eſt actu ens: ergo habet actum.

Reſp. ex dictis diſt. ant. eſt actu ens potentiale, concedo, eſt actu ens actuale, ſubdiſtinguo, ſumpto ly *actuale* prout contraponitur ad poſſibile, concedo, prout contraponitur ad ens potentiale, nego ant. & conſequentiam. Vide §. præcedenti 2. num. 6.

Contra. Materia prima eſt ens, quod Deo aſſimilatur; ſed Deus eſt actus: ergo etiam materia prima debet includere actum. Prob. maj. Omnis effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ, univocè quidem ſi cauſa eſt univoca, vel ſaltem æquivocè, ſi cauſa eſt æquivoca, quo pacto quælibet creatura aſſimilatur Deo, qui eſt omnium cauſa æquivoca; ſed materia eſt effectus Dei: ergo &c.

Reſp. (omiſſa longa, & parùm adæquata reſponſione quorundam in autographis) nego maj. ſi loquatur de aſſimilatione ratione ſui. Ad prob. diſt. maj. Eo modo, quo eſt effectus, concedo, aliter, nego maj. & diſtinguo min. eſt effectus ratione ſui nego, ratione alterius, ſcilicet ratione formæ, concedo. Ut enim dicemus art. 3. §. 3. ad 1. Materia non terminat actionem ſui productivam ratione ſui, ſed ſolùm ratione formæ & ratione totius, adeoque ſolùm ratione formæ eſt effectus Dei. Undè ſolùm ratione formæ & totius, aſſimilatur Deo, & per conſequens ſolùm ratione formæ includet actum. Quod veriſſimum eſt, cùm ipſamet forma ſit actus materiæ. Nos autem diſputamus num materia ex ſe, ſeu ratione ſui includat actum.

9. Arg. 3. Materia prima eſt actu bona, judice S. Th. 3. contra Gentes cap. 20. ſed bonitas, & perfectio ſumitur ab actu: ergo materia prima habet actum.

Reſp. diſt. maj. eſt actu bona bonitate ſuæ lineæ, concedo, aliter, nego maj. & diſt. min. bonitas de linea potentiæ, nego, bonitas de linea actus, concedo. Undè ſolùm ſequitur, quòd ſit bona potentia.

Contra. Bonitas eſt paſſio entis; ſed materia prima eſt actu ens: ergo eſt actu bona etiam bonitate abſolutè.

Reſp. primitùs, ſi quid probat, probare duntaxat de actu metaphyſico; quia veritas, bonitas, &c. ſunt proprietates metaphyſicæ entis, loquendo de bonitate, &c. tranſcendentali. Imò nec de actu metaphyſico probat; quia, ut art. ſequenti dicetur, actus metaphyſicus petit diſtinctionem virtualem penès excluſum. Paſſiones autem entis, ut in Meth. dicetur, non diſtinguuntur, niſi penès explicitum. Præterea diſt. maj. eſt paſſio entis bonitas de illa linea, in qua eſt illud ens, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. eſt actu ens potentiale, concedo, aliter, nego min. & conſeq. Ob idque tantummodo ſequitur, habere bonitatem de linea potentiæ.

Dices. Materia prima habet inclinationem ad bonum; ſed inclinatio ſequitur ad actum: ergo materia prima includit actum. Min. habetur ex D. Th. p. p. q. 5. de voluntate Dei, ubi ea ratione probat, dari in Deo potentiam appetitivam, quia datur forma præconcepta.

Reſp. maj. eſſe veram de inclinatione entis completi, vel de inclinatione, quæ convenit rei ſecundùm ſe. Inclinatio autem ad formam convenit materiæ, non ſecundùm ſe (niſi ad ſummum remotè) ſed ut affectæ diſpoſitionibus.

10. Arg. poſtremò. Materia prima non eſt pura potentia in eſſe entitativo: ergo habet actum entitativum. Prob. ant. Forma non eſt purus actus in eſſe entitativo: ergo nec materia prima &c. Ant. patet, aliter forma eſſet Deus in eſſe entitativo. Conſequentiam autem probabat quondam me audiente Minorita quidam Conventualis ſic. Si non extat purus actus receptibilis, nec debet extare pura potentia receptiva: ergo ſi forma non eſt purus actus, nec materia erit pura potentia. Ant. ſic probabat. Si nullus extaret actus receptibilis, nulla extaret potentia receptiva: ergo pariter ſi nullus extat actus purus receptibilis, nec ulla pura potentia receptiva extat.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ant. vel diſtinguo illud ſic: non eſt purus actus per excluſionem, ut ita dicam, eſſendi in potentia, concedo, per excluſionem eſſendi potentiam, nego ant. Ad cujus prob. dico, quòd non per hoc foret Deus, qua forma tametſi nullatenus ſit potentia, tamen eſt in potentia ad materiam informandam. Deus autem eſt actus purus tam per excluſionem eſſendi in potentia, quàm per excluſionem eſſendi potentiam. Hoc argumentum iterum ſolvetur art. ſequenti §. 3. ad 3. arg. num. 9.

Aliud etiam argumentum ſolvetur art. ſequenti §. 3. num. 10. ad 5. arg.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum materia prima Peripatetica habeat actum metaphyſicum.

§. I.

1. NOto primò, quòd ſicut diſtinguitur duplex potentia; una phyſica, qualis eſt potentia phyſica materiæ ad formam ſubſtantialem; altera metaphyſica, qualis eſt potentialitas generis: ita duplex eſt actus, unus phyſicus correſpondens potentiæ phyſicæ, & alter metaphyſicus correſpondens generi: Qui actus nihil aliud eſt, quàm differentia eſſentialis. Et hoc pacto rationalitas V. G. &c. dicitur actus metaphyſicus animalis, quod eſt genus, &c.

Noto 2. quòd actus metaphyſicus, ſeu differentia, dupliciter ſumi poteſt. Primò propriè, ſicut eſt rationalitas reſpectu animalis, & quælibet alia differentia virtualiter excluſivè diſtincta à ratione generica, cùm genus, & differentia ſint gradus metaphyſici, inter quos (ut conſpeximus in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 4) extat diſtinctio virtualis penès excluſum. Secundò impropriè pro omni eo, quod tenet locum differentiæ in definitione; ſicut ſuprema genera, & quampiura alia dicuntur habere differentiam impropriè. Certum eſt apud omnes quòd materia prima habet actum metaphyſicum hoc ſecundo modo. Undè emergit lis ſolùm de actu metaphyſico primo modo accepto.

2. In duas partes diviſi ſunt Thomiſtæ. Quamplures affirmant, ut Soto, Maſius, Lerma, Ortiz, Piny, & alii, præcipuè clariſſimi cujuſdam ex noſtris nimirum Eminentiſſimi Ferrarii in autographo. Cùm enim materia duo dicat, ſcilicet eſſe ſubſtantiam incompletam, & eſſe primam potentiam; hinc (dicunt ipſi) quòd ratio *ſubſtantiæ incompletæ* eſt genus, & ratio *primæ potentiæ* eſt differentia.

Negant autem reliqui, præcipuè verò Complut. Jo: de S. Th. qui in Logica q. 7. art. 7 §. ultimo cuicumque parti phyſicæ, nimirum materiæ, & formæ negat compoſitionem ex genere, & differentia. Ita etiam ſentiunt Goudin, Cavinus, Arnù, & reliqui fideliores Thomiſtæ. Et meritò tum propter pondus rationum, tum quia Maſtrius in lib. de Gener. & Corrupt. diſp. quinta q. 1 art. 1. num. 7. contendit, quòd Thomiſtæ illi, qui admittunt in materia prima actum metaphyſicum, ad Scotica tranſierint caſtra, & ſolùm in nomine diſcrepent à Scotiſtis admittentibus in Materia prima actum entitativum.

§. II.

CONCLUSIO.

Materia prima Peripatetica caret omni actu etiam metaphyſico propriè tali.

3. DOcetur à D. Th. 1. contra Gentes cap. 43. relato à nobis art. præcedenti §. 2. num. 3. ubi videtur aſſerere, materiam primam ita eſſe puram potentiam, ſicut Deus eſt purus actus; ſed Deus ita eſt purus actus, quòd omnem potentialitatem etiam metaphyſicam, excludat, ut docent communiter Thomiſtæ, & nos probavimus in Logica Syntag. 4. quæſt. prima art. 4. §. 3. num. 7. in 2. probatione: ergo materia prima ita erit pura potentia, ut omnem actum etiam metaphyſicum excludat. De quo infra num. 5.

4. Prob. 1. ratione efficaciſſima ex Jo: de S. Th. collecta. Si materia prima haberet actum metaphyſicum, talis actus eſſet ejus differentia; ſed materia prima non conſtat ex genere, & differentia: ergo materia prima nullum includit actum metaphyſicum. Maj. eſt Adverſariorum. Min. prob. Si Materia prima conſtarat ex genere, & differentia, genus deberet dici *ratio ſubſtantiæ incompletæ*, & differentia ratio *primæ potentiæ*; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Maj. iterum eſt Adverſariorum, & meritò, quia non eſt aliud

excogitabile. Siquidem per rationem potentiæ paſſivæ diſtinguitur à forma, & per rationem potentiæ primæ diſtinguitur ab accidentium ſubjecto; per rationem verò ſubſtantiæ incompletæ convenit cum ipſa forma. Min. primiter poſſet probari efficaciter ratione, quam ego adducam §. 3. ſub num. 7. ad ult. inſtantiam, quæ fiet contra reſponſionem dandam ad 2. argum. In fine, quòd nimirum materia prima eſſet quid metaphyſicè completum. Quod eſſe impoſſibile evidenter ibi oſtendam. Deinde Prob. cum Jo: à S. Th. ſic. Inter genus, & differentiam debet extare diſtinctio virtualis excluſiva, ſeu penes excluſum, ut ſalvetur univocatio generis, quæ non ſalvatur, niſi per perfectam præciſionem à differentiis, & rurſus docetur communiter à Thomiſtis, ut conſpeximus loco relato ex Logica §. 1. num. 3. in 2. Notabili; ſed ratio primæ potentiæ non diſtinguitur virtualiter excluſivè à ratione ſubſtantiæ incompletæ in materia prima: ergo ratio ſubſtantiæ incompletæ, & ratio primæ potentiæ non ſe habent ut genus, & differentiæ. Prob min. Ratio ſubſtantiæ incompletæ imbibitur in conceptu primæ potentiæ: ergo non diſtinguitur virtualiter excluſivè ab illa. Prob. ant. Quotieſcunque unum ex ſuo conceptu formali eſt aliud, imbibitur in conceptu illius; ſed ratio primæ potentiæ ex ſuo conceptu, & ratione formali eſt ſubſtantia incompleta: ergo ratio ſubſtantiæ incompletæ intimè imbibitur in conceptu primæ potentiæ. Maj. liquet ex ipſis terminis. Et certè non alia ratione animalitas diſtinguitur virtualiter excluſivè à rationalitate in Homine, niſi quia animalitas ex ſua ratione formali eſt principium ſentiendi, non verò ratiocinandi, niſi ad ſummum identicè. Prob. min. Ratio primæ potentiæ ex ſuo conceptu, & ratione formali non eſt accidens, quia hoc eſt potentia, imò forma ſecunda; neque eſt ſubſtantia completa, aliter faceret quòd materia eſſet ſubſtantia completa: ergo ex ſui conceptu, & ratione formali eſt ſubſtantia incompleta.

Reſpondet Eminentiſſimus Ferrari in autographo, quòd ratio primæ potentiæ ex ſui conceptu, & ratione formali, nec eſt accidens, nec eſt ſubſtantia ſive completa, ſive incompleta, ſed eſt taleitas ſubſtantiæ incompletæ. Nec eſt inconveniens (ait ipſe) admittere hujuſmodi taleitates, Tum quia ex eo, quòd intellectivo repugnet eſſe non vivens, non ſequitur, quòd ex lui ratione formali ſit poſitivè vivens, ſed ſolùm taleitas viventis, aliter vivens non diceretur univocè de ſenſitivo, & intellectivo. Tum quia ex eo, quòd ultima ratio albedinis nequeat eſſe inviſibilis, non ſequitur, eſſe poſitivè viſibilem, & colorem, ſed ſolùm eſt taleitas, & determinatio coloris, & viſibilitatis, aliter neque color, neque viſibilitas diceretur univocè de albedine, aliiſque coloribus. Tandem differentia ſubſtantiæ completæ licèt illi repugnet eſſe accidens, non ſequitur, quòd ſit ſubſtantia completa, ut patet, nec ſubſtantia incompleta, quia ſubſtantia incompleta eſt materia, & forma: ergo pariter ratio primæ potentiæ licèt ei repugnet, eſſe accidens, non ſequitur, quòd ſit formaliter ſubſtantia aut completa, aut Incompleta, ſed ſolùm, quòd ſit taleitas ſubſtantiæ incompletæ.

Contra tamen eſt. Nam ens reale immediatè dividitur in ſubſtantiam, & accidens: ergo ſi ratio primæ potentiæ ex ſui ratione formali non eſt accidens, debet eſſe ſubſtantia; non completa: ergo incompleta.

Reſpondet, quidem phyſicè ens immediatè dividi in ſubſtantiam, & accidens, non verò metaphyſicè.

Contra. Ens phyſicè ſumptum phyſicè dividitur in ſubſtantiam, & accidens; ergo pariter ens metaphyſicè ſumptum metaphyſicè dividetur immediatè in ſubſtantiam, & accidens. Conſequentia eſt exacta, quia ſicut diviſio phyſica conſequitur ad ens diviſibile phyſicum, ita diviſio metaphyſica ad ens diviſibile metaphyſicum, ut ſervetur debita proportio; ergo ſi &c.

Diſplicatur. Sicut ens phyſicè ſumptum immediatè dividitur in potentiam, & actum phyſicum, ita etiam ens metaphyſicè ſumptum dividitur in potentiam, & actum metaphyſicum: ergo pariter ſicut ens phyſicè ſumptum immediatè dividitur phyſicè in ſubſtantiam, & accidens, ita metaphyſicè ſumptum debet immediatè dividi metaphyſicè in ſubſtantiam, & accidens metaphyſicum.

Et certè ſi ſemel admittimus hujuſmodi taleitates, quæ non ſint ſubſtantia, nec accidens, ampla via aperitur Scotiſtis admittendi etiam taleitates, quæ nec ſint ens, nec ſint nihil, ſed ſint taleitates entis, ſicque negandi entis tranſcendentiam.

Per quod patet ad exempla adducta. Intantum enim intellectivum poteſt dici taleitas viventis, quia tametſi per impoſſibile non eſſet formaliter vivens, adhuc admitteret eſſe ſubſtantiam, quæ eſt indifferens ad eſſe vivens, vel non vivens ſecundùm ſe. Item ultima differentia albedinis ex ſui ratione formali non eſt color, ſed eſt taleitas coloris, quia tametſi non eſſet poſitivè color, vel non color, adhuc admitteret eſſe accidens, quod ſecundùm ſe eſt indifferens ad utrumque. At ſi admittamus aliquid, quod nec ſit ſubſtantia, nec accidens, remanet, quòd ſit nihil; quia immediatè, & non ſolùm mediatè, ens dividitur in ſubſtantiam, & accidens.

Ad 3. exemplum dico, quòd differentia ſubſtantiæ completæ eſt ſubſtantia incompleta. Nec obſtat, quòd ibi dicebatur, nimirum, quòd ſubſtantia incompleta ſit materia, & forma. Non, inquam, obſtat, quia materia, & forma ſunt ſubſtantia incompleta tam phyſicè, quàm metaphyſicè, & ſolùm phyſicè, non verò metaphyſicè componentes: Differentia verò ſubſtantiæ completæ eſt ſubſtantia incompleta metaphyſicè tantùm, & metaphyſicè ſolùm componens non verò phyſicè componens.

Ex his rejecta manet etiam doctrina Lermæ, qui vult, quòd ordo, quem materia dicit ad formam ſit actus metaphyſicus. Rejecta, inquam, manet, quia idem urget motivum, ac de ratione primæ potentiæ. Nam talis ordo, cùm non ſit accidens (aliter conſtitutivum materiæ primæ, quæ eſt ſubſtantia, eſſet accidens) debet eſſe ſubſtantia; non completa: ergo incompleta, adeoque non diſtinguitur virtualiter excluſivè ab illa, ac per conſequens non eſt actus metaphyſicus.

Deinde, quòd ratio ſubſtantiæ incompletæ imbibatur ſaltem implicitè in conceptu *primæ potentiæ*; probo ſic. Nequit concipi ratio primæ potentiæ, niſi ſaltem implicitè concipiatur ratio ſubſtantiæ incompletæ: ergo iſta eſt de conceptu implicito illius. Prob. ant. Sicut ſubſtantia incompleta materiæ primæ eſt prima potentia, ita accidens quantitas V. G. quæ eſt ſubjectum *quo* aliorum accidentium, eſt potentia ſecunda; ſed nequit concipi ratio potentiæ ſecundæ, niſi ſaltem implicitè concipiatur accidens: ergo nec poteſt concipi ratio primæ potentiæ, niſi ſaltem implicitè concipiatur ratio ſubſtantiæ incompletæ.

De hoc iterum infra §. ſequenti 3. ad 1. arg. ſub num. 6. & ad 2. arg. ſub num. 7 in fine.

Nec valet dicere, quòd licèt ratio primæ potentiæ nequeat præſcindere à ratione ſubſtantiæ incompletæ; benè tamen poteſt ratio ſubſtantiæ incompletæ præſcindere à ratione primæ potentiæ.

Non, inquam, valet, Tum quia præciſio non mutua non ſufficit ad ſalvandam diſtinctionem virtualem penes excluſum etiam ſecundùm Adverſarios noſtros Thomiſtas, cùm (ut conſpeximus in Logica Syntagm. 4. quæſt. 1. art. 2. §. 2.) ipſi admittant præciſionem non mutuam inter ens, & differentias, & tamen negent diſtinctionem virtualem excluſivam inter ens, & differentias, ac negent, ens eſſe genus, negentque, ens eſſe univocum. Tum quia [illegible] lis non mutua præciſio eſt impoſſibilis, ut ibi vidimus. Nam præciſio eſt quædam ſeparatio intentionalis; ſed nequit unum ſeparari intentionaliter ab alio, quin & iſtud ſeparetur intentionaliter ab illo: ergo ſi ratio primæ potentiæ non præſcindit à ſubſtantia incompleta, nec ſubſtantia incompleta præſcindet à ratione primæ potentiæ, & è contra. Min. prob. Sicut ſe habet ſeparatio phyſica in eſſe phyſico, ita ſeparatio intentionalis in eſſe intentionali; ſed nequit unum phyſicè ſeparari ab alio, quin & iſtud phyſicè ſeparetur ab illo: ergo &c.

5. Prob. 2. concluſio paritate fusè producta art. præcedenti §. 2. num. 5. & indigitata etiam hic num. 3. ex D. Th. Sicut Deus eſt purus actus, ita materia prima eſt pura potentia; ſed Deus ita eſt purus actus, quòd omnem prorſus excludit potentialitatem etiam metaphyſicam, ut diximus, & probavimus in Logica Syntag. 4. q. 1. quæ fuit de analogia art. 4. §. 3. in 2. probatione ſub. num. 7. & fatentur omnes Thomiſtæ: ergo materia prima ita erit pura potentia, ut omnem excludat actualitatem etiam metaphyſicam. Majorem probo, ut ibi. Sicut Deus eſt primus actus, quo alius prior non eſt excogitabilis, ita materia prima eſt potentia prima, qua alia prior non eſt: ergo pariter ſicut Deus eſt purus actus, ita materia prima eſt pura potentia.

Conf. iterum, ut ſupra, quia judice Philoſoph. 6. Metaphyſ. tex. 4. ens reale immediatè dividitur in actum, & poten-

tentiam ; ſed extat aliquod ens, videlicet, Deus omnem excludens potentialitatem etiam metaphyſicam : ergo etiam extabit aliqua potentia omnem excludens actualitatem etiam metaphyſicam. Hoc autem aliud eſſe non poteſt, niſi materia prima.

Nec valet reſpondere, quòd ens dividitur in actum, & potentiam phyſicam, non verò metaphyſicam. Non, inquam, valet. Siquidem (ut ſupra arguebamus) ens phyſicè ſumptum dividitur in actum, & potentiam phyſicam: ergo pariter ens metaphyſicè acceptum dividitur in actum, & potentiam metaphyſicam : ac per conſequens ſicut extat in linea metaphyſica aliquis actus omnino purus, ita etiam in eadem linea debet potentia omninò pura extare.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. Materia prima habet proprias differentias diviſivas : ergo habet etiam ſuam differentiam conſtitutivam, quæ actus metaphyſicus dicitur. Conſequentia eſt exacta, quia habere differentias diviſivas ſine differentia conſtitutiva eſt proprium ſolùm ſupremorum generum ; ſed materia prima non eſt ſupremum genus cùm non aſſignetur ut unum ex prædicamentis ; ergo ſi habet differentias diviſivas, habet etiam differentiam conſtitutivam. Prob. ant. Materia ut ſic dividitur tanquam in diverſas ſpecies in materiam cæleſtem, & ſublunarem : ergo materia prima habet differentias diviſivas. Ant. prob. Materia cœleſtis, & ſublunaris differunt, quia una reſpicit formam inamiſſibiliter, alia verò amiſſibiliter, ut communiter docent Thomiſtæ, & nos dicemus in libris de Cœlo q. 1. art. 3. ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterùm ant. ad cujus prob. diſt. ant. differunt ſpecie poſitivè, nego, negativè, concedo ant. & nego conſeq. Ut enim fusè oſtendunt PP. Compl. hic diſp. 3. q. 3. Materia prima ex ſe nullam habet diſtinctionem ſive genericam, ſive ſpecificam, ſive numericam poſitivam, ſed ſolùm habet à forma, à qua recipit ſuum eſſe actuale. Undè ex ſe poteſt habere duntaxat aliquam differentiam negativam. Sicque materia Cœleſtis, & ſublunaris differunt ſpecie negativè, quatenus carent principio conveniendi ſpecificè. Hoc fuſiùs explicabitur in lib. de Cœlo quæſt. prima art. 3.

Contra 1. Materiæ Cœleſtis, & ſublunaris habent poſitivam convenientiam genericam, & non ſolùm negativam inter ſe : ergo etiam poterunt habere diſtinctionem inter ſe ſpecificam poſitivam. Conſequentia eſt exacta, quia ratio generica dividitur per differentias ſpecificas. Ant. prob. tripliciter. Primò. Materia prima ut ſic æqualiter dicitur de materia Cœleſti, & ſublunari : ergo materia Cœleſtis, & ſublunaris habent poſitivam convenientiam genericam in ratione materiæ, ut ſic. Ant. patet, quia omnes ſunt ſimpliciter materia. Secundò. Materia Cœleſtis, & ſublunaris, non habent poſitivam diverſitatem genericam, aliter eſſent duo genera poſitivè, & non ſolùm negativè, quod nos negamus : ergo habent poſitivam convenientiam genericam. Conſequentia eſt clara, Tum quia inter unitatem, & diverſitatem, ſeu inter convenire, & non convenire non extat medium. Tum à ſimili. Nam quia Homo, & Equus non habent poſitivè diverſitatem genericam, habent poſitivè convenientiam genericam. Tertiò. Corpus ut ſic eſt univocum reſpectu corporis Cœleſtis, & ſublunaris : ergo etiam materia ut ſic erit univoca reſpectu materiæ Cœleſtis, & ſublunaris. Conſequentia eſt exacta, tum à pari, tum quia univocatio totius reſultat ex univocatione partium, ſicut totum ex partibus reſultat.

Contra 2. Materia ſublunaris habet poſitivam unitatem ſpecificam : ergo materia Cœleſtis, & ſublunaris, ſi non ſunt ejuſdem ſpeciei poſitivæ, habebunt poſitivam diverſitatem ſpecificam. Prob ant. Omnes materiæ ſublunares poſitivè conveniunt in hoc, quòd eſt appetere formam amiſſibiliter : ergo habent poſitivam unitatem, ſeu convenientiam ſpecificam.

Reſp. ad 1. nego ant. Ad 1. prob. nego conſeq. & ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim cauſam cujuſcunque analogiæ eſſe ſolam inæqualitatem. Hoc autem eſt falſum. Nam (ut conſpeximus in Logica Syntag. 4. q. 1. art. 3. etiam tranſcendentia ſe ſola poteſt cauſare, & reapſe cauſat analogiam proportionalitatis. Inæqualitas autem cauſat analogiam, quæ dicitur analogia attributionis: Undè claritatis gratia diſtinguo ant. dicitur æqualiter, ſed cum tranſcendentia, concedo, prædicatur æqualiter, & ſine tranſcendentia, nego ant. & conſequentiam. Hoc ipſo enim, quòd aliqua ratio eſt tranſcendens, cùm imbibatur in omnibus rationibus particularibus, ſeu in omnibus differentiis inferiorum, nequeunt inferiora differre per proprias rationes particulares, ſeu per proprias differentias, quin differant in ratione communi. Sicque ratio communis nequit eſſe in illis omnino eadem, adeoque debet eſſe in illis analoga. Nos autem probavimus § 2. num 4. rationem ſubſtantiæ incompletæ tranſcendere ultimas differentias materiæ primæ. Et idem dicendum eſt de ratione materiæ, ut ſic reſpectu Cœleſtis, & ſublunaris ; quia recipientia, ſeu receptivitas formæ amiſſibiliter, vel inamiſſibiliter eſt in ſuo conceptu ratio materiæ ; quia cùm non ſit forma, eſt potentia, cùm ens immediatè dividatur in actum, & potentiam. Potentia autem ſubſtantialis eſt Materia prima in ſuo conceptu. Idcircò ratio materiæ ut ſic eſt analoga reſpectu materiæ Cœleſtis, & ſublunaris.

Aliqua, quæ poſſent opponi de tranſcendentia non mutua (ultra dicta §. 2. num. 4. in fine) indigitabo num. ſequenti ad 2. arg.

Deinde potuiſſet dici, quòd prædicatur æqualiter æqualitate ſolùm negativa, non verò poſitiva.

Dices. Definitio materiæ ut ſic eſt univoca : ergo etiam eſſentia materiæ ut ſic erit univoca. Ant. ambiguitatem admittere nequit, quia una definitio hoc ipſo, quòd eſt una, nequit explicare, niſi unam eſſentiam. Siquidem ſicut definitio explicat eſſentiam, ita una definitio unam explicat eſſentiam ; analoga autem habent plures eſſentias, & non unam ſolam eſſentiam. Conſequentia autem prob. Definitio explicat eſſentiam rei : ergo definitio univoca debet explicare eſſentiam univocam, adeoque ſi definitio materiæ ut ſic eſt univoca, etiam materia ut ſic definita erit univoca. De quo vide dicta in Logica Syntag. 4. q. 1. art. 4. §. 4. ad 1. arg.

Reſp. illam definitionem materiæ eſſe univocam duntaxat negativè, non verò poſitivè : Sicut etiam ipſa materia poteſt dici univoca, non poſitivè, ſed ſolùm negativè, & etiam analoga negativè, quatenus nec habet id per quod poſitivè conveniat, nec id, per quod poſitivè differat, utpote carens poſitivo genere, & carens poſitiva differentia. Quæ omnia habet à forma.

Nec obſtat, quòd talis definitio ſit una etiam poſitivè.

Non, inquam, obſtat. Nam eſt una poſitivè tantummodo materialiter, & in eſſe entia, non verò in eſſe definitionis. Siquidem in eſſe definitionis eſt una ſolùm negativè, quia explicat rem ſolummodo negativè unam.

Quàm levis autem ſit hæc inſtantia vidimus in Logica Syntag 4. q. 1. art 4. §. 4. ad 1 arg ſub num. 9.

Ad 2. prob. Dato ant. nego conſeq ad cujus prob. diſt. ant. inter habere unitatem, & diverſitatem, ſeu inter convenire, & non convenire non extat medium, ſumpta diverſitate, ſive diſconvenientia pro quomodocunque diverſificari, concedo, ſumpta pro rigorosè differre, nego ant. & conſequentiam. Inter convenire ergo, & diſconvenire, ſeu diverſificari, non extat medium, ſi ly *diſconvenire*, ſive diverſificari ſumatur in tota ſua latitudine. Si verò ſumatur pro rigorosè differre extat medium, nimirum extat hoc, quod eſt eſſe primò diverſum. Patet enim, quòd ſuprema genera nec conveniunt inter ſe, nec rigorosè differunt, cùm non habeant differentiam rigorosè dictam (aliter utpote conſtantia ex genere, & differentia eſſent ſpecies, ſi non infimæ, ſaltem ſubalternæ, non verò eſſent genera ſuprema) ſed ſunt primò diverſa, quia ſe totis differunt. Sic etiam Materia Cæleſtis, & ſublunaris, quia non habent differentiam propriè dictam, nec conveniunt poſitivè, nec differunt poſitivè, ſed ſunt primò diverſæ; quia ſe totis differunt.

Ad 2. conſequentiæ prob. diſt. ant. præcisè propter hoc, nego, aliter, concedo ant. & nego conſequentiam. Homo enim & Equus non ideo præcisè habent poſitivam convenientiam genericam, quia non habeant diverſitatem (hoc enim eſt ſolùm aliquid neceſſariò requiſitum) ſed quia ratio animalitatis, in qua non differunt, eſt virtualiter excluſivè diſtincta ab eorum differentiis, cujus oppoſitum contingit in ma-

Google

in materia prima. Ideò diſpar eſt ratio, quæ magis patebit num. 7. ad 2. arg.

Ad 3. prob. primi antecedentis, nego conſeq. lata enim eſt diſparitas, qoia ſcilicet differentiæ corporis cœleſtis, & ſublunaris ſunt virtualiter excluſivè diſtinctæ ab ipſo. Ad rationem diſt. ant. ex univocatione partium ſimul ſumptarum, concedo, ſeorſim ſumptarum, nego ant. & conſequentiam, vel diſtingoo conſequens eodem modo. Et retorqueo hanc rationem ſic. Nam licèt totum reſultet ex partibus, tamen partes, non ſcorſim, ſed ſolùm collectivè ſumptæ ſont ipſum totum: ergo pariter licèt univocatio totius reſultet ex univocatione partium, tamen non aliqua pars ſcorſim erit univoca, ſed duntaxat omnes ſimul ſumptæ; quo pacto non ſunt, niſi ipſum totum.

Ad 2. Inſtantiam, nego ant. Ad prob. nego ant. Conveniunt enim ſolùm negativè, quia, ſicut diximus, materia cœleſtis, & ſublunaris habent diſtinctionem tantùm negativam in hoc, quod eſt appetere una inamiſſibiliter, & altera amiſſibiliter: ita materiæ ſublunares conveniunt ſolùm negativè in hoc, quod eſt appetere amiſſibiliter; quia conſtituuntur in ſpecie poſitiva per ſolam formam à qua ſola habent eſſe.

Contra. Illa dicuntur primò diverſa, quæ in nullo conveniunt, ſed materia cœleſtis, & ſublunaris in aliquo conveniunt: ergo non ſunt primò diverſa. Maj. patet. Illa enim dicuntur primò diverſa, quæ ſe totis differunt.

Reſp. diſt. maj. quæ in nullo conveniunt univocè, concedo, quæ in nullo conveniont etiam analogicè, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Aliqua eſſe primò diverſa eſt ſe totis differre, ita quòd in cunctis, quæ habent, dicant aliquam diverſitatem, & in nullo conveniant univocè. Undè materia cœleſtis, & ſublunaris cùm in nullo conveniant univocè, quia (ut vidimus) non extat aliqua ratio generica ipſis communis; idcircò ſunt primò diverſæ. Quæ doctrina ſumitur ex D. Th. p. p. q. 66. art. 2. obi, inquit, quòd *materia cœleſtis corporis, & elementorum non eſt eadem, niſi ſecundùm analogiam.*

Dices. Eſſe primò diverſum eſt pluſquam differre; ſed hoc, quod eſt pluſquam differre eſt habere pluſquam actum metaphyſicum: ergo materia prima habet pluſquam actum metaphyſicum. Prob. min. Differre eſt habere actum metaphyſicum: ergo pluſquam differre eſt habere pluſquam actum metaphyſicum.

Conſ. & explicatur. Eſſe aliqua primò diverſa eſt ſe totis differre; ſed ſe totis differre eſt ſe totis eſſe actum metaphyſicum: ergo materia prima ſe tota eſſet actus metaphyſicus. Prob. min. Differre eſt habere actum metaphyſicum: ergo ſe totis differre eſt ſecundùm omnia habere actum metaphyſicum.

Reſp. diſt. maj. eſt pluſquam differre negativè, concedo, poſitivè, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Dicuntur ergo eſſe primò diverſa per hoc, quod ſe totis differant aliqua, non poſitivè per differentias poſitivas, ſed ſolùm negativè, quatenus in nullo conveniunt univocè. Per quod patet ad Conſ. Et poteſt ſemper illuſtrari exemplo ſupra allato de ſupremis generibus.

7. Arg. 2. Materia prima ex ſe ipſa habet rationem conveniendi, & diſconveniendi; ſed ratio diſconveniendi eſt actus metaphyſicus: ergo materia prima habet actum metaphyſicum. Prob. maj. Materia prima convenit cum forma, quia utraque eſt ſubſtantia incompleta; & rurſus differt, quia una eſt potentia receptiva, & altera eſt actus informativus: ergo &c.

Reſp. diſt. maj ſumpto convenire pro convenientia univoca, & diſconvenire pro differre propriè, nego, aliter, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Sicut enim ſupra dixi, quòd materia cœleſtis, & ſublunaris ſunt primò diverſæ; ita idem dico de materia, & forma, quia ſe totis differunt, & in nullo conveniunt univocè, eò quòd earum rationes differentiales intimè includunt rationem communem ſubſtantiæ incompletæ, quæ illas tranſcendit.

Contra. Ratio potentiæ paſſivæ virtualiter excluſivè diſtinguitur à ratione ſubſtantiæ incompletæ in materia prima: ergo una non includit aliam, adeoque corruit reſponſum. Prob. ant. Tunc unum virtualiter excluſivè ab alio diſtinguitur, quando ex ſua ratione formali non eſt illud; ſed ratio potentiæ paſſivæ non eſt ex ſui ratione formali ratio ſubſtantiæ incompletæ: ergo &c. Prob. min. Tunc unum non eſt ex ſua ratione formali aliud, quando poteſt ſtare ſine illo; ſed ratio potentiæ paſſivæ ſtat ſine ſubſtantia incompleta, ut palam eſt de quantitate, quæ eſt potentia paſſiva, & tamen nullo pacto eſt ſubſtantia: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego min. loquendo de potentia paſſiva; quod idem dico ad prob. Et ad id, quod ſubditur dico, potentiam paſſivam, quæ convenit quantitati, eſſe potentiam paſſivam ſecundam. Et retorquetur argumentum ex dictis §. præcedenti 2. num. 4. in fine.

Inſt. Ideo animal V. G. diſtinguitur virtualiter excluſivè à latrali, rationali &c. quia animal ſaltem ſecundùm ſuum conceptum inadæquatum poteſt ſalvari ſine eo, quod ſit latrale, ut palam eſt in Equo, & ſine eo, quod ſit rationale, ut perſpicuum eſt in eodem Equo, & in Cane &c. ſed poteſt ſalvari ratio ſubſtantiæ incompletæ, ſaltem ſecundùm ſuum conceptum inadæquatum, ſine eo, quod ſit prima potentia, ut patet in ipſa forma: ergo ratio ſubſtantiæ incompletæ virtualiter excluſivè diſtinguitur à ratione primæ potentiæ. Maj. patet. Non enim eſt alia ratio excogitabilis.

Conſ. Sicut non eſt poſſibilis ratio primæ potentiæ, quæ non ſit ſubſtantia incompleta, ita neque eſt poſſibile latrale V. G. quod non ſit animal, cùm nequeat extare latrale, quòd non ſit Canis; ſed hoc non obſtante, quia poteſt ſalvari animal ſine eo, quod ſit latrale, ideo latrale, ſive latrabile diſtinguitur virtualiter excluſivè ab animalitate: ergo pariter, quia poteſt ſalvari ſubſtantia incompleta ſine eo, quòd ſit prima potentia, ratio primæ potentiæ diſtinguetur virtualiter excluſivè à ratione ſubſtantiæ incompletæ.

Urg. Sicut valet arguere *ratio primæ potentiæ non eſt accidens, ergo ſubſtantia non incompleta, ergo incompleta*, ita valet arguere *latrale non eſt non vivens, ergo vivens; non inſenſitivum, ergo ſenſitivum, ſeu animal;* ſed hoc non obſtante latrale virtualiter excluſivè diſtinguitur ab animalitate tanquam differentia à genere: ergo etiam eo non obſtante ratio primæ potentiæ diſtinguetur virtualiter excluſivè à ratione ſubſtantiæ incompletæ tanquam differentia à genere.

Reſp. ad Inſt. & Conſ. nego cauſalem in utraque. Cauſalis enim non eſt illa, ſed vera cauſalis eſt, quia id, quod reſultat ex latrali, & animali, nempe Canis, & id, quod reſultat ex animali & rationali, ſeu Homo eſt quid completum verè, & propriè, adeoque animal eſt quid verè, & propriè complebile, latrale verò, & rationale quid verè, & propriè completivum; omne autem completivum diſtinguitur virtualiter excluſivè à ſuo complebili, quia nihil eſt completivum ſui ipſius, aliter eſſet, & non eſſet completivum, nimirum eſſet, ut ſupponitur, & non eſſet, quia eſſet complebile. At id, quòd reſultat ex ratione ſubſtantiæ incompletæ, & ex ratione primæ potentiæ, nempe materia prima non eſt quid completum.

Contra. Reſponſum hoc eſt mera petitio principii: ergo non eſt idoneum. Prob ant. Hoc illud eſt, quod in præſenti diſputatur, num videlicet materia prima ſit quid completum in eſſe metaphyſico, dum diſputatur, an conſtet ex genere & differentia, quod idem ſunt ac complebile, & completivo in eſſe metaphyſico: ergo eſt petitio principii, adeoque eſt alia ratio excogitanda.

Reſp. nego ant. Ad prob dato ant. diſt. conſequens, eſſet petitio principii, niſi ulteriorem aſſignaremus rationem, & diſparitatem, concedo, aliter, nego conſequentiam. Ratio ergo quare materia prima nequeat eſſe hoc modo quid metaphyſicè completum, conſtans ex genere complebili & differentia completiva eſt, quia deberet in ea excogitari ratio ſubſtantialis incompleta complebilis, ſicut V. G. in Homine aſſignatur ratio ſubſtantialis complebilis, nempe ratio animalitatis, nec per hoc, quod dicatur *animalitatem eſſe ſubſtantiam incompletam* fit ut nugæ, & propoſitio identica, ſed eſt propoſitio formalis. At in materia prima non eſt excogitabilis hæc ratio ſubſtantialis incompleta complebilis. Nam ſi eſſet excogitabilis maximè eſſet ipſa ratio ſubſtantiæ incompletæ (ut Adverſarii dicunt) complebilis per rationem primæ potentiæ. Hoc autem eſſet riſu excipiendum & cacchinnis, quia dicere quòd *ratio ſubſtantiæ incompletæ* in materia prima *eſt ſubſtantia incompleta, ſeu ratio ſubſtantialis incompleta* eſt ut nugæ, & propoſitio identica.

Ad id, quo urgetur Reſp. verum eſſe, quòd valet ita arguere de latrali, & rationali, in ſenſu phyſico, non verò in ſenſu metaphyſico. At de potentia prima valet ita arguere

etiam

Digitized by Google

etiam in ſenſu metaphyſico. Et ratio diſcriminis iterum eſt, quia nimirum id, quod reſultat ex latrali, & animali, ſcilicet Canis, & id, quod reſultat ex animali, & rationali, nempe Homo, eſt quid completum, non verò eſt quid completum id, quod reſultat ex ſubſtantia incompleta, & ex prima potentia, nempe materia prima. Quare autem illa ſint quid metaphyſicè completum, non verò materia, nuper dictum eſt.

Idem dicas ad omnes paritates, quæ poſſent adduci de entibus aliis completis, puta de corpore ut ſic, de quo diximus ad 1. arg. aliqua.

Et hæc diſparitas poteſt eſſe alia optima ratio pro noſtra concluſione.

Ex his colligi poteſt, verum eſſe id, quod diximus §. 2. num. 4. in fine, nimirum locum non habere præciſionem non mutuam, quæ tametſi extaret nihil Adverſariis ſuffragaretur. Nam ſecundùm ipſos præciſio non mutua non ſufficit ad univocationem, cum (ut vidimus in Logica Syntag. 4. quæſt. 1. art. 2. §. 2. num. 6. in ult. probatione) ipſi dicant, ens præſcindere præciſione non mutua à differentiis, & tamen adhuc prætendant ſalvare, quòd ens ſit analogum.

8. Arg. 3. & eſt etiam objectio contra hactenus dicta. Sicut ſe habet ſubſtantia completa ut ſic ad ſubſtantias completas, ita ſubſtantia incompleta ut ſic ad ſubſtantias incompletas; ſed prima virtualiter excluſivè diſtinguitur ab omnibus rationibus propriis cujuſcunque ſubſtantiæ completæ in particulari: ergo etiam ſecunda ita diſtinguetur à rationibus propriis cujuſcunque ſubſtantiæ incompletæ in particulari.

Reſp. nego maj. Si ly *ſicut* dicat omnimodam paritatem. Diſparitas eſt, quia ſubſtantiæ completæ non repugnat compoſitio ex genere, & differentia virtualiter excluſivè diſtinctis. Cæterùm ſubſtantiæ incompletæ hoc ipſo, quod incompleta, repugnat talis compoſitio; quia aliter eſſet quid completum, & non incompletum, eo quòd eſſet totum compoſitum ex genere, & differentia. Quæ ratio meliùs dilucidatur ex dictis ad ult. inſt. factam contra reſp. datam ad præcedens 2. arg.

Quòd ſi gradus ſpecificus diſtingueretur virtualiter excluſivè à gradu generico, quoque gradus individualis deberet ſic à ſpecifico. Quod eſſe impoſſibile patebit ex dicendis in Metaphyſ. q. 12. art. 3. §. 3. num. 5. ad 1. arg.

Contra. Materiæ primæ licèt repugnet compoſitio in eſſe phyſico, non tamen in eſſe metaphyſico: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Non repugnat aliquid eſſe compoſitum in eo genere, in quo non eſt componens; ſed materia prima in eſſe metaphyſico non eſt componens: ergo &c.

Conf. ex Piny. Si non eſt componens in eſſe metaphyſico neceſſariò debet eſſe compoſita, ſicut niſi eſſet componens in eſſe phyſico eſſet compoſita: ergo materia prima cùm non ſit metaphyſicè componens, erit metaphyſicè compoſita.

Reſp. nego ant. Ad prob. data maj. & min. diſt. conſequens quantùm eſt ex hoc capite, concedo, ſecùs, nego conſequentiam. Non igitur materiæ primæ repugnat eſſe metaphyſicè compoſitam, quia ſit metaphyſicè componens, adeoque quantùm eſt ex hoc capite illi non repugnat compoſitio metaphyſica; repugnat tamen ex aliis capitibus adductis §. 2. puta propter tranſcendentiam ſubſtantiæ incompletæ in ultima differentia materiæ primæ, impedientem diſtinctionem virtualem excluſivam requiſitam indiſpenſabiliter ad compoſitionem metaphyſicam. Sanè ens nec eſt metaphyſicè componens, nec metaphyſicè compoſitum, aliter non eſſet metaphyſicè tranſcendens, nec formaret unum ſimpliciſſimum conceptum.

Ad Conf. nego ant. Quemadmodum namque Deus propter ſummam actualitatem nec phyſicè, nec metaphyſicè eſt componens; & tamen nec phyſicè, nec metaphyſicè eſt compoſitus: ita materia prima propter ſummam potentialitatem nec phyſicè, nec metaphyſicè erit componens, aut compoſita. Ad prob. annexam dico, diſcrimen eſſe, quòd niſi eſſet phyſicè componens deberet eſſe phyſicè compoſita, quia non eſſet ampliùs prima potentia: Undè tunc eſſet compoſita tum phyſicè, tum metaphyſicè. Cæterùm tametſi non ſit metaphyſicè componens adhuc eſt prima potentia phyſica. Undè ſicut Deus, quia eſt primus actus nec metaphyſicè eſt compoſitus, ita neque materia prima, quia eſt prima potentia.

Nec ex hoc ſequitur, quòd materia prima ſit ita perfecta ſicut Deus, vel magis quàm aliæ res compoſitæ ad Deum accedat, eò quòd careat omni compoſitione, & diſtinctione virtuali ſicut Deus.

Non, inquam. Nam Deus caret omni compoſitione, & diſtinctione virtuali excluſiva propter exceſſum perfectionis, materia verò propter perfectionis defectum. Eo modo, quo tam ens rationis, quàm Deus dicuntur abſtrahere negativè ab omni materia. Quia tamen abſtrahit Deus per exceſſum in perfectione, & ens rationis abſtrahit per defectum in perfectione, ens rationis non eſt perfectius aliis entibus realibus, nec magis ad Deum accedit.

Dices ex Lerma. Rationes propriæ cujuſcunque ſubſtantiæ incompletæ ſe habent ut determinativè ſubſtantiæ incompletæ ut ſic, ſed rationes determinativæ ſunt differentiæ virtualiter excluſivè diſtinctæ, ut patet de animalitate, & rationalitate reſpectu animalis: ergo ratio ſubſtantiæ incompletæ ut ſic virtualiter excluſivè diſtinguitur à rationibus propriis materiæ primæ.

Reſp. per dicta in Logica Syntag. 4. q. 1. art. 1. §. 3. ad 1. diſt. maj. determinatione propriè dicta, nego, impropriè dicta, & ſolùm quò ad explicitum, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Rationes enim particulares cujuſcunque ſubſtantiæ incompletæ non determinant ſubſtantiam incompletam ut ſic propriè, ſicut rationalitas contrahit, & determinat animalitatem, ſed duntaxat propriè, & quo ad explicitum, ſicut differentiæ cujuſcunque particularis entis V. G. accidens, ſubſtantia, ſive perſeitas, inhæleitas &c. determinant ens ut ſic. Undè ſicut iſtæ ſolùm quò ad explicitum diſtinguuntur ab ente, ita illæ à ſubſtantia incompleta.

9. Arg. 4. Sicut materia prima eſt prima potentia, ita forma ſubſtantialis eſt primus actus, ſed iſta includit potentialitatem metaphyſicam: ergo è contra materia prima includit actum &c. Min. patet, aliter forma eſſet actus purus ſicut Deus.

Reſp. nego min. Sicut enim nequit concipi ratio primæ potentiæ ſine eo, quòd concipiatur ratio ſubſtantiæ incompletæ, ita nec poteſt concipi ratio primi actus, niſi ſaltem implicitè concipiatur ſubſtantia incompleta propter eandem rationem. Undè ſicut hac ratione materia prima non habet actum metaphyſicum virtualiter excluſivè diſtinctum, ita neque forma potentialitatem metaphyſicam virtualiter excluſivè diſtinctam ab actu metaphyſico.

Nec inde ſequitur, quòd forma ſit actus purus. Non, inquam, quia licèt in ſe non habeat aliquid, quod ſit potentia phyſica, aut metaphyſica, habet tamen hoc, quod eſt eſſe in potentia, ſeu dicit capacitatem, ut recipiatur in materia prima, ut dixi art. præcedenti §. 3. n. 9. ad ult. arg.

Contra. Anima ut ſic prædicatur univocè de anima intellectiva, vegetativa, & ſenſitiva, ſicut vivens univocè prædicatur de intellectivo, ſenſitivo, & vegetativo; ſed non poteſt prædicari univocè, niſi ratio generica virtualiter excluſivè diſtinguatur à ratione differentiali: ergo forma conſtat ex ratione generica, ſeu potentialitate metaphyſica.

Reſp. nego maj. Sicut enim ſupra ad 1. arg. diximus, quòd materia prima ut ſic non prædicatur univocè de cœleſti, & ſublunari, ita nec anima in communi de intellectiva, vegetativa, & ſenſitiva, ſicut nec forma ſubſtantialis ut ſic de formis inferioribus propter eandem rationem. Niſi Animam excipias rationalem, quæ duntaxat *ut quo* eſt ſubſtantia incompleta, & completa *ut quod*.

Ad id autem, quod dicitur de vivente dicimus, ſicut ſupra ad 3. prob. poſitam in prima inſtantia contra reſp. datam ad 1. arg. dicebamus de corpore ut ſic reſpectu cœleſtis, & ſublunaris, quòd ideo prædicatur univocè, quia cùm ſit aliquid completum ejus differentiæ virtualiter excluſivè diſtinguuntur à ratione generica. Non ſic autem materia prima, & forma, quia ſunt eſſentialiter ſubſtantia incompleta.

10. Arg. 5. Materia prima habet aliquam poſitivam unitatem, & intelligibilitatem; ſed iſta eſt quidam actus: ergo materia prima habet aliquem actum. Prob. maj. Unitas, & intelligibilitas eſt paſſio entis; ſed materia prima eſt ens: ergo &c.

Reſp. primitèr, quòd ex hoc arg. ſolùm concluditur aliquis actus tranſcendentalis, licèt ad materiam primam contractus, contractione, non quidem propriè, ſed impropriè ſolùm, quia unitas, & intelligibilitas ſequens ad ens eſt tranſcendentalis.

Verùm quia omnem actum excludere debemus, nego maj. Ad prob. diſt. min. eſt ens dependenter à forma, concedo, in-

dependenter ab illa, nego maj. Materia enim prima non habet eſſe, niſi cum dependentia à forma, non ſolùm in eſſe exiſtentiali (de qua art 4) ſed etiam eſſenriali; quia eſſentialiter ordinatur ad formam, & conſiſtir in pura capacitate, & potenrialiiate ad illam. Unde neque habet unitatem aliquam, aut intelligibiliiatem ratione ſui, ſed ſolùm ratione formæ. Hinc S. Thom p p. q. 15 art. 3. ad 3. inquit: *materia ſecundùm ſe neqae babet eſſe, neque cogaoſcibilis eſt*.

11. Arg. poſtremò. Ordo, quem materia dicit ad formam eſt aliquis actus differentialis illius: ergo ſemper verificatur, quòd aliquem actum metaphyſicum includat.

Reſp. nego ant. loquendo de actu differentiali propriè dicto, quia (ut vidimus §. 2.) talis ordo intimè tranſcendirur à ratione ſubſtantiæ incompletæ. Idcircò nequit eſſe diſſ:-tentia virtualiter excluſivè diſtincta ab illa.

Qua ex re habes, quòd licèt ordo ad actum poſſit conſtituere aliquid in ſpecie determinata, ſicut in habitibus, & potentiis evenit, In quibus ſpecies habetur per ordinem ad objectum; quia ſunt aliquid completum; non tamen materia prima poteſt conſtitui in ſpecie determinata per talem ordinem; quia eſt aliquid iocompletum, nec talis ordo eſt aliquid virtualiter excluſivè diſtinctum.

12. Ex dictis colligi poteſt, quàm remota ſit ſententia hactenus oppugnata à via Thomiſtica, Tum quia videtur coincidere cum ſententia Scoti, admittentis in materia actum entitativum, ut conſpeximus §. 1. num. 2. Tum quia videtur opponi tranſcendentiæ entis, quam communiter propugnant Thomiſtæ, contra Scotum. Tum quia videtur ſaltem illativè opponi concluſioni, quam art. præcedenti contra Scotiſtas defenſavimus. Si enim materia prima eſt metaphyſicè compoſita ex actu metaphyſico, debet eſſe quoque compoſita ex actu phyſico, quia compoſitio metaphyſica fundatur ſuper compoſitionem phyſicam, cùm illi ſubordinetur, ſicut eſſe metaphyſicum ſuper phyſicum fundatur. Undè omne, quod eſt metaphyſicè compoſitum, debet etiam eſſe phyſicè compoſitum, vel actualiter, vel aptitudinaliter: Sicut natura Angelica, quæ pro priori ad ſui ſubſiſtentiam, & exiſtentiam concepta eſt metaphyſicè compoſita, eſt compoſita etiam phyſicè exigitivè; quia exigit compoſitionem ex eſſentia, & ſubſiſtentia. Ob idque etiam materia prima, ſi eſſet metaphyſicè compoſita, exigeret etiam proprium actum phyſicum, vel ſaltem exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Materia Peripatetica prima habeat propriam partialem exiſtentiam.

§. I.

1. NOmine exiſtentiæ venit id, quo res conſtituitur extra ſtatum poſſibilitatis, & ponitur extra omnes cauſas. Ob idque ſolet appellari etymologicè *extra cauſas, vel extra nibilum ſiſtentia*; In qua nominis etymologia omnes conveniunt. Quænam autem ſit ejus definitio, habetur à Metaphyſicis, quòd ſit *ultima actualitas*, ſeu *ultimus terminus eſſentiæ in linea entis*. In qua definitione non omnes convenire videntur; quia cùm admittant exteri tum exiſtentias, tum ſubſiſtentias partiales, & totales, diverſas definitiones coguntur dare pro partialibus, ac pro totalibus. Hoc ſuppoſito

2. Affirmant Scotiſtæ, & ferè omnes exteri. Cùm enim aſſerant, exiſtentiam eſſe realiter indiſtinctam ab eſſentia, materia ſicut habet propriam partialem eſſentiam, ita tenentur admittere, quòd habeat propriam partialem exiſtentiam. In præſenti tamen præſcindimus ab illa diſputatione, num nimirum eſſentia realiter identificetur cum exiſtentia. Eſſe namque exiſtentiam realiter ab eſſentia diſtinctam, latiſſimè ſuſtinebimus infra quæſt. quinta art. primo.

Negant communiter Thomiſtæ, quos ſequitur P. Mauritus Jeſuita. Cum quibus

§. II.

Concluſio negativa.

2. ITa S. Th. 1. contra Gentes cap 43. ubi ita à materia excludit omnem actum, ſicut à Deo omnem potentialitatem. Rurſus q 4. de pot. art. 1. in corp. *quidquid enim*, loquit, *in rerum natura invenitur, actu exiſtit, quod quidem non habet materia, niſi per formam*. Ubi S. Th. negat omnem exiſtentiam etiam incompletam, quia (ut patet ex ejus verbis) materia non habet exiſtentiam, ſeu non habet exiſtere, niſi per formam; ſed materia non exiſtit completè, quia hoc eſt proprium ſolius compoſiti: ergo negat exiſtentiam etiam incompletam. Undè non tantùm intendit hoc, nempe quòd materia nequeat naturaliter exiſtere ſine forma, ſed etiam negat exiſtentiam, cùm dicat, quòd materia non habet exiſtere, ſeu exiſtentiam, niſi per formam. Sicque corruit reſponſio P. Ruvii, & aliorum.

3. Prob. 1. ratione. Materia prima ſi propriam partialem poſſideret exiſtentiam, poſſideret ea quoque, quæ ad partialem ſequuntur exiſtentiam; ſed non obtinet ea, quæ ad partialem conſequuntur exiſtentiam: ergo &c. Maj. eſt claritate ipſa clarior. Quemadmodum enim quod habet quantitatem habet etiam quæ conſequuntur ad quantitatem, quod habet qualitatem, habet quoque ea, quæ conſequuntur ad qualitatem, ita &c. Min. verò prob. Ad partialem exiſtentiam ſequitur partialis operatio; ſed materia prima non poſſidet partialem operationem: ergo &c. Min. ſi negetur, jam nihil evidens erit in Univerſo, quòd negari non poſſit. Siquidem dum Homo V. G. loquitur non habetur partialis locutio pro materia, & partialis pro forma locutio: quando Homo deambulat non intervenit ſpecialis deambulatio pro materia, & alia partialis pro forma, benè verò una totalis locutio, & una totalis deambulatio, qua loqui dicitur, & ambulare Homo *ut quod*, materia verò, & forma *ut quo*. Maj. autem prob Operari ſequitur ad eſſe: ergo &c. Ant. planum eſt, cùm nihil operetur, niſi exiſtens ſit. Non enim Scotiſta, dum erat poſſibilis, loquebatur, ambulabat, &c. Eò vel magis quòd, ut inquit Stagyrita 2. Phyſ. cap. 4. unumquodque eſt propter ſuam operationem. Conſeq. autem prob. Quod ſequitur ad eſſe debet cum ipſo, ut ita dicam, proportionari, ſicut quod ſequitur ad quantitatem, vel ad qualitatem, debet cum iſtis proportionem habere: ergo ſi operari ſequitur ad eſſe, debet cum iſto proportionari, ita quòd ſi illud eſt partiale, & iſtud ſit partiale, adeoque &c.

Conf. Ad exiſtentiam totalem ſequitur operatio effectiva totalis; ergo pariter ad exiſtentiam partialem ſequitur operatio partialis etiam effectiva.

Dum ratiocinationem iſtam cuidam Scotiſtarum objicerem, reſpondit, materiam habere partialem operationem, quæ tamen non eſt partialis locutio, deambulatio, &c. ſed hoc, quod eſt reddere exiſtentem formam. Sed

Contra ſic arguebam. Operari efficienter ſequitur ad eſſe, ideſt ad exiſtere, ut efficaciter probatum eſt nuperrimè: ergo materia prima ſi propria partiali gauderet exiſtentia, gauderet partiali operari etiam efficienter, nimirum efficiendo locutionem, viſionem, generationem partialem; quia hoc, quod eſt formam ſubſtentare (ut Scoticè loquar) ſive reddere formam exiſtentem, non eſt operari efficienter; eò quòd materia operatur ut cauſa materialis, & non ut cauſa efficiens reſpectu formæ; nec efficit formam, aut exiſtentiam formæ, quæ ab efficiente efficiuntur cauſa ſive creante, ſive generante; ergo &c.

Reſpondebat, quòd operari efficienter ſequitur ad eſſe eſſentiæ, non verò ad eſſe exiſtentiæ. Sed

Contra conſurgebam, Tum quia ex hoc ſequeretur, quòd materia ſicut partialem habet eſſentiam, ita & partialem haberet operationem etiam effectivè. Tum quia operari ſequitur etiam ad eſſe exiſtentiæ, eique proportionatur: ergo falſum reſponſum. Prob ant. Ad exiſtentiam V. G. Angelicam ſequitur operatio Angelica; ad exiſtentiam humanam ſequitur operatio Hominis, aut humana; ad exiſtentiam Equinam operatio Equina, &c. ergo &c.

Reſpondit, quòd operatio Angelica &c. ſequitur ad eſſentiam Angelicam, &c.

Contra exurgebam, Tum quia, ut dixi, materia cum partialem eſſentiam habeat, quoque partialem ſortiretur operationem, Tum quia eſtò verum ſit, quòd operatio V. G.

An-

Angelica ſequatur ad eſſentiam Angelicam; verum tamen eſt, etiam ſequi ad exiſtentiam Angelicam, aut humanam, &c. ergo ſimiliter ad exiſtentiam etiam partialem conſequetur partialis operatio. Aut. adeo verum eſt, ut exemplum in oppoſitum adduci nequaquam poſſit.

Reſpondit tandem, quòd operari ſequitur ad eſſe, ſeu exiſtere totale, non verò ad eſſe partiale, ſeu ad exiſtentiam partialem. Sed

Contra ſic arguebam, Tum per dicta in Conſ. Tum quia juxta modum loquendi Adverſariorum, qui ponunt duntaxat duas exiſtentias partiales, unam ſcilicet pro materia, & aliam pro forma, non deprehenditur iſta exiſtentia totalis, niſi quatenus ex iſtis partialibus una conflatur. Quod tamen non ita eſſe, probavi à pari, nimirum quemadmodum una operatio totalis V. G. una viſio, una locutio, &c. non reſultat ex pluribus viſionibus, locutionibus, &c. partialibus: ſecùs quemadmodum exiſtentia partialis materiæ, per adverſæ doctrinæ vindices, poteſt ſeparari ab exiſtentia formæ, dum formam amittit: ſic etiam in una V. G. viſione totali, poteſt duplex partialis extare viſio, quæ poſſet ſeparari ab alia parte viſionis.

4. Prob. a. ſic. Exiſtentia eſt id, quo res ultimò eſt extra nihil, & extra ſuas cauſas; ſed materia ex ſe pro priori ad formam non eſt extra cauſas: ergo non habet ex ſe propriam partialem exiſtentiam. Maj. patet ex dictis §§. Min. prob. Tunc res dicitur extra ſuas cauſas, quando ſunt terminatæ omnes ejus cauſæ; ſed materia pro priori ad formam non poteſt terminare omnes ſuas cauſas: ergo &c. Maj. patet, intantum enim Homo exiſtens dicitur eſſe extra ſuas cauſas, quia terminavit actiones ſuarum cauſarum. Min. prob. primò. Materia pro priori ad formam nequit terminare actionem productivam totius compoſiti; ſed actio productiva totius compoſiti terminatur etiam ad ipſam materiam, & formam: ergo &c. Prob. min. Actio productiva totius compoſiti terminatur etiam ad partes, quia totum reſultat ex partibus; ergo &c. Secundò. Forma eſt cauſa formalis materiæ conſtituens eam in ſpecie: ergo materia pro priori ad formam nequit eſſe extra omnes ſuas cauſas.

Dices, quòd conſtituere rem extra omnes ſuas cauſas eſt de ratione ſolius exiſtentiæ completæ, non verò incompletæ, & partialis, qualis eſt exiſtentia materiæ primæ: ad hanc enim ſufficit eſſe extra aliquas cauſalitates partiales, ſicut ad exiſtentiam totalem requiritur eſſe extra omnes cauſas totales. Sed

Contra inſto. Materia prima per illam exiſtentiam conſtituitur extra ſtatum poſſibilitatis; ſed nequit eſſe extra ſtatum poſſibilitatis, niſi ſit extra omnes ſuas cauſas: ergo ſi hoc non habet materia ratione ſui, neque habet exiſtentiam partialem. Min. prob. Nam quouſque aliquid continetur in aliqua ſui cauſa eſt in ſtatu poſſibilitatis: ergo nequit &c. Prob. ant. Quouſque cauſa dicitur tantùm potens producere effectum, effectus dicitur poſſibilis, ſicut cùm cauſa dicitur producere, vel produxiſſe effectum, effectus dicitur in actu; ſed quouſque effectus continetur in aliqua ſui cauſa, cauſa dicitur tantum potens illum producere: ergo prout ſic effectus dicitur in ſtatu poſſibilitatis.

Dices, quòd materia ratione ſui eſt extra ſtatum poſſibilitatis tantùm incompletè, ad quod non requiritur eſſe extra omnes ſuas cauſas. Sed

Contra. Implicat in terminis dicere quòd materia ſit extra ſtatum poſſibilitatis tantùm incompletè: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Materiam eſſe extra ſtatum poſſibilitatis incompletè eſt, non eſſe totaliter extra ſtatum poſſibilitatis: ergo eſt eſſe partim extra, partim intra ſtatum poſſibilitatis; ſed implicat, quòd aliquid ſit partim intra, partim extra ſtatum poſſibilitatis: ergo &c. Maj. patet. Nam materia dum eſt modo illo incompleto extra ſtatum poſſibilitatis, adhuc non terminavit actionem omnium ſuarum cauſarum: ergo adhuc partim intra ſtatum poſſibilitatis eſt, ſicut ſi nullam terminaſſet diceretur prorſus intra ſtatum poſſibilitatis. Min. etiam conſtat. Nam implicat, quòd aliquid ſit partim in ſtatu futuritionis, & partim in ſtatu præteritionis, partim in ſtatu poſſibilitatis, & partim in ſtatu impoſſibilitatis: ergo pariter &c.

5. Prob. 2. alia ratione Thomiſtica, qua utemur etiam quæſt. ſequenti art. ultimo. Ex materia, & forma fit unum per ſe; ſed ſi materia prima haberet propriam partialem exiſtentiam, ex illa, & forma non fieret unum per ſe: ergo materia prima nequit habere propriam partialem exiſtentiam. Maj. eſt certa. Min. prob. Ex duobus entibus in actu non fit unum per ſe, ut eſt commune proloquium, & conſtat in lapidum acervo, qui cùm conſtet ex pluribus entibus in actu, eſt aggregatum per accidens; ſed ſi materia prima haberet propriam exiſtentiam, jam extrema totum componentia eſſent ens in actu: ergo ex illis non fieret unum per ſe.

Dices, quòd licèt ex duobus entibus completis in actu non fiat unum per ſe, benè tamen ex duobus entibus in actu incompletis, ut ſunt materia, & forma. Sed

Contra. Materia prima vel eſt incompleta in propria ratione, vel incompleta in alia ratione V. G. in ratione ligni, ignis &c. Primum dici nequit, quia in ratione materiæ non completur per formam; quia forma nihil addit de materia. Secundum non obſtat, quia etiam ſubſtantia V. G. pro priori ad quantitatem, qualitatem &c. non eſt completa in linea quantitatis, qualitatis &c. & tamen ex illa, & iſtis non fit unum per ſe: ergo etiamſi materia ſit incompleta in ratione ignis, ligni &c. adhuc ex ipſa, & forma non fieret unum per ſe.

6. Prob 3. Si Materia prima haberet propriam partialem exiſtentiam, talis exiſtentia compararetur ut potentia ad exiſtentiam formæ, ſicut ipſa materia comparatur ut potentia ad formam, eò vel maximè, quòd in ſententia Adverſariorum exiſtentia eſt idem realiter cum eſſentia; ſed hoc implicat: ergo implicat, quòd materia prima habeat propriam partialem exiſtentiam. Prob. min. Exiſtentia eſt ultima actualitas, & ultimus terminus; ſed implicat id, quod eſt ultimum comparari ut potentiam ad aliud: ergo &c. Min. patet. Nam quia punctum V. G. eſt ultimus terminus quantitatis, repugnat terminari ab alio puncto: ergo pariter, quia exiſtentia eſt ultimus terminus, repugnat comparari ut potentiam ad exiſtentiam formæ.

Verùm quia ab hac ratione ſic propoſita facilè ſe expediunt Adverſarii, vel negando, quòd exiſtentia ſit ultimus terminus, & ultima actualitas; quia iſtam dicunt, eſſe ſubſiſtentiam, quam volunt recipi poſt exiſtentiam, vel ad ſummum id concedendo de exiſtentia completa. Idcircò

Alio modo propono illam, & probo, quòd exiſtentia materiæ nequeat comparari ut potentia ad exiſtentiam formæ. Repugnat, quòd aliquod ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam eſt actus, comparetur ut potentia, ſecùs eſſet, & non eſſet actus; ſed exiſtentia in ratione eſſendi eſt actus, cùm rem exiſtere, ſit, eam eſſe in actu, qua ratione Adverſarii vocitant illam actum entitativum materiæ: ergo repugnat, exiſtentiam materiæ comparari ut potentiam ad exiſtentiam formæ.

7. Probo demum ſic. Quemadmodum exiſtentia eſt id, quo res ponitur extra ſtatum poſſibilitatis, ita ſubſiſtentia eſt id, quo res ponitur extra ſtatum communicabilitatis alteri, ut ſuppoſito; ſed non admittunt Scotiſtæ plures ſubſiſtentias partiales, ſive plures negationes partiales eſſendi in alio ut ſuppoſito: ergo nec plures exiſtentias partiales admittant.

Confirmo, ut ſupra. Sicut exiſtentia conſequitur ad eſſentiam, ita operari ſequitur ad eſſe; ſed licèt materia, & forma habeant eſſe partiale, ſeu eſſentias partiales, non admittunt in eis plures operationes partiales elicitas, alteram propriam unius, & alteram propriam alterius: ergo pariter nec plures exiſtentias partiales.

Remanet ergo, quòd unica duntaxat ſit exiſtentia totalis, per quam exiſtat materia, forma, & totum compoſitum. Compoſitum quidem de primariò, partes verò de ſecundariò. Sicut unica eſt unio, qua dicuntur unitæ ipſæ partes, & dicitur etiam unitum totum compoſitum. Unica eſt quantitas, qua quantificatur totum, & ipſæ partes. Si hæc omnia benè ponderaſſet Hurtadus, non dixiſſet, ſententiam Thomiſticam imbecilli inniti ſcipioni.

§. III.

Solvantur Adverſariorum argumenta.

8. ARg. 1. ex Hurtado. Quæ producuntur per diverſam actionem habent diverſam exiſtentiam; ſed materia, & forma habent produci per diverſam actionem: ergo habent diverſam exiſtentiam partialem. Maj. patet, quia quæ habent produci per diverſam actionem habent diſtinctum fieri; ſed illa, quæ habent diſtinctum fieri, habent diſtinctam exiſtentiam, quia fieri eſt via ad exiſtentiam: ergo &c. Min. etiam conſtat, quia actio productiva ma-

teriæ primæ eſt creatio, actio verò productiva formæ eſt generatio: ergo &c.

Nonnulli concedunt, materiam per ſe terminare aliquam actionem incompletam, & adhuc negant, habere propriam exiſtentiam; quia dicunt, quòd exiſtentia terminat ſolam actionem completam.

Verùm ab hoc reſponſo omnino abſtinendum, Tum quia ratio formalis terminandi actionem productivam eſt exiſtentia: ergo ratio formalis terminandi actionem incompletam erit exiſtentia incompleta. Tum quia ratio formalis terminandi actionem completam eſt exiſtentia completa: ergo pariter ratio formalis terminandi actionem incompletam erit exiſtentia incompleta. Adde, quòd repugnat, Deum agere actione incompleta; ergo actio creativa materiæ nequit eſſe actio incompleta. Aliter igitur

Reſp. diſt. maj. quæ producuntur per ſe primariò ratione ſui per diverſam actionem habent diverſam exiſtentiam, concedo: quæ producuntur ſecundariò, & ratione alterius, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Itaque actio productiva ſive creativa, ſive generativa terminatur, non ad ſolam materiam, aut ad ſolam formam, ſed per ſe primariò ad totum compoſitum, de ſecundariò verò, & ratione totius terminatur ad partes, ſcilicet materiam, & formam. Undè attingit ſolùm exiſtentiam totius, non verò exiſtentiam partialem materiæ, aut formæ.

Contra primò. Si actio creativa terminaretur ad totum compoſitum, non poſſet creari materia, quin totum compoſitum diceretur creatum; ſed hoc eſt falſum: ergo actio creativa materiæ non terminatur ad totum compoſitum. Maj. patet. Min. prob. In ſententia probabili Thomiſtarum formæ cœlorum, & elementorum in prima rerum productione potuerunt educi de potentia materiæ; ſed in tali caſu materia fuiſſet creata, & totum compoſitum fuiſſet generatum: ergo &c. Item ſi terminaretur ad totum compoſitum, terminaretur etiam ad formam, & ſic etiam iſta ſemper eſſet neceſſariò creata.

Secundò Si actio creativa materiæ terminaretur ad totum compoſitum, etiam actio generativa formæ terminaretur ad totum compoſitum, adeoque terminaretur etiam ad materiam, ſicque etiam iſta eſſet generata; ſed materia prima eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo actio creativa non terminatur ad totum.

Conſ. 1 Si materia prima exiſteret per exiſtentiam formæ, vel à forma participatam, ſequeretur, quòd generaretur, & corrumperetur in productione cujuslibet formæ; ſed hoc eſt falſum: ergo materia prima non exiſtit per exiſtentiam formæ. Prob. maj. Fieri, aut generari eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe; ſed ſi materia exiſteret per exiſtentiam formæ tranſitus iſtos faceret in generatione, & corruptione cujuslibet formæ: ergo &c. Prob. min. Dum corrumperetur aliqua forma amitteret eſſe illius formæ, & dum generaretur aliqua forma acquireret eſſe illius formæ.

Conſ. 2. Si Materia prima exiſteret per exiſtentiam formæ, ſequeretur, quòd materia conſervaretur per actionem agentis creati; ſed hoc eſt impoſſibile. ergo &c. Maj patet. Nam tum conſervaretur in eſſe per exiſtentiam formæ, quæ ab agente naturali habetur. Min. prob. Quod non poteſt producere aliquid, neque poteſt illud conſervare, quia conſervatio eſt continuata productio; ſed agens naturale nequit producere materiam: ergo &c.

Reſp. ad 1. & 2. inſt. dupliciter. Et primò diſt. maj. ſi terminaretur ad totum, & ad partes eodem modo, concedo, aliter, nego. Quando enim creatur materia, & generatur forma, una, & eadem actio creativa terminatur ad materiam effectivè entitativè, ſcilicet efficiendo ipſam entitatem materiæ; ad formam verò, & totum ſolùm communicativè, nimirum communicando formam, & exiſtentiam ejus, ac totius ipſi materiæ. E contra actio generativa terminatur ad formam, & exiſtentiam totius entitativè effectivè, ad materiam verò communicativè, ſcilicet communicando materiam ipſi formæ.

Si dicas, quòd Materia ad hoc, ut attingatur communicativè, ſeu communicetur formæ, debet præſupponi in aliquo priori communicabilis: ergo producta: ergo exiſtens.

Reſp. ex feſtinè dicendis ad ultimam oppugn. hujus arg. quòd præſupponitur ſolùm *ut quo*, non verò *ut quod*. Vel ex dictis ſupra, præſupponi in aliquo priori *à quo*, non verò *in quo*, temporis, ſeu exiſtentiæ.

Reſp. 2. ad eandem inſt. diſt. eandem maj. ſi terminaretur ad totum compoſitum ſecundùm omnia, quæ dicit compoſitum, concedo, ſi ſolùm ſecundùm aliqua, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Itaque illa actio terminatur quidem ad totum compoſitum, non tamen ſecundùm omnia, quæ iſtud habet, ſed ſolùm ſecundùm aliqua V. G. actio creativa terminatur ad illud totum tantùm ſecundùm materiam, ipſamque proinde ſolam denominat creatam. Similiter actio generativa terminatur ad totum compoſitum, ſed ſolùm ſecundùm formam. Verum eſt tamen, quòd à forma denominatur totum generatum, quia denominatio ſumitur à forma, utpote illa, quæ dat eſſe, & nobilior eſt.

Dices. Ubi ſunt diſtinctæ actiones debent eſſe diſtincti termini; ſed actio creativa materiæ, & actio generativa formæ ſunt actiones realiter diſtinctæ: ergo habent terminos realiter diſtinctos, adeoque cùm terminus actionis ſit exiſtentia, debent plures extare exiſtentiæ realiter diſtinctæ.

Reſp. 1. diſt. maj. debent eſſe termini diſtincti realiter, nego, virtualiter, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Illæ ergo diverſæ actiones terminantur ad eandem exiſtentiam, ſecundùm tamen diverſam rationem. Actio enim generativa terminatur ad exiſtentiam ut eſt exiſtentia totius, & formæ: creativa verò terminatur ad illam ut eſt exiſtentia materiæ.

Exemplo illuſtratur in Chriſto Domino, in quo per eandem ſubſiſtentiam Divinam ſubſiſtit perſona Verbi, Anima rationalis, & humanitas, non obſtante, quòd Verbum, humanitas, & Anima rationalis, non habeant eſſe per eandem actionem: Verbum enim eſt unitum humanitati per communicationem, humanitas dicitur generata, & Anima rationalis eſt creata. Undè eadem ſubſiſtentia quatenus terminat naturam Divinam dicitur communicata humanitati; quatenus terminat humanitatem dicitur genita: & quatenus terminat animam rationalem dicitur creata ſaltem ſub hac explicita ratione; Quod non eſt inconveniens, quia non appellat ſupra ſubſiſtentiam Divinam in ſe, ſed ſub explicita ratione terminantis humanitatem, & Animam rationalem.

Reſp. 2. Maj. illam eſſe veram de actionibus diſparatis, non ſubordinatis; eſſe verò falſam de ſubordinatis inter ſe. Illæ autem actiones ſunt inter ſe ſubordinatæ.

Ad 1. Conſ. nego ſequelam. Ad prob. diſt. maj. de non eſſe ad eſſe abſolutè, & ſimpliciter, concedo, tali, vel tali modo, nego maj. (Idem dico de corruptione) & diſtincta min. nego conſequentiam. Generari ergo alicujus rei ſupponit, non eſſe ſimpliciter illius rei, ſicut corrumpi eſt ad non eſſe ſimpliciter ejuſdem rei, ut perſpicuum eſt de forma. Materia autem dum tranſit ad novam formam duntaxat tranſit de eſſe tali, nimirum talis formæ ad aliud eſſe tale, ſcilicet talis formæ. Similiter dum corrumpitur forma tunc materia amittit eſſe tale, non verò ſimpliciter; quia antequam acquireret novam formam, habebat eſſe ſub alia forma, & dum amittit unam formam acquirit eſſe ſub alia.

Ad 2. Conſ. dico, eam eſſe ſolvendam vel ab Adverſariis ipſis, quia omnes fatentur, materiam ſaltem naturaliter non poſſe exiſtere ſine forma: ergo conſervatur ab agente naturali producente formam.

Deinde diſt. maj. conſervaretur per ſe ab agente creato, nego: per accidens, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Agens naturale cùm non contineat in ſui virtute materiam primam, ſicut nequit ipſam producere, ita nequit ipſam conſervare per ſe, ſed duntaxat per accidens, ſcilicet per formam, quæ eſt aliquid neceſſariò requiſitum ad exiſtentiam materiæ.

Nec ex hoc ſequitur, quòd materia prima per ſe, & ratione ſui conſervetur à Deo, adeoque ratione ſui terminet actionem conſervativam.

Non, inquam, quia materia prima ratione ſui non eſt conſervabilis, ſed tantummodo ratione formæ. Undè à nullo agente ſive naturali, ſive ſupernaturali per ſe conſervatur, ſed ſolummodo per accidens, ſcilicet per aliud, ſeu per formam.

Dices. Quando ex ſpeciebus Sacramentalibus gignitur cinis, aut vermis, tunc materia de novo creatur, vel quantitas convertitur in materiam, forma verò vermis, aut cineris generatur: ergo tunc materia ratione ſui terminat actionem creativam, vel converſivam non ſubordinatam.

Reſp. ut ſupra diſt. ant. de ſecundariò, & ratione totius, conce-

concedo, per ſe primò, & ratione ſui, nego ant. & conſequentiam. Sicut enim diximus, quòd actio creativa materiæ terminatur primariò ad totum compoſitum, & de ſecundariò ad materiam, ita idem dicimus de actione iſta creativa novæ materiæ, vel converſiva quantitatis in materiam.

Oppugno. Si actio creativa terminaretur primariò ad totum, deberet totum in aliquo priori ſaltem naturæ, & *à quo* præcedere partes; quia omne primarium eſt prius ſecundariò; ſed hoc eſt impoſſibile, quia totum vel eſt ipſæ partes, vel ſaltem illas includit; ergo &c.

Reſpondeo diſt. maj. deberet præcedere *ut quod*, concedo, *ut quo*, nego. Diverſo enim modo partes, & totum invicem ſe præcedunt. Nam totum præcedit *ut quod* ipſas partes, quia ſolùm totum eſt illud, ad quod ſequitur eſſe, ſeu exiſtere *ut quod*. At præcedunt *ut quo* illud, quia cùm ſint id, ex quo conſtat, vel quo conſtituitur totum, ſunt etiam id, quo exiſtit totum: non quidem id, *quo* per modum rationis formalis qua exiſtit, quia hoc eſt ſola exiſtentia, ſed præcisè *id quo*, non per modum rationis formalis. Sicut in objecto viſibili lux ſe habet *ut quo* per modum rationis formalis, color verò ſe habet *ut quo*, ſed non ut ratio formalis, & demum coloratum ſe habet *ut quod*.

9. Arg. 2. ex Scotiſtis. Materia prima antecedenter ad formam ſaltem partialiter exiſtit: ergo habet ſuam partialem exiſtentiam. Prob. ant. Materia eſt cauſa formæ; ſed cauſa exiſtit antecedenter ad ſuum effectum: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob diſt. maj. eſt cauſa materialis formæ, concedo, efficiens, nego maj & diſtincta min. nego conſequentiam. Quamvis igitur cauſa, ſi eſt efficiens, debeat præſupponi exiſtens antecedenter ad ſuum effectum; quia eſt illa, quæ dat eſſe effectui, cui nemo dat, quod non habet; Et ulteriùs unumquodque operatur inquantum eſt in actu. Non tamen hoc requiritur ad cauſam materialem, quia iſta eſt cauſa tantùm receptiva; unumquodque autem eatenùs recipit quatenùs eſt in potentia. Ob idque ad cauſam materialem non deſideratur prævia aliqua exiſtentia.

Contra primò. Etiam ſubjectum eſt cauſa materialis accidentis, & tamen ſupponitur exiſtens antecedenter ad accidens; ergo materia prima licèt ſit cauſa duntaxat materialis formæ, adhuc debet præſupponi exiſtens antecedenter ad formam.

Secundò. In illo priori, quo materia cauſat formam, ſupponitur extra ſtatum poſſibilitatis; quia materia purè poſſibilis nequit cauſare formam actualiter; ergo ſupponitur exiſtens.

Reſp. ad 1. dupliciter, & primò diſt. ant. quò ad 2. p. ſupponitur exiſtens antecedenter, quia hoc ſit requiſitum ad cauſam materialem, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſequentiam. Ratio ergo quare ſubjectum præſupponatur exiſtens antecedenter ad accidens, non eſt, quia hoc requiratur ad cauſam materialem, ſed quia accidentia cùm adveniant ſubſtantiæ jam completæ, ſupponunt illam completam, adeoque exiſtentem; Forma autem non advenit materiæ jam completæ.

Secundò cum aliis diſt. ant. eſt præcisè cauſa materialis, nego, materialis, & efficiens, concedo ant. & nego conſequentiam. Subjectum enim eſt cauſa materialis, & etiam habet nonnihil rationem cauſæ efficientis reſpectu accidentis; quia accidens dimanat effectivè à ſubjecto tanquam quædam proprietas. Emanatio autem (ut dicemus 2. Phyſ.) ad genus cauſæ efficientis ſpectat. Adde, eſſe latiſſimam diſparitatem, quia accidens non dat eſſe ſimpliciter ſubjecto conſtituendo illud in ſpecie eſſentiali, ſed duntaxat ſecundùm quid: Forma verò dat eſſe ſimpliciter materiæ.

Reſp. ad 2. ſuſtinendo reſponſum datum ſupra art. 1. diſt. ant. eſt extra ſtatum poſſibilitatis inchoativè, concedo, formaliter, nego ant. & conſequentiam. Dico ergo, quòd materia prima pro illo priori eſt extra ſtatum poſſibilitatis inchoativè, quatenus dum eſt in recipere, & cauſare formam (ut ita dicam) principiatur illius eſſe, quod poſtea habet formaliter per formam, quando iſtam habet formaliter, ideſt ultimatè.

Undè nota, quòd per ly eſſe extra ſtatum poſſibilitatis inchoativè non intendo, quòd pro illo priori habeat eſſe incompletè, ſeu partialiter extra ſtatum poſſibilitatis (ad quod requireretur exiſtentia incompleta) ſed intendo, quòd tunc incipit eſſe extra ſtatum poſſibilitatis. Ex quo ſolùm ſequitur, quòd pro tunc habeat exiſtentiam completam, non completè, ſed incompletè, hoc eſt inchoativè, initiativè, ſeu principiativè. Quod veriſſimum eſt, quia tunc cùm incipiat habere formam, incipit etiam habere exiſtentiam formæ, & totius compoſiti. Nam exiſtentia completa, incompletè ſolùm habita, facit, quod faceret exiſtentia incompleta ſi eſſet poſſibilis, & extaret, nimirum ponit rem extra cauſas incompletè, hoc eſt inchoativè.

Dices. Materia prima pro illo priori habet etiam rationem cauſæ efficientis: ergo debet habere aliquam exiſtentiam. Prob. ant. primò. Materia prout ſic eſt cauſa emanativa, & effectiva ſuarum proprietatum. Secundò. Materia eſt fundamentum plurium relationum, puta ſimilitudinis, & diſſimilitudinis cum forma, & fundat relationem unionis ad formam, ſed relatio effectivè dimanat à fundamento: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. proprietatum realiter diſtinctarum nego, virtualiter tantùm diſtinctarum, concedo ant. & nego conſequentiam. Materia ergo prima licèt ſit ens phyſicum, tamen eſt ens phyſicum duntaxat incompletum. Idcircò non habet proprietates phyſicas, (quæ conſequuntur ad ens phyſicum completè jam conſtitutum, cum accidentia adveniant enti jam completo per formam ſubſtantialem, quæ eſt actus primus, quia omnis actus ſecundus, qualis ſunt omnia accidentia, ſupponit actum primum, ut clariùs dicemus in lib. de Generat. Suſtinendo, quòd nullum accidens poſſit immediatè ſubjectari in materia prima) ſed ſolùm metaphyſicas, ut ſunt ingenerabilitas, incorruptibilitas negativa &c. quæ tantummodo virtualiter, immò ſolùm quo ad explicitum ab ipſa diſtinguuntur ad eum modum, quo proprietates entis diſtinguuntur ab ente. Ad iſtas autem non requiritur aliqua cauſa realiter effectiva, ſed ſufficit cauſa per rationem tantùm, & virtualiter effectiva.

Ad 2. Reſp. ex alibi dictis, illas relationes eſſe tantummodo tranſcendentales, quæ proinde cauſantur non realiter, ſed ad ſummum virtualiter, & per rationem. Vel dico, quòd ſi ſunt prædicamentales cauſantur à materia, non ſecundùm ſe, ſed ut informata forma, quia fundantur in toto compoſito, modo explicando in lib. de Gener. & Corruptione.

10. Arg. 3. Materia prima habet propriam partialem eſſentiam: ergo etiam debet habere propriam partialem exiſtentiam. Prob. conſequentia. Exiſtentia ſequitur ad eſſentiam, & cum illa proportionatur: ergo ſi &c.

Conſ. primo. Materia prima habet propriam durationem diſtinctam à duratione formæ: ergo etiam debet habere propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ. Conſequentia eſt exacta, tum à pari, tum quia duratio eſt menſura rei durantis in eſſe, ſeu exiſtere. Ant. prob. Materia prima eſt perpetua; cùm ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, non ſic verò forma.

Secundò. Materia prima habet propriam partialem individuationem: ergo etiam propriam partialem exiſtentiam.

Reſp. concedo ant. & nego conſequentiam. Ad prob. diſt. ant. ad eſſentiam totalem, concedo, partialem, nego ant. & conſequentiam. Exiſtentia ergo conſequitur ad eſſentiam totalem, & ei coaptatur.

Quare autem ad eſſentiam totalem ſequatur exiſtentia totalis, non verò ad eſſentiam partialem ſequatur exiſtentia partialis, nitet ex ſupradictis, quia nimirum de exiſtentia totali non currunt illa, quæ de exiſtentia partiali ſe offerunt inconvenientia, quæ ſupra §. 2 diximus. Reintegra dicta ibi præcipuè num. 5. in ultima ratiociuatione.

Ad 1. Conſ. nego ant. Ad prob. diſt. ant. quò ad 2. non ſic autem forma determinatè, concedo, vagè accepta, nego ant. & conſequentiam. Materia ergo prima dependet à forma, non determinatè, ſed vagè, ita ut poſſit exiſtere ſub qualibet forma. Forma autem vagè accepta eſt perpetua; quia quouſque erit materia, erit quoque aliqua forma materiam actuans. Undè nunquam habet durationem diſtinctam à duratione formæ.

Ad 2. nego ant. Verùm quia in ſententia probabili Thomiſtarum, aſſerentium, materiam primam habere actum metaphyſicum nequit ipſi negari propria individuatio, quia individuatio eſt ultima clauſula graduum eſſentialium; idcircò omiſſo ant. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia illa individuatio materiæ in tali ſententia non componit unam individuationem totalem cum individuatione formæ, eò quòd individuatio pertinet ad lineam metaphyſicalem; Materia autem in linea metaphyſica non componit cum forma, ſed ſolummodo phyſicè cum forma componit.

Dices. Interdum exiſtentia formæ eſt improportionata materiæ ; ergo materia exiſtentiam propriam habet. Prob. ant. In homine exiſtentia formæ eſt ſpiritualis, quia eſt exiſtentia animæ rationalis; ſed ſpiritualis exiſtentia eſt materiæ improportionata : ergo &c.

Reſp. nego ant. ad prob. diſt. maj eſt ſpiritualis *ut quod*, concedo, *ut quo* nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Quemadmodum enim Anima rationalis licèt ſit ſpiritualis *ut quod*, quia tamen *ut quo* eſt materialis, poteſt actuare ipſam materiam : ita quoque ejus exiſtentia, licèt ſit ſpiritualis *ut quod*, quia tamen *ut quo* eſt materialis, reddere poteſt ultimò exiſtentem ipſam materiam.

Dices. Modus unius ita eſt improportionatus alteri ab eo, cujus eſt modus, ut nequeat modificare aliud ab eo, cujus eſt modus ; ſed exiſtentia eſt modus formæ : ergo ita erit materiæ improportionata, ut eam afficere nequeat. Maj. patet. Nam ſeſſio Petri V. G. nullatenus poteſt aſficere Paulum.

Reſp. diſt. maj. ut nequeat aliud modificare, ſi iſtud gaudeat omnimoda aleitare, concedo, aliter, nego maj. & omiſſa min. quam nonnulli negant, nego conſequentiam. Materia igitur & forma non ſe habent propriè ut aliud, & aliud, ſed ſe habent per modum unius, quia ita uniuntur per modum actus, & potentiæ, ut ex illis fiat unum per ſe. Undè poſſunt optimè actuari, & affici ab eodem modo exiſtentiali. Et poteſt inſtari in unione, quæ in ſententia plurium etiam ex Societate eſt modus, & nexus inter materiam, & formam, & in ſententia Scotiſtarum eſt relatio ab extrinſeco adveniens ; & tamen una, & eadem afficit materiam, & formam.

Inſt. Totum reſultans ex materia, & forma eſt aliquod compoſitum ex eſſentiis partialibus, videlicet materia, & forma : ergo etiam ejus exiſtentia debet eſſe compoſita ex pluribus exiſtentiis partialibus. Prob. conſequentia. Exiſtentia totius ſimplicis, puta Angeli eſt omnino ſimplex : ergo pariter exiſtentia totius compoſiti debet eſſe compoſita, ſcilicet ex pluribus exiſtentiis partialibus.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. (omiſſa reſponſione illius prælaudati in ſuo autographo) diſt. conſequens debet eſſe compoſita formaliter, nego, virtualiter, concedo conſequentiam. Per hoc enim ſufficienter differt exiſtentia rei compoſitæ ab exiſtentia rei ſimplicis, quòd ſcilicet iſta nullo modo eſt compoſita, illa verò eſt compoſita ſaltem virtualiter.

Oppugnabis. Exiſtentia rei ſimplicis eſt formaliter ſimplex : ergo pariter exiſtentia rei compoſitæ eſt etiam formaliter compoſita.

Reſp. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia ex eo, quòd exiſtentia rei ſimplicis ſit formaliter ſimplex nullum ſequitur inconveniens, imò eſt maximè conveniens. Cæterùm ex eo, quòd exiſtentia (quæcunque illa ſit, etiam rei compoſitæ) eſſet formaliter compoſita, ſequuntur omnia inconvenientia recenſita in §. 2.

21. Arg 4. Ideo Materia prima non habet propriam partialem exiſtentiam, quia eſt aliquid incompletum, & rurſus quia talis exiſtentia eſſet actuabilis ut potentia ab alia exiſtentia ; ſed neutrum obſtat : ergo perperam negatur habere propriam partialem exiſtentiam. Min. quò ad p. p. prob. primò. Quandoquidem etiam forma eſt quid incompletum, & tamen habet propriam partialem exiſtentiam : ergo tametſi materia ſit quid incompletum poterit habere propriam partialem exiſtentiam. Secundò Accidentia incompleta, puta ſeſſio, ambulatio &c. in ſententia omnium Thomiſtarum, dempto Soto, & Bannez, habent propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ : ergo tametſi materia ſit quid incompletum poterit habere propriam &c.

Quò ad 2. p. prob. primò. Non minus eſt terminus, & actus ultimus ſubſiſtentia in ſua linea, quàm exiſtentia; ſed non repugnat, unam ſubſiſtentiam eſſe actuabilem per aliam, ut habetur in Divinis, ubi præter ſubſiſtentiam abſolutam communem omnibus tribus Perſonis extant tres ſubſiſtentiæ relativæ : ergo pariter exiſtentia licèt ſit ultimus terminus & actus adhuc poterit eſſe actuabilis ab alia exiſtentia. Secundò. Eſſentia Divina eſt, non tantùm ipſe ultimus actus, verùm etiam actus purus in linea intelligibili, non minùs; ac exiſtentia ſit actus ultimus in linea eſſendi ; ſed Eſſentia Divina in linea intelligibili eſt actuabilis tum à verbo Divino, quia verbum eſt ultima actualitas rei intelligibilis; tum ab actuali viſione, & intellectione, quæ eſt ultima actualitas, adeoque eſt exiſtentia in linea intelligibili : ergo licèt exiſtentia ſit ultimus terminus, & ultimus actus adhuc poterit actuari ab alia exiſtentia. Tertiò. Conceptus directus eſt ultima actualitas intellectus; ſed iſte eſt actuabilis, & intelligibilis per conceptum reflexum : ergo pariter licèt exiſtentia ſit ultimus &c.

Reſp. nego min. Ad 1. prob primæ partis nonnulli cum ſæpè laudato in m. ſ. concedunt, formam habere propriam partialem exiſtentiam, quam negant materiæ non præciſè propter hoc, quia ſit quid incompletum, ſed quia eſt quid incompletum per modum potentiæ. Quod non militat de Forma.

Verùm hoc eſt alienum à via Thomiſtica, in qua uno ore ſunt reprobatæ exiſtentiæ partiales. Et certè ſi ſemel admittitur, formam habere exiſtentiam partialem, jam iſta reſpiciet aliam partialem exiſtentiam materiæ, cum qua faciat unam exiſtentiam totalem, ſicut ipſa entitas partialis formæ reſpicit entitatem partialem materiæ, cum qua faciat unam entitatem totalem.

Aliter igitur Reſp. nego ant.

Dices probando ant. Anima rationalis exiſtit ſeparata à corpore : ergo habet propriam exiſtentiam.

Reſp. diſt conſequens propriam exiſtentiam partialem, nego, totalem, concedo conſequentiam. Hoc admonitus ſis, quòd Exiſtentia Animæ rationalis eſt exiſtentia totalis, quia Anima rationalis ſeparata exiſtit ut *quod* : licèt namque ſit aliquid incompletum *ut quo*, quatenus eſt pars corporis, ad differentiam Angelorum, qui ſunt aliquid completum omnibus modis tamen *ut quod* eſt quid completum per ſe conſiſtens. Undè Anima rationalis quando unitur corpori, unitur ipſi, non ut recipiat, ſed ut det, & communicet eſſe.

Ad 2. concedo ant. & nego ſuppoſitum illius. Supponit enim, accidentia incompleta, dici incompleta, quia habeant eſſe partiale, eum ad modum, quo materia prima habet eſſe partiale ſubſtantiale. Quod tamen eſt falſiſſimum, cùm ſolùm dicantur incompleta, quia eorum eſſe eſt debiliſſimum inter omnia alia accidentia; licèt abſolutè ſint completa. Quod etiam de relatione dici poteſt.

Ad 1. prob. 2. partis minoris diſt. min. per rationem, & quò ad explicitum, concedo, realiter, vel quò ad implicitum, nego min. & conſequentiam. Subſiſtentia ergo abſoluta comparatur ut potentia, non realiter, imò nec virtualiter excluſivè ad ſubſiſtentias relativas, ſed ſolùm quò ad explicitum, & per rationem. Cæterùm ſi materia prima haberet propriam exiſtentiam partialem, hæc eſſet realiter ut potentia actuabilis ab exiſtentia formæ.

Ad 2. nego min. Nam licèt in creatis Verbum ſit actualitas rei intelligibilis, non tamen in Divinis; quia ibi eſſentia eſt ſummè intelligibilis per ſeipſam. Qua ratione Verbum in Divinis habet procedere ex ſumma fecunditate, in creatis verò ex neceſſitate; eò quod res creata non eſt per ſe ipſam ſummè intelligibilis, & actus purus. Hac eadem ratione dicimus, nos cum D. Th. Beatos in Patria non formare Verbum.

Ad id, quod dicitur de viſione, & intellectione dico, quòd Eſſentia Divina non eſt actuabilis ab actu viſionis, & intellectionis ſui ipſius, niſi ad ſummum quò ad explicitum per rationem. De qua iterum infra hic ad 5. Ab actu autem viſionis beatorum actuatur, non intrinſecè, & ſubjectivè, ſed extrinſecè terminativè duntaxat.

Ad ult. diſt. min. ut conceptus eſt, nego, ut res quædam intelligibilis eſt, concedo min. & nego conſeq. Conceptus igitur directus, eſt actuabilis per reflexum, non ut conceptus eſt, ſed ut quædam res intelligibilis habens propriam veritatem. Cæterùm ſi materia prima haberet propriam exiſtentiam, hæc eſſet actuabilis in ratione exiſtentiæ, quia in ratione exiſtentiæ eſſet partialis, & incompleta : ergo eſſet complebilis per aliam.

22. Arg. 5. Ideo Materia prima non habet propriam exiſtentiam, quia ex illa, & forma non fieret unum per ſe; ſed hoc eſt falſum; ergo falſum eſt, materiam non habere propriam exiſtentiam. Prob. Min à pari. Ex intellectu, & re intelligibili fit unum per ſe in linea intelligibili; ſed intellectus, & res intelligibilis gaudent exiſtentiis realiter diſtinctis in linea intelligibili : ergo etiam ſi &c. Prob. min. Exiſtentia intellectus in eſſe intelligibili eſt intellectio, exiſtentia verò rei intellectæ eſt verbum; ſed intellectio, & verbum in communiori Thomiſtarum ſententia realiter diſtinguuntur : ergo &c.

Reſp.

Reſp. nego min. Ad prob. (ultra reſponſa M. Cavini) nego min. Ad cujus prob. nego maj. quò ad p. p. Dico namque, quòd verbum eſt exiſtentia tum intellectus, ſive intelligentis, tum rei intellectæ. Ratio eſt, quia in qualibet re debet diſtingui, & forma conſtituens, & terminus ultimò terminans rem conſtitutam, qui eſt exiſtentia. V. G. In materia prima extat forma conſtituens illam in ſpecie, & etiam exiſtentia ultimò terminans illam ut conſtitutam. Sic etiam in intellectu extat intellectio conſtituens illum intelligentem, & datur verbum ultimò terminans illam ut conſtitutum in eſſe intelligentis. Undè idem verbum eſt exiſtentia rei intellectæ, quatenus eſt illius repræſentatio, & eſt exiſtentia etiam ipſius intellectus, quatenus eſt terminus intellectionis. Cujus ulterior ratio eſt, quia non magis ſe tenet ex parte objecti illud repræſentando, quàm ex parte intellectus illum ultimò terminando (ſicut enim ſpecies impreſſa conſtituit intellectum in actu primo intelligentem, ita verbum, ſeu ſpecies expreſſa conſtituit illum in actu ſecundo intelligentem) ergo eſt exiſtentia in eſſe intelligibili non minus ipſius intellectus quàm ipſius objecti.

Dices. Intellectivum, & res intelligibilis, vel intellecta ſunt diverſi generis, unum nempe de genere activi, & aliud de genere paſſivi: ergo etiam debent gaudere exiſtentia diſtincta.

Reſp. diſt. ant. ſunt diverſi generis grammaticalis, concedo, Philoſophici, nego ant. & conſeq. Utrumque enim eſt de genere intentionali. Undè ſunt diverſi generis grammaticalis, quatenus unum eſt agens, & aliud eſt patiens, non verò eſſentialis. Hoc autem nihil obſtat, quia etiam totum eſt de genere neutro, & partes de genere fœminino.

Quomodo autem materia & forma, quæ (ut diximus) ſunt primò diverſa, poſſint unica exiſtentia exiſtere;

Dico, quòd Materia, & forma licèt in ratione quidditativa habeant inter ſe tantam diverſitatem, non tamen in ratione termini, & terminabilis; quia comparantur per modum actus, & potentiæ ad eum modum, quo inter naturam humanam, & perſonam Divinam in ratione quidditativa, & conſtitutiva extet infinita diſtantia, non tamen in termini, & terminabilis ratione.

13. Arg. poſtremò. In ſententia probabili Thomiſtarum quam defendit præcipuè Cipullus in toto integrali extant diverſæ exiſtentiæ partiales pro partibus integralibus: ergo pariter in toto eſſentiali extabunt diverſæ exiſtentiæ partiales pro partibus eſſentialibus.

Reſp. nego ant. quod aliqui decepti concedunt. Nam licèt aliqui (& quidem pauci) concedant, exiſtentiam, & ſubſiſtentiam totius integralis eſſe diviſibilem, V. G. exiſtentiam totius maris dicunt, eſſe diviſibilem, ita quòd dum dividitur ab ipſo aliqua pars aquæ, etiam dividatur, & ſecum afferatur pars quædam exiſtentiæ, nullus tamen hactenus admiſit exiſtentias partiales actu diſtinctas, ut videbimus agendo de exiſtentia infra q. 5. in fine totius quæſtionis, & q. 6. agendo de ſubſiſtentia quæſito ponendo in fine.

Neque obſtat, quòd dicant, eſſe diviſibilem. Non, inquam. Nam etiam P.P. Compl. in Logica, & in lib. de Genet. admittunt, partes ſubſtantiæ eſſe ſubſtantialiter diviſibiles, & tamen renuunt in eis admittere diſtinctionem actualem, ſolam admittentes diſtinctionem potentialem. Qua ratione dicunt, ſubſtantiam pro priori ad quantitatem non habere partes actu diſtinctas. Similiter nònnulli in 6. Phyſ. dicunt, partes continui eſſe diviſibiles, & tamen negant habere partes actu diſtinctas.

Quomodo autem hoc ſalvent, ipſi cogitent. Nobis ſat eſt ſalvare, quòd nullus ex Thomiſtis admittat exiſtentias partiales actu diſtinctas.

Et certè ſi ſemel admittuntur exiſtentiæ partiales in toto integrali, etiam in toto eſſentiali admitti opus eſt. Non enim reſpondere ſufficit, quòd partes continui non comparantur ad invicem per modum actus, & potentiæ, benè verò partes eſſentiales. Non, inquam. Nam ſicut partes eſſentiales faciunt unum per ſe eſſentiale, ita partes integrales faciunt unum per ſe integrale: ergo quemadmodum illæ comparantur per modum actus & potentiæ in linea eſſentiali, ita & iſtæ comparantur per modum actus, & potentiæ in linea integrali.

14. Ex dictis §. 1. conſtat, quod nos in præſenti præſcindimus ab illa difficultate, num ſcilicet eſſentia identificetur realiter cum exiſtentia; quia hoc admiſſo etiam admittenda eſt exiſtentia partialis, ſicut partialis materiæ eſſentia admittitur. Undè ſi quis oppugnando hanc noſtram concluſionem procederet ex hoc capite, negandum eſſet aſſumptum. Nec tamen reſpondendum eſſet ad ejus probationes, ſed mittendus eſſet ad aliam quæſtionem, in qua id agitatur, ne una cum alia confundatur quæſtio.

ARTICULUS QUARTUS.

Poſſit ne Materia prima Peripatetica per abſolutam Dei potentiam exiſtere abſque ulla forma.

§. I.

1. SUppono cum communi Doctorum conſenſu, illud dici poſſibile de potentia Dei abſoluta, quod contradictionem non implicat; & è contra illud dici impoſſibile etiam de abſoluta Dei potentia, quod in ſe contradictionem involvit V G. etiam divinitùs eſt impoſſibile, Hominem non eſſe rationalem; quia eſſet, & non eſſet Homo. Item impoſſibile eſt, Deum peccare, quia peccatum in Deo implicaret contradictionem. Et ratio eſt, quia quod involvit contradictionem ſeipſum deſtruit: affirmat enim ſeipſum, & negat.

Tunc verò Deus dicitur operari de potentia ordinaria, quando operatur juxta naturalem rerum ordinem, & juxta univerſalem, & ordinariam providentiam. Tunc è contra dicitur agere de potentia abſoluta, quando operatur ſupra naturalem ordinem rerum, & præter ordinariam providentiam. Verum eſt tamen, quòd quando aliquid non poteſt fieri etiam de potentia Dei abſoluta, impotentia tunc non debet reduci in Deum, dicendo, quòd Deus nequeat ipſum producere, cùm Deus ſit omnipotens, ſed debet reduci in ipſum impoſſibile dicendo, talem effectum eſſe impoſſibilem, quia tota repugnantia ſe tenet ex parte facti. Quæ doctrina colligitur ex D. Th. in 3. ſent. diſt. 1. art. 4.

2. In hac controverſia omnes etiam exteri conveniunt, materiam ſaltem naturaliter, & de potentia ordinaria non poſſe exiſtere abſque ulla forma, licèt in aſſignanda radice hujus impoſſibilitatis non parùm varii ſint.

Quantùm ad potentiam Dei abſolutam ferè omnes exteri, præcipuè Scotiſtæ omnes aſſeverant, materiam primam ſaltem de abſoluta potentia Dei poſſe exiſtere per ſuam propriam exiſtentiam abſque omni forma. Imò nonnulli dicunt, quòd tametſi non haberet propriam exiſtentiam, adhuc poſſet per aliam exiſtere ſublata omni forma. Nihilominùs præcedens concluſio non parùm juvat ad reſolutionem præſentis difficultatis, & complura argumenta ibi, & art. 1. hujuſmet quæſtionis ſoluta ſolent & hic ab Adverſariis afferri.

Negant verò communiter Thomiſtæ, in quorum favorem ſtat Magiſter ſententiarum, Beatus Albertus Magnus, S. Bonaventura, Durandus, Ægidius Romanus, & Hugo Victorinus.

§. II.

CONCLUSIO.

Materia prima Peripatetica nec attenta Dei abſoluta potentia poteſt exiſtere abſque ulla forma.

EſT proculdubio S. Th. Nam p. p. q. 66. art. 1. ad 3. docet, quòd quamvis poſſit Deus accidens ſine ſubjecto conſervare, non tamen materiam ſine forma. Subſumo min. ſed accidens nonniſi de potentia abſoluta poteſt exiſtere ſine ſubjecto; accidens enim naturaliter nequit exiſtere ſine ſubjecto: ergo de mente S. Th. nec per abſolutam Dei potentiam materia poteſt exiſtere ſine forma. Et hujus rationem adducit in corp. quia dicere, materiam præcedere ſine forma, eſt dicere, ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem. Idem docet quodlibeto 3. art. 1. Ex quibus

3. Prob. 1. ratione S. Th. ſic. Quod implicat contradictionem eſt impoſſibile etiam de abſoluta Dei potentia; ſed materiam exiſtere abſque ulla forma implicat contradictionem: ergo etiam per abſolutam Dei potentiam impoſſibile eſt, materiam exiſtere abſque ulla forma. Prob. min. Ens actu ſine actu importat contradictionem; ſed ſi materia exiſteret abſque ulla forma eſſet ens actu ſine actu: ergo &c. Maj. ſonat ex terminis. Min. prob. Nam eſſet ens actu, ut ſupponitur, quia eſſet in actu exiſtentiæ: & non eſſet ens

actu,

actu, quod probatur, quia non ſtat actus ſecundus ſine actu primo: patet enim, quòd actus ſecundus in linea ſoperativa, ſcilicet actio, non ſtat ſine actu primo, qui eſt ipſum principium actionis V. G. non ſtat actus ſecundus vitalis ſine anima, quæ eſt actus primus, & illius principium; ſed forma definitur, quòd eſt actus primus, & exiſtentia eſt actus ſecundus: ergo non ſtat actus exiſtentiæ ſine forma.

Ad cujus ratiocinii notionem ſuppono, quòd ad reddendam materiam exiſtentem non ſufficiat exiſtentia illa partialis, quam Adverſarii ponunt identificatam cum eſſentia, cùm ipſimet (ut vidimus art. 2. §. 2.) fateantur, quòd id, quod conſtituit rem extra ſtatum poſſibilitatis, & extra nihil completè, eſt ſola exiſtentia completa.

Maſtrius non benè percipiens, vel percipere nolens hanc ratiocinationem, illam ſpernit. Putat enim, vel putare ſe fingit, rationem Thomiſticam ex eo procedere, quòd exiſtentia ſit actus ſecundus ſolius formæ; quod ipſe negat, & addit, hoc nuſquam per tot ſæcula fuiſſe à Thomiſtis probatum. Undè dicit, quòd exiſtentia non eſt actus ſolius formæ, ſed eſſentiæ, ac per conſequens cùm ſine forma materia ſuam habeat eſſentiam, poterit quoque ſine illa exiſtere.

Attamen iſte Author non parùm hallucinatur; quia Thomiſtæ licèt dicant, exiſtentiam dimanare ab ipſa forma, nullus tamen dicit, exiſtentiam eſſe actum ſolius formæ, ſed dicunt, eſſe actum totius compoſiti. Undè ſic

Inſtatur. Exiſtentia eſt actus, ſive terminus ultimus eſſentiæ; ſed omnis actus ultimus ſupponit primum, ut vidimus: ergo exiſtentia ſupponit in materia prima actum primum; ſed actus primus eſt forma; ergo exiſtentia nequit afficere materiam, niſi priùs ſuppoſita forma. Primum ant. conceditur à Maſtrio, & perſpicuum eſt, quia exiſtentia eſt id, quo res, ſeu eſſentia conſtituitur ultimatè extra ſtatum poſſibilitatis: ergo eſt actus ultimus eſſentiæ.

Confirmo. Sicut Materia eſt prima potentia, ita forma eſt primus actus, ut conſtat à pari; ſed forma nullam aliam potentiam poteſt actuare antecedenter ad materiam: ergo pariter nec materia poteſt actuari ab aliquo actu antecedenter ad formam, adeoque nec ab exiſtentia.

Reſpondet Maſtrius, quòd materia prima antecedenter ad formam habet primum actum intrinſecum: forma enim dicit eſſe actum extrinſecum, & ab extrinſeco, nimirum ab actione agentis provenientem ipſi materiæ.

Contra tamen inſto, Tum quia forma eſt cauſa formalis formæ dans illi ſpeciem phyſicam, ut iterum n. 4 dicemus: cauſa enim formalis extrinſeca eſt cauſa extrinſecè ſpecificativa, quo pacto objectum dicitur cauſa formalis extrinſeca potentiæ, habitus, & actus: ergo eſt actus primus intrinſecus. Tum quia ſicut materia eſt primum ſubjectum, ſeu prima potentia, ita forma ſubſtantialis eſt primus actus; ſed forma antecedenter ad materiam primam non habet aliquam potentiam intrinſecam, ſaltem phyſicam aliter actuabilem ab aliqua forma phyſica: ergo neque materia prima antecedenter ad formam ſubſtantialem poterit habere aliquem actum intrinſecum. Tum denique quia (ut inquit Jo: à S. Thom.) ſi ſemel admittitur, materiam habere aliquem actum primum realiter identificatum, non ſupereſt ampliùs locus probandi contra veteres Philoſophos, materiam realiter diſtingui à forma; quia poſſent ipſi dicere, quòd ille actus primus intrinſecus identificatus realiter eſt forma ſubſtatialis.

Qua ex re deprehenditur, quòd poſſet probari hæc concluſio etiam ex dictis ſupra art. præcedenti §. 2. quia nempe materia ſine forma nequit eſſe extra ſtatum poſſibilitatis; quia nequit eſſe extra omnes ſuas cauſas, cùm poſſit adhuc terminare actionem productivam ſui compoſiti; & inſuper adhuc expectet formam, quæ eſt cauſa illius formalis completiva in ſpecie.

Ubi clarè conſtat, falſum eſſe, quod Adverſarii declamant, ſcilicet materiam dependere à forma tantùm à poſteriori. Falſum, inquam. Nam id, quod dependet ab alio tanquam à cauſa, dependet ab illo à priori; ſed materia dependet à forma tanquam à cauſa: ergo dependet ab illa à priori. Maj. patet. Min. prob. Nam ſi ſemel admittunt Adverſarii illam communem quadrimembrem diviſionem cauſæ in materialem, formalem, efficientem, & finalem, non eſt excogitabile quodnam potiori jure cauſæ formalis rationem obtinere queat, quàm forma reſpectu materiæ.

Nec eſt verum formam eſſe quidem cauſam formalem, non tamen materiæ (ut iterum Adverſ. dicunt) ſed totius compoſiti.

Non, inquam. Nam cauſa formalis dicitur ab informando; forma autem informat materiam: ergo eſt cauſa formalis materiæ.

Inſuper. Magis dependet materia à forma, quàm forma à materia; ſed forma per ipſos dependet à priori ab ipſa materia à priori: ergo & materia à forma. Prob. Maj. Forma eſt perfectior materia; ſed, quod eſt perfectius minus habet de dependentia: ergo &c. Maj. eſt nota cuilibet non ignoranti exceſſum formæ ſupra materiam; quia forma eſt magis actualis; quò autem aliquid eſt actualius, eſt perfectius, undè Deus, qui eſt actus purus eſt perfectiſſimus. Min. etiam conſtat, quia dependentia eſt imperfectio, & ideo Deus, qui eſt perfectiſſimus carens omni imperfectione, caret quoque omni dependentia.

Et per hæc expugnatæ remanent variæ aliæ reſponſiones, quæ dari à diverſis ſolent.

4. Prob. 2. Repugnat etiam de potentia Dei abſoluta, aliquid eſſe in genere determinato, & non in ſpecie determinata; ſed ſi materia exiſteret denudata omni forma eſſet in determinato genere, & non in determinata ſpecie: ergo repugnat etiam de potentia Dei abſoluta materiam exiſtere ſine forma. Min. quò ad p. p. eſt certa. Eſſet enim in genere determinato, vel formaliter juxta illos, qui dicunt, materiam habere propriam differentiam, & actum metaphyſicum, vel ſaltem reductivè juxta noſtram ſententiam, nimirum in genere Corporis. Quò ad 2. prob. Materia conſtituitur in determinata ſpecie V. G. ligni, ignis &c. per formam; ſed pro tunc materia eſſet indifferens ad omnes formas: ergo &c.

Si reſpondeas cum Ruvio, & aliis, quòd licèt repugnet, individuum completum eſſe in genere determinato, & non in ſpecie determinata; non tamen hoc repugnat individuo incompleto, ut eſt materia prima.

Contra facilè inſtatur ex Compl. Ideo individuum completum eſſe nequit in determinato genere, quin ſit in ſpecie determinata, quia inter genus, & differentiam individualem mediare debet differentia ſpecifica; ſed hæc eadem ratio militat de individuo incompleto: ergo par ratio utrobique.

Maſtrius reſpondet, quòd materia antecedenter ad formam eſt in determinata ſpecie incompleta, & intrinſeca; quia à forma habet ſpeciem determinatam duntaxat completam, & extrinſecam. Sed

Contra inſto Tum quia non eſt poſſibilis hæc ſpecies incompleta. Quod probatur. Sicut genus eſt aliquid incompletum, quia dicit ſolùm partem eſſentiæ, ita ſpecies eſt aliquid completum dicens (ad differentiam generis) totam eſſentiam; ſed non eſt poſſibile aliquod genus ut genus completum: ergo nec ſpecies incompleta. Tum quia ſatis ſupra oſtendi, formam eſſe actum intrinſecum, materiæ ſive cauſam formalem intrinſecam, adeoque debet eſſe illius ſpecificativum dans illi ſpeciem intrinſecam.

Reformatus quidam mihi reſpondit, quòd eſſet in ſpecie metaphyſica per actum metaphyſicum.

. Contra. Nequit eſſe in genere determinato metaphyſico, niſi ſit in ſpecie determinatâ metaphyſica: ergo nec poteſt eſſe in genere phyſico determinato, niſi & in ſpecie determinata phyſica ſit.

Alii demum reſpondent, quòd materia exiſtens abſque ulla forma eſſet in ſpecie determinata per ordinem ad formam, quam licèt actu non habeat, actu tamen connotat, & reſpicit. Sed

Contra, Tum quia ſpecies præſtatur à forma ut effectus primarius in genere cauſæ formalis; effectus autem formalis formæ eſt ipſa forma actu communicata. Tum quia materia prout ſic eſſet indifferens ad omnes formas: ergo nullam determinatè reſpiceret. Ant. prob. Non enim poſſet eſſe determinatè ordinata ad aliquam formam per diſpoſitiones; quia iſtæ cùm ſint accidentia, & actus ſecundus magis quàm exiſtentia, eadem, imò major, difficultas eſt de illis, quàm de exiſtentia, an poſſint eſſe in materia antecedenter ad formam: ergo &c.

§. III.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

5. ARg. 1. Ideo aſſeveratur redolere contradictionem, quòd materia exiſtat ſine forma, quia eſſet ens actu ſine actu; ſed hoc eſt falſum: ergo ruit noſtra ratio, & ſententia. Prob. min. Quotieſcunque affirmatio, & negatio eſt ſecundùm diverſa tollitur contradictio; ſed in ſuppoſitione, quòd materia prima exiſteret ſine forma, affirmatio, & negatio eſſet ſecundùm diverſa: ergo non eſſet contradictio. Prob. min. Affirmatio caderet ſupra actum exiſtentiæ, & negatio caderet ſupra actum formæ: ergo &c. Ant. pateſcit, quia in tali ſuppoſitione haberet actum exiſtentiæ, & non actum formæ: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego ant. quò ad 2. Si faciat ſenſum, quòd caderet ſupra actum formæ duntaxat. Ad prob. diſt. ant. haberet actum exiſtentiæ repugnanter, concedo, non repugnanter, nego ant. & conſeq. Dico ergo, quòd ea in hypotheſi materia haberet, & non haberet actum exiſtentiæ. Haberet, ut ſupponitur, & non haberet; quia, ut ſupra probavimus, repugnat habere actu ſecundum ſine primo. Undè affirmatio, & negatio eſſent circa idem, & per conſequens eſſet contradictio.

Contra. Licèt naturaliter repugnet, ſtare actum ultimum exiſtentiæ ſine actu primo formæ, non tamen repugnat ſupernaturaliter: ergo ſaltem ſupernaturaliter haberet illum non repugnanter. Prob ant. Quotieſcunque unum non eſt de eſſentia alterius, poteſt unum ſtare ſine alio; ſed forma non eſt de eſſentia exiſtentiæ (non enim eſt aliquod prædicatum eſſentiale illius, immò Thomiſticè loquendo diſtinguuntur realiter) ergo ſaltem ſupernaturaliter non repugnat, ſtare actum ultimum exiſtentiæ ſine actu primo formæ. Prob. maj. Illa ſiquidem duntaxat dicuntur implicare contradictionem, adeoque etiam ſupernaturaliter repugnare, quorum unum deſtruit alterius eſſentiam; ſed quotieſcunque unum non eſt de eſſentia alterius, etiamſi auferatur, non deſtruit illius eſſentiam: ergo quotieſcunque &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego maj. abſolutè loquendo. Sufficit enim, quòd ſit eſſentialiter connexum tametſi non ſit de eſſentia ejus, ſeu etiamſi prædicatum eſſentiale non ſit. Ad prob. diſt. maj. quorum unum deſtruit alterius eſſentiam vel formaliter, vel conſecutivè, concedo, ſemper formaliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Ad hoc igitur, ut unum poſſit ſupernaturaliter ſine alio exiſtere, non ſufficit, quòd iſtud non ſit prædicatum eſſentiale, & quòd realiter diſtinguatur: nec ſufficit, quòd per deficientiam unjus non deſtruatur formaliter eſſentia alterius. Patet enim, quòd potentia intellectiva realiter diſtinguitur ab intellectione, nec eſt prædicatum eſſentiale intellectionis; & tamen nequit ſine potentia intellectiva haberi intellectio. Item Scoticè loquendo partes non ſunt prædicatum eſſentiale totius, ſed ab illo realiter diſtinguuntur, & tamen nec per abſolutam Dei potentiam poteſt totum exiſtere ſine partibus, quia eſt neceſſariò cum illis connexum. Sufficit ergo, quòd aliqua ſint inter ſe eſſentialiter connexa, ita quòd per deficientiam unius de conſequenti deſtruatur eſſentia alteriùs. Obidque cùm (ut ſupra probavimus) exiſtentia, ceu actus ultimus, ſit neceſſariò eſſentialiter connexa cum forma, utpote actu primo; idcircò nequit etiam per divinam omnipotentiam ſtare ſine illa.

Contra primò. In hoc diſtinguitur, ſeu differt diſtinctio entitativa à modali, quòd id, quod diſtinguitur tanquam modus nequit exiſtere ſine re, cujus eſt modus, benè verò id, quod diſtinguitur tanquam res à re, poteſt exiſtere ſine illa; ſed materia diſtinguitur à forma ut res à re: ergo &c.

Secundò. Si exiſtentia eſſet eſſentialiter connexa cum forma, ſequeretur, quòd nec exiſtentia Divina poſſet terminare materiam primam non ſuppoſita forma; ſed hoc eſt falſum juxta probabilem Thomiſtarum ſententiam, quam tuetur Bannez p. p. q. 66. art. 1. dub. 2. conc. 3. ergo exiſtentia non eſt eſſentialiter connexa cum forma; maj. patefcit, quia oppoſitum eſſet contradictorium.

Tertiò. A Deo poteſt ſuppleri concurſus formæ: ergo tametſi exiſtentia ſit eſſentialiter connexa cum forma, adhuc poterit poni in materia ſine forma. Ant. innoteſcit, quia à Deo poteſt ſuppleri concurſus cauſæ creatæ, ſicut etiam ab ipſo ſupplentur vices ſpeciei in Patria.

Conf. primò: effectus ſecundarius non eſt neceſſariò connexus cum primario; ſed exiſtentia eſt effectus ſecundarius formæ: ergo non eſt neceſſariò connexa cum illa. Maj. conſtat, quia effectus ſecundarius poteſt ſeparari à primario, ut perſpicuum eſt in quantitate, à qua poteſt ſeparari extenſio in ordine ad locum, præcipuè Thomiſticè loquendo: ergo &c.

Secundò. In probabili Thomiſtarum ſententia, materia prima pro priori ad formam habet aliquem actum ſaltem eſſentialem, ſeu differentialem, & metaphyſicum: ergo non verificaretur, quòd careret actu primo.

Reſp. ad 1. nego maj. Nam relatio diſtinguitur à fundamento ut res à re, ſicut etiam intellectio ab intellectu; & tamen nec relatio ſine fundamento, nec intellectio ſine intellectu exiſtere poteſt. Idem dicas de partibus ſimul ſumptis, & unitis, ac de ipſo toto Scoticè loquendo. Differunt ergo in hoc, quòd modus ultra hoc, quod eſt non poſſe ſe ſolo exiſtere, eſt quid incompletum extra eſſentiam rei. Materia autem eſtò quid incompletum, tamen eſt de eſſentia phyſica rei.

Ad 2. Reſp. quòd illa ſententia ita omnibus aliis Thomiſtis eſt obſoleta, ut ampliùs probabilis non cenſeatur. Verùm ut aliqua diſparitas aſſignetur, nego ſequelam maj. ad cujus prob. diſt. ant. oppoſitum eſſet contradictorium ſi nec formaliter, nec eminenter haberet formam, concedo, aliter, nego ant. & conſequentiam. Exiſtentia enim Divina cùm contineat eminenter formam præſtare, poteſt in genere cauſæ efficientis quicquid præſtaret forma. Ob idque ſaltem eminenter haberetur forma, ſicque abeſſet contradictio.

Ad 3. inſtantiam, nego ant. Ad prob. diſt. ant. poteſt ſupplere concurſum cauſæ efficientis, concedo, formalis, vel materialis, nego; quia iſtæ cùm eſſentialiter dicant agere per modum partis dicunt imperfectionem Deo repugnantem. Ad id, quod ſubditur dico, quòd ſpecies ut talis ſe habet purè objectivè terminativè, & ſola ſpecies creata, quà creata, & quà accidens eſt, non verò quà ſpecies eſt, habet informare. Sed de hoc dicam in tract. de Incarnatione inquirendo, num *Deum incarnari fuerit poſſibile* ad 2. arg. Et miror, quòd nonnulli his ſimilibus argumentis utantur, cùm nec Scotus, nec ex Adverſariis ullus confugiat ad hoc, quòd Deus ſuppleat immediatè per ſe ipſum vices formæ, ut faciat materiam exiſtere ſine forma.

Juxta verò ſententiam Bannez dici poteſt, quòd à Deo poteſt quidem ſuppleri concurſus formæ, ſed duntaxat per exiſtentiam Dei infinitam, quæ eminenter continet formam creatam. Undè ſolùm ſequeretur, quòd materia ſine forma poſſet exiſtere per exiſtentiam infinitam.

Dices. Poteſt à Deo ſuppleri concurſus cauſæ etiam formalis: ergo nulla reſponſio. Prob ant. Etiam reſpectu exiſtentiæ forma habet rationem cauſæ formalis; & tamen poteſt à Deo fieri quòd materia informata exiſtat per aliam exiſtentiam non provenientem ab ipſamet eadem forma, ſed aliundè: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. præciſè, nego, & etiam cauſæ efficientis, concedo ant. & nego conſequentiam. Ut enim lib. 2. dicemus cauſa emanativa reducitur ad genus cauſæ efficientis. Forma autem eſt cauſa dimanativa exiſtentiæ, quia iſta ab illa dimanat. Undè habet etiam rationem cauſæ efficientis.

Ad 1. Conf. nego ant. Ad prob. diſt. conſequens. effectus ſecundarius non exiſtens non eſt neceſſariò connexus cum primario, concedo, effectus ſecundarius exiſtens, nego conſequentiam. Inter effectum igitur primarium, & ſecundarium licèt non ſit connexio talis, quòd primarius nequeat ſtare ſine ſecundario; eſt tamen talis connexio, quòd ſecundarius nequit ſine primario exiſtere, ut patet eodem exemplo adducto in argumento: Nam licèt poſſit ſtare effectus primarius quantitatis, ſcilicet extenſio in ordine ad ſe ſine extenſione in ordine ad locum; non tamen è contra poteſt ſtare extenſio in ordine ad locum ſine extenſione in ordine ad ſe. Undè retorquetur argumentum.

Ad 2. facilè Reſp. etiam data illa ſententia quòd cùm exiſtentia ſit actus ultimus in linea phyſica non ſufficit, quòd ſupponat actum metaphyſicum, ſed debet ſupponere actum phyſicum, aliter eſſet in actu phyſico ſine actu phyſico.

6. Arg. 2 ex Scoto. Materia eſt aliquid realiter diſtinctum à forma, prius illa, & omninò abſolutum; ſed quod eſt realiter diſtinctum, prius alio, & abſolutum poteſt ſtare ſine illo: ergo materia prima poteſt ſupernaturaliter conſervari ſine forma. Min. eſt Ariſtotelis, qui 5. Metaphyſ. tex. 16. docet, quòd id, quod eſt prius alio, poteſt ſtare ſine illo.

Reſp. per dicta art. præcedenti §. 3. ad 2. arg. diſt. maj. eſt prior forma prioritate naturæ; & *à quo*, ſeu cauſalitatis, & in fieri tantùm, concedo, prioritate temporis, & *in quo*, in facto eſſe; nego, & diſtincta min. ſicque explicata Ariſtotelis mente, nego conſequentiam. Reſponſum patet ex dictis. Ad id, quòd ſubditur, ſcilicet materiam eſſe realiter diſtinctam à forma liquet ex dictis, quòd nihil valet; quia in ſententia Scotiſtarum partes ſimul ſumptæ, & unitæ realiter diſtinguuntur à toto, & tamen nequit totum ſine illis exiſtere. Idem dico etiamſi materia ſit aliquid abſolutum; quia etiam totum eſt aliquid abſolutum, & tamen ſine partibus ſtare nequit: Imò etiam partes ſunt aliquid abſolutum realiter diſtinctum à toto in eorundem placito, & priores illo, utpote illius cauſa; & tamen ſimul ſumptæ, & unitæ nequeunt ſine toto conſiſtere. Demum etiam intellectio eſt quid abſolutum, cùm ſit de genere, ſeu de prædicamento qualitatis, & non de prædicamento relationis.

Contra primò. Materia ita eſt prior forma, quòd recipit exiſtentiam priuſquam formam: ergo eſt prior etiam prioritate temporis, & in facto eſſe. Prob ant. Materia dicit potentiam ad exiſtentiam priùs, quàm ad formam: ergo &c. Conſequentia eſt exacta, quia receptio correſpondet potentiæ receptivæ. Ant. prob. Materia eſt priùs ens, quàm tale ens, quia ratio univerſalis eſt prior ratione particulari; ſed materia exiſtit quatenus eſt ens, cùm exiſtentia ſit ultimus terminus entis abſolutè; recipit verò formam quatenus eſt tale ens: ergo &c.

Secundò. Abſolutum dicitur quaſi *ab alio ſolutum*; ſed niſi materia poſſet exiſtere ſine forma non eſſet ſoluta à forma, ſed eſſet cum illa connexa, & colligata: ergo Materia ſi eſt quid abſolutum non dependet in eſſendo à forma.

Reſp. ad 1. primitùs, quòd nimis probat; videlicet probat, quòd etiam naturaliter poſſit, imò reapſe materia ſine forma exiſtat.

Deinde, nego ant. Ad prob. dato ant. diſt. conſequens in intentione, concedo, in executione, nego conſequentiam. Sicut enim finis eſt id, quod intenditur priùs, quàm media, ita exiſtentia eſt id, quod priùs inſpicitur à potentia materiæ. Sicut autem finis eſt id, quod ultimò acquiritur in executione, licèt ſit id, quod primò acquiritur in intentione; ita etiam exiſtentia eſt id, quod ultimò in executione recipit Materia, & ſolùm primò in intentione; quia quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione. Ad prob. conſequentiæ dico, quòd receptio debet proportionari potentiæ receptivæ ad hunc ſenſum, quòd ſi potentia eſt metaphyſica, etiam receptio, & actus recipiendus ſit metaphyſicus, ſi potentia eſt phyſica, etiam forma recipienda ſit phyſica, non verò in ordine prioritatis, & poſterioritatis.

Ad 2. primodùm diſt. maj. abſolutum completum, concedo, abſolutum incompletum, nego maj. Deinde aliter diſt. eandem maj. abſolutum à relatione tam tranſcendentali, quàm prædicamentali, concedo, ſolùm ab ordine prædicamentali, nego maj. & data min. nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens eodem modo. Materia igitur licèt non dicat relationem prædicamentalem ad formam, dicit tamen ordinem tranſcendentalem: qui licèt pro formali ſit ſola relatio rationis, tamen pro fundamentali eſt quid reale; quia fundatur in reali connexione materiæ cum forma: Non enim eſt relatio rationis purè chimærica. Vid. dicta in Logica Syntag. 4. q. 5.

7. Arg. 3. Magis dependet accidens à ſubjecto, quàm materia à forma; ſed accidens ſaltem ſupernaturaliter poteſt exiſtere ſine ſubjecto: ergo etiam materia ſine forma. Maj. liquet, quia una, & eadem materia poteſt de una forma ad aliam pergere, non verò unum, & idem accidens de uno ſubjecto ad aliud. Tum quia quò magis aliquid eſt perfectum minùs habet de dependentia; ſed materia prima cùm ſit ſubſtantia eſt perfectior accidente: ergo &c.

Conſ. ſicut exiſtentia eſt terminus, & effectus dimanans à forma, & conſequens ad illam, ita ſubſiſtentia eſt terminus ſubſtantiæ, ab illa dimanans, & ad illam conſequens; ſed hoc non obſtante poteſt etiam accidens ſubſiſtere, ut credimus in Sacramento Euchariſtiæ: ergo etiam hoc non obſtante poterit materia ſine forma exiſtere.

Reſp. nego maj. abſolutè loquendo Ad prob. dato ant. diſt. conſequens, quàm materia à forma determinata, concedo, à forma vagè, nego conſequentiam. Accidens enim cùm ſit aliquid de linea actus, & quid completum, eſt magis diſpoſitum ad exiſtentiam, & proportionatum cum illa quàm materia. Undè in exiſtendo magis dependet materia à forma, quàm accidens à ſubjecto. Ex hoc autem, quòd materia poſſit eſſe ſub pluribus formis, non verò accidens in pluribus ſubjectis, ſolùm ſequitur, quòd magis dependet accidens à ſubjecto, quàm materia ab hac vel illa forma determinatè, non verò à forma vagè; quia cùm materia ſit ſubjectum tranſmutationis, eſſentialiter reſpicit poſſibilitatem plurium formarum.

Ad 2. prob. diſt. maj. Si dependentia ſit ad habendum eſſe imperfectius, concedo, ſi ſit ad habendum eſſe perfectius, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Materia igitur cùm ſit ſubſtantia eſt ſimpliciter perfectior accidente; cùm tamen dependentia, quam habet materia à forma ſit ad habenum eſſe perfectius illo, quod accidens habet in ſubjecto, idcircò poteſt ſtare, quòd dependentia materiæ à forma ſit major. Nam quò nobilior eſt finis acquirendus, eò plures ſolent occurrere difficultates, ac per conſequens pro illis ſuperandis major eſt adjuvantium indigentia, adeoque major ab illis adjutoribus dependentia.

Ad Conſ. (plurium miſſis reſponſis) nego ſuppoſitum maj. Supponit enim, quod ideo nos dicamus, materiam non poſſe exiſtere ſine forma, quia exiſtentia ſit actus formæ, & ad illam ſequatur ut terminus proprius illius. Quod tamen eſt falſum. Quamvis enim verum ſit, & neceſſariò inferatur ex noſtra ſententia, quòd exiſtentia ſit actus formæ, & ad eam ſequatur ut terminus proprius illius; neutiquam tamen eſt ratio à priori, quare materia nequeat exiſtere ſine forma: ſed ratio à priori hujus eſt, quia materia prima ſine forma nullum haberet actum primum, qui neceſſariò debet præſupponi ad eſſe ultimum. Quòd ſi per impoſſibile materia ſine forma haberet aliquid dans ſibi eſſe primum, quodcunque hoc eſſet, poſſet ſaltem ſupernaturaliter exiſtere ſine forma. Accidens autem quamvis non habeat actum primum in linea ſubſiſtendi, habet tamen aliquem actum primum in aliqua linea, nimirum in linea exiſtendi, per quem eſt aptum ad exiſtendum naturaliter (ſcilicet propriam eſſentiam quæ eſt quidam actus) & ſi non ad ſubſiſtendum naturaliter. Undè ſaltem ſupernaturaliter poteſt habere hoc, quòd eſt ſubſiſtere.

Deinde dico, quòd accidens in Sacramento Euchariſtiæ vel ſubſiſtit duntàxat negativè per dicta in Logica Syntag. 4. q. 3. art 1. §. 3. num. 5. ad 1. arg. vel non ſubſiſtit; quia ſubſiſtere dicit eſſe per ſe, prout eſſe per ſe contraponitur ad eſſe in alio tanquam in ſuppoſito; accidens autem etiam dum actu inhæret non habet eſſe in alio tanquam in ſuppoſito, cùm hoc ſit proprium naturæ ſubſtantialis, quæ terminata per ſubſiſtentiam conſtituit perſonam ſive ſuppoſitum perſonale, ſi eſt natura rationalis, vel purè ſuppoſitum ſi eſt natura ſubſtantialis irrationalis. Solùm ergo habet quendam ſtatum eſſendi per ſe, prout eſſe per ſe, contraponitur ad eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis.

Dices. Magis dependet poſteriùs à priori, quàm prius à poſteriori; ſed accidens eſt poſterius ſubjecto, materia verò eſt prior forma: ergo magis dependet accidens à ſubjecto, quàm materia à forma, tametſi iſta ſit in ordine ad habendum eſſe perfectius.

Reſp. diſt. min. quò ad a. p. Materia eſt prior forma in aliquo genere, concedo, in omni genere, nego min. & conſequentiam. Cùm enim materia, & forma in diverſo genere cauſæ ſint ſibi invicem cauſæ idcircò, etiam in diverſo genere materia eſt prior, & poſterior forma. Eſt prior in genere cauſæ materialis, & eſt poſterior in genere cauſæ formalis; quia forma eſt cauſa formalis materiæ. Undè in hoc non eſt minor, ſed potiùs eſt major dependentia propter rationem adductam.

8. Arg. 4. Sicut forma eſt id, ratione cujus materiæ convenit exiſtere, ita totum eſt id, ratione cujus partibus, ſcilicet materiæ, & formæ convenit exiſtere; quia partes (Thomiſticè loquendo) exiſtunt de ſecundariò per exiſtentiam totius; ſed hoc non obſtante forma poteſt ſaltem ſupernaturaliter exiſtere ſeparata à toto, ut certum de Anima rationali: ergo etiam materia ſeparata à forma.

Reſp. nego min. quam non benè quidam concedunt. Quamvis enim formam exiſtere ſeparatam non repugnet ex omni eo capite, ex quo repugnat materiæ (non enim ſequeretur, formam eſſe in determinato genere, & non in determinata ſpecie, vel eſſe in actu ſine actu) repugnat tamen ex alio capite, primò quia etiam forma eſt aliquid incompletum, & exiſtentia cùm ſit ultimus, non ſolùm actus, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam terminus, debet ſupponere rem terminandam cum omnibus his, quæ ultimum antecedunt. Undè ſupponere illam debet completam. Tum quia (ut etiam indigitat argumentum) partes exiſtunt de ſecundariò ratione totius, ſicut producuntur de ſecundariò; quia actio productiva terminatur de primariò ad totum. Undè etiam eſſentialiter repugnat, formam ſe ſola exiſtere.

Ad id, quod de Anima rationali ſubditur, patet ex dictis art. præcedenti, quod nimirum ſit aliquid incompletum, & pars *ut quo*; tamen *ut quod* eſt quoddam totum completum, per ſe ſiſtens. Undè nil mirum ſi poteſt ſeparata exiſtere.

9. Arg. poſtremò pluribus paritatibus. Et primò. Sicut exiſtentia ſupponit formam in materia, ita forma ſupponit diſpoſitiones; ſed poteſt à Deo poni forma in materia abſque ulla diſpoſitione: ergo etiam exiſtentia ſine forma.

Secundò. Quemadmodum exiſtentia ſupponit formam in materia, ita eadem exiſtentia ſupponit ſubſiſtentiam in ſubſtantia; ſed in probabili ſententia, quam tuetur Cajetanus, poteſt exiſtentia immediatè terminare ſubſtantiam: ergo & materiam. Tertiò. Quemadmodum exiſtentia non convenit materiæ, niſi media forma, ita tranſitus de uno extremo ad aliud non fit, niſi tranſeundo per medium; ſed hoc non obſtante poteſt Angelus moveri de uno loco ad alium non tranſeundo per medium; immò ſupernaturaliter hoc conceditur poſſe convenire etiam Corpori: ergo pariter &c.

Reſp ad omnes, nego paritatem. In prima diſparitas eſt, quia diſpoſitiones requiruntur, non eſſentialiter, ſed duntaxat connaturaliter ad habendam formam; forma verò præerequiritur eſſentialiter ad exiſtentiam. Ratio eſt, quia diſpoſitiones non ſunt ratio formalis recipiendi formam: ratio enim formalis recipiendi formam eſt potentialitas materiæ. Undè diſpoſitiones ſunt tantùm conditio. Cæterùm forma eſt ratio formalis recipiendi exiſtentiam, quia forma eſt illa, quæ dat eſſe primum in materia, ad quod eſſe primum, ſequitur exiſtentia, quæ eſt actus ultimus.

Ad 2. etiam diſparitas eſt, quia ſubſiſtentia duntaxat connaturaliter, non verò eſſentialiter præerequiritur ad exiſtentiam. Ratio debet aſſignari non à nobis, ſed à Patronis illius ſententiæ probabilis. Adhuc tamen eam aſſignamus, quia ſubſtantia tametſi careat ſubſiſtentia adhuc habet eſſe ſimpliciter, ſeu primum ſufficiens ad exiſtendum; quia exiſtentia præſupponit ſubſiſtentiam, non ex ratione eſſentiali exiſtentiæ (aliter etiam in accidenti deberet ſubſiſtentiam præſupponere) ſed ſolùm quia eſt in tali natura, ſcilicet ſubſtantiali. Exiſtentia verò ex ratione formali, & eſſentiali exiſtentiæ ſupponit eſſe formale; quia cum ex ſui ratione formali ſit actus ultimus, ex ſui ratione formali ſupponit primum.

Ad 3. etiam diſparitas eſt, quia medium non requiritur eſſentialiter ad hoc, ut Angelus tranſeat de uno extremo ad aliud, eò quòd Angelus ſicut eſt independens à loco, ita etiam eſt à medio independens. Ad id verò, quod de Corpore ſubditur primitèr dico, non eſſe omnino certum. Deinde etiam diſparitas eſt, quia connaturaliter tantùm eſt requiſitum, ut Corpus de uno ad alium pergat locum. Ratio in promptu eſt, quia Corpus eatenus de uno ad alium proficiſcendo locum dependet à medio quatenus eſt extenſum, & diviſibile; extenſio autem in ordine ad locum, ſicut & diviſibilitas cùm ſit effectus ſecundarius quantitatis, eſt ab illa ſeparabilis ſupernaturaliter.

10. Ex dictis colligi poteſt, quòd dum agens naturale deſtruit formam, eamve corrumpit, ſi Deus impediret, ne agens naturale aliam introduceret, materia annihilaretur. Nec ex hoc ſequitur, quòd foret annihilata ab agente naturali formaliter, quod cùm creativa virtute non polleat, nec annihilativa pollere poteſt. Non, inquam, ſed tantùm occaſionaliter à creato agente annihilaretur, quatenus iſtud deſtruendo formam foret occaſio annihilationis, quæ formaliter habetur per hoc, quòd Deus ſuum ſubtraheret concurſum.

Colligitur etiam, quòd nos non inficiamur, materiam poſſe exiſtere per exiſtentiam, quæ formæ propria non ſit, cùm reapſe Chriſti humanitas exiſtat per exiſtentiam, non Animæ rationalis, ſed Verbi Divini. Quod ergo negamus eſt, poſſe exiſtere ſine forma. Uitraquamquod lata intercedit diſparitas, quia exiſtentia creata eſt accidens, quod individuatur à ſubjecto; idcircò nequit alterius formæ exiſtentia diverſam terminare formam, & materiam.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Materia prima appetitu innato appetat formas amiſſas.

§. I.

1. SUppono contra P. Oviedum, quòd Materia non appetit appetitu deſiderii formas præſentes, ſed de illis habet duntaxat fruitionem, & complacentiam, quæ eſt actus ſecundarius potentiæ appetitivæ, ſeu appetitus.

Ratio, eſt quia deſiderium eſt quidam motus potentiæ appetitivæ in bonum, ſed motus ceſſat acquiſito termino: ergo materia ceſſat à deſiderio formæ dum illam poſſidet. Quod ſic conſolidatur. Sicut deſiderium eſt motus potentiæ appetitivæ in bonum, ita diſcurſus eſt motus intellectus ad habendum perfectum de veritate judicium; ſed habito perfecto judicio de aliqua re ceſſat diſcurſus: ergo pariter habitu bono ceſſat deſiderium ad illud. Undè ſicut dum poſſidetur bonum ſperatum, ceſſat ſpes, ita habita re deſiderata, ceſſat appetitus deſiderii ad illam.

Nec obſtat, quòd dum materia eſt ſub forma adhuc ſit potentia ad formam. Non, inquam. Nam aliud eſt dicere, quòd materia ſit potentia, aliud verò quòd ſit in potentia. Materia igitur eſt quidem potentia actuata per formam, quam habet, non tamen eſt in potentia ad illam, cùm actu illam poſſideat. Difficultas ergo emergit num appetat formas amiſſas.

Ruvius, & Hurtadus dicunt, Materiam appetere formas etiam amiſſas. Negant tamen omnes Thomiſtæ, quos ſequitur Arriaga, qui vult, ita eſſe commune apud Doctores.

§. II.

CONCLUSIO.

Materia prima non appetit formas amiſſas.

2. COncluſio eſt abſoluta, ut excludatur modus dicendi Patris Goudin (quem ſequitur Emin. Ferrari in autographo) aſſerentis, materiam primam appetere formas amiſſas appetitu, non quidem efficaci, ſed inefficaci. Ut excludatur, inquam, Tum quia omnis appetitus naturalis eſt impreſſus à Deo authore naturæ, qui, ſicut & natura nihil molitur fruſtra; talis autem appetitus inefficax nequit eſſe impreſſus à Deo, quia cùm (ut infra videbimus) ſit de re impoſſibili, eſſet ſuperfluus. Tum quia licèt appetitus elicitus poſſit diſtingui in efficacem, & in inefficacem, non tamen appetitus naturalis. Quod ſic probo. Nam ſicut appetitus dividitur in naturalem, & elicitum, ita cognitio dividitur in ſenſitivam, & intellectivam, poſtea in intuitivam, & abſtractivam, in quidditativam, & comprehenſivam; ſed in cognitione ſenſitiva non eſt diſtinguere cognitionem abſtractivam, & intuitivam, quidditativam, & comprehenſivam: ergo à pari in appetitu naturali non eſt diſtinguere appetitum alium efficacem, & alium inefficacem. Tum quia ſi in materia prima extaret aliquis appetitus inefficax, talis appetitus eſſet etiam ad formas, non ſolùm naturaliter, verùm etiam ſupernaturaliter impoſſibiles: ſicut appetitus elicitus inefficax poteſt eſſe ad aliquid etiam ſupernaturaliter impoſſibile, V. G. poteſt Homo appetitu inefficaci appetere eſſe Angelum. Hoc autem non conceditur; ergo &c.

Deinde, ut excludatur modus dicendi Joannis de S. Th. & Arnù, qui dicunt, materiam appetere formas amiſſas accepto appetitu pro quadam connaturali proportione, quam materia habet ad tales formas, quem appetitum nonnulli in autographis vocant appetitum, non practicum, ſed tantùm ſpeculativum. Ratio eſt (ut mox videbimus) quia tales formæ ſunt naturaliter impoſſibiles reſpectu materiæ: ergo iſta nullam habet naturalem proportionem ad illas.

Confirmo. Forma etiam ſupernaturaliter impoſſibilis, eſt etiam ſupernaturaliter improportionata, cùm id, quod eſt ſupernaturaliter impoſſibile, implicet contradictionem: ergo pariter forma naturaliter impoſſibilis, eſt naturaliter improportionata.

3. Prob. Concluſio ratione ſimul, & authoritate. Ad id, quod eſt naturaliter impoſſibile non extat appetitus naturalis; ſed in materia prima non eſt naturaliter poſſibilis forma ſemel amiſſa; ergo materia non appetit formas amiſſas. Maj. pateſcit, Tum quia aliter talis appetitus eſſet fruſtraneus. Tum quia appetitus naturalis eſt in ordine ad bonum naturale; ſed, quod eſt naturaliter impoſſibile, non eſt bonum; quia bonum dicitur per convenientiam ad appetitum, & per convenientiam ad id, cui eſt bonum; aliunde verò quod eſt naturaliter impoſſibile non eſt naturaliter conveniens: ergo &c. Min. verò prob. Nam (at inquit Ariſtoteles cap. de oppoſitis) *à privatione ad habitum non extat naturaliter regreſſus*; quòd etiam conſtat ex eo, quòd naturæ vi poſſibilis non eſt mortuorum reſurrectio: Undè S. Th. p. 2. q. 115 art. 10. in corp. inquit *In quibuſdam miraculoſis operibus invenitur, quòd forma inducta eſt ſupra naturalem potentiam talis materiæ, ſicut in ſuſcitatione mortui vita eſt ſupra naturalem potentiam talis corporis: ergo* &c. ant. eſt certum, illudque axioma Ariſtotelicum communiter admittitur ab Adverſariis (& fuſiùs oſtendetur in lib. 2. de Gener. & Corrup. q. 4. & ult. art. unico, & ult. §. 2. & 3.) licèt diſſideant inter ſe in aſſignando, ex quo capite talis impoſſibilitas oriatur, ut videre eſt apud Ortiz.

Dices 1. cum Hurtado, quòd forma amiſſa eſt quidem naturaliter impoſſibilis, non tamen ex ratione ipſius materiæ, ſed per accidens, ab extrinſeco, ex voluntate Dei, qui ſic legem ſtatuit, ne forma amiſſa recuperetur. Undè materia ex ſui ratione formali ſemper dicit capacitatem, & per conſequens appetitum naturalem ad formas amiſſas.

Contra. Deus ut author naturæ agendo ad extra, ſe conformat, & attemperat naturis rerum, cùm prohibeat id, quod rerum naturis repugnat, & quod eis eſt conforme, præcipiat: ergo ſi Deus ita ſtatuit ne Materia formam amiſſam recuperet, ſignum eſt, quòd hoc eſt juxta exigentiam naturæ ipſius materiæ, & per conſequens naturalis impoſſibilitas oritur ex natura, & ratione formali materiæ. Quod ſi Deus oppoſitum decerneret, operaretur ut ſupernaturalis, non ut naturalis author, quia ageret ſupra naturam rerum.

Conf. ex D. Auguſt. qui 7. de Civit. Dei c. 30. docet, Deum ſic adminiſtrare omnia, quæ creavit, ut ipſa proprios motus exercere, & agere ſinat.

Dices 2. cum Ruvio, quòd materiæ non repugnat habere formam amiſſam quantùm eſt de ſe, ſed ſolùm ideo talis forma evadit impoſſibilis, quia non extat agens aliquod, in cujus virtute contineatur, quodque illam introducere ſit potens. Sed

Contra. Cuique potentiæ paſſivæ correſpondet ſua potentia activa, quia activum, & paſſivum ſunt correlativa; ergo ſi non extat agens potens introducere formam amiſſam, nec ex parte materiæ extat potentia paſſiva, ſeu receptiva illius. Undè S. Th. 2. contra Gentes cap. 16. art. 13. inquit *in omni genere tantùm ſe extendit potentia paſſiva, quantùm activa illius generis*; idcircò non eſt aliqua potentia paſſiva in natura, cui non correſpondeat alia potentia activa naturalis.

Conf. contra utrumque reſponſum. Ideo non extat aliquod agens naturale potens illam formam amiſſam introducere, vel ideo Deus ita ſtatuit, quia hoc repugnat fini intento ab authore naturæ: ergo propter eandem rationem repugnabit potentia receptiva ex parte materiæ. Ex quibus

4. Prob. 2. Concluſio ſic. Eo modo materia debet appetere formam, quo modo id petit bonum, & ordo Univerſi, ſed bonum, & ordo Univerſi petit, quòd materia non inclinet in formam amiſſam: ergo materia prima non appetit formam amiſſam. Prob. min. Bonum, & ordo Univerſi petit, quòd materia inclinet in viciſſitudinem, & generationem rerum, per quam ſublunaria in ſua ſpecie conſervantur; ſed ad viciſſitudinem, & generationem requiritur non recuperari formas amiſſas, ſecùs non eſſent rerum de novo advenientium generationes, ſed præcedentium regenerationes: ergo &c.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

5. ARg. 1. Materia prima poſt amiſſam formam, adhuc remanet cum ſua entitate; ſed nequit remanere cum ſua entitate, niſi remaneat etiam cum appetitu ad talem formam: ergo materia prima appetit formas etiam amiſſas. Prob. min. Appetitus Materiæ non diſtinguitur realiter à materiæ entitate: ergo &c. Ant. docetur communiter à Thomiſtis; & meritò, quia appetitus materiæ ad formam nihil aliud eſt, quàm potentia, & capacitas ad formam; iſta autem potentia, & capacitas non diſtinguitur realiter à materia, ut Univerſim Thomiſtæ docent contra Toletum, Jandunum, & Zabarellam, nec formaliter, ut etiam adverſus Scotiſtas tuentur; immò nec virtualiter excluſivè, ut art. 2. dicebamus contra admittentes actum metaphyſicum in materia prima.

Conf. Materia ſi dum amittit formam, amitteret etiam appetitum ad illam, deberet quoque ſuam amittere entitatem; quæ eſt idem realiter cum tali appetitu; ſed hoc eſt falſum: ergo falſum eſt, amittere talem appetitum.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. ant. non diſtinguitur realiter quantùm ad id, quod dicit in recto, concedo, quantùm ad id, quod in obliquo dicit, nego ant. & conſequentiam. Duo igitur dicit appetitus; Unum in recto, & aliud in obliquo, ac de connotato. In recto dicit ipſam entitatem materiæ. In obliquo verò dicit quandam explicationem ad ipſam formam. Primo igitur modo appetitus non diſtinguitur realiter ab ipſa entitate materiæ, benè verò ſecundo modo. Undè deficit quantùm ad ſecundum, non verò quantùm ad primum; ſicque illæſa ſalvatur entitas materiæ ad eum modum, quo diximus de relatione, quæ deficit moriente ſecundo filio; & eo modo, quo in tract. de voluntate Dei dicunt Noſtrates, quòd deficiente in Deo actu libero non deficit aliqua entitas, ſed deficit duntaxat aliquid reale de connotato, & in obliquo. Per quod patet ad explicationem.

Contra. Appetitus materiæ nihil aliud eſt, quàm capacitas, & potentia ejus ad formam; ſed amiſſa aliqua forma adhuc remanet in materia capacitas, & potentia: ergo remanet ad formam appetitus, non ſolùm quantùm ad id, quod dicit in recto, verùm etiam quantum ad id, quod dicit in obliquo.

Reſp. omiſſa maj diſt. min. remanet capacitas ad formas non amiſſas, concedo, amiſſas, nego min. & conſequentiam. Retinet quidem rationem potentiæ capacis, & receptivæ, cùm iſta ſit illius eſſentia, non tamen ad formas amiſſas; quia Univerſi bonum, & ordo poſtulat, quòd materia ſemel informata aliqua forma, non ampliùs ab eadem reinformetur, ut rerum varietas locum habeat. Dixi *omiſſa maj.* Non enim eſt univerſaliter verum, quòd idem ſit appetitus, ſive inclinatio, ac capacitas, & potentia. Palam namque eſt, quòd aqua habet capacitatem & potentiam ad calorem; & tamen non habet inclinationem, ſive appetitum naturalem ad calorem; ſed inclinat ad frigiditatem, ad quam proinde ſe reducit poſtquam eſt calefacta; verum tamen eſt, quòd iſta non eſt capacitas purè naturalis, ſed quodammodo obedientialis, ut dicetur infra agendo de eductione formarum accidentalium violentarum.

Contra. Materia quantùm eſt de ſe habet capacitatem ad formam etiam amiſſam: ergo reſponſum nullum. Ant. prob. ex Ruvio. Si Deus ſtatueret, ut forma amiſſa de novo reproduceretur, materia eam reciperet: ergo &c. Ex quo infert pars adverſa, quòd tota impoſſibilitas recipiendi formam amiſſam ſit ſolùm per accidens, & ab extrinſeco.

Reſp. nego ant. ſi loquatur de potentia naturali. Ad prob. diſt. ant. reciperet per potentiam obedientialem, concedo, per potentiam naturalem, nego ant. & diſt. conſequens dicit capacitatem obedientialem, concedo, naturalem, nego ant. & conſequentiam. Si ergo Deus vellet, quòd materia informaretur forma ſemel amiſſa, operaretur, non ut author naturæ, ſed ut author ſupernaturalis, & per conſequens materia reciperet per potentiam obedientialem, non verò naturalem; ac proinde nequit dicere appetitum naturalem ad formas amiſſas.

Dices, Potentia obedientialis non eſt, niſi ad aliquid ſupernaturale; ſed forma amiſſa recuperanda non eſſet aliquid ſupernaturale: ergo materia prima non reciperet illam per potentiam obedientialem.

Reſp. diſt. maj. non eſt, niſi ad aliquid ſupernaturale, vel ex parte rei productæ, vel ex parte modi ſive producendi, ſive recipiendi, concedo, ſolùm ex parte rei productæ, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Supernaturale igitur (ut dicemus in Metaphyſ. q. prodroma 1. in quæſito ponendo poſt art. 2. & iterum in Theologicis 3. p. tract. 1.

q. 2. art. 2. §. 3.) dupliciter ſumi poteſt. Primò ex parte rei productæ, quo pacto Gratia V. G. eſt aliquid ſupernaturale. Secundò ex parte modi producendi, vel recipiendi aliquam rem, nimirum quatenus modus producendi, vel recipiendi aliquam rem eſt ſupra naturæ vires: ſicut V. G. recuperatio viſus in cæco ex parte rei productæ eſt aliquid naturale, ſcilicet viſus; Et ex parte modi producendi eſt aliquid ſupernaturale. Forma igitur amiſſa licèt ſit aliquid naturale ex parte rei productæ, & receptæ, vel recipiendæ, tamen eſt aliquid ſupernaturale ex parte modi producendi, vel recipiendi.

Qua ex re infero, quòd in caſu, quo Deus vellet, quòd materia prima reciperet formam amiſſam, talis forma nequiret ab aliquo agente naturali, ut cauſa principali, ſed ad ſummum ut à cauſa inſtrumentali introduci; quia ad ſupernaturalia natura nequit concurrere effectivè, niſi ut inſtrumentum.

6. Arg. 2. Materia prima dicit appetitum ad formas nondum amiſſas: ergo etiam ad formas amiſſas. Prob. conſequentia. Forma amiſſa eſt ejuſdem ſpeciei cum pluribus aliis formis nondum amiſſis: ergo ſi &c.

Reſp. nego conſequentiam. Ad prob. diſt. ant. eſt ejuſdem ſpeciei cum iiſdem circumſtantiis, nego, cum diverſis circumſtantiis, concedo ant. & nego conſequentiam. Forma itaque amiſſa, & forma nondum amiſſa quamquam multoties ſint ejuſdem ſpeciei; tamen diverſas habent circumſtantias. Prima ſiquidem habet circumſtantias reddentes illam naturaliter impoſſibilem, videlicet ipſum ſtatum amiſſionis. Non ſic ſecunda.

Dices. Circumſtantiæ tollunt poſſibilitatem tantummodo extrinſecam: ergo diverſæ circumſtantiæ non tollunt intrinſecam appetibilitatem. Prob ant. Circumſtantiæ ſunt extrinſecæ, cùm non ſint de eſſentia formæ: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. ſunt extrinſecæ, ſed tamen intrinſecè connexæ, concedo, ſunt extrinſecæ, & extrinſecè connexæ, nego ant. & conſequentiam. Circumſtantiæ ſiquidem afficientes formam amiſſam eſtò ſint extrinſecæ, quatenus non ſunt de illius eſſentia; tamen ſunt cum illa intrinſecè connexæ, ſcilicet ſtatus ipſe amiſſionis, qui proinde reddit impoſſibilem intrinſecè, impoſſibilitate ſaltem naturali ipſam formam.

7. Arg. 3. Materia prima eſt ſubjectum capax formæ amiſſæ: ergo dicit potentiam naturalem, & per conſequens appetitum naturalem ad illam. Prob. ant. Materia prima habet privationem formæ amiſſæ; ſed in hoc privatio à negatione ſecernitur, quòd privatio eſt carentia formæ in ſubjecto capaci, negatio verò eſt carentia formæ in ſubjecto incapaci: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. data maj. diſt. min. quò ad 2. p. in ſubjecto capaci capacitate vel naturali, vel obedientiali, concedo ſemper naturali, nego min. & conſequentiam. Ad hoc igitur, ut materia habeat privationem formæ amiſſæ ſat eſt, quòd habeat capacitatem obedientialem ad illam, ut de gratia patet.

8. Arg. poſtremò. Forma amiſſa dicit naturalem inclinationem ad informandam materiam, V. G. Anima rationalis: ergo pariter materia prima dicit naturalem inclinationem ad formam amiſſam. Ant. docetur à D. Th. p. p. q. 76. art. 6. ubi inquit: *Anima humana manet in ſuo eſſe, cùm fuerit à corpore ſeparata habens aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis unionem*: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. interpreto S. Th. ex Ferrarienſi, Banez, & Ortiz cum diſtinctione ſic: dicit naturalem inclinationem naturalitate ſe tenente ex parte termini, concedo, naturalitate ſe tenente ex parte inclinationis, nego. Intendit igitur S. Th. inclinationem, quam Anima dicit ad corpus eſſe naturalem ad hunc ſenſum, quòd ſcilicet talis inclinatio eſt ad aliquod naturale, non tamen ita, quòd inclinatio in ſe naturalis ſit. Eſt enim quid ſupernaturale, ſaltem ex parte modi &c. ut ſupra dicebamus.

Dices. D. Th. ibi comparat inclinationem, quam Animi dicit ad corpus cum illa, quam lapis dicit ad centrum; ſed iſta eſt naturalis omni modo: ergo & illa.

Reſp. diſt. maj. comparat omni paritate, nego, aliquali paritate, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Siquidem S. Th. facit paritatem, non quò ad omnia, ſed duntaxat quò ad hoc, ſcilicet, quòd ſicut dum lapis eſt extra centrum non habet eſſe cum adæquata ſui perfectione; ita Anima ſejuncta à corpore non habet eſſe cum omnimoda ſui totalitate. Quod ſatis erat ad intentum S. Th. ibi, volentis ſalvare, quòd Anima uniatur corpori ut forma. Cum quo tamen ſtat differentia, quòd cùm centrum ſit lapidi naturaliter poſſibile, lapis dicit inclinationem naturalem ex omni capite talem ad centrum. Non ſic verò Anima ad corpus, à quo fuit ſeparata, cùm naturaliter ſit impoſſibile illi uniri.

Vide quæ dico in Metaphyſ. q. 53. art. 5. §. 3. num. 7. ad 1. arg.

APPENDIX.

An Materia Prima ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.

RESP. Materiam Primam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem negativè.

Prob. Nam Materia Prima eſt primum ſubjectum; ſed ſi eſſet generabilis, & corruptibilis non eſſet ampliùs primum ſubjectum: ergo eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. Prob. min. Si eſſet generabilis, & corruptibilis deberet poſſe fieri ex alio priori ſe: ergo iſtud, & non ipſa eſſet primum ſubjectum.

Verum eſt tamen, quòd non eſt ingenerabilis, & incorruptibilis poſitivè; quia ingenerabilitas, & incorruptibilitas poſitiva vel eſt aliquis actus, vel ſaltem habetur ab aliquo actu, quo prorſus caret materia prima. Eſt igitur talis negativè, quatenus ipſa caret poſitivo principio generationis, & corruptionis.

Objicies. Materia prima eſt primum ſubjectum, & prima radix generationis, & corruptionis: ergo eſt generabilis, & corruptibilis. Ant. eſt apertum. Quandoquidem materia prima eſt primum ſubjectum tranſmutationis formarum, continuò inclinans ad deſtructionem formæ quam habet, & ad acquiſitionem novæ formæ: ergo eſt prima radix generationis, & corruptionis.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens: eſt generabilis, & corruptibilis *ut quod*, nego, *ut quo*, concedo conſequentiam. Materia itaque dicitur generabilis, & corruptibilis *ut quo*, quatenus eſt ſubjectum *quo* ipſius mutationis, cujus ſubjectum *quod* eſt totum compoſitum. Dicitur autem ſubjectum *quo*, quia eſt id *quo*, ſeu id in quo forma corrumpitur, ex cujus corruptione fit totius compoſiti diſſolutio.

Qua ex re habes, quòd (ut alibi diximus) materia licèt ſit ſubjectum *quod* ipſius formæ; tamen reſpectu mutationis ſe habet ſolum ut ſubjectum *quo*, non verò *quod*.

QUÆSTIO TERTIA.

De Forma, & Privatione.

EXtare formam ſubſtantialem perſpicuum eſt ex his, quæ diximus quæſt. 1. art. unico §. 7. probando, extare in rebus ſublunaribus mutationes ſubſtantiales. Iſtæ namque verſiones fieri nequeunt per atomorum combinationes. Vidimus etiam ibi §. 8. Animam rationalem eſſe veram formam corporis, juxta determinationem Concilii Lateranenſis, & Concilii Viennenſis.

Argumenta, quæ ad probandum, non extare formas, producunt Atomiſtæ, ſolvemus in locis citatis ſupra quæſt. 1. art. unico cit. §. 11. in fine, & q. præcedenti 2. in præloquio 2. ſub num. 2.

Forma dicitur ab eo, quòd materiam formet, ſeu formoſitate ſua ornet, dando illi eſſe ſpecificum. Quare definitur, quòd ſit *illa, quæ dat eſſe rei*, ut planum eſt ex his, quæ Ariſt. habet apud D. Th. opuſc. 31. & 2. Phyſ. cap. 3. lect. 3. ubi inducit Ariſtotelem ſic loquentem: *hæc autem* (ſcilicet forma) *quodquid erat eſſe*. Quia tamen per hoc non videtur Ariſt. definitionem aliquam ex profeſſo tradidiſſe pro ipſa forma: Idcircò plerique ſuo pro libito aliter, & aliter formæ ſubſtantialis quidditatem exponunt. Pulchrè tamen ſolet à noſtris explicari. Undè cum his

Definitur forma ſic: *eſt actus primus materiæ primæ*. Quæ definitio eſt prorſus irreprehenſibilis, Tum quia habet univerſa requiſita ad idoneam definitionem, ut mox ejus ex declaratione conſtabit. Tum quia verè eſt actus primus. Quod probatur. Quemadmodum actus, ſeu forma dicitur correlativè ad potentiam informandam, ita potentia dicitur correlativè ad formam informativam, ſeu actum informativum; ſed potentia ſubſtantialis reſpiciens formam, nimirum materia prima eſt, & definitur prima potentia, ſeu

primum ſubjectum: ergo etiam forma, quòd ſit actus primus. Quo ſoppoſito

Enucleatur definitio. Dicitur *actus*, per quam dictionem forma ſubſtantialis convenit cum cæteris formis etiam accidentalibus. Dicitur *primus*, Tum ad differentiam exiſtentiæ, quæ eſt actus ultimus, ſeu ultimus terminus eſſentiæ; Tum ad differentiam formæ accidentalis, quæ dicitur actus ſecundus totius compoſiti, adveniens rei in actu, & jam exiſtenti. Dicitur *materiæ primæ*, ad differentiam formarum completarum, quales ſunt Angeli, qui ceu per ſe ſubſiſtentes non ſunt pars actuans aliam compartem ad conſtituendum aliquod totum completum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum formæ in ſecunda rerum productione educantur de potentia materiæ.

§. I.

s. UT innoteſcat, quid ſit eitnius, veſtigandum eſt quid ſit eductio, & quid ad illam requiratur.

Præmonendum igitur, quòd formæ, quæ modo ordinaria productione fiunt, adveniunt materiæ, non omnino ab extrinſeco, ut putavit Plato. Ratio eſt, quia tales formæ dependent à materia intrinſecè in eſſe & fieri, ut conſtat, ut magis infra conſtabit: ergo non omnino ab extrinſeco adveniunt materiæ, ſed fiunt cum aliqua dependentia ab ipſa.

Nec tamen formæ eruuntur ex ipſa materia tanquam actu latitantes in ipſa eum ad modum quo vinum de dolio educitur, pecunia V. G extrahitur à crumena, panis ex Arca &c. tanquam ex loco, ut putavit Anaxagoras, & dicunt Atomiſtæ ſuas atomos intus latitantes exteriùs ſe prodere. Non, inquam, aliter nulla extaret ſubſtantialis mutatio, ſed duntaxat quò ad extrinſecam apparentiam, ut vidimus quæſt.s. art. unico §.7. Educuntur igitur de potentia materiæ.

Eductio autem, in quo ſita ſit, non ita facilè explanatur. Eductio ergo formæ ex potentia materiæ communiter à noſtris dicitur, quòd nihil aliud ſit, quàm *fieri alicujus formæ cum dependentia à materia*, quæ dum tranſmutatur per diſpoſitiones ab agente introductas, fit in actu illius formæ, quam antea habebat duntaxat in potentia. Ob idque forma ut educatur debet præcontineri in materia; quia educere nihil aliud etymologicè ſonare videtur, quàm *extra ducere*, ac proinde ſi ducitur extra materiam, debet in illa præcontineri, non quidem actu (ut volebat Anaxagoras) ſed in potentia, non quidem in potentia, ſeu virtute activa, cùm hæc ſit propria agentis generantis, ſed in potentia paſſiva.

Ex his conſtabit, quomodo forma dicatur de materia educi, & introduci in materiam. Dicitur enim educi quatenus ducitur extra potentiam paſſivam materiæ, ſeu quatenus forma illa, quæ continebatur intra potentiam paſſivam materiæ (quæ eſt quidam ſinus omnium formarum) trahitur ad eſſe actu. Dicitur verò introduci, non quia iterum ducatur intra potentiam illius paſſivam, ſed quia ducitur ad intùs, ſeu ad intrinſecè actuandam materiam. Paucis igitur verbis eductio *eſt fieri formæ dependenter à materia*, & contineri in potentia paſſiva materiæ *eſt aptitudo, & exigentia formæ ad fieri dependenter à materia*.

a. Nec tamen Materia habet præcisè formam recipere ſine eo; quòd aliquid ad formæ generationem conferat. Non, inquam. Nam, ut rectè Goudin, quemadmodum ut aliquid dicatur produci ab agente non ſatis eſt, ut agens quomodocunque illud attingat, fovendo, uniendo cum alio, diſponendo ad aliud. &c. ſed oportet, ut in ſuo *fieri*, & *eſse* ab eo pendeat, tanquam ejus virtute factum de non exiſtente exiſtens: Ita; pariter ut forma dicatur educi de potentia paſſiva materiæ, non ſatis eſt, iſtam quocunque modo ad illam pertinere, V. G. ut receptivum, ut compartem; ſed inſuper requiritur, ut potentia materiæ ſuo modo cum agente concurrat, ſeu, ut loquitur S. Th. in a. diſt. t 8. art. a. coadjuvet ad *fieri* formæ, ſicque illud reddat propriè dependens à ſua cauſalitate.

Quomodo autem concurrat, & coadjuvet perpulchrè exponit ex eodem S. Th ſic. Materia & forma corruptibilis non habent, niſi unicum eſſe, ſeu unicam exiſtentiam, cujus ſuſtinendæ neutra ſeorſim ſufficit; ſed ad illam materia quidem ſe habet ut potentia eſſendi, ſeu ut fundamentum, ut inchoatio, & veluti primus paſſus, quo ens emergere incipit ex nihilo; forma verò ut complementum, & perfectio. Cùm igitur facilius ſit, inchoatum complere, & imperfectum ulteriùs promovere, & adducere ad perfectionem, quàm totum, cujus nihil extabat, conficere, hoc ipſo, quòd agens ſupponit materiam, & circa illam verſatur, ut eam tranſmutet de non *eſse* ad *eſse* formæ, cujus eſt potentia, manifeſtè cenſetur à materia adjuvari ad dandum *eſse* formæ, & compoſito; ſicque intelligitur materia concurrere ad *fieri* formæ, & forma educi de potentia materiæ.

Dixi verò *in ſecunda rerum productione*, quia in prima rerum productione formas Cœlorum, & elementorum non fuiſse eductas (quicquid dicat Scotiſta, & Neotericorum nonnemo) nec educi potuiſſe (quicquid dicant aliqui Noſtrates) clarum ſuppono; quia non potuit pro tunc fieri tranſmutatio, cùm non potuerit præire materia ſub privatione nec etiam exigita; quia productio illa quamquam non exigeret eſſe prima; tamen ſuppoſito, quòd fuerit prima poſtulat, non ante ſe præiviſſe materiam. Quemadmodum paries quamquam non petat eſſe album, tamen ſuppoſito, quòd ſit albus, petit eſſe diſgregativum viſus. Ob idque nec metaphyſica eductione potuerunt educi, ut præoccupetur quorundam effugium de tranſmutatione virtuali ſufficiente ad metaphyſicam eductionem; quia Eductio cùm ſit tranſmutatio de non eſſe ad eſſe, ceu generatio, eo modo debet eſſe eductio, quo modo eſt tranſmutatio; adeoque ſi foret eductio formalis metaphyſica, deberet eſſe tranſmutatio formalis, & non tantùm virtualis.

Negat ex Peripateticis quidam Joannes Van-Helmont relatus ab Arnù. Avicenna autem putavit, omnes formas eſſe ab extrinſeco datas ab Intelligentia. Plato deinde ſuo cum Magiſtro Socrate (quos aliàs pro atomis ſtare dicit Saguens) putavit, formas eſſe imagines quaſdam ab ideis illis ſeparatis derivatas.

Ultra iſtos quædam peculiaris opinio hiſce temporibus emerſit Joannis Baptiſtæ du Hamel, qui in ſua Philoſophia veteri, & nova tom. 4. tr. r. cap. a. & iterum, ac clarius cap. 3 concl. r. & a. tenet formas viventium educi de potentia materiæ, ſecùs verò formas Corporis vitæ expertis etiam mixti; quia iſtas eſſe putat entitates purè reſpectivas conſiſtentes in congreſſu primarum qualitatum; & elementa nihil aliud eſſe quàm materiam primam cum diverſis qualitatibus.

Verùm hæc ſententia, quæ etiam fuit quorundam Veterum, quàm falſa ſit eniteſcit ex dictis in hoc r. Phyſ. q. a. art. 3. & 4. ubi vidimus, materiam non poſſe exiſtere abſque aliqua ſubſtantiali forma; qualitates autem ſunt formæ accidentales. Patebit etiam lib. r. de Gener. & Corrup. ubi videbimus, materiam primam non poſſe eſſe immediatum ſubjectum accidentium.

Inſuper ſi elementorum, mixtorumque inanimatorum tota ſubſtantia eſſet materia, jam non niſi per diverſas qualitates diſtinguerentur inter ſe: ergo nulla in eis extaret mutatio ſubſtantialis. Quod eſſe falſum patet ex dictis quæſt. r. art. unico §. 7.

Denique, materia illa elementorum, cæterorumque inanimatorum, vel eſt ſubſtantialiter completa, vel incompleta. Si incompleta debet completi per formam aliquam ſubſtantialem, & ita in eis ultra qualitates accidentales extant formæ ſubſtantiales. Si completa ſubſtantialiter: ergo materia eorum habet modum eſſendi perfectiorem ipſis viventibus, eritque perfecta ſicut ſubſtantia Angeli.

Ut diruatur fundamentum Joannis Baptiſtæ du Hamel ſciendum eſt, quòd cùm quamplurium rerum eſſentias ignoremus, ſolemus eas explicare per earum effectus, vel proprietates. Sicque ignem explicare ſolemus per exſiccare, calefacere, congregare homogenea, diſgregare heterogenea &c. attamen in eis eſſentialiter non conſiſtit. Idem dicas de quibuſdam aliis mixtis. Et hoc evenit etiam in viventibus, quorum formas du Hamel defendit, non eſſe ſitas in qualitatibus; & tamen quamplurium eſſentias explicamus per earum effectus, & proprietates, V. G. equum per hinnibile, Canem per latrabilitatem, &c. licèt in eis eſſentialiter non conſiſtant.

3. Quò ad formas viventium nonnulli dixerunt, non educi; ſed eſſe particulas quaſdam formæ generantis, quæ à generante deciſæ tranſmittuntur ad genitum.

Sed & iſta falſa ſine dubio opinio eſt, Tum quia videbimus in lib. de Anima, ſaltem animas animalium perfectorum

rum eſſe indiviſibiles. Et certè videmus, partem animalis abſciſſam non exurgere in aliud animal, ſicut ramus ab arbore abſciſſus, & in terra plantatus in arborem exurgit. Ultraquamquod nec etiam in arboribus id evenit per deciſionem particulæ tranſmiſſæ. Non, inquam. Nam dum ſic abſcinditur ramus, tunc non ſolùm pars Animæ, ſed & pars materiæ cum Anima, quam prius habebat, abſcinditur. Ulteriùs ſequeretur, nullas extare generationes viventium de novo ſimpliciter, ſed adhuc nunc exiſtere primas formas in particulas diviſas, quæ in integras formas viventes concreverint.

Denique iſtæ particulæ non aliter tranſmitterentur, niſi medio ſemine; ſicque in ſemine haberetur anima. Hoc autem, quàm falſum ſit conſtat, quia cùm effectus formalis animæ ſit conſtituere animatum, ſemen foret & ipſum animatum, ſicque creſceret, generaret aliud ſemen, moveretur, ſentiret, cæteraſque viventium, ſeu animatorum operationes haberet. Quod eſſe falſum quis deneget?

His præmiſſis videndum eſt prout in titulo. Quo circa

4. Partem univerſaliter affirmativam tenuit Apollinaris, volens, omnes formas, etiam Animas rationales eſſe eductas, & per ſemen propagatas. Hunc impugnat S. Th. p. p. q. 92. art. 2 & 2. contra Gentes cap. 86. & præcipuè pro tota hac difficultate videndus quæſt. 3. de potentia art. 8.

Sententia media communis inter Peripateticos eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO.

Omnes Formæ ſublunares in ſecunda rerum productione educantur de potentia materiæ, dempta Anima rationali.

Docetur à D. Th. locis citatis, & præcipuè ex quæſt. 3. de potentia.

5. Prob. 1. quòad p. p. Formæ ſubſtantiales, quæ habent eſſe, & fieri dependenter à materia, educuntur de illius potentia; ſed hujuſmodi formæ materiales in ſecunda rerum productione habent eſſe, & fieri dependenter à materia: ergo ſi extant (ut modò ſupponimus) hujuſmodi formæ educuntur de potentia materiæ. Maj. clareſcit ex dictis ſupra art. 5. hujus quæſt. ubi probavimus, quòd educi nihil aliud eſt, quàm fieri dependenter à materia. Min. etiam conſtat, ſecùs non eſſent formæ materiales ſublunares.

Conſ. contra Van-Helmont. Formæ materiales debent habere fieri imperfectius, quàm Anima rationalis; ſed ſi crearentur non haberent fieri imperfectius: ergo formæ materiales non creantur. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd formæ habent eſſe imperfectius quàm Anima rationalis: ergo & imperfectius fieri, quia fieri eſt via ad eſſe. Min. etiam conſtat, quia tam illæ, quàm iſtæ haberent eſſe per creationem.

6. Prob. 2 quòad eandem p. contra Platonem, & Avicennam. Nam illæ intelligentiæ, vel ideæ ſeparatæ vel ſunt aliquid creatum, vel non. Hoc ſecuodum dici nequit, aliter eſſent Deus. Si primum: ergo nequeunt creare, & per conſequens nequeunt eſſe ab ipſis creatæ. Prob. conſequentia. Nulli creaturæ poteſt competere creatio; ergo ſi ſunt aliquid creatum nequeunt creare. Ant. prob. Ad creandum requiritur virtus infinita; ſed nulla creatura habet virtutem infinitam: ergo &c. Prob. maj. Creatio eſt ex nihilo; ſed ad producendum aliquid ex nihilo requiritur virtus infinita: ergo &c. Prob. min. Ad ſuperandam infinitam diſtantiam requiritur virtus infinita; ſed inter ens & nihil extat infinita diſtantia: ergo &c. Min. (quam quondam occaſione alterius quæſtionis negatam audivi à quodam ex Societate, dicente, illam diſtantiam eſſe tantùm maximam, non verò infinitam) prob. dupliciter. Et primò. Illa diſtantia eſt infinita, quæ caret fine; ſed illa diſtantia caret fine; ergo &c. Prob. min. Illud caret fine, quod nunquam finitur aut eſt finibile; ſed illa diſtantia nunquam finitur, nec unquam eſt finibilis: ergo &c. Prob. min. ſupponendo, quòd hic ſumitur diſtantia pro diſconvenientia, non verò pro diſtantia locali, cùm pro nihilo nullus extet locus. Diſtantia, ſumpta pro diſconvenientia non eſt finibilis, niſi ubi deſinat ſeu finiat, ſive ceſſet diſconvenire; ſed ens & nihil nunquam poſſunt deſinere diſconvenire: ergo &c. Prob. min. Ibi aliqua deſinunt diſconvenire, ubi incipiunt convenire; ſed ens & nihil nunquam poſſunt in aliquo convenire, cùm nihil nihil habeat, in quo poſſit convenientia fieri: ergo &c. ſecundò. Major eſt diſtantia inter ens, & nihil, quàm inter finitum, & infinitum; ſed diſtantia inter finitum & infinitum eſt infinita: ergo &c. Maj. liquet. Nam finitum, & infinitum conveniunt ſaltem analogicè in aliquo, puta in ente, in ſubſtantia, &c. ens verò, & nihil in nullo conveniunt: ergo &c. Min. verò prob. Inter duo finita extat diſtantia finita: ergo pariter inter finitum, & infinitum extat diſtantia infinita. Et certè ſi inter finitum, & infinitum non extaret diſtantia infinita, ſequeretur, quòd Deus non excederet in infinitum creaturas.

Quòd ſi negent, creationem eſſe ex nihilo (quod proculdubio faciunt, quia dicunt etiam productiones ex aliquo ente factas ab Intelligentiis, vel ideis, eſſe creationes) Tum contra ipſos inſurgo ſic. Dato etiam, quòd non ſemper creatio eſſet ex nihilo; tamen interdum eſt ex nihilo, ſaltem enim illud primum præſuppoſitum, ex quo tales formas creaſſent vel crearent, debet eſſe creatum ex nihilo, aliter foret in infinitum abire: ergo ſaltem in aliquo caſu non potuerunt creare: ergo in nullo alio caſu, quia non eſt major ratio de uno quàm de alio; eo quod ſemper eſt creatio.

Quòd ſi dicant, creationes factas ex aliquo præſuppoſito eſſe diverſæ rationis ab ea, quæ ſit ex nihilo. Tunc debebunt aſſignare, in quo differant. Quod non poterit eſſe, niſi hoc, quòd ſcilicet, quando ſit ex aliquo præſuppoſito, tunc res producta nonnihil continetur in eo, quod præſupponitur; & ſic erit eductio.

Adde ex dictis art. 2. quòd forma cùm ſit intrinſecè materialis, dependet intrinſecè à materia: ergo non provenit materiæ omnino ab extrinſeco, nimirum ab Intelligentiis, vel ab Ideis ſeparatis, ſecùs ab illa intrinſecè non dependeret; quia non ab illa, ſed ab extrinſeco haberet eſſe.

Nec tamen (ut ibidem dicebamus) formæ præcontinentur actu in materia, nec formaliter, nec inchoativè (ut quidam autumabant Philoſophi) quia materia in generatione tranſit de privatione ad formam; forma autem nullo modo ſtat actu cum ſui privatione: eo modo, quo viſio V. G. actu nequit ſtare etiam incompletè, & inchoativè cum formali cæcitate.

7. Prob. modò quòad 2. p. Concluſio. Anima rationalis non dependet à materia in eſſe, & fieri: ergo non educitur de illius potentia. Prob. ant. Forma, cujus operationes ſunt independentes à materia, eſt independens à materia in eſſe, & fieri; ſed operationes Animæ rationalis ſunt independentes à materia: ergo etiam ipſa Animæ &c. maj. patet, quia operari ſequitur ad eſſe. Min. prob. Intelligere, & velle ſunt operationes Animæ rationalis; ſed iſtæ ſunt independentes à materia; ergo &c. Prob min. Intellectus, & voluntas non ſunt potentiæ corporeæ, & materiales: ergo intelligere, & velle ſunt operationes independentes à materia. Ant. prob. Tum quia non ſunt excogitabilia ſpecialia organa corporea, quibus intellectus, & voluntas exerceant ſuas operationes. Tum quia (ut inquit S. Th. p. p q. 75. art. 2. in corp. & quæſt. unica de Anima art. 2. in corp.) Homo per intellectum eſt potens cognoſcere, & intelligere naturas omnium corporum; ſed non poſſet ſic cognoſcere, ſi eſſet corporeus: ergo intellectus non eſt potentia corporea. Min. prob. Ad hoc, ut unum percipiat aliud, nihil ejus, quod percipit, habere debet: ergo ſi intellectus eſſet corporeus nequiret percipere naturas omnium corporum. Ant. prob. exemplo D. Th. Nam V. G. ad hoc, ut lingua guſtet ſaporem aliquem, nullum in ſe ſaporem habere debet: ergo ad hoc &c. Ant. conſtat. Nam lingua ſi affecta ſit humore coletico, & amaro, nequit percipere dulce, & omnia ſibi videntur amara, imò tametſi ei apponeretur quidpiam amari, nec illud percipiet, ſolùmque percipit illam amaritudinem, qua afficitur ab humore colerico: ergo &c. Hac etiam ratione potentia viſiva percipiens colorem, nullum in ſe colorem habet. Et ratio à priori adducitur ab eodem Angelico; quia nimirum illud, quo aliquid afficitur impedit, ne alia percipiat: juxta illud commune proloquium *intus exiſtens prohibet extraneum.*

Denique prob. quòd intellectus, & voluntas non ſint potentiæ corporeæ. Intellectus, & voluntas pertingunt ad cognoſcendum, & amandum etiam ſpiritualia, imò & Deum ipſum: ergo nequeunt eſſe potentiæ materiales.

Objectiones, huic obverſantes ratiocinationi, ſolventur lib. 3. de Anima q. 1. art. 5. §. 3. n. 6. ad 2.

§ III.

§. III.

Solvuntur argumenta contra primam partem Concluſionis parata.

8. ARg. 1. Formæ per nos, cunctoſque Peripateticos non præcontinentur in materia ſive completé, ſive Incboativè: ergo nequeunt ex illa educi. Prob. ant. Ad hoc, ut unum educatur ex alio, debet in illo præcontineri: ergo ſi &c.

Reſpondeo, concedo ant. & nego conſequentiam. Ad prob. diſt. ant. debet in illo præcontineri vel actu, vel potentia, concedo, ſemper in actu, nego ant. & conſequentiam, vel diſtinguo conſequens eodem modo. Itaque ad eductionem ſufficit præcontinentia in potentia, non verò prærequiritur continentia in actu; quia dum forma educitur de potentia materiæ, ipſa materia tranſit de privatione formæ ad formam. Undè debet antecedenter eſſe actu privata forma. Nos autem cum Peripateticis negamus, formas contineri tum inchuativè, tùm completé in materia in actu, non verò negamus præcontineri in potentia.

Contra. Ad hoc, ut formæ educerentur ex materia, deberent in illa præcontineri, non ſolùm in potentia, verùm etiam in actu: ergo ſi non præcontinentur in actu, nequeunt educi. Prob. ant. Per nos formæ educuntur actu de potentia materiæ; ſed eductio in actu petit præcontinentiam in actu: ergo ad hoc, ut illæ formæ &c. Prob. min. Eductio quà eductio petit præcontinentiam: ergo eo modo, quo eſt eductio, tali modo petit præcontinentiam: ergo eductio in actu petit præcontinentiam in actu.

Reſpondeo, nego ant. Ad prob. nego min. ad cujus prob. diſt. ſecundum conſequens, eductio in actu de actu, concedo, eductio in actu de potentia, nego conſequentiam. Formæ namque educuntur quidem in actu, ſed de potentia materiæ. Vel dico, quòd eſt præcontinentia in actu ſumpto ly *in actu* adverbialiter, ſcilicet quòd materia eſt præcontinens actualiter in potentia, non verò ſumpto ly *in actu* nominaliter, quaſi quòd præcontineat actualiter, ideſt in actuatione.

Dices. Ad eductionem in potentia nominaliter requiritur præcontinentia ad minus in potentia: ergo ad eductionem in actu requiritur præcontinentia ſaltem in actu, & nominaliter.

Reſpondeo diſt. ant. in potentia remota, concedo, in potentia proxima, nego ant. & conſequentiam. Hoc igitur plus habet eductio in actu ſupra eductionem tantùm in potentia, quòd ad iſtam ſufficit præcontinentia in potentia remota, ad illam verò requiritur præcontinentia in potentia proxima.

Inſt. Ad eductionem in potentia remota requiritur præcontinentia in potentia remota: ergo ad eductionem in potentia proxima requiretur præcontinentia in potentia proxima; & per conſequens iſta non ſufficiet ad eductionem in actu.

Reſpondeo conceſſo ant. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia præcontinentia in potentia proxima eſt ipſa materia, ut diſpoſita ad formam, ſicut continentia remota eſt materia nondum diſpoſita ad formam. Ex materia autem ut diſpoſita, fit eductio in actu, & non tantùm in potentia etiam proxima. Undè ad eductionem in potentia tam proxima, quàm remota requiritur præcontinentia remota duntaxat.

Oppugn. Ad eductionem non minùs requiritur præcontinentia quàm requiratur ſubjectum, ex quo fit eductio; ſed ad eductionem in actu prærequiritur in actu ſubjectum, ex quo fit eductio, ut patet in materia ligni, quæ pro priori ad eductionem formæ ignis antecedit in actu ſub forma ligni: ergo pariter prærequiritur continentia in actu.

Reſpondeo, nego ly *non minùs* ſi dicat omnimodam paritatem. Diſparitas eſt, quia ſubjectum requiritur tanquam id, in quo fit actu tranſmutatio, ſaltem regulariter loquendo. Cæterùm præcontinentia requiritur duntaxat tanquam quædam capacitas ad formam. Quæ capacitas eſt quidem in actu; quia tamen iſta capacitas eſt ſolùm potentia ad formam; idcircò dicit præcontinentiam duntaxat in potentia.

Nec ſequitur, quòd materia prima nihil aliud habeat conferre ad eductionem, niſi hoc, quòd eſt recipere formam. Non, inquam, ut patebit legenti, quæ diximus §. 1. explicando, quid ſit eductio.

9. Arg. 2. Quod fit ex nihilo creatur, non verò educitur; ſed formæ fiunt ex nihilo ſui: ergo creantur, non verò educuntur. Min. prob. Nihil formæ actu præcontinetur in materia: ergo &c.

Si reſpondeas cum quibuſdam antographis, quòd formæ fiunt ex nihilo ſui, non *ut quod*, & per modum ſubſiſtentis, ſed *ut quo*, & ad fieri compoſiti.

Contra eſt. Etiam formæ in prima rerum productione fuerunt factæ *ut quo*, & ad fieri totius compoſiti, non verò per modum ſubſiſtentis, & *ut quod*; & tamen quia fuerunt factæ ex nihilo ſui fuerunt creatæ in ſententia Thomiſtica: ergo pariter in ſecunda rerum productione licèt fuerint factæ ſolùm *ut quo* &c. adhuc quia fiunt ex nihilo ſui erunt creatæ. Aliter ergo

Reſpondeo diſt. min. fiunt ex nihilo ſui conſtitutivè, concedo, ex nihilo ſui ſubjectivè, nego min. & conſequentiam. Quia igitur nihil formæ actu præcontinetur in materia, idcircò formæ dicuntur fieri ex nihilo ſui conſtitutivè, quatenus nihil præſupponitur, quod ſit pars conſtitutiva formæ. Non dicuntur tamen fieri ex nihilo ſui ſubjectivè. Non, inquam, quia præſupponitur ſubjectum nimirum materia, in cujus potentia præcontinentur, & ex illa educuntur; ad differentiam formarum in prima rerum productione, quæ fuerunt factæ ex nihilo ſui tum ſubjectivè tum conſtitutivè.

Contra ex P. Maignano Atomiſta, qui ex eo probat, non extare formas, quia deberent omnes creari. Ad hoc, ut formæ educerentur, deberent fieri ex aliquo ſui conſtitutivè: ergo ſi fiunt ex nihilo ſui conſtitutivè non educuntur. Prob. ant. Ad hoc, ut formæ educerentur, materia deberet eſſe pars conſtitutiva formæ: ergo &c. Prob. ant. In tali caſu materia eſſet cauſa materialis formæ, ſed cauſa materialis eſt pars conſtitutiva: ergo &c. Prob. min. Materia quæ eſt pars materialis compoſiti, eſt pars ejus conſtitutiva: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. diſt. maj. deberet eſſe cauſa materialis purè ſubjectiva, concedo, ſubjectiva, & compoſitiva formæ, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Argumentum hoc nullius eſt momenti. Intantum enim materia eſt pars conſtitutiva compoſiti, quia una cum forma componit ipſum compoſitum. Cæterùm licèt ſit ſubjectum formæ, & componat cum forma, non tamen componit formam. Undè non ſequitur, quòd ſit pars conſtitutiva formæ.

Dices. Etiam ſi præſupponeretur ſubjectum, non ſequitur, quòd educantur: ergo ex eo, quòd fiant ex aliquo ſui ſubjectivè non ſequitur, eſſe eductas. Ant. prob duplici paritate. Primò. Tametſi ad productionem materiæ præſupponeretur forma, adhuc materia non diceretur educi ex forma: ergo pariter etiamſi ad productionem formæ ſupponatur ſubjectum, ſeu materia, adhuc forma non educitur. Secundò. Etiamſi ad productionem effectus ſupponatur cauſa efficiens in actu, adhuc per hoc effectus non dicitur educi, ſecùs Deus non poſſet creare: ergo pariter etiamſi ſupponeretur ſubjectum &c. Ex quo etiam evincitur, creationem non debere eſſe ex nihilo.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob omiſſo ant. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia ſubjectum non eſt educibile ex forma, benè verò forma eſt educibilis ex ſubjecto. Ratio eſt, quia id, ex quo fit eductio, debet habere majorem amplitudinem, quàm illud, quod educitur, eò quòd illud in illo præcontinetur ſaltem in potentia; continens autem excedit contentum. Et patet, quòd eadem materia tranſit ſucceſſivè ad plures formas, non tamen eadem forma ad plures materias.

Dixi omiſſo ant. quia cùm probari non ita facilè queat, poſſet etiam abſolutè negari.

Ad 2. prob. dato ant. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia agens non conſtitutivè, nec ſubjectivè eſt intrinſecum effectui. Quando autem nos dicimus, quòd creatio debet ex nihilo eſſe, intendimus, quod nihil intrinſecum, ſive ſubjectivè tanquam ſubjectum *ex quo*, ſive conſtitutivè præſupponi debet, non verò negamus, præſupponendum eſſe aliquid, quod ſit neutro modo intrinſecum.

Et per hoc ſolvitur argumentum Patris Joannis Saguens Atomiſtæ diſp. phyſicæ aſſertione unica num. 13 pagina 12. dicentis, quòd Abel licèt non fuerit ex membris Adæ compoſitus, adhuc dicitur ex lumbis Adæ originem traxiſſe. Solvitur inquam. Nam Abel ex potentia activa, non verò paſſiva Adæ fuit eductus. In præſenti autem fit ſermo de eductione ex potentia paſſiva.

Si dicas, quòd forma eſt intrinſeca materiæ conſtitutivè; & ta-

& tamen etiamſi præſupponeretur ad materiam, materia diceretur creari.

Reſp. primitùs reſponſum ad hoc jam eſſe datum. Deinde diſt. ant. eſt intrinſeca materiæ conſtitutivè, conſtituendo illam in eſſe materiæ, nego in eſſe compoſiti, concedo ant. & nego conſequentiam. Forma enim non conſtituit materiam in eſſe materiæ (cùm à ſui natura habeat materia hoc, quod eſt, eſſe materiam) ſed ſolùm in eſſe compoſiti. Cæterùm materia eſt ſubjectivè intrinſeca formæ, quia eſt intrinſecum ſubjectum formæ in eſſe formæ.

10. Arg. 3. Forma ſubſtantialis dat primum eſſe: ergo à ſolo Deo creatur. Prob. conſequentia. Forma dans eſſe producitur à cauſa, & forma dans aliquod eſſe producitur ab aliqua cauſa: ergo pariter forma dans primum eſſe debet à ſola cauſa prima produci, adeoque creari.

Si reſpondeas cum quibuſdam autographis, quòd forma prout dat primum eſſe abſolutè ſecundùm rationem univerſaliſſimam eſſendi, producitur à Deo tanquam cauſa univerſaliſſima, prout verò dat tale eſſe, producitur à cauſa ſecunda.

Contra eſt. Etiam prout dat primum eſſe tale, debet à ſola cauſa prima produci: ergo nullum reſponſum. Prob. ant. Forma dans eſſe tale producitur à cauſa tali: ergo pariter forma dans primum eſſe tale, debet produci à ſola cauſa prima tali, nimirum Deo. Aliter igitur

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. forma dans eſſe producitur ab aliqua cauſa abſtrahendo ab hoc, quòd producatur, vel per ſe primò, vel per ſe ſecundò, concedo, determinatè per ſe primò, nego aut. & conſequentiam. In hoc ergo ſtat paritas, quòd ſicut forma dans eſſe producitur ab aliqua cauſa abſtrahendo ab hoc, quòd eſt produci, vel per ſe primò, vel de ſecundariò; ita ſi eſt forma dans primum eſſe, producitur per ſe primò; ſi verò ſit forma dans ſecundum eſſe (ut forma accidentalis) producitur de ſecundariò. Forma dans primum eſſe, nimirum ſubſtantialis hoc determinatè petit, ut per ſe primò producatur. Non autem ſtat paritas in hoc, quòd ſicut forma dans aliquod eſſe producitur ab aliqua cauſa; ita forma dans primum eſſe producatur à ſola cauſa prima. Undè retorquetur argumentum ſic: Forma dans eſſe ſecundum, ſcilicet forma accidentalis producitur de ſecundariò à cauſa creata: ergo forma dans eſſe primum producitur per ſe primò à cauſa creata, non verò à Deo.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra ſecundam partem Concluſionis.

11. ARg. 4. Actio productiva Hominis eſt eductio; ſed non eſt eductio materiæ, nec eductio unionis, ut dicemus quæſt. ſequenti art. 2. §. 2. ergo erit eductio Animæ rationalis, & per conſequens iſta educitur. Prob. maj. Nam productio Hominis eſt generatio; ſed generatio eſt eductio: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. maj. productio Hominis eſt generatio purè unitiva, concedo, generatio productiva entitatum, nego maj. & diſtinguo min. generatio purè unitiva, nego, aliter, concedo min. & nego conſequentiam. Igitur non quæcunque Generatio eſt eductio (aliter etiam generatio compoſiti eſſet eductio compoſiti, & ſic etiam compoſitum diceretur eductum; quod tamen eſt falſum, cùm aſſignari nequeat ex quo totum compoſitum dicatur eductum, niſi materia, ex qua forma ſola, non verò totum compoſitum educitur) licèt poſtea verum ſit, quòd omnis eductio eſt generatio, ut probavimus art. præcedenti §. 2. impugnando reſponſa data ad primam noſtram probationem, cùm generatio latiùs pateat, quàm eductio.

Undè dico, quòd duplex poteſt eſſe generatio. Una, quæ ſit unitiva materiæ, & formæ, & etiam productiva formæ, ut contingit in generatione compoſiti conſtituti per formam materialem: & tunc illa generatio ſaltem ſub ſecunda conſideratione, nimirum ut eſt productiva formæ dependenter à materia eſt eductio, licèt non prout unitiva. Alia, quæ eſt purè unitiva materiæ, & formæ, ut eſt in generatione Hominis: Homo namque dicitur Hominem generare, non quia producat, vel materiam, vel Animam rationalem, ſed quia producit in materia diſpoſitiones neceſſitantes ad formam, & unit ipſam cum forma: ſicque eſt generatio purè unitiva. Eum ad modum, quo, ut quis dicatur facere parietem album, non eſt neceſſè, quòd producat albedinem, ſed ſat eſt, quòd albedinem uniat parieti.

De hoc iterum quæſt. ſequenti artic. 2. §. 3. num. 11. ad 3. arg.

Contra primò. Homo generat Hominem generatione, non ſolùm unitiva, verùm etiam productiva Animæ rationalis: ergo nullum reſponſum. Prob. ant. Qui ponit ultimam diſpoſitionem ad formam, dicitur producere formam; ſed Homo hominem generando producit ultimam diſpoſitionem ad Animam rationalem: ergo producit etiam Animam rationalem. Maj. eſt certa, quoniam qui dat eſſe, dat etiam conſequentia ad eſſe V. G. quid dat eſſe Hominem, dat etiam eſſe riſibile; ſed ad ultimam diſpoſitionem neceſſariò ſequitur forma, V. G. cum calore ut octo, ſeu in ſummo, qui eſt ultima diſpoſitio ad formam ignis, neceſſariò connectitur forma ignis: ergo &c. Qua ratione dicitur, creaturam non poſſe ponere ultimam diſpoſitionem ad gratiam, quia nequit gratiam producere.

Secundò. Una, atque eadem eſt actio unitiva, & productiva Animæ rationalis; ergo ſi actio unitiva eſt generativa, etiam actio productiva erit illius generativa. Maj. prob. Anima rationalis habet idem, & unicum eſſe tam ut producta, quàm ut unita: ergo etiam terminat eandem actionem tam ut unita, quàm ut producta, & per conſequens eadem eſt actio unitiva, & productiva Animæ rationalis.

Reſp. ad 1. nego ant. Ad prob. diſt. maj. qui producit ultimam diſpoſitionem ad formam tam ut producendam, quàm ut uniendam, concedo, præciſè ut uniendam, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Homo itaque generando Hominem ponit ultimam diſpoſitionem ad Animam rationalem, non ut producendam, ſeu diſpoſitionem, ut terminatam ad illius eſſe, ſed ut uniendam, ſeu producit ultimam diſpoſitionem terminatam ad illius uniri. Undè duntaxat ſequitur, quòd uniat materiam, & Animam rationalem, non verò, quòd producat Animam rationalem, quæ cùm ſecundùm ſuum eſſe non contineatur in virtute alicujus agentis creati, nequit prout ſic habere neceſſariam connexionem cum diſpoſitione ab agente creato producta.

Ad 2. nego ant. Ad prob. diſt. ant. habet idem eſſe cum eodem modo eſſendi, nego, cum diverſo modo eſſendi, concedo ant. & nego conſequentiam. Anima igitur rationalis ut unita habet eſſe ſolùm *ut quo*, ut producta verò habet eſſe *ut quod*. Ratio eſt, quia actio illius productiva, ſcilicet creativa attingit illam ſecundùm ſe, quo pacto (ut vidimus) eſt per ſe exiſtens *ut quod* modo mox explicando. Undè dicimus, quod Deus licèt ſemper creet Animam rationalem in materia quando eam creat, non tamen illam unit materiæ, ſed hoc facit Homo. Idcircò nunquam Deus attingit illam ut unitam, quo pacto habet eſſe *ut quo*, ſed ſolùm ſecundùm ſuum eſſe. Quo pacto habet eſſe per ſe exiſtens *ut quod*, prout iy *ut quod* contradiſtinguitur ab *ut quo* ſe habente in alio ut ſubjecto, non verò ut contradiſtinguitur ab *ut quo* communicabili alteri ut ſuppoſito, aliter Anima ſeparata eſſet perſona.

In ſententia autem aſſerente, quòd extet inter materiam, & formam unio realiter diſtincta, facilè argumentum ſolvitur dicendo, quòd Homo generans Hominem educit illam unionem. Et per hoc ſalvatur, illam actionem generativam eſſe unitivam. Quia autem inter illos, qui hanc tuentur ſententiam, aliqui dicunt, duplicem extare unionem, unam ex parte materiæ, & alteram ex parte formæ; idcircò iſti dicunt, quòd agens creatum producit, & educit unionem ſe tenentem ex parte materiæ utpote materialem; unionem verò ſe tenentem ex parte Animæ rationalis utpote ſpiritualem dicunt non produci ab agente creato, ſed à Deo creari. Undè in hac ſententia Deus etiam unit Animam rationalem materiæ. Dicunt tamen, vel ſaltem dicere tenentur, actionem, qua Deus producit unionem ex parte Animæ eſſe diſtinctam ab ea, qua producit entitatem Animæ ut ſalvent, creationem attingere Animam ſecundùm ſe. Quomodo autem hoc poſſint ſalvare, ipſi cogitent.

Contra primum Reſponſum inſtatur dupliciter. Primò. Si Homo poneret ultimam diſpoſitionem ad gratiam, diceretur gratiam producere: ergo pariter ſi ponit ultimam diſpoſitionem ad Animam rationalem, debet dici, quòd Animam rationalem producat.

Secundò. Anima rationalis continetur in potentia, & virtute agentis creati: ergo poteſt ab illo produci. Prob. ant. Ubi extat potentia aliqua paſſiva correſpondet illi etiam ſua potentia activa, ut diximus ſupra quæſt. præcedenti art. ultimo; ſed in re creata, ſcilicet in materia prima extat potentia paſſiva, ſeu receptiva in ordine ad Animam rationalem: ergo etiam extat in agente creato potentia activa, & productiva ejuſdem Animæ rationalis.

Reſp. ad 1. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia gratia, utpote accidens, dependet in eſſe, & fieri à ſubjecto, ac per conſequens ſi Homo ad illam poneret ultimam diſpoſitionem, eam educeret. Non ſic autem de Anima rationali, quæ (ut §. 2. probavimus) eſt independens à materia. Et ratio à priori eſt, quia licèt etiam gratia ſit aliquid excedens naturam, nimirum aliquid ſupernaturale; tamen cùm non excurrat limites accidentis, ſemper eſt à ſubjecto dependens, ſaltem ſecundùm potentiam obedientialem. Anima autem rationalis non ſolùm eſt aliquid ſpirituale excedens vires agentis creati, ſed rurſus eſt aliquid ſpirituale per ſe exiſtens *ut quod*, modo nuper explicato. Adde iterum aliam rationem à priori, quia nimirum de ratione accidentis ut ſic, quodcunque illud ſit, eſt dependentia à ſubjecto, & per conſequens hæc dependentia eſt etiam de ratione ipſius gratiæ. Non eſt autem de ratione formæ, ut ſic dependentia à materia, aliter etiam Angeli, qui ſunt formæ completæ dependerent à materia.

Ad 2. nego ant. ad cujus prob. diſt. maj. ubi extat potentia paſſiva continens formam, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Ad hoc itaque, ut potentiæ paſſivæ materiæ correſpondeat virtus activa creata reſpectu alicujus formæ, debet talis forma contineri in potentia paſſiva materiæ. Licèt autem materia dicat potentiam ad Animam rationalem, non tamen illam continet in ſui potentia, ut dictum eſt.

Quid autem Homo dicatur effectivè producere dum Hominem generat; clariùs dicetur quæſt. ſequenti 4. quæ erit de toto art. 1.

12. Arg. 5 Creatio debet eſſe ex nihilo; ſed Anima rationalis non fit ex nihilo, benè verò ex præſuppoſita materia: ergo Anima rationalis non creatur, ſed educitur. Min. eſt vera, aliter Homo non generaretur.

Conſ. Anima rationalis dependet quo ad ſuum eſſe à materia: ergo educitur ex illa. Prob. ant. Anima rationalis dependet à materia in ſuo effectu formali, qui eſt dare eſſe materiæ; ſed effectus formalis formæ eſt ipſum eſſe formæ communicatæ: ergo &c.

Reſpondent communiùs Noſtrates, quòd Anima rationalis fit ex nihilo tanquam ſubjecto *ex quo*, quod ſufficit ad creationem. Licèt enim fiat ex materia tanquam ex ſubjecto *in quo*, non tamen ex præſuppoſita materia tanquam ſubjecto *ex quo*. Idem dicunt ad Conſ. nimirum, quòd Anima rationalis dependet à materia tanquam à ſubjecto *in quo*, non tanquam à ſubjecto *ex quo*.

Verùm reſponſum iſtud pati videtur offendicula, Tum quia ly *ex materia* particula *ex* indicat ſubjectum *ex quo*. Tum quia tametſi talis reſponſio eſſet aliàs ſufficiens ad ſalvandum intentum, nimirum quòd Anima rationalis non educatur; attamen videtur, quòd neque ut à ſubjecto *in quo* dicendum ſit, Animam rationalem dependere à materia. Ratio eſt, quia Anima rationalis debet eſſe à materia independens magis quàm formæ cœlorum, cùm ſit ſpiritualis, & per ſe exiſtens ut *quod* modo prædeclarato ſub num. præcedenti, ſecus verò cœlorum formæ; ſed formæ cœlorum non dependent, immò nec dependere poſſunt à materia ut à ſubjecto, *ex quo*, ſolumque, & ad ſummum ut à ſubjecto *in quo* dependent ab illa, ſuppoſita communi Thomiſtarum ſententia, nimirum, quòd formæ cœlorum ſin ingenerabiles, & incorruptibiles: ergo hoc pluſ ſupra illas habere debet Anima rationalis, quod nec etiam ut à ſubjecto *in quo* dependeat à materia. Aliter ergo

Reſp. cum Jo: à S. Th. diſt. maj. creatio debet eſſe ex nihilo dependentiæ, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. Anima rationalis fit ex præſuppoſita materia tanquam ex ſubjecto, à quo dependeat in eſſe, nego, tanquam ex ſubjecto præciſè cui det eſſe, concedo min. & nego conſequentiam. Ad eductionem ſiquidem ut à creatione diſtinctam requiritur, quòd fiat ex aliquo præſuppoſito ſubjecto, à quo formæ ſuo eſſe dependeat. Anima autem rationalis præſupponit materiam non tanquam ſubjectum, quo indigeat ad ſuum eſſe, cùm ſit ab illo independens, ut vidimus §. 5. ſed tanquam id, cui det eſſe. Ex quibus

Ad Conſ quæ poſſet eſſe inſtantia contra hanc reſp. nego ant. vel diſt. ant. dependet ex ſuppoſitione, concedo, abſolutè, nego ant. & conſequentiam. Igitur verum eſt, quòd Anima rationalis dependet à materia in ſuo effectu formali, quia ſine materia nequit ſuum effectum formalem, ſeu ſeipſam communicare. Quia tamen ſtare poteſt abſque eo, quod communicet ſe ipſam materiæ cùm, ceu à materia independens, ut vidimus §. 2 num. 7 poſſit exiſtere *ut quod* ſeparata à materia modo prædeclarato ſub præcedenti num. 11. Idcirco dicitur dependere à materia, non abſolutè (ut ad eductionem requiritur) ſed duntaxat ex ſuppoſitione, nimirum ex ſuppoſitione, quòd occurrat talem effectum formalem communicare.

Contra primò. Anima rationalis dependet à materia quò ad ſuum eſſe, & fieri: ergo fit ex materia ut ex ſubjecto dependentiæ. Prob. ant. Anima rationalis individuatur à materia: ergo &c.

Secundò. Anima rationalis ſaltem ut Vegetativa, & ſenſitiva exercet ſuas operationes dependenter à materia: ergo prout talis dependet in eſſe à materia, quia operari ſequitur ad eſſe: ergo ſaltem ut Vegetativa, & ſenſitiva educitur de potentia materiæ.

Reſp. ad 1. nego ant. Ad prob nonnulli in autographis reſpondent, quòd Anima rationalis individuatur à materia, non formaliter, ſed occaſionaliter duntaxat.

Verùm hoc non videtur cum veritate dictum, quia principium non ſe habet purè occaſionaliter; ſed omnes Thomiſtæ cum D. Th. profitentur, materiam primam eſſe principium individuationis Animæ rationalis, non minùs ac formarum materialium: ergo non purè occaſionaliter individuatur à materia. Aliter igitur

Reſp. diſt. ant. dependet à materia, & ab exercitio materiæ, nego, à poſſibilitate materiæ duntaxat, & communicabilitate materiæ, concedo ant. & nego conſeq. Hoc ſolvetur extenſè in Meth. q. 12 art 3. §. 3. num. 7. ad 3. arg. ubi conſpicies, Animam rationalem non per materiam, ſed per ordinem ad materiam individuari, ideſt à materia ordinativè individuari. Imò Salmant. in Theol. 3. p. in Tract. de Incat. diſp. 11. dub. unico §. 3. defendunt, Animam rationalem eſſe creatam in aliquo priori antequam uniatur materiæ, & in aliquo priori exiſtere.

Ad 2. conceſſo ant. nego conſequentiam. Ad prob. annexam diſt. ant. operari proprium ſequitur ad eſſe, concedo, non proprium, ſubdiſtinguo vel formaliter, vel eminenter, & formaliter tale, concedo, præciſè formaliter tale, nego ant. & conſequentiam. Itaque eſtò operationes vegetativæ, & ſenſitivæ fiant dependenter à materia, non ſequitur, Animam rationalem dependere in eſſe à materia; quia hujuſmodi operationes non ſunt propriæ animæ rationalis ut talis, ſed ut eminenter formaliter vegetativæ, ac ſenſitivæ. Undè nec ſequitur, quòd ſaltem ut vegetativa, & ſenſitiva dicatur à materia dependere. Non, inquam, quia eſt talis, non formaliter præciſè, ſed formaliter eminenter, ut dicemus lib. 2. de anima quæſt. 2. in art. Quinto.

Nec diſtinctio virtualis ſufficit, ut dicatur dependere, & educi ut vegetativam, ac ſenſitivam, & non ut rationalem. Non, inquam, quia diſtinctio virtualis non ſufficit ad ſalvanda contradictoria, ad quæ verificanda requiritur non ſolùm aliqua negatio identitatis, quæ eſt diſtinctio, ſed etiam negatio connexionis. Undè ſicut hac ratione in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 4. §. ad ult inſtantiam factam contra reſp. datam ad 1. arg. dicebamus contra Maſtrium, quòd diſtinctio virtualis non ſufficit, ut Anima rationalis dicatur ſimul mortalis, & immortalis: ita nec ſat eſt, ut dicatur educi, & dependere ut vegetativam, ac ſenſitivam, & non dependere, ac educi ut intellectivam. Videatur ibi.

Dices. Anima rationalis etiam in intelligendo dependet à materia: ergo nulla reſponſio. Prob. ant Non intelligit, niſi per converſionem ad Phantaſmata, undè Philoſophus docet, quòd omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu: ergo &c.

Reſp. ex dictis diſt. ant. dependet abſolutè, nego, ex ſuppoſitione, concedo ant. & nego conſequentiam. Animæ rationalis igitur, cùm poſſit exiſtere ſeparata à materia, poteſt quoque independenter ab ea intelligere. Undè dicitur dependere ſolùm ex ſuppoſitione, nimirum ſuppoſito ſtatu unionis ad corpus, ſeu ad materiam, pro quo ſtatu intelligit per converſionem ad Phantaſmata.

13. Arg.

13. Arg. 6. Anima rationalis ſupponit materiam; ſed quomodocunque ſupponat, materia nequit dici, quòd creetur: ergo educitur. Prob. min. Anima rationalis ſi deſineret eſſe, remanente quomodocunque materia, non annihilaretur: ergo pariter &c. conſequentia eſt exacta à pari, & ab oppoſito, quia ſicut de ratione creationis eſt ex nihilo fieri, ita de ratione annihilationis eſt ad nihilum terminari. Ant. autem prob. Tunc aliquod annihilari dicitur, quando nihil illius remanet; ſed ſi Anima rationalis deſineret eſſe remanente materia, aliquid illius remaneret, ut contingit etiam in deſitione aliarum formarum: ergo &c.

Reſp. nego min. in ſenſu ſupra dicto. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. (omiſſis aliis inſufficientibus reſponſis) diſt. maj. quando nihil illius remanet ſive formaliter, ſive exigitivè, concedo, ſemper formaliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Sicut enim ad eductionem ſufficit, quòd præſupponatur materia tanquam ſubjectum dependentiæ ſub privatione exigitivè tantùm. Ita ad annihilationem ſufficit, quòd nihil remaneat exigitivè. In caſu autem quo prorſus deſineret eſſe Anima rationalis remanente materia, adhuc nihil remaneret exigitivè; quia actio illa deſtructiva Animæ rationalis, ſive concurſus Dei ſuſpenſus, ſeu ſuſpenſio concurſus Divini exigeret, quòd neque materia remaneret. Ad differentiam actionis, qua in conſecratione panis, vel vinum convertitur in corpus Chriſti, quæ non dicitur annihilatio; quia aliquid remanet exigitivè: Exigit enim exiſtentiam corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus, dum panis, vel vinum in corpus Chriſti tranſubſtantiatur.

Contra. Quomodocunque Anima rationalis ſupponat materiam, ſufficit, ut dicatur recipi in materia; ſed hoc ipſo, quòd recipitur in materia educitur de potentia paſſiva illius: ergo quomodocunque materiam ſupponat debet educi. Prob. min. Quicquid recipitur ab agente educitur de potentia activa illius: ergo pariter quicquid recipitur in materia educitur de potentia paſſiva illius.

Reſp. nego min. Ad prob. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia quicquid recipitur ab agente (ſaltem loquendo de principali agente) non excedit ipſum agens, cùm nullus effectus ſuam cauſam dantem eſſe excedat. Cæterùm inter ea quæ in materia recipiuntur datur aliquod materiam excedens, ut eſt Anima rationalis, quæ ut vidimus §. præcedenti 2. num. 7. ipſam excedit materiam.

14. Arg. poſtremò. Materia æqualiter reſpicit omnes formas; ſed formas materiales reſpicit ut aliquid contentum in ſui potentia: ergo etiam Animam rationalem &c. Maj. eſt communis Thomiſtarum.

Conf. Materia eſt cauſa materialis Animæ rationalis: ergo Anima rationalis dependet ab illa, & per conſequens educitur.

Reſp. ad arg. diſt. maj. æqualiter reſpicit omnes formas reſpicientia perfectibilitatis, concedo, aliter, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Materia igitur prima cunctas æqualiter reſpicit formas ſublunares reſpicientia perfectibilitatis, quia æqualiter, nimirum amiſſibiliter perficitur ab omnibus. Non autem reſpicit æqualiter reſpicientia continentiæ, cùm non contineat in potentia Animam rationalem.

Ad Conf. dato ant. diſt. conſequens, dependet abſolutè, nego, ex ſuppoſitione, concedo. Cùm enim rationalis Anima ſtare queat ſine eo, quòd ſe communicet materiæ; idcircò poteſt etiam ſtare ſine eo, quòd materia ſit cauſa materialis receptiva illius. Undè duntaxat ſequitur, quòd dependeat ab illa ex ſuppoſitione, quòd ſe communicet, non verò abſolutè. Ad hoc ut educeretur requireretur, quòd dependeret abſolutè.

15. Si petas num Animam rationalem educi repugnet vel ut ſubſtantialis, vel ut ſpiritualis?

Dico, quòd repugnat, non præcisè quia ſubſtantialis eſt, cùm etiam formæ materiales ſint ſubſtantiales, & tamen educantur: nec præcisè ut ſpiritualis eſt, cùm etiam accidentia ſpiritualia educantur de potentia ſubjecti. Repugnat igitur ex utroque capite ſimul, nimirum ex eo quòd forma ſubſtantialis ſpiritualis eſt.

APPENDIX.

De eductione Formarum accidentalium.

1. ACcidentia, quæ tanquam proprietates conſequuntur ad eſſentiam, per unam eandemque actionem primariò terminatam ad eſſentiam, & ſecundariò ad ipſas dicuntur concreari ſi forma creatur; ſicut V. G. proprietates Angelorum: Si verò forma educitur, dicuntur coeduci, ſicut V. G. hinnibilitas Equi, rugibilitas Leonis &c. Undè ſolùm difficultas procedit de formis accidentalibus, quæ fiunt per diſtinctam actionem, ut V. G. albedo &c.

Dico, quòd formæ accidentales ſive naturales, ſive intentionales, ſive artificiales, ſive etiam ſupernaturales educuntur de potentia ſubjecti. Ratio pro omnibus eſt eadem, quia omnes fiunt dependenter à ſubjecto antecedenter producto per diſtinctam actionem: ergo educuntur de illius potentia. Conſequentia eſt exacta. Quia namque formæ materiales fiunt dependenter à materia antecedenter producta per diſtinctam actionem, dicuntur educi de potentia illius: ergo ſi omnes dictæ formæ accidentales fiunt dependenter à ſubjecto &c.

2. Objicies primò. Formæ intentionales, V. G. ſpecies intelligibiles, lumen in aere, in Cœlo &c. non fiunt per tranſmutationem: ergo non educuntur. Ant. prob. Si dictæ formæ intentionales fierent per tranſmutationem, ſequeretur, quòd Cœlum, & aer in earum receptione tranſmutaretur; ſed hoc eſt falſum, aliter Cœlum poſſet alterari, & pati peregrinas impreſſiones, quod contradicit Philoſopho 1. de Cœlo, omnibuſque Peripateticis, præſertim Thomiſtis.

Reſp. nego ant. Ad prob (qua Soncinas 7. Metaphyſicæ quæſt. 8. inducitur ad ſentiendum oppoſitum) diſt. maj. cum Atoù, Cavino, & aliis, tranſmutaretur tranſmutatione alterativa, nego, perfectiva, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Qualitates intentionales non ſe habent ſicut naturales. Iſtæ namque vel ſunt primæ qualitates, ut calor, algor, humiditas, & ſiccitas, quæ ex natura ſua ſunt phyſicè alterativæ: vel ſunt qualitates naturales ſecundæ, quæ etiam omnes, cum ex primis originentur, ſunt quoque ipſæ ſuo modo alterativæ. Et iſtæ non fiunt, niſi per tranſmutationem alterativam. Formæ verò intentionales cùm nec ſint inter primas qualitates, nec ex illis originentur, fit inde, quòd non ſunt alterativæ, ſed ſunt purè perfectivæ; nec per tranſmutationem phyſicè alterativam, ſed per tranſmutationem purè perfectivam fiunt; vel ad ſummum per alterationem purè intentionalem, cùm faciant alterum, & alterum, nempe aliter intentionaliter ſubjectum ſe habere dum eſt illuminatum, ac quando non erat illuminatum. Alteratio autem purè intentionalis non eſt diſpoſitio ad corruptionem.

3. Objic. 2. Subjectum non dicit potentiam ad formas artificiales: ergo iſtæ non educuntur de potentia ſubjecti. Prob. ant. Potentia ad formas eſt inclinatio ad illas, ſicut potentia materiæ ad formas eſt inclinatio, & appetitus ad illam; ſed ſubjectum non dicit naturalem inclinationem ad formas artificiales: ergo, &c.

Ad hoc (omiſſa ſolutione Arnù) Reſp. ex Lerma diſt. ant. non dicit potentiam naturalem, concedo, quaſi obedientialem, nego ant. & conſequentiam. Quia igitur formæ artificiales non ſunt connaturales ſubjecto, idcircò ſubjectum dicit ad illas duntaxat quandam potentiam obedientialem: quatenus ſicut potentia, quam dicit ſubjectum ad formas ſupernaturales eſt obedientialis, illa nimirum, qua creatura nata eſt obedire Deo, etiam ut agenti ſupernaturali, in his, quæ voluerit, & quæ contradictionem non præſeferunt; ita potentia ſubjecti ad formas artificiales dicitur quodammodo (licèt non propriè) obedientialis, qua natum eſt obedire Artifici. De quo iterum lib. 2. quæſtiuncula 3. §. 3. num. 8.

Ex quo inſero, etiam formas violentas educi de potentia ſubjecti, à quo etiam ipſæ dependenter fiunt. Et quamvis ad illas ſubjectum non dicat potentiam naturalem, ſed potiùs naturalem repugnantiam, dicit tamen potentiam quaſi obedientialem.

Adde non eſſe univerſaliter verum, quòd potentia, ſeu capacitas idem ſit, ac inclinatio. Quandoquidem in aqua adeſt capacitas, neutiquam verò inclinatio ad calorem.

Dices. Formæ artificiales non fiunt, niſi per accidens: ergo non educuntur. Prob. ant. Motus artificialis eſt qui-

dam motus localis, V. G. ſciſſionis, dolationis; ſed motus localis per ſe terminatur ad Ubi, & ad ſummum per accidens ad formas artificiales: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. primodùm, nego maj. Nam eſt quædam actio, licèt cum motu locali facta. Actio autem uclib.3. contra Atomiſtas videbimus, non eſt ſita in puro motu locali. Deinde cum Cajetano p. p. q.62. art 4. apud Cavinum diſt maj. eſt motus localis virtuoſus, concedo, ſimplex, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Itaque motus artificialis eſt motus quidam localis, non purus, & ſimplex, ſed virtuoſus. Undè quatenus motus eſt localis terminatur per ſe ad Ubi, quatenus verò artificioſus, & virtuoſus eſt, terminatur per ſe ad formas artificiales; ſicque iſtæ fiunt per ſe.

4. Objicies demum. Formæ ſupernaturales, ut Gratia &c. excedunt potentiam ſubjecti: ergo non educuntur de potentia ſubjecti.

Conſ. Gratia in ſacris litteris dicitur creari, juxta illud Pſalmi 50. *Cor mundum crea in me Deus*. Et Concilium Tridentinum ſeſſ 6. de Juſtificatione cap 7 ſtatuit, gratiam aliis cum donis ſupernaturalibus creari. Cui cohærent SS. PP.

Reſp. diſt. ant. excedit potentiam naturalem, concedo, obedientialem, nego. Gratia igitur, ceu ſupernaturalis, excedit quidem potentiam naturalem ſubjecti. Cùm tamen non ſit forma aliqua per ſe exiſtens *ut quod* dependet à potentia ſaltem obedientiali ſubjecti, & ex illa educitur.

Ad Conſ. dico, quòd gratia dicitur creari ſecundùm quid, vel quatenus non fit ex aliquo merito, vel quatenus non fit ex aliqua potentia naturali, vel ab agente naturali; non verò ſimpliciter. Sic ſunt interpretandæ ſcripturæ PP. & Concilium. At cum hoc ſtat, quòd ſimpliciter educatur de potentia obedientiali ſubjecti. Sed de his fuſiùs apud Theologos p. p. q.12. & p.2.q.109. & in 3. p. q.13. Ubi etiam explicatur quid ſit potentia obedientialis, nimirum quomodo ſit aliquid entitativè ſupernaturale (cùm ſit ipſa entitas ſubjecti) & terminativè ſupernaturalis, quatenus eſt in ordine ad aliquid ſupernaturale.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num plures Formæ diſparatæ poſſint ſimul informare eandem materiam, vel una plures materias?

§. I.

1. DAta opera, ſeu appoſitè, dictum eſt in titulo de formis diſparatis; quia de formis ſubordinatis, aut partialibus ſpecialis controverſia habetur in libris de Anima circa earum contubernium, ubi Scotiſtæ omnes, cæterique exteri admittunt, eſſe poſſibiles in eadem materia cùm ſupernaturaliter, tum naturaliter.

De Formis igitur diſparatis omnes conveniunt (uno duntaxat, nimirum Arriaga dempto) quòd nequeunt naturaliter plures ſimul eſſe in eadem materia, vel una in pluribus materiis. Id tamen eſſe poſſibile ſupernaturaliter affirmant plerique Scotiſtæ, & alii non pauci.

Negant autem Thomiſtæ omnes, quos ſequuntur nonnulli exteri, etiam Scotiſtæ, ut Fuentes, Aretinus, & alii apud Maſtrium.

§. II.

CONCLUSIO.

Nec naturaliter, nec de potentia Dei abſoluta poſſunt plures Formæ diſparatæ eandem materiam ſimul informare: nec una plures materias, ſive ſimul, ſive ſucceſſivè.

2. QUòd naturaliter ſit impoſſibile, facilè ſuadetur ſic. Nequeunt naturaliter duo corpora eſſe in eodem loco, nec idem corpus in pluribus locis, ut etiam adverſa pars fatetur: ergo pariter nec eadem forma ſimul in pluribus materiis, nec plures formæ ſimul in eadem materia. Quòd verò nec ſucceſſivè poſſit eadem forma eſſe in pluribus materiis patet, quia aliter admittere cogeremur, vel ſaltem motivum non haberemus denegandi animarum tranſmigrationem, quam Pythagoreorum ſecta propugnabat. De quo iterum lib.a.de Genere quæſt.4. art. unico §.a. num.3.

3. Prob. modò, quòd nec de abſoluta potentia id poſſibile ſit. Et primò quoad p. p. ratione, qua uſi ſumus q.a. art.3. Quod contradictionem involvit nec per abſolutam Dei potentiam eſt poſſibile; ſed quòd duæ formæ totales ſint ſimul in eadem materia involvit contradictionem: ergo nec attenta Dei abſoluta potentia poſſibile eſt, plures formas totales eſſe ſimul in eadem materia. Prob min dupliciter. Et primò ſic. Facere unum per ſe, & non facere unum per ſe ſunt contradictoria; ſed ſi duæ formæ ſubſtantiales totales eſſent ſimul in eadem materia, facerent unum per ſe, & non facerent unum per ſe: ergo &c. Prob. min. Facerent unum per ſe, ut patet ex definitione materiæ primæ, quæ dicitur eſſe *primum ſubjectum, ex quo aliquid fit, cùm inſit per ſe, & non ſecundùm accidens*, ad denotandum, eſſe partem eſſentialem conſtituentem cum forma unum per ſe. Et non faceret, quod prob. Ex duobus entibus per modum actus non fit unum per ſe; ſed illæ formæ eſſent ambæ in actu: ergo non facerent unum per ſe. Min. de ſe conſtat. Maj. prob. Ideo ex materia, & forma fit unum per ſe, quia una ſe habet per modum potentiæ, & alia per modum actus: ergo &c.

Secundò. Dare primum eſſe, & non dare primum eſſe ſunt contradictoria; ſed ſi plures formæ ſubſtantiales totales eſſent ſimul in eadem materia, darent, & non darent primum eſſe: ergo hoc, quod eſt plures formas ſubſtantiales totales eſſe in eadem materia, involvit contradictionem. Prob. min. Darent, tum ex differentia à forma accidentali, quæ dat eſſe ſecundum, tum ex eo, quòd forma ſubſtantialis eſt actus primus. Sicut enim materia eſt potentia ad formam, ita forma eſt actus materiæ; ſed materia prima eſt potentia prima, ſeu primum ſubjectum: ergo pariter forma eſt actus primus dans primum eſſe. Et non daret. Quod prob. Forma adveniens materiæ jam conſtitutæ per aliam formam priorem ſupponeret jam datum primum eſſe: ergo non daret primum eſſe. Hoc fuſiùs repetemus a. de Anima quæſt.a. art a. §.3.

Reſpondent Adverſarii, has ratiocinationes non urgere; quia dicunt, quòd omnes illæ formæ advenirent eidem materiæ, non ſucceſſivè, ſed ſimul. Sed

Contra. Et urgeo prima ratione. Quomodocunque illæ formæ advenirent materiæ deberent inter ſe uniri; ſed non unirentur per modum actus, & potentiæ, quia ambæ eſſent formæ, ſeu actus: ergo non facerent unum per ſe, ſed ſolùm per accidens. Maj. patet, Tum quia compoſitio eſt plurium diſtinctorum ſimul poſitio: Tum quia quæ uniuntur eidem tertio debent uniri inter ſe, ſicut quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe; ſed illæ formæ unirentur eidem tertio, nimirum eidem materiæ: ergo &c.

Dices, ex hoc ſolùm ſequi, quòd illæ formæ facerent unum per accidens inter ſe, non verò cum materia prima. Sed

Contra. Eo modo, quo aliqua uniuntur eidem tertio debent uniri inter ſe; ſed formæ illæ non unirentur inter ſe ad faciendum unum per ſe, ut probatum eſt: ergo neque unirentur ad unum per ſe faciendum cum materia prima. Maj. prob. Quæcunque uniuntur eidem tertio, uniuntur inter ſe: ergo pariter quo modo uniuntur cum tertio, uniuntur inter ſe. Ant. patet. Quæcunque enim ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe, ſeu quæcunque identificantur cum aliquo tertio, identificantur inter ſe: ergo pariter quæcunque uniuntur &c. Undè ſicut quo modo aliqua identificantur cum tertio, identificantur inter ſe, ita quo modo uniuntur cum tertio, uniuntur inter ſe.

Contra 2. Urgendo utrâque probatione. Omnes rationes, quibus Adverſarii probant, plures formas totales poſſe eſſe ſimul in eadem materia, probant etiam, quòd poſſint advenire etiam ſi unam aliam ſupponat: ergo &c. Ant. probo. Adverſarii probant, plures formas ſubſtantiales totales poſſe eſſe ſimul in eadem materia; Tum quia expulſio alterius formæ eſt effectus ſecundarius formæ ab ipſa ſeparabilis: Tum quia duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco: Tum quia poſſunt duæ qualitates contrariæ eſſe ſimul in eodem ſubjecto. Subſumo min. Sed etiam ſi una forma aliam ſupponat in materia, adhuc expulſio alterius eſt effectus ſecundarius: ſimiliter duo corpora poſſunt ſupernaturaliter eſſe in eodem loco, tametſi unum adveniat altero jam exiſtente:

ſtente : Item duæ qualitates contrariæ poſſunt (ſecundùm Adverſarios) eſſe ſimul in eodem ſubjecto, tametſi una adveniat jam exiſtente altera : ergo omnes rationes, quibus Adverſarii.

Quòad noſtram ſecundam illam min. probationem, nimirum, quòd darer & non darer primum eſſe dum eam publicis in diſputationibus objicerem cuidam ex Societate; ille extemplo aliud ingenioſum equidem, haud tamen in veritate fundatum protulit reſponſum, dicens, quòd forma ſubſtantialis dat primum eſſe primitate dignitatis, & eſt actus primus primitate dignitatis, quatenus dat eſſe dignius illo, quod dat forma accidentalis, eſtque forma dignior forma accidentali, non verò dat eſſe primum, hoc eſt primitate ſucceſſionis, & præventionis.

Contra inſtabam. Quemadmodum forma eſt actus primus, ita materia eſt ſubjectum, ut jam probavi; ſed materia ita eſt primum ſubjectum, ſeu prima potentia, ut ſit prima primitate etiam præventionis, nec in eodem compoſito præſupponatur alia prior potentia, & non ſolùm primitate dignitatis : ergo pariter forma ita erit actus primus, ut ſit prima, & det primum eſſe, etiam primitate præventionis, & non ſolùm primitate dignitatis, itaut non præſupponat aliam formam, aut aliud eſſe ab alia præſtitum forma.

Ex his patet, quàm immeritò quidam Noſtratum Nuperus dictas rejiciat probationes à dignioribus Thomiſtis depromptas ductus motivo reſponſionum, quas nuper impugnavimus, & quidem efficaciter.

Deinde ſic Probatur eadem pars. Si forma Leonis V. G. & forma Hominis eſſent ſimul in eadem materia, ſequeretur poſſe dici, quòd Homo eſſet Leo, & Leo eſſet Homo; ſed hoc eſt impoſſibile : ergo hujuſmodi formæ ſunt ſimul incompoſſibiles. Prob. maj. Nam quia in eodem Chriſto uniuntur Humana, & Divina ſimul natura, ideo verum eſt dicere *Deus eſt Homo, & Homo eſt Deus* : ergo pariter ſi &c.

Dices, diſparitatem eſſe, quia unio naturæ Divinæ, & humanæ facta eſt in perſona, ſecundùm quam dicitur unum ſuppoſitum, ſi perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia eſt una, vel dicuntur plura ſuppoſita, ſi perſona, ſeu ſubſiſtentia eſt multiplex. Cæterùm unio illarum formarum fieret in materia, quæ non multiplicat compoſita, cùm id faciat ſola forma. Quapropter Adverſarii volunt, quòd quando adeſſent plures formæ in eadem materia eſſent plura compoſita; & non unum duntaxat. Sed

Contra. Materia quamvis non ſit ratio formalis multiplicandi compoſita, tamen eſt aliquid neceſſariò requiſitum ad iſtorum multiplicationem : ergo ſi una duntaxat eſt materia, nequeunt eſſe plura compoſita. Prob. ant. ſubjectum licèt non ſit ratio formalis conſtituendi plura V. G. alba, cùm hæc ſit albedo, eſt tamen neceſſariò requiſitum, ita quòd niſi plura ſint ſubjecta nunquam erunt plura alba; undè ſi per impoſſibile plures albedines eſſent in eodem ſubjecto, eſſent unum album, non verò plura alba : ergo pariter &c. ita quòd ſi una eſſet materia cum pluribus formis ſubſtantialibus, non forent plura compoſita ſubſtantialia. Conſequentia eſt exacta, quia ſicut accidens conſtituit ſubjectum in eſſe accidentali, ita forma ſubſtantialis conſtituit materiam in eſſe ſubſtantiali. Ex quo ſequitur, quòd ſi duæ formæ ſubſtantiales eſsent in eadem materia, ſequerentur hæc duo contradictoria, nimirum, quòd eſsent, & non eſſent plura compoſita. Eſsent plura, quia eſſent plures formæ; & non eſsent plura, quia una duntaxat eſſet materia.

4. Secunda pars concluſionis nequit plenè hic probari : Fusè enim oſtenditur in Metaphyſica, ubi q. 12. art. 1. §. 4. fusè oſtendemus, formam individuari à materia. Ex quo poſtea per exactam conſequentiam ſequitur, eandem formam pluribus in materiis eſſe nequaquam poſse ſive ſimul, ſive ſucceſſivè. Attamen ſuppoſito (quòd Adverſarii concedunt) nimirum non eſse naturaliter poſſibiles ut lib. 2. de Gener. & corrup. q. ult. art. ult. refellendo animarum tranſmigrationem, ſive metempſycoſim, videbimus. Ex hoc

Sic breviter oſtenditur ex Complut. Naturaliter loquendo nequit una forma plures informare materias ſive ſimul, ſive ſucceſſivè, ut Adverſa fatetur pars : ergo neque ſupernaturaliter. Prob. conſequentia. Hoc ipſo quòd forma nequit naturaliter id habere, jam ad hoc, ut id habeat debet ejus augeri virtus; ſed hoc eſse nequit : ergo ſi non poteſt naturaliter, neque ſupernaturaliter poterit. Patet. Maj. Nam quia Homo V. G. nequit naturaliter elicere actum claræ Dei viſionis, ad hoc, ut Deum clarè videat, opus eſt, ejus augeri virtutem, ac per lumen gloriæ fulciri : Item quia impotens naturaliter eſt ad opera ſupernaturalia indiget ad hoc per gratiam adjuvari; ergo pariter &c Min. verò prob. Si ejus augeretur virtus, per aliquam utique intrinſecè ſuperadditam entitatem ipſa augeretur; ſed hoc eſse nequit : ergo &c Maj. patet. Siquidem ſicut (ut quoddam præcludatur effugium) ſi eſset impotens extrinſecè debet ſaltem aliquod extrinſecum addi, quoniam idem manens idem ſemper facit idem, ita cùm ſit impotens intrinſecè debet aliquod intrinſecum ſuperaddi. Min. verò prob. Tum quia forma agit per ſuam entitatem, ſeu per communicationem ſuæ entitatis : ergo nequit informare per entitatem ſuperadditam. Tum quia cùm per communicationem ſui ipſius, ſive ſuæ entitatis forma agat, tunc ſi eſsent duæ entitates, jam duæ eſsent formæ, & non una. Quam probationem Deo dante fuſiùs proſequar in tract. de Incarnatione q. 8. art. 6. in ultima probatione. Et ibidem q. 9. art. 1. tum in probationibus, tum ad 4. arg.

Adde quòd ſi una forma plures valeret informare materias, ſequeretur, eſse infinitam. Quod prob. Nam ſi poſſet informare plures, nulla eſt major ratio cur non poſset infinitas, ſi adeſsent, informare.

Nec cum Adverſariis dicere juvet, non requiri majorem virtutem ut plùs quàm unam informet, ſed ſufficere, quòd forma in pluribus materiis replicetur. Non, inquam, quia cùm non poſſint naturaliter replicari (ut concedunt, ſicut nec naturaliter ſaltem idem Corpus in pluribus locis ſaltem ſimul) jam ad hoc, ut replicari poſset majori indigeret virtute.

Hæc etſi non omninò convincentia, modò ſint ſatis, plura viſuri in Metaphyſica, agendo de principio individuationis.

§. III.

Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.

5. ARg. 1. Materia ſimul appetit plures, imò & omnes formas; ergo poſsunt plures formæ ſimul eſse in eadem materia. Conſequentia eſt exacta, quia appetitus Materiæ nequit eſse fruſtraneus : ergo ſi ſimul appetit, poteſt ſimul habere. Ant. prob. Appetitus materiæ eſt ipſa entitas materiæ; ſed materia prima habet totam ſuam entitatem ſimul : ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſimul appetit ſimultate potentiæ, concedo, potentia ſimultatis, nego ant. & conſequentiam. Dupliciter ergo poteſt intelligi, quòd Materia ſimul appetat formas. Primò ſimultate potentiæ, ad hunc ſenſum, ſcilicet quòd appetitus, quem Materia dicit ad unam formam eſt ſimul, imò eſt idem cum illo, cum quo appetit alias. Secundò potentia ſimultatis, ad hunc ſenſum, quòd Materia appetat habere ſimul omnes formas. Primum eſt verum, ſecundum eſt ſalſum; ſecùs & naturaliter poſſet.

Contra. Materia prima appetit ſimul plures formas potentia ſimultatis; ergo nulla reſponſio. Prob. ant. ex Arriaga. Ferrum candens habet ſimul formam ferri, & formam ignis : ergo &c. Ant. prob. Tale ferrum habet formam ferri, quia patet, quòd ſi infrigidetur remanet forma ferri, imò ſola, & habet etiam formam ignis, quia comburit : ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob nego ant. quò ad a. p. ad cujus prob. diſt. ant. comburit per calorem ſuæ formæ, nego, per calorem ignis ingredientis poros, concedo ant. & nego conſequentiam. Itaque ferrum candens, non habet formam ignis informantem ſuam materiam, ſed cùm ferrum ſit valdè poroſum, per calorem dilatantur ejus pori, quos ingreditur ignis cum ſui materia, qua ratione ſolùm apparet ignis, & ratione iſtius comburit. Cujus ſignum eſt, quòd cùm malleo contunditur exeunt ſcintillæ illæ, quæ intra poros detinebantur.

Contra. Si multum temporis duret talis ignis, reducit ferrum in cinerem : ergo ſignum eſt, quòd in tali materia ferri aderat forma ignis.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens : aderat forma ignis unà cum forma ferri, nego, aliter, concedo conſequentiã. Si igitur multum temporis perduret ignis in poris ferri, diſponet ad formam ignis materiam ferri, formamque introducet in materiam ferri, à qua proinde expellet formam ferri. Cujus ſignum eſt, quòd ſi diuturno illo tempore elapſo infrigi-

daretur non adeſſet ampliùs forma ferri, ſed adeſſet forma carbonis, vel cineris.

6. Arg. 2. probando, quòd ſaltem ſupernaturaliter poſſint plures formæ totales eſſe in eadem materia ex Maſtrio. Poteſt à Deo impediri ne una forma aliam pellat ab eadem materia: ergo poterunt de abſoluta Dei potentia plures formæ ſubſtantiales eſſe ſimul in eadem materia. Prob. ant. Quod non eſt eſſentialiter cum alio connexum poteſt à Deo impediri; ſed depulſio alterius formæ non eſt eſſentialiter connexa cum forma: ergo &c. Prob. min. Effectus ſecundarius non ita ſe habet, quòd cùm eo eſſentialiter ſit connexus primarius; ſed expulſio alterius formæ eſt effectus ſecundarius formæ: ergo &c. Min. eſt certa. Maj. etiam conſtat. Ideo enim expulſio alterius corporis ab eodem loco poteſt divinitùs impediri; quia eſt effectus ſecundarius quantitatis.

Reſp. cum communi, nego ant. Ad prob. nego min. ad cujus prob. diſt maj. effectus ſecundarius privativus, aut negativus, nego, poſitivus, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Effectus ſecundarii ſunt in duplici differentia. Alii ſunt poſitivi, & alii negativi. Cum poſitivis non adeſt eſſentialis connexio, & talis eſt extenſio partium in ordine ad locum reſpectu quantitatis, & contactus ſecundùm extremitates reſpectu extenſionis in ordine ad locum. Cum privativis autem, & negativis adeſt eſſentialis connexio. Patet enim, quòd negatio eſſendi equum eſt effectus ſecundarius Hominis, ſive rationalitatis; & tamen eſt ita cum tali negatione connexa rationalitas, ut nec divinitùs ſit ab ea ſeparabilia.

Qua ex re nitet ad id, quod dicitur de expulſione alterius corporis ab eodem loco. Hæc enim ideo ſeparabilis eſt, quia habetur per contactum ſecundùm extremitates, qui cùm (ut diximus) ſit effectus ſecundarius poſitivus quantitatis poteſt à Deo impediri.

Eadem ex re habet, quomodo poſſunt duo corpora eſſe in eodem loco, non verò duæ formæ in eadem materia. De quo iterum infra lib. 4. art. 2. §. 2. probando concluſionem ibi.

Contra inſtat Maſtrius. Licèt negatio eſſendi aliud ſit inſeparabilis, tamen negatio eſſendi cum alio non eſt inſeparabilis: ergo licèt à forma V. G Hominis ſit inſeparabilis negatio eſſendi formam equi, tamen negatio eſſendi cum forma equi non erit inſeparabilis. Ant. prob. Tum quia ideo negatio equi eſt inſeparabilis ab Homine, quia hæc non eſt purè negatio eſſendi cum equo, verùm etiam eſſendi equum. Tum à pari. Ab una qualitate licèt ſit inſeparabilis negatio eſſendi aliam qualitatem contrariam, tamen poteſt ſeparari negatio eſſendi cum alia; quia etiam per Thomiſtas duæ qualitates contrariæ poſſunt eſſe in eodem ſubjecto: ergo pariter licèt à forma ſit inſeparabilis negatio eſſendi aliam, tamen &c.

Conſ. Etiam depulſio alterius qualitatis contrariæ eſt effectus ſecundarius negativus qualitatis; & tamen eſt ab ipſa ſeparabilis: ergo &c.

Reſp. primitùs, nego ant. Ad prob. nego cauſalem. Nam etiam Scotiſtæ contra Patres Societatis nobiſcum conveniunt, quòd actus ſcientiæ non ſolùm nequeat eſſe actus opinionis, ſed quòd neque poſſint eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem objecto. Et certè in omnium ſententia forma non ſolùm nequit eſſe ſui privatio, ſed neque poteſt ſimul ſtare in eodem ſubjecto cum ſui privatione.

Ad aliam prob omiſſo antecedenti (quod aliàs non negabimus lib 2. de Gener. & Corrupt. quæſt. 1. art. unico ponendo in fine illius quæſtionis) aſſignatur diſparitas; quia nimirum qualitates, utpote formæ accidentales non dant primum eſſe, nec faciunt unum per ſe cum ſubjecto.

Deinde iterum ad 1. prob. permiſſo ant. nego ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim, quòd in caſu, quo plures formæ eandem informarent materiam, una non eſſet idem cum alia. Quod tamen eſt falſum, quia ſicut ſupra §. 2. num. 4 in caſu quo forma V. G. Hominis, & Equi informarent eandem materiam valeret dicere, quòd Homo eſt Equus, ita valeret dicere, quòd forma Equi eſſet forma Hominis; quia totum conſtituitur per formam. Si igitur negatio eſſendi formam Equi eſt inſeparabilis à forma Hominis, ut vel Maſtrius annuit, etiam negatio eſſendi cum forma Equi erit inſeparabilis.

Per quod iterum patet ad id, quod dicebatur de duabus qualitatibus contrariis. Non enim in caſu, quo iſtæ eſſent in eodem ſubjecto, ſequeretur, quòd valeret dici, unam eſſe aliam; quia non faciunt unum per ſe cum ſubjecto, benè verò formæ ſubſtantiales faciunt unum per ſe cum materia.

Ad Conſ. Reſp. primitùs, nego ant. Nam una qualitas utpote activa depellit aliam contrariam ab eodem ſubjecto agendo in ipſam, puta calor in frigus. Undè cùm agere in aliam ſit quid poſitivum poteſt à Deo impediri. Non ſic autem forma ſubſtantialis, cùm ſubſtantia non ſit immediatè operativa ut lib. 2. videbimus. Undè una forma ſubſtantialis expellit aliam purè negativè, quatenus una cùm dederit primum eſſe vetat, ne altera primum eſſe dare queat materiæ, adeoque impedit, ne in illa materia poſſit ſalvari eſſentia, & conſtitutivum formæ, quod eſt dare primum eſſe.

Deinde diſt. ant. eſt effectus negativus negatione eſſendi aliam, nego, negativus negatione eſſendi cum alia, concedo ant. & nego conſequentiam. Dato ergo, quòd effectus ſecundarius negativus eſſendi cum alio ſit ſeparabilis, ut eſt in qualitate depulſio alterius qualitatis contrariæ, quia tametſi duæ qualitates eſſent ſimul in eodem ſubjecto, una non eſſet alia, ceu formæ accidentales non facientes unum per ſe. Non tamen effectus ſecundarius negativus negatione eſſendi aliud eſt ſeparabilis. Si autem plures formæ eſſent in eadem materia, ſequeretur, quòd una eſſet alia, ut ſupra vidimus.

Contra primò. Tametſi humana, & Divina ſimul natura uniantur in eadem Perſona, ita quod dicere valeat *Deus eſt Homo*, *Homo eſt Deus*; non tamen inde ſequitur, quòd natura humana ſit natura Divina, aut è contra: ergo pariter tametſi forma Hominis unà cum forma Equi eſſet in eadem materia, ita quòd dici valeret *Homo eſt Equus*, non inde ſequeretur, formam Hominis eſſe formam Equi.

Secundò. Quò minùs aliqua ſunt oppoſita ſunt minùs inconciliabilia; ſed minùs opponuntur duæ formæ ſubſtantiales, quàm duæ qualitates contrariæ: ergo ſi iſtæ ſunt aſſociabiles in eodem ſubjecto, multò magis duæ formæ ſubſtantiales. Min. patet. Nam duæ formæ ſubſtantiales V G. ejuſdem ſpeciei non ſunt inter ſe contrariæ.

Reſpondeo ad 1. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia totum compoſitum importat materiam, & formam, cùm ex eis conſertur. Undè dici nequit, quòd hoc totum compoſitum, nimirum Homo eſſet Equus, niſi etiam forma Hominis eſſet forma Equi. Cæterùm natura non conſtituitur per perſonalitatem, nec perſonalitas per naturam, cùm perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia ſit modificatio naturæ. Undè poteſt optimè ſtare quòd ſit eadem perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia, abſque eo, quòd ſit eadem natura.

Ad 2. diſt. maj. quò minùs aliqua ſunt oppoſita tam virtualiter, quàm formaliter, concedo, duntaxat formaliter, nego, maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Licèt ergo formaliter magis opponantur duæ qualitates contrariæ; tamen virtualiter magis opponuntur duæ formæ ſubſtantiales; quia duæ formæ ſubſtantiales opponuntur virtualiter privativè contradictoriè: quoniam ex earum contubernio ſequuntur duo contradictoria, nimirum dare primum eſſe, & non dare primum eſſe, facere unum per ſe, & non facere unum per ſe. Quæ non ſequuntur ex contubernio duarum qualitatum contrariarum, quoniam iſtæ, ceu formæ accidentales, non dant primum eſſe, nec faciunt unum per ſe.

7. Arg. 3. Materia non eſt adæquata per unam formam, aliter nec ſucceſſivè poſſet alias recipere: ergo poteſt plures ſimul habere. Prob. conſequentia. Unumquodque petit ſatiari à ſuo actu adæquato: ergo ſi non adæquatur per unam petit habere plures.

Reſp. (ultra Cavini reſponſionem) diſt. ant. non adæquatur adæquatione ſatiativa, concedo, purè informativa, nego ant. & conſequentiam. Duplex itaque eſt adæquatio formæ. Una ſatiativa, ſicut eſt illa, qua forma cœleſtis adæquat ſuam materiam, qua ratione informat eam inamiſſibiliter, nec ſinit alias appetere etiam ſucceſſivè. Alia purè informativa, ut eſt illa, qua forma ſublunaris totalis adæquat ſuam materiam; quia cùm illam perfectè non ſatiet, permittit, ut alias appetat, non tamen ſimul, ſed ſucceſſivè habendas, ſeu ſimultate potentiæ, non potentia ſimultatis.

8. Arg. 4. pluribus paritatibus. Et primò. Quemadmodum repugnat, unum actum primum ſupponere alium ante

ſe,

ſe, ita repugnat, unum actum ultimum habere poſt ſe alium; ſed poſſunt duo actus ultimi eandem natutam terminare: ergo etiam duo actus primi eandem materiam informare. Min. patet. Nam ſubſiſtentia eſt actus ultimus; ſed Thomiſticè loquendo poſſunt plures ſubſiſtentiæ Divinæ eandem naturam terminare; ergo &c.

Secundò. Poſſunt duæ cauſæ efficientes totales partialiter concurrere ad eundam effectum: ergo pariter duæ formæ totales partialiter informare eandem materiam.

Tertiò. Sicut forma dat primum eſſe in linea entis, ita ſpecies intelligibilis dat intellectui primum eſſe in linea intelligibili; ſed poſſunt plures ſpecies intelligibiles ſimul eſſe in eodem intellectu: ergo & plures formæ ſubſtantiales in eadem materia.

Ad 1. reſpondent nonnulli, quòd illæ ſubſiſtentiæ terminarent per modum unius eandem natutam.

Quare autem poſſent plures ſubſiſtentiæ Divinæ terminare per modum unius, non verò plures formæ ſubſtantiales informare per modum unius; hoc ideo eſſe dicunt, quia ſubſiſtentiæ illæ terminarent quatenus eminenter continent ſubſiſtentiam humanitatis; & idcircò cùm hæc ſit una, per modum unius terminarent.

At reſponſum hoc facilè rejicitur. Nam ſubſiſtentia Divina licèt ſuppleat vices ſubſiſtentiæ creatæ, quæ naturalis eſt; tamen quia eſt ſupernaturalis unitur modo ſupernaturali: ergo pariter licèt ſupplerent vices ſubſiſtentiæ creatæ, quæ eſt una tantùm, tamen quia illi termini eſſent plures, terminarent ut plures, & per modum plurium; aliter igitur

Reſp. ad eandem 1. diſt. min. duo actus ultimi ſecundùm diverſam rationem terminantes, concedo, ſecundùm eandem rationem terminantes, nego min. & conſequentiam. Nam perſonalitates divinæ, cùm ſint termini relativi, incommunicabiles, & oppoſiti dicuntur termini diverſæ rationis, & quaſi ſpecie diſtincti in ratione terminandi. Undè Pater terminaret ſecundum rationem ingeniti, Filius ſecundùm rationem geniti, & Spiritus Sanctus ſecundùm rationem ſpirati. Hinc ſicut in unico ſubjecto reſpectu accidentium ſpecie diverſorum aſſignantur capacitates diverſæ, ac quaſi ſpecie diſtincti: ſic in eadem natura creata terminabili à perſonalitatibus divinis diſtingui poſſunt diverſæ capacitates quaſi ſpecie diſtinctæ, in una, eademque potentia obedientiali fundatæ.

Contra. Sicut illæ perſonæ terminarent ſecundùm diverſam rationem, ita plures formæ diverſæ ſpeciei terminarent ſecundùm diverſam rationem, & dando diverſum eſſe: ergo ſaltem duæ formæ diverſæ ſpeciei poterunt contubernales eſſe in eadem materia.

Nec valet reſpondere, quòd forma non eſt modus, benè verò ſubſiſtentia. Non, inquam. Nam contradictio non minùs tollitur per hoc, quòd informatio fiat ſecundùm diverſam rationem, ſeu ſecundùm diverſum eſſe, quàm per hoc, quòd terminatio fiat diverſo modo.

Nec etiam aliter cum alio quodam Nupero in autographo reſpondere valet, diſparitatem eſſe, quia materia reſpicit formam ſecundùm ſuam entitatem; ſicut & formæ reſpiciunt, & informant materiam ſe ipſis, ſeu per earum entitatem. Si autem elevarentur ſupernaturaliter ad aliquid, ad quod non habent naturalem capacitatem, deberet earum virtus augeri per aliquid ſuperadditum, & ſic non ampliùs per ſuam entitatem ſe reſpicerent, ac proinde amitterent rationem cauſæ materialis, & formalis.

Non, inquam, valet, non ſolùm quia etiam humanitas per ſuam entitatem terminatur à ſubſiſtentia: verùm etiam quia reſponſum hoc eſtò rationem aliquam aſſignet repugnantiæ ex parte formarum, quæ cùm non merè paſſivè, ſed potiùs activè ſe habeant, idcircò ut eleventur ad aliquid, debet earum virtus elevari, ſeu augeri; ſecùs verò ex parte materiæ primæ merè paſſivè, & per modum perfectibilis ſe habentis, ad quod ſufficit potentia obedientialis, ut etiam dicemus ad ſubſequens 5. arg. ſub num. 9. quòd licèt incapacitas ad formam amiſſam ſe teneat ex parte materiæ; tamen materia prima de abſoluta Dei potentia per ſolam potentiam obedientialem abſque aliquo realiter ſuperaddito poteſt amiſſam formam recuperare.

Nec rurſus valet aliud conſimile reſponſum ejuſdem recentioris, dicentis, diſparitatem eſſe, quia materia prima reſpicit formam ſecundùm potentiam naturalem; & cùm ad faciendum unum per ſe requiratur, quòd ordinetur per ſe, idcircò per ſeipſam deberet illam recipere, ſecùs non faceret cum illa unum per ſe. Qua ratione in omnium ſententia nequeunt naturaliter plures formæ eſſe ſimul in eadem materia. At natura creata, non per potentiam naturalem, ſed per potentiam duntaxat obedientialem reſpicit ſubſiſtentiam divinam.

Non, inquam valet, Tum quia ſicut illa materia reſpiceret unam tantùm formam, vel plures ſucceſſivè per potentiam naturalem, plures verò ſimul per potentiam obedientialem; ita natura creata reſpicit per potentiam naturalem ſubſiſtentiam propriam, & per potentiam obedientialem ſubſiſtentiam divinam. Tum quia etiam formam amiſſam materia reſpicit per potentiam obedientialem; & tamen ſi à Deo poneretur in materia forma amiſſa, adhuc faceret unum per ſe: ergo tametſi illa materia reſpiceret plures illas formas per potentiam obedientialem, adhuc quantùm eſt ex hoc capite faceret cum illis unum per ſe.

Nec demum valet aliud reſponſum alterius Nuperi, pariter in m. ſ. dicentis, diſparitatem eſſe; quia illæ ſubſiſtentiæ tribuerent diverſos effectus relativos, qui invicem non ſe excludunt; quia relativa ſunt ſimul. At illæ plures formæ tribuerent diverſos effectus abſolutos.

Non, inquam valet, quia ſive ſint abſoluti, ſive ſint relativi, ſemper urget noſtra illa ratiocinatio in probationibus adducta, nimirum quòd eſſent adæquati, & non eſſent adæquati, non minùs ac urgeat de ipſis formis. Tum quia reſponſum illud aſſignat rationem non repugnantiæ ſolùm ex parte terminorum, quia non ſe excludunt, & ſunt ſimul; non verò aſſignat rationem non repugnantiæ ex parte ipſius naturæ humanæ, de qua tota procedit difficultas apud Theologos num poſſit pendere à pluribus terminis adæquatis. Tum demum quia cùm dicitur, quòd relativa ſunt ſimul, dicitur quòd ſunt ſimul, ideſt eodem tempore exiſtentia, & in eodem iſtanti cognita, non verò quòd in eodem habente reperiantur. Non enim ſunt ſimul in uno, eodemque ſubjecto. Aliter ergo

Reſpondendum mihi videtur, diſparitatem eſſe, quia materia cùm ſit quid incompletum eſt ſita in indiviſibili eſſe, & cùm habeat eſſe minimum non admittit latitudinem penes plures capacitates. Ob idque nequeunt in ea adinveniri plures capacitates ad plures formas. Cæterùm natura creata eſt quid completum, habens eſſe non ita minimum, idcircò diſpar eſt ratio. Modò, ſi libuerit, retorqueas in Adverſarios argumentum. Quandoquidem per ipſos nequeunt plures perſonæ eandem naturam terminare: ergo nec plures formæ eandem materiam informare.

Dices. In ſententia probabili Thomiſtarum materia eſt aliquid completum in eſſe metaphyſico, licèt ſit quid incompletum in eſſe phyſico: ergo hac ſaltem in ſententia reſponſum non ſubſiſtit; quia diſtinctio virtualis ſufficit ad tollendam contradictionem. Et reapſe illæ plures capacitates in natura creata non diſtinguuntur, niſi virtualiter.

Conſ. Siquidem nos in lib de Cœlo quæſt. 1. art. 3. §. 3. ad 4. arg. ſuſtinendo, quòd materia cœleſtis, & ſublunaris ſint diverſæ ſpeciei, dicemus materiam in ſui perfectione admittere latitudinem, ut ſuſtineamus materiam cœleſtem eſſe perfectiorem materia ſublunari: ergo non habet ita minimum, & indiviſibile eſſe.

Reſpondeo ad inſtantiam, nego conſequentiam. Nam etiam in ea ſententia, quam 1. Phyſ. confutavimus, inſtantia minimè urget. Eſtò namque eſſet quid aliquo modo completum, tamen eſt minimum inter entia completa. Undè cùm in minimo, indiviſibilique eſſe eſſentiali phyſico habeat conſiſtere, nequeunt in ea reperiri tot capacitates, etiam virtualiter duntaxat diſtinctæ, quot reperiuntur in ente completo non adeo minimo, ut eſt natura creata completa omninodè in eſſe eſſentiali; licèt aliàs in materia extent genus, & differentia virtualiter diſtincta juxta illam ſententiam.

Ad Conſ. patet ex ibi dictis. Nam illa perfectionis latitudo eſt duntaxat ordinativa, quatenus materia cœleſtis ordinatur ad formam perfectiorem illa, ad quam ordinatur materia ſublunaris. Deinde ibi diximus, materiam non ſtare in indiviſibili ſi compararetur una materia ad aliam materiam; diximus tamen ſtare in indiviſibili, ſi compararetur ad cætera entia. Tandem etſi latitudinem aliquam admitteret, tamen certè nequit tantam admittere latitudinem, quantam admittit ens omnino completum in eſſe eſſentiali, ut eſt natura creata aſſumptibilis.

Ad 2. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia forma cauſat per communicationem ſuæ entitatis.

Undè

Undè nequit informare, quin totaliter informet; quia dum ſe communicat, communicat totam ſuam entitatem. At cauſa efficiens agit per extramiſſionem ſuæ virtutis, idcircò poteſt attemperati ejus virtus dum ab alia agente æqualiter iſta impeditur agere per totam ſui virtutem, & cogitur minùs, adeoque partialiter agere, ut iterum lib. 2. dicetur.

Ad 3. data maj. diſt. min. plures ſpecies intelligibiles per modum unius, concedo, per modum plurium, nego min. & conſequentiam. Itaque cùm intellectus nequeat plura ut plura ſimul intelligere, ut in 3. lib. de Anima dicemus, ideo neque plures ſpecies intelligibiles per modum plurium poſſunt ipſum actuare, ſed tantummodo per modum unius.

Quare autem poſſint plures ſpecies ſimul informare per modum unius, non verò formæ materiales: Hoc ideo eſt, quia linea intelligibilis habet majorem universalitatem, quàm linea naturalis, quemadmodum potentia intellectiva, & quælibet etiam alia quæ cognoſcitur cognitione etiam purè ſenſitiva, habet majorem universalitatem, quàm potentia naturalis; idcircò poſſunt plures ſpecies intelligibiles ſe habere per modum unius, non verò plures formæ naturales. Adde, quòd ſpecies intelligibiles ſi diſparatæ ſint, nec ipſæ poſſunt per modum unius ſe habere.

Cætera argumenta contra hanc p. ſolventur lib. 2. de Anima q. 2. art. 4. veſtigando *nam plures Animæ poſſint eſſe in eodem vivente* §. 3. ad 1. arg & art. 3. inquirendo *num in viveate ſit alia forma præter Animam*. §. 3. ad 1. arg. ſub num. 6.

9. Arg. 5. contra 2. p. concluſionis, noſtram oppugnando rationem. Ex eo, quòd forma eſſet in pluribus materiis nulla major perfectio arguitur in ipſa, nec infinitudo aliqua: ergo non requiritur major virtus. Prob. ant. à pari. Identificatio cum ultima actualitate licèt arguat maximam; imò infinitam perfectionem, ut cùm Thomiſtis agendo de exiſtentia quæſt. 5. art. 5. videbimus; tamen in materia, & forma argui potiùs imperfectionem, quia habent imperfectiſſimum operandi modum, qua ratione infra quæſt. 4. art. 1. ſalvabimus identificare ſibi actualem unionem: ergo pariter eſſe in pluribus materiis arguet in forma potiùs imperfectionem ob ejus imperfectiſſimum operandi modum.

Conf. Ex eo, quòd naturaliter nequeat forma eſſe in pluribus materiis, non benè infertur, quòd nec ſupernaturaliter poſſit: ergo ruit ratiocinium noſtrum. Prob. ant. à pari, Ex eo, quod materia nequeat naturaliter formam amiſſam recuperare non benè infertur, quòd nec ſupernaturaliter recipere eam poſſit: ergo pariter ex eo, quod forma &c.

Reſpondeo ad arg. nego ant. Ad prob. nego ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim, quòd in caſu, quo eſſet in pluribus materiis haberet adhuc imperfectiſſimum operandi modum. Quod tamen eſt falſum. Haberet enim, & non haberet. Haberet, ut ſupponitur, quia ageret per communicationem ſuæ entitatis, qui eſt imperfectiſſimus modus operandi. Et non haberet, quia tunc haberet eſſe quoddam illimitatum, & perfectiſſimum ad infinitas materias, ſi adeſſent, extendere ſe valens; & per conſequens perfectiſſimum quoque operandi modum haberet; quia modus operandi ſequitur modum eſſendi, ſicut operari ſequitur ad eſſe.

Dices. Ex eo, quòd materia eſſe queat ſub pluribus formis non ſequitur, quòd habeat eſſe infinitum: ergo neque ex eo, quòd forma eſſet ſucceſſivè in pluribus materiis ſequitur &c.

Reſp. nego conſeq., & paritatem. Diſparitas eſt, quia materia reſpectu formæ ſe habet purè paſſivè. Pati autem eſt imperfectio potiùs quàm perfectio, adeoque quò plures recipit formas, eò magis eſt imperfecta. Forma autem ſe habet activè, & agere eſt perfectio; idcircò diſpar eſt ratio. Pet quod

Ad Conf. negatur conſequentia; quia ad hoc, ut materia recipiat ſupernaturaliter formam amiſſam non indiget majori virtute; quia cùm merè paſſivè ſe habeat, non exercet majorem vim. Cæterùm quia forma activè ſe habet, deberet ejus virtus roborari per virtutem ſuperadditam ad hoc, ut eſſet in pluribus materiis. Quod tamen §. præcedenti a. eſſe impoſſibile probavimus.

Ex quibus etiam conſtat, quare etiam naturaliter poteſt una materia eſſe ſub pluribus formis ſucceſſivè, non verò una forma in pluribus materiis etiam ſucceſſivè. Ratio enim eſt Tum quia (ut diximus) materia purè paſſivè ſe habet, forma verò activè; Tum quia potentia utpote quid determinabile phyſicè, aut metaphyſicè, eſt magis univerſalis quàm actus: Patet enim animal, quod eſt potentia metaphyſica, habere majorem univerſalitatem, quàm habeat ejus actus, V. G. rationalitas. Undè poteſt quidem materia, quæ eſt potentia ſe ad plures extendere formas ſucceſſivè, neutiquam verò eadem forma ad plures materias etiam ſucceſſivè.

Inſtantia quædam ſolvetur lib. 4. q. 1. art. 2. ad primam Conf. ſecundi argumenti.

10. Arg. poſtremò. Nulla eſt contradictio, quòd una forma ſecundùm potentiam naturalem in una degat materia, & in alia ſecundùm potentiam obedientialem. Similiter quòd ſecundùm potentiam naturalem materia recipiat unam, & ſecundùm obedientialem potentiam recipiat alteram: ergo ſaltem hoc modo poterit utrumque fieri. Prob. ant. Quoties oppoſitio, ſeu affirmatio, & negatio eſt ſecundùm diverſa, tollitur oppoſitio, ſeu non eſt ampliùs oppoſitio; ſed hoc ipſo, quòd unum ſit ſecundùm potentiam naturalem, & aliud ſecundùm potentiam obedientialem, eſt ſecundùm diverſa: ergo &c.

Ad hoc, quod eſt potiùs cavillus quidam, quàm argumentum (omiſſo cujuſdam reſponſo) nego ant. Ad prob. diſt. maj. Si diverſitas cadat ſuper ea, de quibus eſt contradictio, concedo, aliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Itaque ad hoc, ut tollatur contradictio, diverſitas debet cadere ſupra id, de quo eſt contradictio. Undè cùm ea contradictio, quæ habetur in eo, quòd una forma plures actuaret materias, ſit in hoc, quòd eſſet, & non eſſet infinita, diverſitas deberet cadere ſupra hoc, nempe dicendo, quòd ſecundùm diverſam rationem eſſet finita, & infinita. Hoc autem eſt impoſſibile, cùm ſecundùm nullam rationem eſſe queat infinita, eò quòd ſecundùm omnem rationem eſt quid creatum. Similiter contradictio, quæ habetur in hoc, quòd materia habeat plures formas ſit in hoc, quòd forma daret, & non daret primum eſſe, diverſitas cadere deberet ſuper hoc, quòd ſecundùm diverſam rationem daret, & non daret primum eſſe. At hoc pariter eſt impoſſibile, cùm ſecundùm omnem rationem forma ſit actus primus. Non autem ſufficit, quòd cadat ſupra potentiam naturalem, & obedientialem; aliter ulla abſque contradictione dici poſſet, quòd Homo ſecundùm potentiam naturalem poteſt eſſe Homo, & ſecundùm potentiam obedientialem poteſt eſſe Equus, quia tunc eſſet ſecundùm diverſam potentiam. Idem dico de omnibus aliis, quæ contradictionem implicant.

55. Quod de forma in ordine ad plures materias totales dixi, etiam dico in ordine ad plures materias partiales; quia hoc ipſo, quòd una pars eſt diviſa non eſt ampliùs pars, ſed obtinet rationem cujuſdam totius, licèt diverſi ab illo priori toto, cujus erat pars.

Ad id verò, quod objici ſolet de D. Dionyſio, qui caput ſuum abſciſſum detulit ad plura miliaria. Reſp. vel quod tunc Anima non informabat, niſi corpus, quod movebatur, nullatenus verò caput. Vel (& meliùs) dicatur, quòd tunc neutrum informabat, ſed corpus illud miraculoſè agebatur purè ab extrinſeco, non verò motu locali vitali.

QUÆSTIUNCULA.

De Privatione.

1. PRivatio definitus, quòd ſit *carentia formæ in ſubjecto capaci*, ſicut carentia viſus in Beliſario, carentia formæ ignis in materia ligni &c. ad differentiam negationis, quæ eſt *carentia formæ in ſubjecto incapaci*, ſicut carentia viſus in lapide.

Suppono (ut ſupra diximus q. 1. art. unico §. 13. & 14. præcipuè ad ultimas inſtantias factas contra reſp. datam ad 5. arg. ſub num. 34) eſſe principium realiter diſtinctum à materia, & forma. A materia quidem, quia (ut ibidem dicebamus) forma diverſo modo correſpondet privationi, ac correſpondeat materiæ, quia materiæ correſpondet ut ſubjecto informando, privationi verò ut termino *à quo* derelinquendo. A forma etiam, quia diverſo modo, ut ita dicam, principiat privatio ac forma. Forma enim principiat ut terminus acquirendus, privatio verò ut terminus derelinquendus.

Et licèt Philoſophus hic cap. 7. dicat, privationem, & materiam eſſe unum numero, & diſtingui per rationem; attamen

Digitized by Google

attamen non propterea intendit Philoſophus, privationem non eſſe principium realiter diſtinctum à Materia, ſed duntaxat vult, quòd Materia, & privatio ſint unum numero negativè, quatenus non diſtinguuntur poſitivè, niſi fictè, quia realis diſtinctio non verſatur poſitivè, niſi inter extrema poſitiva V. G. Petrum, & Paulum, quantitatem, & qualitatem &c. ſed diſtingui ſolummodo negativè. Et ideo poſtea dicit, diſtingui per rationem ideſt poſitivè, quia inter materiam & privationem non verſatur aliqua diſtinctio poſitivè. Cum quo tamen ſtat, quòd diſtinguantur realiter negativè: Eo modo, quo ens rationis diſtinguitur realiter ab ente reali, non poſitivè (quia ens rationis non eſt quid reale) ſed negativè.

SCISCITABERIS.

Num in eadem materia ſint una, vel plures Privationes.

2. RESpondent nonnulli cum Jo: de S. Th. dicendo, tot eſſe privationes, quot ſunt formæ, quibus materia poteſt actuari. Verùm pace tanti viri dico, unicam ſufficere privationem pro omnibus formis. Quod probo ſic: Privatio eſt *carentia formæ in ſubjecto capaci*; ſed una duntaxat eſt capacitas, quam materia dicit ad omnes formas, ſolumque ſecundùm rationem eſt multiplex; ergo ſimiliter una duntaxat erit privatio pro omnibus formis, & ad ſummum erunt ſecundùm rationem plures. Eo modo, quo S. Th. p. 2. q. 86. art. 1. ad 3. dicit, quòd diverſa peccata diverſas maculas inducunt (intellige diverſas ſecundùm rationem, ſicut mox dixi de privatione formæ, quia macula eſt privatio quædam nitoris Animæ) in Animam.

Conſ. Una, eademque forma præſtare valet quicquid inferiores cæteræ formæ præſtant, ut patet in Anima rationali, quæ una, eademque præſtat eſſe vegetativum, ſenſitivum &c. ergo pariter una, atque eadem privatio ſufficiet ad faciendum quicquid facerent plures privationes realiter diſtinctæ. Remanet igitur, quòd una duntaxat ſit privatio in ordine ad plures formas: eo ferè pacto, quo una, eademque relatio ſufficit ad plures reſpiciendos terminos.

3. Objicies ex Jo: de S. Th. Privatio Formæ eſt abſentia formæ: ergo tot ſunt privationes, quot ſunt abſentiæ; ſed plures ſunt abſentiæ formarum, immò tot abſentiæ quot ſunt formæ: ergo tot erunt privationes, quot ſunt formæ abſentes, ſeu quibus materia eſt privata.

Conſ. primò ex Emin. Ferrari in autographo: Unumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad unitatem, & multiplicitatem; ſed eſſe privationem in materia eſt non eſſe formam in materia: ergo etiam plures privationes eſſe in materia eſt plures formas non eſſe in eadem materia, adeoque quot ſunt formæ abſentes, tot erunt privationes.

Secundò ex eodem. Non eſſe unius formæ eſt idem, ac non eſſe alterius formæ: ergo non eſſe plurium formarum non exiſtentium in materia ſunt plura non eſſe, adeoque plures privationes. Prob. ant. Non eſſe opponitur adæquatè ipſi eſſe: ergo quantum ponit eſſe, tantum tollit non eſſe; ſed eſſe unius formæ non eſt idem, ac eſſe alterius formæ: ergo etiam non eſſe unius formæ non eſt non eſſe alterius formæ.

Reſp. ad arg. diſt. ant. eſt abſentia formæ in materia capaci habere illam, concedo, ſecùs, nego ant. & conſequentiam. Itaque privatio ut diſtincta à negatione eſt abſentia formæ, non quomodocunque, ſed abſentia formæ à ſubjecto capaci, & juxta illius capacitatem adeſt privatio. Et quia (ut diximus) una duntaxat eſt potentialitas, ſeu capacitas, quam materia dicit ad omnes formas; idcirco unica quoque erit privatio. Ex his

Ad 1. Conſ. data maj. diſt. min. eſt, formam non eſſe in materia ſecundùm quòd iſta dicit capacitatem ad formam, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Reſponſum liquet ex dictis.

Ad 2. nego ant. Ad prob. diſt. ant. Opponitur ipſi eſſe comparativè ad id, circa quod verſatur eſſe, & non eſſe, concedo, ſecùs nego ant. & conſequentiam. Non eſſe igitur formæ opponitur ipſi formæ in ordine ad potentiam materiæ, circa quam verſatur eſſe formæ, & non eſſe formæ. Unde cùm potentia illa ſit una, & privatio erit una.

Dices primò. Ex eo, quòd ſit una capacitas non ſequitur, quòd ſit una forma: ergo neque ex eo, quòd una ſit capacitas, ſequitur, quòd una tantùm ſit privatio.

Secundò. Quando advenit una forma deſinit eſſe illius privatio; & tamen non deſinit eſſe privatio alterius: ergo ſignum eſt, quòd privatio unius formæ non eſt privatio alterius formæ.

Reſpondeo ad 1. primìtet, quòd quemadmodum plures formæ non ſunt ſimul, ita nec plures privationes ſimul ſunt, ſed ad ſummum ſucceſſivè erunt in eadem materia. Deinde dato antecedenti nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia capacitas ad ipſam formam non ſequitur ad ipſam formam, ſed potiùs è contra. Cæterùm capacitas ſequitur aliquo modo ad privationem. Nam capacitas ad formam in materia ex eo habetur, quia formam non poſſidet, ſeu ex eo, quòd forma privatur; ſiquidem dum formam habet non ampliùs dicit capacitatem, & potentiam ad illam, ſed duntaxat actum complacentiæ circa illam habet. Undè benè privatio commenſuratur capacitati materiæ, non verò forma quò ad unitatem, vel multiplicitatem.

Ad 2. diſt. ant. deſinit eſſe quantùm ad extenſionem, & explicationem, concedo, quò ad ſuum eſſe nego ant. & conſequentiam. Quemadmodum namque in Logica diximus, quòd adveniente novo termino, vel eo deficiente, non deficit, vel advenit relatio quò ad ſuum eſſe, ſed duntaxat quò ad aliquam extenſionem, & majorem explicationem: ita dum advenit aliqua forma, deſinit privatio quantum ad extenſionem, & explicationem ad illam formam.

QUÆSTIO QUARTA.

De Toto Compoſito Naturali.

HActenus de principiis ſermo habitus eſt, modò de ipſo (ut ita dicam) principiato, nimirum toto compoſito, nos monet ſermonem habere. Pro quo

Totum compoſitum naturale definitur Peripateticè, quòd ſit *illud, quod ex materia & forma tanquam partibus eſſentialibus phyſicis conflatur.*

ARTICULUS PRIMUS.

Num materia, & forma ſiant unitæ medio unione, quæ ſit nexus realiter ab utraque diſtinctus.

§. I.

1. NOto, quòd ſicut unitas (quæ eſt *indiviſio in ſe, & diviſio a qualibet alio*) eſt id, quo aliquid dicitur unum: ita unio eſt id, quo aliqua dicuntur unita. Et quadrifariam ſumi poteſt. Primò pro unione activè, quæ dicitur unitio; & nihil aliud eſt quàm actio unientis agentis. Secundò paſſivè pro paſſione ab agente illata. Tertiò relativè pro relatione reſultante ex tali unione, & paſſione. Quartò demum formaliter pro ipſa ratione formali, qua partes in actu ſecundo conſtituuntur formaliter unitæ. Certum eſt extare unionem primo modo, cùm agens ſit illud, quod movet materiam ad formam: Similiter ſecundo modo, quia prout ſic non eſt, niſi dependentia ab agente. Demum certum eſt, extare relationem reſultantem in toto compoſito ex materia, & forma unitis. Igitur lis intentatur de unione ultimo accepta modo. Quæ doctrina colligitur ex D. Th. in 3. ad Annibaldum diſt. 5. quæſt. unica art. 3.

2. Duæ ſunt extremæ ſententiæ, & quidem utraque probabilis valde etiam in via Thomiſtica.

Prima affirmat, quam amplectuntur ex noſtris Aravlo, Herrera, Nugno, Baunez, Complut. Godoy in autographo, & communiter Patres Societatis.

Secunda negat. Hanc tuentur Cajet. p. p. q. 76. art. 1. & 3. & 3. p. q. 2. art. 7. Medina, Nazarius, Jo: à S. Th., Para, Lerma, Ortiz, Cavinus, & noviſſimè Guetinois. Hos ex exteris ſequuntur Gregorius, Valentia, Bachonius, & alii, præcipuè ex Nominalibus, à quibus non multum ſecedere videntur Scotiſtæ, admittentes extare duntaxat relationem quandam extrinſecùs advenientem: ad eum modum, quo de ſex ultimis prædicamentis in Logica loquuntur.

§. II.

CONCLUSIO.

Materia, & Forma ſunt unitæ immediatè per ſe ipſas abſque unione, quæ ſit modus, vel nexus realiter ſuperadditus.

3. Hauritur hæc concluſio ex Ariſt. 2. de Anima cap. 1. ubi dicit, non eſſe ponderandum gluten conjunctivum Animæ, & Corporis, ſed ſe ipſis uniri. Item ex S. Th. 8. Metaphyſ. lect. 5. & p. p. q. 76. art. 4. & de Spiritualibus creaturis art. 3. & quæſt. de Anima art. 9.

Quæ loca omnia pars adverſa interpretatur dicendo, quòd S. Th. ibi duntaxat excludit medium uniens *ut quod*. Et quidem non ſine fundamento id dicunt. Nam S. Th. ibi impugnat Philoſophos quoſdam veteres, qui dicebant, Corpus, & animam uniri medio alio corpore, quod eſſet vinculum *ut quod*: eo modo, quo V. G. primus annulus catenæ unitur cum tertio medio alio annulo: vel ſicut lapides medio cemento uniuntur.

Verùm cum toto hoc non leve urget motivum ſuadens, Angelicum ſtare pro nobis. Nam licèt primarium S. Doctoris intentum eo loci ſit excludere medium *quod*; tamen ſimul, & ſemel excludit etiam quodcunque medium. Quod probo. Nam quæſt. citata de Anima art. 9. in fine corporis *cùm forma*, inquit, *ſecundùm ſe ipſam det eſſe materiæ, ſecundum ſe ipſam unitur materiæ primæ, & non per aliud ligamentum*. Subiumo Min. ſed ſi extaret unio aliqua realiter diſtincta, quæ eſſet medium etiam *ut quo*, forma non uniretur per ſe ipſam; quia illa unio (ut loquitur pars adverſa) eſſet realiter diſtincta: ergo S. Præceptor explodit medium etiam *ut quo*. Idem etiam ſentit Philoſophus, qui dicit, ſe ipſis uniri. Adde, quòd nullus ex adverſo affertur S. Thomæ locus, undè ſaltem conjecturaliter deduci queat dicta unio realiter ſuperaddita. Ex quibus

4. Prob. 1. ratione ſic. Materia, & forma conſtituuntur unitæ immediatè per ſe ipſas: ergo non per unionem aliquam realiter ſuperadditam conſtituuntur unitæ. Prob. ant. Ipſa entitas Materiæ, & formæ eſt id, quo conſtituuntur unitæ: ergo immediatè per ſe ipſas conſtituuntur unitæ. Prob. ant. Id, quo Materia recipit formam, & id quo materia actuat, & informat materiam eſt id, quo conſtituuntur unitæ; ſed entitas materiæ eſt id, quo ipſa materia recipit formam, & entitas formæ eſt id, quo ipſa forma informat materiam: ergo &c. Maj. ex eo deprehenditur, quòd unio materiæ cum forma nihil aliud eſt, quàm receptio formæ, & unio formæ cum materia nihil aliud eſt, quàm informatio Materiæ. Min. autem Prob. Id, quo aliquid recipitur eſt potentia, & id, quo aliquid actuatur eſt forma; ſed entitas materiæ eſt potentia, & entitas formæ eſt actus: ergo &c. Maj. eſt perſpicua. Etenim unumquodque recipit inquantum eſt in potentia, & intantum actuatur, inquantum habet formam: ergo potentia eſt id, quo aliquid recipitur, & forma, ſeu actus eſt id, quo aliquid actuatur.

Conf. Illud eſt ratio formalis uniendi formam cum materia, ratione cujus forma conſtituit materiam in ſpecie determinata; ſed ipſa entitas formæ eſt id, ratione cujus materia conſtituitur in ſpecie determinata ratione formæ (intantum enim forma dat eſſe materiæ, inquantum communicat illi ſuum eſſe) ergo ratio formalis uniendi formam cum materia non eſt aliquid ſuperadditum, ſed eſt ipſa entitas formæ. Maj. patet, quia formam uniri materiæ nihil aliud eſt, quàm formam actuare materiam, eique dare eſſe.

Reſpondet Adverſarius ad rationem, quòd entitas materiæ, & formæ ſunt quidem ipſa potentia, & actus in actu primo, non tamen in actu ſecundo, & per modum exercitii.

Ad Conf. verò dicit, quòd ille modus ſuperadditus unionis non eſt ratio formalis, ſed duntaxat conditio uniendi. Sed

Contra inſto. Quod eſt per eſſentiam tale, eſt in actu ſecundo, & per modum exercitii tale; ſed materia eſt per eſſentiam potentia, & forma eſt per ſuam eſſentiam actus: ergo ſunt tales etiam in actu ſecundo, & per modum exercitii. Min. eſt certa. Maj. prob. Tum (ad hominem contra Exteros) quia eſſentia per ſe ipſam eſt ipſa exiſtentia, idcircò etiam in actu ſecundo, & per modum exercitii eſt per ſe ipſam, non verò per aliquid realiter ſuperadditum exiſtens: ergo pariter Materia, & forma ſi per ſuam eſſentiam ſunt potentia, & actus, erunt tales etiam in actu ſecundo, & per modum exercitii. Tum (ad hominem contra Noſtrates hic nobis adverſantes) quia ſi eſſentia, ſive natura per ſe ipſam eſſet operans, & non mediis accidentibus realiter ſuperadditis, eſſet ſemper in actu ſecundo operans, imò eſſet ipſa operatio, qua ratione dicunt Thomiſtæ, quòd eſſet actus purus, ut conſpicies lib. 2. q. 5. art. unico §. 2. & in 2. de Anima q. 3. art. 2. §. 2. & §. 3. ergo ſi materia, & forma ſunt per ſuam eſſentiam potentia, & actus, ſunt tales etiam in actu ſecundo, & per modum exercitii. Tandem contra omnes. Eſſentia in actu primo non diſtinguitur à ſe ipſa in actu ſecundo: ergo quod eſt per eſſentiam tale, eſt etiam in actu ſecundo, & per modum exercitii tale.

Contra verò id, quod dicunt ad Conf. inſto ſic. Quemadmodum unio eſt id, quo aliqua conſtituuntur unita, ita actio eſt id, quo aliquid conſtituitur agens, & relatio eſt id, quo aliquid conſtituitur relatum; ſed actio eſt ratio formalis conſtituendi aliquid in actu ſecundo agens, relatio eſt ratio formalis conſtituendi relatum &c. ergo etiam unio illa (ſi extaret inter materiam, & formam) eſſet ratio formalis uniendi, vel ſi non eſt ratio formalis uniendi, dicendum eſt, quod non extat.

5. Prob. 2. à pari ſic. Quemadmodum ex materia, & forma fit unum per ſe in eſſe entis, ita ex intellectu, & ſpecie intelligibili fit unum per ſe in eſſe intelligibili; ſed intellectus, & ſpecies intelligibilis non uniuntur media aliqua unione, quæ ſit nexus realiter ſuperadditus in eſſe intelligibili: ergo pariter materia, & forma non uniuntur media aliqua unione, quæ ſit nexus realiter ſuperadditus in eſſe entitativo. Maj. patet. Min prob. Tum quia iſta unio realiter ſuperaddita in eſſe intelligibili non eſt excogitabilis. Tum quia iſta unio (ſi extaret) eſſet & ipſa intelligibilis, adeoque etiam ipſa uniretur cum intellectu media alia unione realiter ſuperaddita, & ſic in infinitum.

Quòd ſi reſpondeas, ideo ſpeciem uniri cum intellectu per ſe ipſam, non verò media aliqua unione, quia talis ſpecies ſe habet *ut quo*.

Contra eſt. Species licèt ſe habeat ut id, quo objectum intelligitur; tamen eſt, id quod unitur cum intellectu: id enim, quod unitur non eſt objectum ſecundùm ſe, benè verò ſpecies, quæ eſt ipſum objectum in eſſe intelligibili: ergo etiam ipſa deberet indigere alio, quo uniretur.

Si verò reſpondeas, extare unionem realiter ſuperadditam in eſſe intelligibili, quæ poſtea non indiget alia unione, qua uniatur cum eodem intellectu; quia ſe habet *ut quo*: ſicut (inquiunt Adverſarii) unio, quæ eſt inter materiam, & formam non indiget alia unione, quia ſe habet *ut quo*.

Contra etiam eſt. Unio illa ſuperaddita in eſſe intelligibili eſſet intelligibilis *ut quod* ſaltem per actum reflexum, ſicut & ipſamet intellectio directa eſt intelligibilis, *ut quod* per intellectionem reflexam: ergo eſſet unibilis etiam *ut quod*. Adde, quòd & nos dicimus, etiam entitatem materiæ, & formæ eſſe id, quo Materia, & forma inter ſe uniuntur. Undè reſponſiones iſtæ non ſunt niſi petitiones principii.

6. Prob. 3. Si talis extaret unio eſſet de eſſentia phyſica compoſiti; ſed hoc eſt falſum: ergo non extat. Maj. eſt manifeſta, quia ſi non eſſet eſſentialis, jam foret accidentalis, ſicque totum eſſet unum per accidens. Min. prob. Si dicta unio eſſet de eſſentia phyſica compoſiti, talis numero unio eſſet de eſſentia phyſica talis numero compoſiti; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min. In generali reſurrectione reſurget idem numero Homo; & tamen non erit eadem numero unio: ergo &c. Prob. min. Talis numero unio producitur per talem numero actionem; ſed tunc non erit eadem numero actio, qua fuerat dictum compoſitum productum: ergo &c.

7. Prob. 4. Vel extat una duntaxat numero unio, vel plures, una nimirum ex parte materiæ, & alia ex parte formæ; ſed neutrum dici poteſt: ergo nulla extat unio realiter ſuperaddita. Prob. min. primò quoad p. p. Si una ſola extaret unio, vel afficeret ſolam materiam; ſicque iſta ſola denominaretur unita: vel ſolam formam; ſicque ſola forma denominaretur unita; Eò vel maximè, quòd non eſt major ratio cur debeat unam præ alia afficere: vel utramque ſimul, & ſic totum afficiet compoſitum, adeoque non

erit

erit nexus uniens materiam, & formam, quia totum compoſitum, vel ſupponit illas unitas (in ſententia quòd ab eis unitis realiter diſtinguatur) vel conſiſtit in illis unitis, & collectivè acceptis; & ulteriùs denominarent totum unitum, cùm tamen totum nulli uniatur: ergo non eſſet una tantùm unio.

Deinde 2. eadem min. quò ad 2. p. prob. Si eſſet duplex unio, una eſſet unibilis cum alia ad faciendam unam unionem totalem: ergo deberet media alia unione uniri; & ſic in infinitum.

Nec dicere juvat, quòd non oporteret uniri media alia unione, quia eſſet *id quo*.

Non, inquam, juvat. In illa namque hypotheſi illa unio licèt eſſet id, quo forma uniretur cum materia, non tamen eſſet id, quo uniretur cum alia unione, aliter deberet etiam excogitari id, quod per illam unionem uniatur ut quod. Undè ſolùm ſequitur, quòd non indigeret alia unione ut ipſa unio uniretur cum ipſa materia, & forma, non verò ut uniretur cum alia unione.

8. Demum poſset probari concluſio ratione, qua utitur Jo: à S. Th. quia ſi extaret talis unio, quæ eſset modus ſuperadditus, totum compoſitum diceretur unum modale. Sicut enim, quia unio, quæ eſt inter materiam, & Animam rationalem eſt corruptibilis dicitur corruptibile non obſtante, quòd partes ſint incorruptibiles: Et ſimiliter quia unio in aggregato per accidens, puta acervo lapidum, eſt per accidens, totum dicitur unum per accidens, licèt quælibet ex ejus partibus ſit unum per ſe: ita ſi unio inter materiam, & formam eſset modus, totum compoſitum diceretur unum modale, licèt partes non eſsent modus.

§. III.

Solvantur Adverſariorum argumenta.

9. ARg. 1. Omnis cauſa creata debet realiter diſtingui ab ultima ſui actualitate, & cauſalitate, aliter eſset infinita; ſed unio materiæ, & formæ eſt earum actualitas, & cauſalitas: ergo realiter ab utraque diſtinguitur. Maj. patet. Hac enim ratione cauſa efficiens realiter diſtinguitur ab actuali operatione. Min. etiam conſtat.

Reſp. diſt. maj. omnis cauſa extrinſeca efficiens, concedo, intrinſeca, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Verum igitur eſt, quòd cauſa efficiens ſi realiter ultima cum ſua actualitate identificaretur, foret infinita, quia cùm per realem identitatem excurreret uſque ad ultimam actualitatem eſſet actus purus: qua ratione infra q. ſequenti probabimus, exiſtentiam realiter diſtingui ab eſſentia. Cæterùm cauſa intrinſeca tametſi identificet ſibi realiter ſuam ultimam actualitatem & cauſalitatem non ſequitur infinitudo; quia cùm imperfectiſſimum operandi modum cauſa intrinſeca habeat, identitas cum ſua actualitate provenit ex defectu. Ubi è contra in Deo, qui propterea eſt actus, provenit ex exceſſu in perfectione: Simili quodam modo, quo ens rationis dicitur abſtrahere à materia per defectum, Deus verò per exceſſum perfectionis.

Contra primò. In quacunque linea creata actus primus debet realiter diſtingui ab actu ſecundo, ut evitetur ratio actus puri; ſed materia, & forma, tametſi ſint cauſæ intrinſecæ, tamen ut unibiles ſunt in actu primo unionis; actualis verò unio, quæ eſt earum actualitas eſt actus ſecundus: ergo tametſi Materia, & forma ſint cauſæ intrinſecæ debent realiter ab actualitate ſua, quæ eſt unio, diſtingui.

Secundò. Semel ſuppoſito, quòd materia, & forma identificarent ſibi ultimam ſuam actualitatem, non haberent ampliùs imperfectum, benè verò perfectiſſimum operandi modum: ergo reſponſio nulla. Prob ant. Non minùs arguit maximam perfectionem identificatio cum ultima actualitate, quàm arguat perfectionem maximam hoc, quòd eſt unam formam eſſe in pluribus materiis; ſed ſi ſemel forma eſſet in pluribus materiis, non ampliùs imperfectum, benè verò perfectiſſimum operandi modum haberet; quia ſequeretur, quòd eſſet maximè, & infinitè perfecta, ut diximus art. 4. & ultimo præcedentis quæſtionis §. 3. ſub num. 9. ad 1. inſtantiam contra reſponſionem datam ad 5. arg. ergo pariter ſemel ſuppoſito, quòd materia, & forma &c.

Ad 1. reſpondent plerique in autographo Emin. Ferrari, quòd unio non eſt propriè actus, ſed ſolùm impropriè; propriè verò non eſt, niſi indiviſio actus; quia proprius materiæ actus eſt forma.

Verùm adhuc videtur remanere in ſua vi difficultas. Nam materia licèt ut informabilis reſpiciat ut actum propriè dictum formam; tamen ut unibilis reſpicit tanquam actum propriè dictum ipſam unionem: ergo etiam ab ea realiter diſtingui neceſſe erit. Prob. ant. Sicut informabile dicit poſſe informari, & ſimiliter extitibile, ut extitibile, dicit poſſe exiſtere; ita unibile, ut unibile dicit poſſe uniri; ſed informabile, ut informabile reſpicit tanquam actum propriè dictum formam, & extitibile reſpicit tanquam actum propriè dictum exiſtentiam: ergo pariter materia ut unibilis reſpicit tanquam actum propriè dictum actualem unionem. Aliter igitur

Reſp. diſt. maj. in quacunque linea totali, concedo, partiali, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Advertendum igitur eſt, quòd quædam ſunt entia habentia eſſe per modum actus, quæ tamen adhuc ordinantur ad aliquem actum ultimum, ſicut V. G eſsentia ordinatur ad exiſtentiam. Et illa ab actu ſuo ultimo diſtingui realiter debent, ſecùs argueretur, eſse actum purum; quia ex nullo alio prorſus capite limitaretur, ut quæſt. ſequenti 5. videbimus art. 1. §. 3. Alia verò ſunt, quæ rationem duntaxat partis habent. Et iſta cum ſuo actu ſecundo identificari optimè poſsunt, abſque eo, quòd puritas actus arguatur; quia tametſi materia V. G. non haberet rationem potentiæ reſpectu unionis, adhuc haberet rationem potentiæ reſpectu formæ; ſicque non diceretur actus purus.

Contra primò. Etiam eſsentia ſe habet per modum partis; & tamen realiter à ſuo actu ſecundo diſtinguitur: ergo etiam in linea partiali debet actus primus ab actu ſecundo realiter diſtingui. Prob. ant. Sicut ex materia, & forma fit unum per ſe in linea eſſentiali phyſica, ita ex eſſentia, & exiſtentia fit unum in linea exiſtentiali; ſed materia, & forma in linea eſſentiali ſe habent per modum partis: ergo & etiam eſſentia, ac exiſtentia ſe habent per modum partis in linea exiſtentiali.

Secundò. Etiam Materia eſt cauſa formæ per modum partis; & tamen realiter ab illa ut ab actu diſtinguitur: ergo etiam in linea partiali actus primus debet ab actu ſecundo realiter diſtingui.

Reſp. ad 1. diſt. ant. ſe habet, & ſe haberet per modum partis in caſu, quo identificaretur cum exiſtentia, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſequentiam. In tali enim caſu non ampliùs eſſet pars. Cæterùm Materia, & forma tametſi identificentur cum unione, adhuc ſunt para totius compoſiti.

Ad 2. nego ant. Non enim Materia eſt cauſa formæ per modum partis; quia materia non eſt pars formæ, ſed dicitur cauſa totius per modum partis; quia eſt pars totius, nec forma dimanat à materia, nec tantùm de ſecundariò producitur. Sicut exiſtentia ab eſſentia, ſed per veram actionem educitur de ejus potentia.

Ad 2. inſtantiam contra primam reſponſionem, nego ant. Ad prob. diſt. maj. ly *non minùs* dicente omnimodam paritatem, nego, aliter, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Diſparitas eſt. Nam eatenus forma non haberet ampliùs imperfectum operandi modum in ſuppoſitione, quòd eſſet in pluribus formis; quia operari ſequitur ad eſſe: & quia tunc haberet eſſe perfectiſſimum, eò quòd poſſet per ſuum eſſe perficere plures, & imò infinitas materias; & idcircò deberet habere perfectiſſimum operari. Cæterùm cauſalitas rei conſequitur ad modum operandi ipſius rei. Undè cum materia, & forma (ut vidimus) habeant imperfectiſſimum operandi, nulla ſequitur major perfectio, ſed potiùs imperfectio in tali linea.

10. Arg. 2. Quæ realiter ſeparantur realiter diſtinguuntur; ſed unio materiæ, & formæ realiter poteſt ab utraque ſeparari, ut patet cùm diſſolvitur compoſitum: ergo realiter ab illis diſtinguitur.

Reſp. diſt. maj. quæ realiter ſeparantur cùm denominativè tum entitativè, concedo, quæ ſeparantur purè denominativè, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Materia itaque, & forma fiunt unitæ, non per aliquam entitatem realiter ſuperadditam de novo advenientem intrinſecè: nec fiunt non unitæ, ſeu nec fiunt ſeparatæ per deficientiam alicujus intrinſecæ entitatis, ſed duntaxat per connotationem actionis agentis, & diſpoſitionum. Quibus habitis fiunt unitæ; illis verò deficientibus remanent non unitæ.

Et inſtatur, tum contra Thomiſtas hìc nobis adverſantes, in quorum ſententia hoc, quod eſt, materiam eſſe

ſubjectum actualis unionis non diſtinguitur realiter ab ipſa materia; & tamen non ſolùm eſſe ſubjectum formæ, verùm etiam hoc, quod eſt, eſſe ſubjectum actualis unionis poteſt realiter à materia ſeparari, ut patet dum materia non eſt formæ unita. Similiter referre ad ſecundum terminum poteſt realiter à relatione ſeparari, abſque eo quod ſeparetur aliquid, quod ſit realiter à relatione diſtinctum. Tum contra Exteros, & fortiùs. Nam relatio poteſt realiter à fundamento ſeparari; & tamen in eorum ſententia relatio non diſtinguitur realiter à fundamento.

Contra. Nam quia fundamentum poteſt realiter à relatione ſeparari, idcircò dicit Thomiſta, fundamentum diſtingui realiter ab ipſa relatione: ergo pariter ſi materia, & forma poſſunt realiter ab unione ſeparari &c. Item quia exiſtentia poteſt realiter ab eſſentia ſeparari, dicit, realiter ab illa diſtingui; quod idem eſt de ſubſiſtentia: ergo pariter ſi materia & forma poſſunt realiter ab unione ſeparari &c.

Reſp. ad omnes, nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas patet ex dictis in Logica, quia nimirum denominatio relati eſt denominatio diverſi generis à fundamento, quod eſt de genere abſoluti. At unio eſt ejuſdem generis ſubſtantialis cum materia & forma, quoniam etiam per adverſarios talis unio, ſi haberetur, eſſet ſubſtantialis. Poteſt autem de novo advenire, vel ſeparari aliqua denominatio ejuſdem generis abſque forma realiter ſuperaddita, non verò denominatio diverſi generis. Videatur in Logica Syntag. 4. q. 5. tum art. 1. §. 3. ad 5. tum art. 4. §. 3. ad 4. ubi plures ſolvuntur inſtantiæ; quas hic, & ibi afferunt Exteri, vel Noſtrates, appellando eas ineluctabiles.

Ad 2. diſt. ant. quia eſt ſeparabilis entitativè, concedo, purè denominativè, nego ant. & conſequentiam.

Quare autem exiſtentia ab eſſentia, & ſubſiſtentia à ſubſtantia, non verò unio à materia, & forma ſit ſeparabilis entitativè; ratio ex dictis patet; quia nimirum ſi eſſentia non eſſet diverſa entitas ab exiſtentia, & ſubſtantia à ſubſiſtentia, eſſet actus purus; quia ex nullo alio capite intrinſecè limitaretur. Cæterùm tametſi materia, & forma identificentur cum unione, adhuc non ſunt actus purus; quia cùm ſint eſſentialiter pars, limitantur inter ſe, nimirum materia per ordinem ad formam, & forma per ordinem ad materiam.

Dices. Niſi unio ſepararetur entitativè à materia, & forma, ſequeretur, quòd materia, & forma ſeparatæ eſſent ipſa unio entitativè; ſed hoc eſt falſum: ergo ſeparatur etiam entitativè, & non tantùm denominativè. Prob. min. Si ſeparatæ eſſent ipſa unio, etiam ſeparatæ denominarentur unitæ; ſed ſeparatæ non denominantur unitæ: ergo &c. Maj. patet, quia non ſtat unio ſine denominatione uniti, ſicut non ſtat relatio ſine denominatione relati, nec actio ſine denominatione agentis.

Reſp. conceſſa maj. nego min. Ad prob. diſt. ant. quantùm eſt ex parte ipſarum, concedo, ſecùs, nego ant. & conſequentiam. Materia ſiquidem, & forma ſeparatæ ſunt ipſa unio entitativè, ſeu (ut alii dicunt) in actu ſignato, non verò denominativè, ſeu in actu exercito. Quòd verò non denominentur actu unitæ provenit ex deficientia extrinſeci connotati, nimirum actionis agentis, applicantis materiam ad formam, non verò ex deficientia alicujus entitatis intrinſecæ. Eo modo, quo Anima eſt per ſe ipſam conſtituens vivens in actu ſecundo corpus; & tamen ex deficientia alicujus connotati poteſt non denominare corpus vivens, ut certum eſt in Anima rationali ſeparata. Undè ſolùm ſequitur, quòd dum materia, & forma fiunt in actu ſecundo unitæ, ſuperaddatur aliquid duntaxat extrinſecè, nimirum ipſa unitio activa, ſive actio agentis.

Quare autem ex defectu extrinſeci connotati nequeant dici in actu ſecundo exercito unitæ; ulterior ratio eſt, quia materia ſeorſim à forma, & è contra, eſt ipſa unio duntaxat partialiter, ſicut eſt ipſum totum duntaxat partialiter, & idcircò ut habeatur perfecta unio requiritur actio agentis, applicans materiam formæ, & formam materiæ.

Ad id verò, quod ſubditur dico, quòd non ſtat unio ſine denominatione uniti, ſi adſint omnia requiſita. Ad exemplum autem de relatione, & actione diſcrimen eſt; quia relatio, & actio ſunt generis diverſi ab eo, quod denominant, ſcilicet ſunt de genere accidentis, idcircò non ſtant in re ſine effectu formali. Supponimus autem in præſenti, quòd unio non ſit accidens, aliter totum compoſitum eſſet unum per accidens; & ad ſummum poſſet ab Adverſariis vocitari accidens prædicabile, non verò prædicamentale.

Deinde cum aliis aliter reſponderi poteſt, quòd materia licèt ſit ſeparabilis à forma determinatè, non tamen à forma vagè accepta; quia materia nequit exiſtere niſi alicui ſic unita formæ. Undè nunquam verificatur, quòd ſimpliciter ab ipſa ſeparetur unio.

Quæ tamen reſponſio poteſt pati inſtantiam. Nam ſi ſeparatur à forma determinatè: ergo ſeparatur unio, qua unitur cum forma determinatè.

11. Arg. 3. argumento, quod fuit indigitatum etiam ſupra quæſt. præcedenti art. 3. §. 4. num. 11. ad 4. arg. & iterum art. ſequenti nu. 11. ad 3. arg. indigitabitur. In generatione Hominis extat actio productiva Hominis; ergo debet excogitari aliquid, quod ſit terminus per talem actionem productus; ſed terminus per talem actionem productus non eſt alius excogitabilis niſi unio: ergo extat unio de novo per talem actionem producta. Prima conſequentia eſt exacta, quia illa actio, ſi eſt actio productiva, debet habere ſuum terminum productum. Min. etiam conſtat, quia talis terminus productus nequit eſſe materia, nec Anima rationalis, quæ ſunt ingenerabiles: ergo nequit eſſe alius, niſi unio.

Reſp. nego min. ſubſumptam. Ad prob. nego conſequentiam. Dicimus namque, quòd terminus per talem actionem productus non eſt unio realiter diſtincta, nec materia, nec Anima rationalis, ſed eſt totum compoſitum.

Contra. Totum conſtat ex partibus: ergo illa actio ſi nec partium, nec unionis eſt productiva, neque eſt productiva totius.

Reſp. diſt. ant. conſtat ex partibus ſimul ſumptis, & unitis, concedo, aliter, nego ant. & conſequentiam. Homo igitur generans Hominem eatenus dicitur Hominem producere, quatenus unit ſimul materiam, & formam, ex quibus totum compoſitum, nimirum totus Homo habet conſtare. Et hoc modo dicitur totum producere compoſitum.

Contra primò ex Godoy. Illa actio non eſt unitiva formaliter (aliter eſſet ipſa unio formalis) ſed effectivè: ergo nequit producere Hominem, præcisè uniendo materiam, & formam, ſed aliquid debet efficere.

Secundò ex eodem. Talis actio nequit eſſe productiva totius, niſi etiam ſit productiva termini partialis: ergo nequit eſſe productiva totius Hominis, niſi etiam partes producat. Ant. prob. In Divinis actio generativa Filii nequiret eſſe productiva totius, ſeu termini totalis, niſi eſſet productiva termini partialis, nimirum relationis: ergo à pari &c.

Ad 1. plerique prælaudati Junioris in autographo reſpondent, per talem actionem effectivè produci modum aliquem, non qui ſit unio, ſed qui ſit conditio quædam requiſita.

Verùm omninò arbitrariè ullo abſque fundamento dictum videtur. Nam talis modus non eſt paſſio, quoniam iſta non eſt id, quod producitur, ſed eſt id, quo aliquid productum dicitur; ſicut actio non eſt id, quod producit, ſed id quo agens producit: Nec eſt relatio, quia relatio non fit per ſe primo, ſed per quandam duntaxat reſultantiam à fundamento dimanat: ergo ſi non eſt unio, non eſt excogitabile quid eſſet iſte modus. Aliter igitur

Reſp. diſt. ant. ſed effectivè efficientia entitativa, nego, unitiva concedo ant. & nego conſequentiam. Sicut namque q. præcedenti art. 3. §. 4. num. 11. ad 4. arg. diximus, quòd actio generativa Hominis eſt generatio purè unitiva: ita nunc dicimus, quòd eſt actio effectiva efficientia unitiva, quia efficit totum, dum facit partes unitas inter ſe.

Nec inconveniens eſt actionem aliquam purè unitivam extare. Patet namque, quòd viſio beatifica eſt purè unitiva cum objecto, nimirum cum eſſentia Divina, non verò termini productiva, cùm Beati in Patria verbum non forment.

Nec reſpondere valet, quòd viſio eſt actio immanens. Non, inquam. Nam ſicut actioni tranſeunti convenit producere terminum extra ſe; ita actioni immanenti producere terminum intra ſe, ſeu intra ſuum ſubjectum; ſed poteſt ſtare actio immanens, quæ non ſit producens terminum intra ſe: ergo extare quoque poterit actio tranſiens, quæ ſit purè uniens, & non producens. Per quod

Ad 2. nego ant. loquendo de actione unitiva. Ad prob. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia actio productiva Verbi Divini eſt effectiva, efficientia, non purè unitiva, verùm etiam entitativa termini producibilis entitativè; non ſic verò actio productiva Hominis, cujus partes non ſunt generabiles entitativè.

Adde, quòd inſtantia iſta probat, debere neceſſariò produci partes, non verò probat de unione. Alia reſponſio apud Cavinum videri poteſt.

12 Arg. 4. Per hoc, quòd materia, & forma fiunt unitæ, aliquid de novo ipſis advenit; ſed hoc aliud eſſe nequit, niſi modus aliquis unionis: ergo inter eas extat modus unionis realiter diſtinctus. Maj. eſt manifeſta, Tum quia, niſi aliquid de novo adveniret remanerent ſicut antea non unitæ. Tum quia per hoc, quòd uniuntur mutantur; ſed realis mutatio non evenit, niſi per aliquid realiter ſuperadditum; ergo &c. Min. etiam conſtat, quia excogitabile aliud non eſt.

Reſp. 1 nego min. Nam id, quod advenit Materiæ, & formæ eſt connotatio actionis agentis. Quæ connotatio realiter ab utraque diſtinctè dici poteſt, ſumendo tamen talem connotationem pro paſſione ab agente illata, quæ eis eſt intrinſeca. Hæc tamen paſſio non eſt modus unionis, ut patet: Tum ex dictis §. 1. Tum quia in adverſæ partis ſententia id, quod de novo advenit in Hominis geneſi eſt modus unionis; paſſio verò non eſt id, quod producitur, ſed id, quo aliquid producitur: ſicut actio non eſt id, quod dicitur producens, ſed id, quo agens dicitur producens.

Reſp. præterea diſt. maj. aliquid de novo advenit materiæ, & formæ collectivè ſumptis, nego, diviſivè ſumptis, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Per hoc igitur, quòd unitæ fiant materia, & forma non advenit aliquid diſtinctum ab utraque ſimul, ſed aliquid advenit materiæ, nimirum ipſa forma, per quam materia intrinſecè mutatur: & aliquid ſupervenit formæ; nimirum materia, per quam intrinſecè immutatur.

Qua ex re apparet, quare Verbum Divinum in unione ad humanitatem non dicatur mutatum. Hoc namque iden eſt, Tum quia in tali unione ab aliquo agente non eſt paſſus. Tum quia Verbum Divinum in unione ad humanitatem, non recepit in ſe intrinſecè humanitatem. Licèt namque terminaverit per ſui ſubſiſtentiam humanitatem intrinſecè activè terminativè tantùm, non tamen ſubjectivè, vel informativè. De quo fuſiùs 3. p. de Incar. dicam Deo dante q 2 art. 1. § 4. ad 1.

Dices. Id, quod de novo advenit materiæ, & formæ dum fiunt unitæ, eſt novæ relationis fundamentum unionis inter ipſas; ſed ad novam relationem novum requiritur fundamentum; & aliàs hoc fundamentum nequit eſſe paſſio, quæ duntaxat relationem ad agens fundat: ergo aliquid de novo advenit præter formam, actionem, & paſſionem.

Reſp. data maj. diſt. min. novum requiritur fundamentum, vel entitativè, vel unitivè, concedo, ſemper entitativè, nego min. & conſequentiam. Non enim ſemper ad novam relationem novum requiritur entitativè fundamentum, ſed ſufficit fundamentum de novo unitum. Et hoc extat dum advenit relatio unionis inter materiam, & formam. Et hujuſmodi ſunt materia, & forma unitæ.

Vel & ſatiùs ex dicendis in lib. de Gener. q.a. art.1. § 3. ſuſtinendo num. 10. ad 6. arg. materiam non poſſe eſſe immediatum ſubjectum accidentium. Reſp. illam eſſe relationem duntaxat tranſcendentalem.

13. Arg. 5. & ultimò à pari. Accidens unitur cum ſubjecto medio modo realiter ſuperaddito, nimirum media inhærentia, quæ realiter ab ipſo diſtinguitur: ergo pariter forma unitur cum materia medio modo realiter ſuperaddito.

Reſponderi poſſet primodùm ant eadem facilitate, qua non probatur, poſſe negari. Vel cum Jo: à S. Th. reſponderi poteſt, quòd id, per quod accidens unitur cum ſubjecto, nimirum inhærentia, non eſt modus unionis, ſed modus dependentiæ. De quo (quicquid ſit an realiter diſtinguatur nec ne?) hic non diſputamus.

Deinde omiſſo ant. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia perfectiori longè modo uniuntur materia, & forma, quàm accidens, & ſubjectum. Ex materia namque, & forma per modum actus, & potentiæ fit unum per ſe. Non ſic autem ex ſubjecto, & accidenti.

14. Ex his patet diſparitas etiam de partibus, continui, quæ uniuntur medio puncto realiter ſuperaddito. Patet, inquam, Tum quia partes continui ideò uniuntur medio puncto, ut vitetur penetratio. Materia autem, & forma in priori *à quo* ad quantitatem actualem uniuntur inter ſe penetrativè, ut diximus ſupra quæſt. prima art. unico §. 11. ad ult. arg. Tum quia partes continui uniuntur, non per modum actus, & potentiæ, ſicut materia, & forma, ſed duntaxat modo extenſivo, & quantitativo; Loquendo tamen de unione accidentali. Quòd ſi poſtea loquamur de unione illa ſubſtantiali, conſequente ad diſtinctionem ſubſtantialem, quam in Logica Syntag. 4. q 4. quæ fuit de quantitate art. 3. adverſus Complutenſes, alioſque diximus extare in ſubſtantia pro priori ad quantitatem. De iſta, inquam loquendo, negandum eſt, fieri per aliquid realiter ſuperadditum; quia prout ſic ex partibus integralibus fit unum per ſe in linea integrali.

Patet etiam diſparitas de *Ubi* & *Quando*, quæ realiter à re ubicata, & durante diſtinguuntur. Nam Corpus locatum, & ubicatum non facit unum per ſe cum Ubi, & loco ſicut nec re durans cum tempore.

15. Poſſet fieri aliud argumentum à paritate; Quòd nimirum partes propoſitionis uniuntur media unione eis realiter ſuperaddita, videlicet media copula: ergo partes totius compoſiti naturalis uniuntur media unione realiter ſuperaddita.

At aſſumptum non eſt verum. Sicut namque lib. primo Summularum num 2. adverſus eoſdem Complut. Guerinois, & alios diximus, copulam non eſſe nexum prædicati cum ſubjecto, ſed veram partem, & terminum: ita in præſenti contra eoſdem negamus inter materiam & formam modum, qui ſit nexus realiter ſuperadditus.

16. Colligi ex dictis poteſt, quòd quando S. Th. p. p. q. 76. art. 1. ait, quòd ſicut ſe habet eſſe ſurſum reſpectu levis, ita unio reſpectu Animæ, non facit comparationem quò ad omnia, ita, quòd ſicut leve ad hoc, ut ſit ſurſum indiget modo realiter ſuperaddito, ita Anima ut Corpori uniatur indigeat modo realiter ſuperaddito. Non, inquam, ſed duntaxat quò ad hoc, quòd ſicut locus ſurſum eſt terminus naturalis inclinationis Corporis; ita unio cum Corpore eſt terminus naturalis inclinationis Animæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Totum ſubſtantiale realiter diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis.

§. I.

1. NOto, quòd Totum multifariam ſumi poteſt. Primò pro toto metaphyſico, ut eſt ſpecies conſtans ex genere, & differentia. Secundò pro toto phyſico. Deinde totum phyſicum dividitur in totum per accidens, ut eſt conflatum, vel ex pluribus completis, ut acervus lapidum, vel ex rebus diverſorum generum, ut album &c & in totum per ſe. Rurſus totum per ſe dividitur in totum eſſentiale, quod conſtituitur ex materia prima, & forma ſubſtantiali, & in totum integrale coaleſcens ex partibus integrantibus. Tandem totum integrale ſubdividitur in homogeneum, & heterogeneum. Homogeneum eſt illud, quod conſtat ex partibus ejuſdem rationis, ut V. G. lignum. Heterogeneum eſt illud, quod ex partibus diverſæ rationis conſtat, ut V. G. Homo, cujus partes ſunt inter ſe diſſimiles, ut caput, brachium, pes &c.

Scholaſtica concertatio præſens de toto phyſico per ſe eſſentiali inſtituitur. At quod de iſto dicemus, idem quoque de aliis erit intelligendum. Imò de toto per accidens loquendo videtur penè ab omnibus admiſſum, quòd à partibus ſimul ſumptis non diſtinguatur; quoniam iſtud cùm non ſit una natura, ſed plures ſit naturæ, tot naturæ, quot ſunt partes ſunt.

Noto 2. quòd biſariam partes ſumi poſſunt. Primò ut ſeparatæ inter ſe. Et hoc modo indubitatum eſt, totum diſtingui realiter negativè à partibus, quatenus prout ſic non habetur totum. Secundò ut unitæ. Et hoc modo adhuc dupliciter. Primò ſumendo unam ſeorſim ab alia, V.G. materiam ut unitam formæ, & formam ut unitam materiæ. Et hoc pacto certum eſt, totum diſtingui realiter diſtinctione includentis, & incluſi; quia totum includit formam, & etiam aliquid aliud nimirum materiam; & ſimiliter includit materiam, & etiam quid aliud, ſcilicet formam. Secundò collectivè materiam una cum forma. Et in hoc ſenſu difficultas procedit.

Ex quibus colligitur, non benè à nonnullis probari, quòd totum non diſtinguatur realiter à partibus ex eo, quòd poſſibilis non ſit diſtinctio realis includentis, & incluſi.

x. Hac lo re triplex eſt ſententia. Prima eſt Scoti, & diſcipulorum ejus, qui automant, totum diſtingui à partibus ſimul ſumptis, & unitis diſtinctione reali excludentis, & excluſi; ita quòd totom ſuperaddat ad partes tertiam entitatem. Ubi tamen Maſtrius perpetuus eſt io aſſerendo ex Scoto, totum includere partes.

Secunda eſt plurium Thomiſtarum veterum; & defendit, totum diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis diſtinctione duntaxat includentis, & incluſi. Undè hujos ſententiæ Patroni explicando quomodo totom à partibus differat; dicunt, ſe toto differre categorematicè; quia ex natura ſua non eſt entitas partium: non verò ſyncategorematicè; quia licèt non ex ſui entitate ſit entitas partium; tamen partes ſunt aliquid ejus. Ita ſentiunt Hervæus quodlibeto a. q 14. Joannes de Neapoli quodl. a. q 7. Cajet. Capreolus, Flandria, Javellus, Soncinas, Ferraſienſis, Ortiz, quos cum propriis eorum locis refert Cavinus. Hos ſecuti ſunt Conimbricenſes, & noviſſimè noſter Arnù, ac plerique ex Emin. Ferrari in autographo.

Tertia ſententia ſuſtinet, diſtingui ſola diſtinctione rationis ratiocinatæ penes explicitum: ad eum modum, quo diſtinguuntur definitio, & definitum. Hanc tuentur ferè communiter recentiores Thomiſtæ, ut Soto, Medina, Maſius, Complut. Jo: à S. Th. Lerma, Philippus à SS. Trinit. Goudin, Cavinus, & noviſſimè Guerinois. Iſtos ſequuntur ferè omnes ex Societate.

§. II.

CONCLUSIO.

Totum, non realiter, ſed duntaxat ratione ratiocinata diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis, & unitis.

3. Docetur à D. Th. 4 contra Gentes cap 81. ubi inquit: *De humanitate non eſt intelligendum, quòd ſit quædam forma conſurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quaſi realiter ſit alia, ab utraque; quia cùm per formam materia fiat hoc aliquid acta ut dicitur 2. de Anima tex 9. illa tertia forma conſequens non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis.*

Reſpondent Adverſarii, quòd S. Th. ibi negat inter compoſitum, & partes diſtinctionem realem duntaxat excludentis, & excluſi, non verò includentis, & incluſi. Sed

Contra. Eſtò principaliter ibi S. D. explodat ſolummodo diſtinctionem realem excludentis, & excluſi, quia ſalvam intendebat humanitatem non eſſe tertiam formam diſtinctam à materia, & forma ut comprincipium quoddam, juxta exigentiam argumenti, quod ſolvebat; Tamen ſimul, & ſemel excludit etiam quamcunque diſtinctionem includentis. Quod probo. Nam dicit S. Doctor, quòd *materia per formam fit hoc aliquid:* ergo materia per formam eſt hoc aliquid, nimirum compoſitum: ergo iſtud nullo modo eſt aliud ab ipſa forma, aliter dixiſſet quòd *ex materia per formam fit hoc aliquid.*

4. Prob 2. ratione D. Thomæ contra Scotum. Si humanitas V. G. eſſet tertia entitas realiter à materia, & forma diſtincta, eiſque ſuperaddita, jam humanitas non eſſet forma ſubſtantialis, benè verò accidentalis, ſed hoc eſt falſum: ergo & falſum eſt, quòd totum compoſitum, cujuſmodi eſt in Homine humanitas, quæ forma totalis dicitur Hominis, ſit tertia entitas diſtincta à materia, & forma unitis. Prob. maj. Quod advenit enti jam conſtituto in actu eſt forma accidentalis; ſed humanitas ſi eſſet tertia entitas diſtincta à materia, & forma unitis adveniret eis ut jam conſtitutis in actu: ergo &c. Maj. patet Tum ab inductione in quantitate, qualitate, actione, relatione &c. Tum ratione. Nam eatenus ex materia, & forma fit unum per ſe, quatenus materia comparatur ut potentia ad formam: ergo è contra quod advenit alteri jam conſtituto in actu, & non in potentia, faciet unum per accidens, eritque aliquid accidentale.

5. Prob. 3. Si extaret tertia illa entitas diſtincta à partibus ſimul ſumptis, & unitis haberetur proceſſus in infinitum; ſed hoc locum non habet: ergo compoſitum non diſtinguitur ut tertia entitas. Prob. maj. Etiam illud compoſitum uniretur cum partibus; ſed non eſt major ratio cur ex unione unius partis cum alia debeat reſultare tertia entitas, & non ex unione totius cum partibus alia quarta entitas: ergo ex toto, & partibus reſultaret alia quarta entitas; & iterum ex unione iſtius quartæ entitatis cum tertia entitate, & partibus alia quinta entitas; & ſic in infinitum: ergo fieret proceſſus in infinitum. Maj. eſt indubia. Nam illud totum non eſſet ſeparatum: ergo eſſet unitum.

6. Prob. modò excludendo diſtinctionem etiam includentis, & incluſi. Poſita ſola forma, & materia unitis pro priori ad reſultantiam alicujus totius compoſiti diſtincti habetur formaliter compoſitum: ergo totum compoſitum non diſtinguitur realiter à materia, & forma unitis. Prob. ant. Poſita ſola materia, & forma unitis abſque aliquo alio reſultante habetur formaliter compoſitio; ſed non ſtat compoſitio ſine re compoſita: ergo &c. Min. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd compoſitio eſt ratio formalis conſtitutiva compoſiti, ut compoſiti. Maj. verò prob. Tum quia habetur compoſitio partium. Tum quia poſita ſola materia, & forma unitis habetur unio; ſed unio eſt compoſitio: ergo &c. Maj. eſt patens. Habetur namque unio inter materiam, & formam. Min. etiam conſtat, & magis mox conſtabit.

Nec eſt verum id, quod Maſtrius inquit, nimirum, quòd poſita ſola materia, & forma unitis habeatur compoſitio duntaxat activa, non verò paſſiva. Non, inquam, hoc enim eſt falſiſſimum, quia eo modo eſt compoſitio, quo modo eſt unio; ſed poſita ſola materia, & forma unitis habetur unio, non tantùm activa, verùm etiam paſſiva: ergo habetur compoſitio etiam paſſiva. Min. conſtat, Tum quia unio activa eſt actio agentis unientis, ut patet ex dictis art. præcedenti §. 1. Tum quia eſſe unitum importat unionem paſſivam, ſicut è contra eſſe uniens, ſeu unire importat unionem activam; ergo &c.

Dices cum aliis, quòd poſita ſola materia, & forma unitis habetur *compoſitio ex his*, non verò *compoſitio cum his*, quæ eſt propria totius, quod ex partibus componitur. Sed

Contra primò. Duplex hujuſcemodi compoſitio *cum his*, & compoſitio *ex his* eſt omnino incompoſſibilis in eodem compoſito: ergo non extat. Ant. oſtendo. Impoſſibile omnino eſt, quòd ſimul ſint duo compoſita; ſed ſi extaret dicta duplex compoſitio, extarent duo compoſita: ergo &c. Maj. eniteſcit, ſecùs non unum tantùm, ſed duplex eſſet compoſitum. Min. verò prob. Compoſitio eſt ratio formalis conſtitutiva compoſiti: ergo quot ſunt compoſitiones, tot ſunt compoſita; ergo ſi duæ eſſent compoſitiones, duo quoque eſſent compoſita. Ant. liquet tum ex terminis: Tum à pari. Siquidem unitas eſt ratio formalis conſtitutiva unius; identitas eſt ratio formalis conſtituendi idem &c. ergo pariter compoſitio eſt ratio formalis conſtitutiva compoſiti.

Secundò. Si compoſitum diſtingueretur realiter à partibus quacunque diſtinctione, componeret cum illis compoſitione *cum his*: ergo nulla reſponſio. Ant. oſtendo ſic. Uniretur cum illis unione *cum his*, ſed unio cum his eſt compoſitio cum his: ergo &c Min patet, quia compoſitio eſt ſimul poſitio; ſed *ſimul poſitio*, ſive *unius cum alio poſitio* eſt unio: ergo eo modo, quo eſt compoſitio eſt unio: ergo ſi eſſet unio cum his, eſſet compoſitio cum his. Maj. prob. Eſſe unitum cum alio (ut ex terminis eniteſcit) eſt illi eſſe unitum unione cum his; ſed compoſitum ſic diſtinctum eſſet unitum cum partibus: ergo eſſet eis unitum unione *cum his*. Min. quam pars adverſa negat, prob. Non eſſet ſeparatum: ergo eſſet unitum. Ant. eſt certum. Conſequentia prob. Quemadmodum ſeparatio opponitur unioni, ita diſtinctio identitati; ſed quod non eſt ab alio diſtinctum eſt cum illo identificatum: ergo pariter, quod non eſt ab alio ſeparatum, eſt illi unitum; adeoque totum ſi non eſſet ſeparatum à partibus, eſſet cum eis unitum. Quod etiam indigitavi in Logica Syntag 4 q. 4. art. 4. §. 3. ſub n. 54. ad 2. inſt. tertii argumenti.

Ex quo etiam eluceſcit, quòd ſecunda ratio adducta num. præcedenti 5. contra Scotum urget quoque contra Noſtrates, nimirum, quòd etiam ex unione totius cum partibus reſultaret quarta entitas, & ſic in infinitum.

7. Prob. ulteriùs. Totum eſt effectus materiæ, & formæ unitarum; ſed effectus iſtarum non diſtinguitur realiter ab eis: ergo totum compoſitum non diſtinguitur realiter à materia, & forma unitis. Maj. eſt nota. Min. prob. Cauſa intrinſeca non diſtinguitur realiter à ſuo effectu; ſed materia, & forma unitæ ſunt cauſæ intrinſecæ totius: ergo &c. Maj. prob. ad hominem contra Noſtrates nobis adverſantes. Licèt cauſa extrinſeca diſtinguatur realiter à ſui cauſalitate, & virtute proximè operativa; tamen hoc peculiare habet cauſa intrinſeca, quòd non diſtinguitur realiter à ſui ultima actua-

actualitate in ſententia plurium negantium nobiſcum unionem realiter diſtinctam inter materiam, & formam: & omnium in ſententia non diſtinguitur realiter à ſui virtute proximè operativa: ergo pariter hoc peculiare habere poterit, quòd non diſtinguatur realiter à ſuo effectu.

Conf. 1. Nemine inficias eunte, quòd effectus formalis primarius formæ non diſtinguitur realiter à forma, eſtque ipſa forma communicata, V. G. conſtituere formaliter animatum nil aliud eſt, quàm Animam eſſe corpori communicatam; ſed compoſitum eſt effectus formalis formæ ut unitæ, & communicatæ: ergo prout ſic realiter ab ipſa non diſtinguitur.

Nec dicere juvat, ut dictitare nonnulli ex adverſo conſueverunt, quòd licèt effectus formalis formæ *qui* communicatur, non diſtinguatur realiter à forma; benè verò effectus formalis *cui*, nimirum id, cui communicatur, quod eſt compoſitum. Non, inquam juvat, quia id, cui effectus formæ communicatur non dicitur effectus formalis: ergo data reſponſio non eſt ad rem. Tum quia falſum eſt, quòd compoſitum ſit id, cui effectus formæ communicatur, cùm hoc ſit ipſa materia: ergo compoſitum erit effectus *qui*.

Nec iterùm cum iiſdem dicere valet, quòd licèt effectus formalis *quo* non diſtinguatur realiter à forma, benè verò effectus *qui* communicatur.

Non, inquam, Tum quia forma ipſa eſt id *quod*, & non tantùm id, *quo* communicatur materiæ; & tamen forma non diſtinguitur realiter à ſe ipſa ut communicata: ergo non ſolùm effectus formalis *quo*, verùm etiam effectus formalis *qui*, ſeu id, quod communicatur, identificatur realiter cum forma.

Addo, quòd ideò Adverſarii dicunt, totum diſtingui realiter à partibus, quia eſt effectus earum; & quia omnis cauſa realiter diſtinguitur à ſuo effectu. Tum ſic: Effectus formalis *qui* à forma communicatus eſt verè illius effectus formalis; & tamen realiter ab illa non diſtinguitur: ergo ruit eorum fundamentum.

Conf. 2. Conſtitutivum non diſtinguitur realiter à conſtituto; ſed partes ut unitæ ſunt conſtitutivum totius compoſiti, non tantùm cauſaliter (ut prætendit pars adverſa) verùm etiam formaliter; quia non eſt aliud excogitabile, per quod formaliter, & in recto conſtituatur: ergo totum compoſitum, non diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis.

8. Addo demum, quòd totum debet magis diſtingui à partibus diviſim, ſeorſim nimirum ſumptis, quàm ab eis collectivè acceptis; ſed à partibus ſeorſim ſumptis diſtinguitur diſtinctione reali duntaxat includentis, & incluſi, ut patet ex dictis §. 1. in ſecundo notabili: ergo à partibus collectivè ſpectatis, non diſtinguetur diſtinctione reali, nec etiam includentis, & incluſi.

§. III.

Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.

9. ARg. 1. Cauſa realis realiter à ſuo effectu diſtinguitur; ſed materia, & forma unitæ ſunt cauſa realis totius: ergo totum realiter diſtinguuntur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis. Min. eſt certa. Maj. prob. ex definitione cauſæ, quæ definitur, quòd ſit *principium influens eſſe in aliud*: ergo eo modo, quo eſt cauſa influit in aliud: ergo cauſa realis influit in realiter aliud, ſeu realiter aliud, ſive aliud alietate reali.

Miſſis pluribus reſponſis, quæ videri poſſunt refutatæ apud Cavinum.

Reſp. cum Soto diſt. maj. cauſa realis extrinſeca, concedo, cauſa realis intrinſeca, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Sicut namque diximus §. præcedenti a. num. 7. quòd cauſa intrinſeca hoc peculiare habet, quòd eſt ſibi identificare ſuam cauſalitatem, & virtutem proximè operativam, quia cauſat per communicationem ſuæ entitatis; quod non habet cauſa extrinſeca propter oppoſitam rationem: ita propter eandem rationem hoc peculiare habere poterit, quòd non diſtinguatur à ſuo effectu. Imò omnes fatentur, quòd effectus formalis formæ non diſtinguitur realiter à forma, ſed eſt ipſamet forma communicata.

Contra primò inſtat ſæpè laudatus ille in m. ſ. infra lib. 2. q. 2. art. 2. de cauſis: Illa definitio, nimirum, quòd cauſa eſt *principium influens eſſe in aliud*, non minùs intrinſecæ quàm extrinſecæ cauſæ competit: ergo non minùs una, quàm alia debet realiter à ſuo effectu diſtingui. Ant. prob. Illa definitio traditur de cauſa ut ſic.

Secundò. Licèt cauſet per propriam entitatem, non tamen propriam cauſat cauſalitate etiam purè cōſtitutiva, cùm ſit jam cauſata, & conſtitutura per propria prædicata; ergo &c.

Conf. ex eodem. D. Th. infra 2. Phyſ. lect. 10. definit cauſam, quòd ſit *illa, undè ſequitur aliud*. Nec D. Th. loquitur de cauſa duntaxat extrinſeca, ſed de omni etiam intrinſeca; cùm ſtatim poſt traditam definitionem immediatè probet, cauſam dividi in quatuor genera.

Reſp. diſt. ant. non minùs intrinſecæ, quàm extrinſecæ cauſæ competit, loquendo de cauſa intrinſeca informativa, vel receptiva, concedo, purè conſtitutiva, nego ant. & conſequentiam. Dupliciter itaque cauſa intrinſeca ſumi poteſt. Uno modo prout eſt purè receptiva, ſicut eſt materia reſpectu formæ; vel ut eſt purè informativa, ſicut eſt forma reſpectu materiæ. Alio modo ſumi poteſt conſtitutivè, quatenus nimirum ſunt conſtitutivæ totius; ſicut eſt materia, & forma reſpectu compoſiti. Non enim materia eſt receptiva compoſiti, nec forma eſt informativa compoſiti, ſed ſunt illius conſtitutivum. Data igitur definitio convenit cauſæ, non ſolùm extrinſecæ, verùm etiam intrinſecæ, accepta tamen cauſa intrinſeca primo, non ſecundo modo.

Nec obſtat, quòd etiam cauſa conſtitutiva intrinſeca habeat influere in ſuum effectum. Non, inquam. Nam influit influxu, non effectivo, finalizativo, receptivo, aut informativo, ſed purè conſtitutivo, ad quem non requiritur realiter diſtinctio.

Per quod patet ad Conſ. Nam S. Th. loquitur quidem de cauſa cùm extrinſeca, tùm intrinſeca; tamen accepta cauſa intrinſeca primo, non ſecundo modo.

Ad id verò, quòd ſubdebatur, nimirum dictam definitionem tradi de cauſa ut ſic reſpondeo verum eſſe. At ex hoc duntaxat, ſequitur quòd conveniat omni cauſæ; non tamen ſecundùm omnia, quæ cauſa habet. Undè convenit quidem cauſæ etiam intrinſecæ; tamen iſti convenit duntaxat ut eſt receptiva, aut informativa, non verò ut eſt conſtitutiva.

Ad 2. Reſp. nego ant. loquendo de conſtitutione activa. Ad prob. annexam diſt. ant. ſupponitur conſtituta, & cauſata ſeorſim inſpecta, concedo, collectivè inſpecta, nego. Hoc enim ſecundo modo conſtituit ſeipſam ſuamque entitatem conſtitutione activa, qua conſtituit totum.

Neque intereſt, quòd etiam forma ſit conſtitutiva materiæ. Non, inquam, quoniam eſt conſtitutiva materiæ, non in ratione materiæ, ſed duntaxat in eſſe totius; quia forma cum materia conſtituit totum.

Contra. Unaquæque cauſa realis eſt ſuo effectu prior; ſed nihil eſt ſeipſo prius: ergo omnis cauſa ſive intrinſeca, ſive extrinſeca realiter debet à ſuo effectu diſtingui. Maj. eſt certa, & docetur à D. Th. q. 28. de veritate art. 7. in corp. ubi, inquit, quòd in quolibet cauſæ genere cauſa eſt cauſato prior.

Reſp. eodem modo (ultra reſponſa Cavini, & aliorum) diſt. ant. omnis cauſa realis extrinſeca, concedo, intrinſeca, ſubdiſtinguo: unaquæque cauſa intrinſeca receptiva, vel informativa, concedo, purè conſtitutiva, nego ant. & conſequentiam. Reſponſio ex dictis eluceſcit. Nam ratio conſtitutiva ut talis nullo pacto eſt prior conſtituto. Undè quemadmodum animal rationale, quod eſt conſtitutivum metaphyſicum Hominis nullatenus etiam ſecundùm rationem ratiocinatam eſt Homine prius: ita neque materia, & forma, quæ ſunt conſtitutivum phyſicum compoſiti ſunt realiter compoſito priores.

Contra. Inter cauſam intrinſecam etiam conſtitutivam, & effectum debet extare realis diſtinctio: ergo &c. Prob. ant. Nihil poteſt realiter dependere à ſe ipſo; ſed omnis effectus realis dependet à ſua cauſa, quæcunque illa ſit etiam conſtitutiva; ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. ut ſupra nihil poteſt realiter dependere à ſe ipſo dependentia conſtitutiva, nego, dependentia effectiva finalizativa, ſubjectiva, aut informativa, concedo maj. & diſtincta min nego conſequentiam. Sicut namque diximus, quòd dupliciter ſumi poteſt, cauſa intrinſeca, nimirum uno modo receptivè, & informativè: alio verò modo conſtitutivè; Sic etiam dupliciter ſumi poteſt dependentia. Undè quemadmodum cauſa intrinſeca ſecundo modo inſpecta non petit realem diſtinctionem à ſuo effectu: ita nec dependentia ſecundo modo

inſpe-

inſpecta petit realem diſtinctionem inter dependens, & id à quo eſt dependens, ſeu inter ea, inter quæ verſatur dependentia.

Contra. Si ſemel poſſet extare cauſa aliqua realis, quæ non eſſet diſtincta, eo quia cauſet per communicationem ſuæ entitatis, ſequeretur, quòd poſſet admitti in Divinis vera cauſæ realis ratio; ſed hoc eſt falſum (in Divinis enim nulla admittitur ratio cauſæ realis propriè dictæ, ſed pura ratio originis) ergo dicendum eſt, quòd omnis cauſa realis etiam intrinſeca realiter à ſuo effectu diſtinguitur. Maj. prob. Ideo namque negatur ratio cauſæ in Divinis, quia inter cauſam, & effectum debet extare diſtinctio realis in natura; Pater autem non diſtinguitur realiter à Filio, nec Pater, & Filius à Spiritu Sancto in Natura, licèt diſtinguantur in Perſonis: ergo ſi ſemel poſſibilis foret &c.

Reſp. nego ſequelam. Ad prob. diſt. antecedentis cauſalem, quia inter cauſam extrinſecam, & effectum realem debet extare diſtinctio realis, concedo; quia inter quamcunque cauſam etiam intrinſecam, & effectum realem debeat extare diſtinctio realis, nego ant. & conſeq. Ideo namque in Divinis negatur omnis cauſa realis ad intra, quia ſi locum aliquem cauſa realis ibi haberet, non alia certè, niſi cauſa extrinſeca admitti poſſet, eò quòd cauſa intrinſeca imperfectiſſimum habet operandi modum, qui à Deo profligandus eſt. Inter cauſam autem extrinſecam, & effectum (ut perpetuò diximus) debet extare diſtinctio realis, & dependentia realis propria effectus cauſæ extrinſecæ.

Si dicas. Ideo Cauſa intrinſeca habet imperfectum operandi modum, & rationem cauſæ imperfectiſſimæ, quia habet agere per communicationem ſuæ entitatis; ſed etiam Pater Filio, ſicut & Filius, ac Pater Spiritui Sancto communicat ſuam entitatem, & naturam: ergo talis imperfectio etiam in Divinis extaret.

Reſp. ex dictis art. præcedenti §. 3. ad inſtantias contra reſponſionem datam ad 1. arg. ſub num. 9. ideo habere imperfectiſſimum operandi modum, quia habet agere per communicationem propriæ entitatis compoſitivè per modum partis, ſive tanquam pars cum alia comparta. Hoc autem locum in Divinis non habet.

Infertur ex dictis, quòd non benè quidam abſolutè negant, cauſam, etiam extrinſecam realiter diſtingui debere à ſuo effectu; cùm optimè id probet allatum argumentum. Et minùs benè loquitur Arriaga aſſerens, quòd una res ab alio producta poteſt per aliam actionem ſecundò producere ſe ipſam. Immò videbimus lib. 1. de Generatione, & Corruptione quæſt. 7 art. 1. quòd nullum agens poteſt agere in ſibi ſimile; multò minùs ergo in ſeipſum; cum unumquodque ſit idem, & non ſolùm ſimile ſibi ipſi. Et multò pejùs diſcurrit P. Franciſcus Bonæ ſpei, dicens, quòd una res poſſit primò ſe ipſam producere. De quo iterum infra lib. 7. quæſt. 1. art. 1.

10. Arg. 2. ex ſæpe laudato in m. ſ. Totum phyſicum ſubſtantiale non eſt realiter ſuæ partes unitæ: ergo realiter ab illis diſtinguitur. Prob. ant. Totum phyſicum ſubſtantiale eſt realiter ſimpliciter unum per ſe, partes verò unitæ ſunt plura realiter entia, ſed unum non eſt realiter plura; quia unitas multitudini opponitur: ergo totum non eſt realiter ſuæ partes unitæ. Maj. quò ad utramque partem conſtat. Totum enim phyſicum ſubſtantiale eſt ens completum, & unum completum; ſed ens completum eſt ſimpliciter ens, & unum completum per ſe, & ſimpliciter unum: ergo &c. Min. verò prob. Unio eſt plurium: ergo partes unitæ ſunt plura.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo maj. eſt realiter ſimpliciter unum per ſe unitate, & perſeitate compoſitionis, concedo, unitate, & perſeitate ſimplicitatis, nego maj. & & omiſſa min. nego conſequentiam. Totum igitur compoſitum eſt equidem unum per ſe, & ens per ſe; tamen eſt ens per ſe, & unum per ſe, non ſimplex, ſed compoſitum. Omne autem compoſitum dicit in ſuo conceptu multiplicitatem aliquam. Undè retorquetur argumentum.

Contra ex eodem primò. Partes unitæ ſunt plura ſaltem partialia, & incompleta, quia unio eſt plurium; ſed compoſitum nullo modo eſt plura etiam incompleta: ergo compoſitum non eſt realiter ſuæ partes unitæ. Min. prob. Si totum eſſet plura etiam incompleta non eſſet ſimpliciter unum per ſe: ergo non eſt plura, nec etiam incompleta. Prob. ant. Sicut ſimplex dicitur, quod non eſt ex pluribus compoſitum, ita unum dicitur id, quod non eſt plura; ſed totum quia reſultat ex pluribus incompletis non eſt ſimpliciter ſimplex: ergo pariter ſi eſſet plura etiam incompleta non eſſet ſimpliciter unum.

Secundò. Totum ſubſtantiale eſt unum per ſe ſimpliciter omnibus modis; ſed partes unitæ non poſſunt eſſe unum ſimpliciter, & modis omnibus: ergo partes unitæ non ſunt realiter totum. Min. patet, quia ſicuti quæ ſunt plura, taliter quòd ſint quodammodo unum non ſunt plura ſimpliciter, & omnibus modis, ut Petrus, & Paulus, qui plures numero ſunt, & unum ſpecie: ita quæ ſunt quodammodo plura entia incompleta non ſunt ſimpliciter, & omnibus modis unum. Maj. verò prob. Sicut ens dicitur per ordinem ad eſſe, ſeu ad exiſtentiam, ita unum ens per ordinem ad unum eſſe; & unum ſimpliciter, ac omnibus modis per ordinem ad unum ſimpliciter, & omnibus modis eſſe. Sed eſſe compoſiti phyſici ſubſtantialis eſt ſimpliciter, & omnibus modis unum eſſe, ſeu una exiſtentia, ita ut nullatenus ſit plura entia incompleta; ergo totum phyſicum cui per ſe primò convenit eſſe eſt unum per ſe ſimpliciter, & omnibus modis.

Reſp. ad 1. nego min. Ad prob. diſtinguo maj. non eſſet ſimpliciter unum ens per ſe unitate ſimplicitatis, concedo, unitate compoſitionis, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Reſponſio patet ex dictis.

Ad 2. primitùs nego maj. ſi per iy *omnibus modis* intendat excludere pluralitatem etiam partialem. Ad probationem diſtinguo min. eſſe compoſiti phyſici ſubſtantialis eſt ſimpliciter, & omnibus modis unum formaliter, concedo, virtualiter nego min. & conſequentiam. Eſſe enim, ſeu exiſtentia totius compoſiti licèt gaudeat omnimoda unitate formali, habet tamen quandam multiplicitatem virtualem; ſicut ſupra quæſt. 2. hujus primi libri art. 3. §. 3. ad ult. arg. dicebamus, quòd habet compoſitionem virtualem, licèt non formalem; aliter ſequeretur, quòd partes, quæ ſunt plura non poſſent exiſtere per exiſtentiam totius compoſiti; Quod cum univerſis Thomiſtis pugnat.

11. Arg. 3. ex eodem. Totum phyſicum diſtinguitur realiter, ut res à re, ſeu (quod idem eſt) à rebus, à partibus ſeparatis; ſed partes unitæ non diſtinguuntur realiter ut res à re à ſe ipſis ut ſeparatis: ergo partes unitæ non ſunt realiter idem, quod totum, ſed ab eo realiter diſtinguuntur. Min. videtur certa, quia partes ut unitæ diſtinguuntur à ſeipſis ſeparatis ratione duntaxat unionis, quæ ad ſummum eſt modus quidam, immò neque eſt modus ſuperadditus in noſtra ſententia; adeoque ad ſummum realiter modaliter debet diſtingui, vel tantùm virtualiter. Maj. verò prob. Dum generatur, vel moritur de novo producitur, vel corrumpitur aliqua res, quæ in noſtra ſententia eſt totum, ut dicebamus art. præcedenti; ſed non producuntur, vel corrumpuntur entitates, ſeu res partium; quia iſtæ ſunt ingenerabiles, & incorruptibiles; ergo entitas totius eſt alia res ab entitate partium ſeparatarum, adeoque ab illis diſtinguitur ut res à re.

Conſ. primò. Plura conveniunt toti, quæ non conveniunt partibus: ergo totum non eſt ſuæ partes. Ant. conſtat eſſe namque ſubjectum accidentium, principium dimanationis proprietatum, & eſſe principium activum, & operativum, ac ſimilia conveniunt toti, & non partibus; ergo &c.

Secundò. Sicut ſe habet compoſitum rationis ad partes rationis, ita compoſitum reale ad partes reales; ſed compoſitum rationis diſtinguitur ratione à ſuis partibus unitis: ergo pariter compoſitum reale diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis. Min. eſt certa. Conſtat namque, quòd ſpecies, quæ eſt totum compoſitum rationis diſtinguitur ratione à genere, & differentia.

Tertiò. Inter relativum, & terminum verſatur diſtinctio realis; ſed totum dicit relationem realem ad ſuas partes: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego maj. Ad prob. diſt. maj. de novo corrumpitur, vel producitur aliqua res corruptione purè ſeparativa, & generatione, ſive productione unitiva, concedo, entitativa, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Diximus namque art. præcedenti §. 3. num. 11. ad 3. arg. quòd generatio Hominis eſt generatio, & productio purè unitiva, non verò entitativa. Verum eſt autem, quòd corrumpitur aliqua entitas, nimirum entitas totius; ſed tamen hæc entitas corrumpitur non entitativè, ſed ſeparativè; quia per ſeparationem partium deſinit tota entitas totius.

Reſp. 2. diſt. maj. diſtinguitur negativè, concedo, poſ-
tivè,

tivè, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Totum igitur non diſtinguitur poſitivè, ut res à re, à partibus ſeparatis, ſed duntaxat negativè, quatenus ſeparatis partibus non ampliùs habetur totum.

Ad 1. Conſ. diſt. ant. quæ non conveniunt partibus ſeorſim ſumptis, concedo, collectivè ſumptis, nego ant. & conſequentiam. Dico, quòd quemadmodum diximus, partes ſimul collectivè ſumptas eſſe ipſum totum: ita dicimus, prout ſic acceptas eſſe ſubjectum accidentium, proprietatum &c. licèt hoc nulli parti ſeorſim competat.

Ad 2. Conſ diſt. maj. ly *ſicut* cadente ſupra partes comparatas inter ſe, concedo, comparatas ad totum, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Paritas igitur de toto compoſito rationis currit duntaxat de partibus comparatis inter ſe; quia ſicut partes compoſiti rationis componunt per rationem, ita partes compoſiti realis componunt realiter. Undè ſicut illæ diſtinguuntur per rationem, ita iſtæ diſtinguuntur realiter. Non autem valet de partibus comparatis ad totum, ita, quòd ſicut partes compoſiti rationis diſtinguuntur à toto per rationem, ita partes compoſiti realis diſtinguantur realiter à toto. Ratio eſt, quia partes metaphyſicæ licèt ſolùm per rationem componant, quoniam duntaxat per rationem diſtinguuntur, tamen conſtituunt totum, non per ſolam rationem, ſed realiter, eſtò in eſſe metaphyſico tantùm. Patet enim, quòd animal rationale conſtituit realiter eſſentiam metaphyſicam Hominis, & non per rationem duntaxat. Undè quantum ad hoc eodem modo ſe habent, ac partes totius phyſici, adeoque ſicut partes totius metaphyſici diſtinguuntur à toto ſolummodo per rationem, ita partes totius phyſici. Undè retorquetur argumentum.

Ad 3. diſtinguo maj. Inter relativum prædicamentale, & terminum verſatur diſtinctio realis, concedo, inter relativum tranſcendentale, & terminum verſatur diſtinctio realis, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Totum itaque refertur ad ſuas partes ſimul ſumptas, & unitas relatione duntaxat tranſcendentali, quæ non petit diſtinctionem realem inter relativum, & terminum. Patet namque, quòd partes ut unitæ referuntur ad ſeipſas ut ſeparatas; & tamen quia referuntur relatione duntaxat tranſcendentali, non diſtinguuntur realiter à ſe ipſis ut ſeparatis. De hoc mentionem iterum faciemus in Meth. q. 10. art. 2. §. 3. n. 57. ad 50. arg.

12. Arg. 4. Authoritate Philoſophi 5. Metaphyſicæ cap. 24. ubi, *ſex*, inquit, *non ſunt bis tria, ſed ſemel ſex*, & lib. 7. cap. 17. docet, ſyllabam *Ba* non eſſe *B* & *A*. Et lib. 8. cap. 6. tex. 55. afferit, totum eſſe aliquid præter partes. Idem habetur ex D. Thoma in 3. diſt. 2. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncula 1. & alibi, ubi docet, quòd ex corpore, & Anima dicitur eſſe Homo, ſicut ex duabus rebus quædam tertia res conſtituta: ergo de mente Philoſophi, & D. Thomæ totum diſtinguitur realiter à ſuis partibus.

Reſp. paucis verbis ad omnes, quòd tam Ariſtoteles, quàm D. Th. in omnibus locis illis, & aliis loquuntur de partibus ſeorſim ſumptis; quo pacto nemo noſtrum infieiatur, diſtingui realiter à partibus; ſed dicimus, partes collectivè acceptas non diſtingui realiter ab ipſo toto.

13. Arg. 5. & ultimò. Si totum non diſtingueretur realiter à partibus unitis, iſtæ poſſent in recto de toto prædicari, dicendo, quòd totum eſt ſuæ partes; ſed hoc eſt contra communem loquendi modum Scholaſticorum, & D. Thomæ dicentis, quòd totum eſt ex partibus: ergo totum diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis.

Si reſpondeas, quòd non poſſunt in recto prædicari, quia ad hoc requireretur, quòd neque per rationem diſtinguerentur à toto.

Contra eſt. Nam etiam definitio diſtinguitur per rationem à definito; & tamen in recto de illo prædicatur. Aliter igitur

Reſp. quòd poſſunt prædicari tam in recto, quàm in obliquo. Et hoc eſt proprium cauſæ intrinſecæ conſtitutivæ: Prædicantur enim in recto, quatenus ſunt in recto illud; & prædicantur etiam in obliquo, quatenus exercent quandam cauſalitatem, licèt ſolùm intrinſecam conſtitutivam.

Neque hoc eſt inconveniens. Non, inquam. Patet ſiquidem hoc in compoſito metaphyſico, V. G. Homine, de quo prædicantur in recto partes ejus metaphyſicæ, dicendo, quòd Homo eſt animal rationale, & etiam in obliquo, dicendo, quòd Homo conſtituitur ex Animali, & rationali.

14. Ex dictis colligitur, quòd partes eſtò ſint entia quædam incompleta, tamen ſimul ſumptæ, & unitæ conſtituunt naturam unam completam, quæ habet unitatem, non quidem ſimplicitatis (ut eſt totum ſimplex) ſed compoſitionis. Quæ unitas compoſitionis dicit plura coaleſcentia in unum.

QUÆSTIO QUINTA.

De Exiſtentia.

QUamquam de Exiſtentia pertractare Metaphyſicorum ſit, tamen ſicut quia plura logicalia ſunt, quæ non plenè percipi poſſunt abſque aliquibus metaphyſicalibus; idcircò de nonnullis metaphyſicalibus ut de analogia, & de diſtinctionibus ſermonem in Logica habuimus: Ita quia plura ſunt philoſophica, quæ ſine aliquibus metaphyſicalibus percipi plenè non valent; ideo de aliquibus metaphyſicalibus in Philoſophia ſermonem inſtituere; & præſertim de exiſtentia expedit; quia juvat ad percipienda ea, quæ diximus de materia prima, puta quòd non habeat propriam partialem exiſtentiam, quòd nequeat abſque forma exiſtere &c. Et quidem poſt quæſtionem de toto, quia exiſtentia conſequitur ad totum; Ob idque non infrequenter diximus, quòd ſolùm totum exiſtit per ſe primò, & quòd partes de ſecundariò, duntaxat per eandem exiſtentiam totius exiſtunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Num in rebus creatis Eſſentia diſtinguatur realiter ab Exiſtentia, & quomodo.

§. I.

1. DIxi *in rebus creatis* quia in Deo exploratum eſt, non diſtingui. Ob idque tota difficultas eſt in creaturis. Pro cujus reſolutione

Recolendum eſt quòd in hoc 2. Phyſ. diximus quæſt. 2. art. 3. §. 1. num. 1. nimirum, quòd nomine Exiſtentiæ venit id, quo res conſtituitur extra ſtatum poſſibilitatis, & ponitur extra ſuas cauſas. Ea de re etymologicè conſuevit exiſtentia appellari *extra cauſas, vel extra nihilum ſiſtentia*, in qua nominis etymologia Univerſi conſentiunt.

Quænam autem ſit ejus definitio. Dico, definiri à Noſtris in Metaphyſicis ſic, *eſt ultima actualitas, ſeu ultimus terminus eſſentiæ in linea entis*. In qua tamen definitione non omnes convenire videntur: quia Exteri cùm admittant tam exiſtentias, quàm ſubſiſtentias partiales & totales, diverſas definitiones coguntur dare pro partialibus, ac pro totalibus. Undè ut, pro dando loco diſputationi, aliquid haberetur ab omnibus admiſſum, poſuimus præcedentem doctrinam cum etymologia illa.

2. Tres ſunt ſententiæ in hac Decertatione. Prima admittit ſolam diſtinctionem rationis inter eſſentiam & exiſtentiam volens quòd exiſtentia nihil aliud ſit, quàm ipſa duratio, & perduratio rei in eſſe. Hujus ſententiæ Patroni ſunt inter ſe diviſi. Quidam enim admittunt ſolam diſtinctionem rationis ratiocinantis, ut Arriaga, Oviedo, Gregorius Ariminenſis, & alii. Quidam admittunt diſtinctionem virtualem, ut Suarez, & alii, quos aliqui ſequuntur Scotiſtæ, ut Poncius.

Secunda eſt aliorum Scotiſtarum, qui adſtruunt diſtinctionem formalem. Sed quia non exactè explicant qualis ſit hujuſmodi diſtinctio, ideo Suarez eos ſuam in ſententiam trahere nititur.

Tertia defendit diſtinctionem realem. Hanc ſuſtinent omnes Thomiſtæ, qui ſoli ſatis eſſent ad oſtendendos mendaces ſimul & audaces Recentiores nonnullos, qui non verentur eam appellare modò improbabilem, modo chimæricam. Nihilominùs ultra Thomiſtas eam amplexati ſunt antiquiores Scholaſtici, ut D. Bonaventura, Ægidius, Richardus, & aliqui inſignes ex Societate, ut Conimbricenſes, Fonſeca, Molina, Maziotta, Maurus, qui teſtatur, eſſe inſigniorum Peripateticorum, & meritò; quia ita etiam ſenſit Boetius 4. de hebdomadibus, Avicenna, & alii, quos videre eſt apud Capreolum diſt. 8. q. 1.

Eſt tamen aliqua diſcrepantia inter Thomiſtas, ſed parvi momenti; quia aliqui volunt diſtingui diſtinctione reali ſolùm modali, ut Zuechi ſub finem hujus q. art. 5. ſub finem;

& noviſſimè P. Guerinois in Metaphyſica in fine illius articuli citans Sotum, & Mailbatum. Alii autem cum Jo: à S. Th. tenent, diſtingui diſtinctione reali entitativa, ſeu ut rem à re. Demum Mag. Cavinus in tract. de Mundo, ubi hanc pertractat difficultatem, diſtinguit, quòd exiſtentia ſi ſit exiſtentia alicujus, quod ſit modus, eſt & ipſa modus; ſi verò ſit exiſtentia alicujus quod ſit res, eſt & ipſa res.

§. II.

CONCLUSIO PRIMA.

Eſsentia actualis in rebus creatis diſtinguitur realiter ab Exiſtentia actuali.

3. Docetur ab Ariſt. 2. Poſt. tex. dicente *eſse verò nullius rei eſt*, ut puta ſubſtantia, ſeu eſſentia, ut conſtat ex contextu ibi.

Docetur etiam à D. Th. non ſolùm opuſc. 48. tract. de ſubſtantia cap. 2. poſt medium, ubi: *eſse eſsentiæ*, inquit, *& eſse actualis exiſtentiæ differunt realiter ut duæ diverſæ res* (de quo dubium eſt, an ſit D. Thomæ) Verùm etiam innumeris aliis in locis ſuorum operum, præcipuè 1. contra Gentes cap. 22. & 2. contra G. cap. 52. & quodl. 3. q. 8. art. 2. p. p. q. 7. art. 1. quibus in locis perpetuus eſt in aſserendo, quòd *in creaturis aliud eſt eſsentia, aliud exiſtentia; quòd eſsentia recipit exiſtentiam, & quòd cum illa componit*.

Non deſunt qui conentur extorquere litteram Sancti Doctoris, quorum extorſiones videri poſſunt refutatæ apud noſtrum Zuchi in Metaphyſica. Non enim opus eſt multum fatigari (inquit Martinez) ad convincendum noſtram concluſionem eſſe de mente D. Th. cùm per quadringentos annos, & ultra ſit ita à ſuis diſcipulis intellectus, & ab adverſariis oppugnatus.

Duæ autem ſunt præcipuæ D. Thomæ ratiocinationes. Una ex capite contingentiæ, & alia ex capite limitationis ipſius creaturæ.

4. Prob. 1. ratione petita ex D. Th. locis citatis ſic. Omnia creatura abſolutè accepta contingenter exiſtit ita quòd poteſt exiſtere, & non exiſtere; ſed ſi exiſtentia non diſtingueretur realiter ab eſſentia creaturæ, jam ipſa creatura neceſſariò, & non contingenter exiſteret, ita quòd nec poſſet à Deo fieri, quòd non exiſteret, adeoque à Deo deſtrui non poſſet: ergo dicendum eſt, quòd exiſtentia in rebus creatis realiter ab eſſentia diſtinguatur. Maj. manifeſta eſt. Siquidem creatura licèt ſumpta reduplicativè ut exiſtens neceſſariò exiſtat, tamen ſi abſolutè, ſeu ſpecificativè ſumatur exiſtit contingenter, eſtque in Dei arbitrio eam, vel conſervare vel convellere: ſicut paries licèt ſumptus reduplicativè ut albus ſit neceſſariò albus, tamen abſolutè, ſeu ſpecificativè acceptus eſt contingenter albus. Min. autem prob. Quod eſt eſſentialiter, ſeu per eſſentiam tale, eſt neceſſariò tale, ſicut Homo, quia eſt eſſentialiter, ſeu per eſſentiam rationalis, eſt neceſſariò rationalis; ſed ſi exiſtentia in rebus creatis non diſtingueretur realiter ab eſſentia, jam creatura eſſet eſſentialiter, ſeu per eſſentiam realiter exiſtens: ergo neceſſariò exiſteret. Prob. min. Si exiſtentia non diſtingueretur realiter ab eſſentia, jam eſsentia & exiſtentia eſſet unum & idem realiter; ſed hoc ipſo quòd eſſentia & exiſtentia ſunt unum & idem verificatur, quòd exiſtat realiter per eſſentiam, ſeu eſſentialiter: ergo &c. Prob. Min. Unumquodque exiſtit per exiſtentiam; ſed exiſtentia eſſet realiter ipſa eſſentia: ergo &c.

Reſpondebat mihi hoc ad ratiocinium Neotericus quidam publico diſputatorio in congreſſu negando min. Ad prob. dicebat, quòd id, quod eſt per ſuam eſsentiam tale eſt neceſſariò tale, quando exiſtit & hypotheticè, ſcilicet ſi exiſtit, & ſic Homo quia eſt per ſuam eſſentiam animal rationale, quando actu exiſtit; at non antequam exiſtat, eſt neceſſariò animal rationale; quia antequam exiſtat eſt nihil in ſe ipſo. Quod etiam eſt probabile inter Thomiſtas, quorum non pauci tenent, eſſentias antequam producantur, adeoque antequam exiſtant eſſe nihil reale, nec eſſe aliquod reale poſitivum etiam nominale. Ex quo duntaxat ſequitur, quòd eſſentia dum exiſtit neceſſariò exiſtat, non verò quòd neceſſariò exiſtat, quando non ampliùs exiſtit, & eſt deſtructa. Quod reſponſum poſtea inveni apud Joannem Saguens, dicentem proinde, diſcrimen eſſe inter hoc, quòd eſt exiſtere eſſentialiter, & hoc, quòd eſt habere exiſtentiam identificatam cum eſſentia. Undè juxta hoc reſponſum deberet negari noſtrum ſuppoſitum, quòd nimirum poſſit eſſentia ſumi realiter ſpecificativè abſolutè, quin ſumatur reduplicativè, quia cùm præſcindendo ab exiſtentia ſit nihil reale, eſſet ſumere nihil reale. Nec eſt eadem ratio de pariete albo, quia paries poteſt abſque albedine exiſtere. Sed

Contra 1. Sic arguebam. Hoc reſponſum eſt mera petitio principii: ergo non eſt aptum. Prob. ant. Dicere, quòd neceſſariò exiſtat, quando exiſtit, non verò quando non exiſtit, eſt ſupponere, quòd aliquando exiſtat, & aliquando nondum deſtruitur; ſed hoc eſt petitio principii: ergo &c. Prob. min. Aſſumere pro ſolutione argumenti id, quod ab arguente probatur, eſt petitio principii; ſed hoc eſt, quod ipſe probo, videlicet quòd creatura non poſſet non exiſtere, quia ceu eſſentialiter ſeu per eſſentiam exiſtens, neceſſariò exiſteret, cùm id, quod eſt eſſentialiter tale, ſit neceſſariò tale; ergo &c.

Conf. Dicere, quòd eſſentia eſsentialiter & neceſſariò exiſtit, dum exiſtit eſset propoſitio purè materialis, identica, & nugatoria, ſicut dicere, quòd Homo eſt neceſſariò & eſſentialiter Homo, quando eſt Homo. Nam cùm exiſteret per ſuam eſſentiam ſeu eſſentialiter idem eſſet, ac dicere quòd exiſtit eſſentialiter, ſeu per ſuam eſſentiam, quando exiſtit eſsentialiter per ſuam eſsentiam; ſicut quia Homo eſt per ſuam eſsentiam ſeu eſsentialiter Homo dicere, quòd Homo eſt eſsentialiter, & neceſsariò ſeu per eſſentiam Homo, quando eſt Homo, idem prorſus eſſet, ac dicere, quòd Homo eſt eſſentialiter, ſive neceſſariò, ac per eſſentiam Homo, quando eſt neceſſariò eſsentialiter ſeu per eſſentiam Homo.

Secundò ſic. Si per impoſſibile Homo eſſet Homo antequam exiſteret, adhuc eſſet neceſſariò animal rationale: ergo non eſt verum quòd id, quod eſt eſſentialiter, ſeu per eſsentiam tale, tunc ſolùm ſit neceſsariò tale quando eſt exiſtens. Conſequentia eſt exacta. Quia namque V. G. verum eſt dicere, inſtans Angelicum etiam ſi per impoſſibile eſſet inſtans, & non eſſet Angelicum, adhuc eſset neceſſariò indiviſibile, optima eſset conſequentia: inferendo ſic; *ergo non eſt verum dicere quòd tunc ſolùm inſtans eſt neceſſariò indiviſibile, quando eſt inſtans Angelicum*, cùm etiam inſtans non Angelicum ſit neceſsariò indiviſibile: ergo pariter ſi valet dicere, quòd ſi per impoſſibile eſset vera illa ſententia, quòd etiam dum Homo non exiſtit eſt animal rationale, ſeu etiam ſi Homo non exiſteret & eſset Homo, eſset animal rationale, optima erit conſequentia, *ergo non eſt verum quòd tunc ſolùm neceſsariò Homo eſt animal rationale quando exiſtit, ſeu quatenus exiſtit*. Ant. autem prob. Nam Homo quà Homo, eſt animal rationale; ergo tametſi non exiſtens eſset per impoſſibile Homo, jam adhuc non exiſtens eſset animal rationale.

Ad id, quod dicebatur in illa ſententia (quam etiam nos ſuo loco defenſabimus) quod nempe Homo antequam exiſtat non eſt animal rationale, ſed ſolùm dum exiſtit diſtinguo, ita quòd exiſtentia ſit ratio formalis, quare Homo ſit animal rationale, nego, ita quòd exiſtentia ſit mera conditio neceſsariò requiſita ad hoc, ut Homo ſit animal rationale, concedo. Itaque illa ſententia dum dicit; quòd eſsentiæ rerum antequam exiſtant non ſunt aliquid reale poſitivum, non intendit, quòd exiſtentia ſit ratio formalis, quare ſint quid poſitivum, V. G. ut Homo ſit animal rationale, ſed ſolùm quòd ſit conditio neceſsariò requiſita ut ſit animal rationale, licèt poſtea ſit ratio formalis ut animal rationale exiſtat. Undè, ut diximus, ſi per impoſſibile Homo non exiſtens eſset Homo, adhuc eſset animal rationale.

Reſpondere poſsent 2. quòd creatura quantùm eſt de ſe eſt ſemper exiſtens; tamen ex defectu extrinſeci connotati ſcilicet actionis agentis, aut conſervantis, aliquando non eſt exiſtens. Sicut nos in hoc 1. Phyſ. q. 4. art. 1. §. 3. diximus, quòd materia & forma quantum eſt de ſe ſunt ſemper unitæ, & ſolùm ex defectu extrinſeci connotati, nimirum actionis agentis unientis, ſunt non unitæ, & in Logica Syntag. 4. q. 5. art. 4. diximus, quòd relatio, moriente ſecundo filio, refert quantùm eſt de ſe ad illum, & ſolùm ex defectu extrinſeci connotati, ſcilicet termini, dicitur non referre ad illum. Sed

Contra 1. Quandoquidem per actionem, vel non actionem extrinſeci, non poteſt fieri aliquid contra eſsentiam rerum, ſicut quia de eſsentia Hominis eſt eſse animal rationale,

nale,

nale, nequit per actionem vel defectum actionis extrinſeci connotati fieri, quòd Homo ſit non animal rationale: ergo ſi ſemel ipſum exiſtere eſſet de eſſentia creaturæ, nequiret per actionem, vel per defectum actionis agentis extrinſeci fieri, quòd creatura eſſet non exiſtens.

Secundò. Si eſſentia, ſecundùm ſe non exiſtens, eſt nihil per adverſarios: ergo nequit dici, quòd quantùm eſt de ſe, ſit exiſtens; quia ipſum nihil non eſt exiſtens, vel ſi ſecundùm ſe eſt aliquid antequam exiſtat, jam erat diſtincta realiter ab ipſa exiſtentia, cùm extaret ipſa eſsentia ſine exiſtentia. Materia autem antequam uniatur cum forma V. G. Ignis, eſt priùs ſub forma V. G. ligni.

Tertiò (ut diximus ibi) Materia & forma ſeorſim ſunt ipſa unio duntaxat partialiter, ſicut ſunt ipſum totum ſolùm partialiter, & ſolùm ſimul ſumptæ ſunt ipſa unio totalis, & ideo ſolùm ſimul ſumptæ poſsunt dici unitæ; at eſsentia ſaltem totius compoſiti eſset ipſa exiſtentia totalis, ſi cùm illa identificaretur: ergo diſpar eſt ratio.

Quartò (ut in Logica diximus) adhuc perſeverat tota entitas relationis, qua referebatur ad ſecundum filium, ceu eadem realiter cum illa, qua referebatur ad primum: ergo etiam deficiente extrinſeco connotato, perſiſteret exiſtens eſſentia utpotè idem realiter cum exiſtentia, ſicque retorquetur argumentum.

§. III.

Proponitur ſecundum ratiocinium.

4. PRob. 2. alio D. Thomæ epicheremate. Nulla creata res poteſt eſſe ſimpliciter infinita in linea (ut ita dicam) eſſendi; ſed ſi non diſtingueretur realiter à propria exiſtentia, eſſet ſimpliciter infinita in linea eſſendi: ergo in qualibet re creata eſſentia diſtinguitur realiter ab exiſtentia. Maj. Ignota eſt nemini, cui ignotum non ſit, quòd ſaltem naturaliter in omnium ſententia non eſt poſſibile infinitum *in* actu, vel ſaltem non extat, ut patet, aliter iſtud includeret in ſe omnia illius ordinis, in quo eſt infinitum. Min. verò prob. Quod eſt omnino actus purus abſque omni potentialitate admixta, eſt infinitum in ea linea, in qua eſt ita actus purus; ſed ſi creatura non diſtingueretur realiter à ſua exiſtentia, eſſet in linea eſſendi omnino actus purus abſque ulla potentialitate phyſica: ergo eſſet phyſicè infinita in linea eſſendi. Min. patet, quia cùm nec eſſentia eſſet potentia ad exiſtentiam recipiendam, nec exiſtentia eſſet in potentia ad recipi in eſſentia, jam nulla extaret in ea ratio potentiæ, adeoque utpote ex ſe ab omni potentialitate depurata eſſet actus purus, & puriſſimus, ſeu depuratiſſimus (præcipuè eſſentia Angeli, in qua nulla alia ſupponitur potentia receptiva, puta materia receptiva formæ) Maj. autem prob Nam quod omni caret limitativo eſt illimitatum, & infinitum; ſed quod eſt actus purus omni caret limitativo: ergo quod eſt actus purus eſt infinitum. Maj. pateſcit. Ideo namque Deus eſt infinitus; quia omni caret limitativo, ſeu ex nullo capite habet undè limitetur. Min. Prob. Limitativum eſt imperfectivum, cùm ipſa limitatio ſit de genere imperfectionis, ſicut è contra illimitatio eſt de genere perfectionis; ſed quod eſt actus purus caret omni imperfectivo: ergo caret omni limitativo. Prob. maj. Quidquid habet imperfectivum vel habet illud à ſe, vel ab alio, ſeu imperficitur à ſe, ut eſt omne id, quod de ſe eſt potentia, quia iſtud habet à ſe ipſo ſeu ex ſua natura eſſe imperfectum; vel imperficitur ab alio; ſed quod eſt actus purus non imperficitur à ſe, nec ab alio: ergo à nullo. Prob min. Actus non imperficitur à ſe, nec ab ullo alio præterquam à potentia receptiva; ſed actus purus excludit omnem potentiam, in qua recipiatur: ergo nec à ſe, nec ab alio imperficitur. Prob. maj. à pari. Sicut potentia reſpicit actum, ut quid perfectum, & ſui perfectionem, ita actus comparatur ad potentiam, ad illamque contraponitur ſicut ad quid imperfectum; ſed potentia non perficitur à ſeipſa, nec ab ullo alio, præterquam ab actu: ergo pariter actus non imperficitur à ſe ipſo, nec ab ullo alio, quàm à potentia.

Cùm ergo id, quod eſt actus purus, expers ſit omnis potentiæ, ſitque ens actualiſſimum, expers erit omnis limitationis, & finitudinis in ea linea, in qua eſt actus purus. Undè quia Deus in omni linea eſt totus, & purus actus, ens totum actualiſſimum, ſeu utpote omni carens potentialitate, Deus totus, eſt actus, quia quod non eſt potentia eſt actus, cùm ens dividatur in actum, & potentiam: Ideo Deus eſt in omni linea ſimpliciter infinitus.

Conf. Si creatura identificaret ſibi ſuam operationem, eſſet actus purus, & infinita in linea operandi, ſicut hac ratione Deus eſt actus purus, & infinitus in linea operativa: ergo pariter ſi identificaret ſibi ſuam exiſtentiam eſſet actus purus in linea eſſendi.

Variè reſpondere Adverſarii conſueverunt. Primitùs reſpondebat quidam, quòd ille actus à potentia imperficitur, qui reſpicit potentiam; actus autem totalis, qui nullam reſpicit potentiam imperficitur, non à potentia, ſed à ſeipſo, ſcilicèt à ſua eſſentia, quæ, utpote creata, habet perfectionem participatam, adeoque limitatam. Sed

Contra. Tum quia reſponſum hoc eſt mera petitio principii. Nam propter hoc ipſe probo, quòd à nullo eſſet imperfectibilis; quia nullam reſpiceret potentiam, in qua reciperetur, vel eſſet receptibilis. Tum quia, cùm, ut dixi, actus non imperficiatur, niſi à potentia, ſicut potentia non perficitur, niſi ab actu, ad hoc ut à ſeipſa imperficeretur, deberet ſaltem à ſeipſa eſſe potentia, ſicque non eſſet ampliùs actus purus omni carens potentialitate; ſed nos probavimus, quòd creatura ſi identificaret ſibi realiter ſuam exiſtentiam, eſſet actus purus, omni carens potentialitate: ergo non imperficeretur à ſeipſa.

Reſpondebant, quòd eſſet potentia, quia eſſet potentia receptiva accidentium puta operationis, aliorumque accidentium, imò & ipſius ſubſiſtentiæ. Ad differentiam operationis, quæ non eſt ampliùs in potentia ad ulteriora accidentia; & ideo qui identificaret ſibi ſuam operationem eſſet actus purus. Eò vel maximè, quòd ob aliud motivum operatio diſtinguitur realiter ab operante, ſicut etiam ſubſiſtentia à re ſubſiſtente, quia nimirum operatio poteſt realiter ſeparari; ſicut etiam ſubſiſtentia, à qua ſtat ſeparata humanitas Chriſti terminata per ſubſiſtentiam Divinam. Sed

Contra primò. Quod eſt actus purus in linea eſſendi & exiſtendi debet eſſe actus purus etiam in linea operandi, ſubſiſtendi, aliiſque lineis, quæ nunc accidentium dicuntur: ergo neque ad iſta eſſet potentia, illaque ſibi identificaret ſicque non ampliùs eſſent accidentia, ſed eſſent ſubſtantia, utpote cum ipſa eſſentia creaturæ identificata. Prob. ant. à pari. Quod eſt ſpirituale in linea eſſendi & exiſtendi, debet eſſe actus ſpiritualis etiam in linea operandi, ſubſiſtendi, aliorumque accidentium, & è contrà, quod eſt materiale in linea eſſendi & exiſtendi eo modo, quo eſt materiale in linea eſſendi, & exiſtendi, eſt quoque materiale in linea operandi, ſubſiſtendi &c. ergo à pari quod eſt actus purus in linea eſſendi & exiſtendi, debet quoque eſſe actus purus in linea operandi, ſubſiſtendi, aliiſque lineis. Sed, ut probavimus, creatura ſi identificaret ſibi ſuam exiſtentiam, eſſet actus purus in linea eſſendi, & exiſtendi: ergo eſſet quoque actus purus in linea operandi, ſubſiſtendi &c.

Secundò. Quia Deus eſt actus purus in linea eſſendi, & exiſtendi, eſt quoque actus purus in linea ſubſiſtendi, operandi &c. ergo ſi, ut probavimus, creatura identificata cum propria exiſtentia eſſet actus purus in linea eſſendi & exiſtendi, eſſet quoque actus purus in linea operandi, ſubſiſtendi &c.

Tertiò. Eſſe potentiam ad accidentia, eſt ratio duntaxat à poſteriori, & veluti ſignum, quòd aliquod non ſit actus purus in linea eſſendi, & exiſtendi: ergo ratio à priori non erit alia, niſi quia eſſentia realiter diſtinguitur & exiſtentia, ſeu quia eſſentia eſt potentia receptiva exiſtentiæ. Ant. prob. Priùs ſaltem prioritate naturæ & *à quo* habetur eſsentia & exiſtentia præcipuè in ſententia, quam refutamus, quòd eſſentia non diſtinguatur realiter ab exiſtentia, cum ordo ad accidentia non ſit aliquid de eſſentia, ſicut nec ipſa accidentia ſunt de eſſentia. Per quod

Refellitur id, quod dicebatur de ſeparatione operationis, & ſubſiſtentiæ. Separabilitas enim eſt ſignum ſolùm à poſteriori realis diſtinctionis.

Inſuper id, quod dicitur de ſubſiſtentia, rejicitur, quia ſubſiſtentia advenit priuſquam exiſtentia. Quod probatur. Etiam ipſa ſubſiſtentia exiſtit; ſed quod exiſtit, nonniſi per exiſtentiam exiſtit: ergo ſicut eſsentia non exiſtit, niſi per exiſtentiam, qua concipitur ſaltem prior, ita ſubſiſtentia non exiſtet, niſi per exiſtentiam, qua ſaltem concipiatur prior. Adde quòd in ſententia quamplurium Jeſuitarum, aliorumque Neotericorum neque ſubſiſtentia diſtinguitur realiter ab eſſentia. In ſententia verò Scoti licet diſtinguatur realiter, tamen non eſt, niſi aliquid negativum; ne-

gatio autem cùm ſit non ens, non habet propriè recipi in aliqua potentia; ut infra videbimus.

Alii communiùs reſpondent, quòd exiſtentia non eſſet infinita, quia licèt non reciperetur in alio; tamen reciperetur ab alio, ſcilicet à cauſa efficiente, puta à Deo &c.

Ad quam reſponſionem reducitur alia, quæ dari ſolet, ſcilicet quòd extrinſecè limitatur à Deo, vel effectivè, quia ab eo recipit tantam, & non majorem perfectionem; vel exemplariter, quia commenſuratur tali ideæ Divinæ repreſentanti talem, & non majorem perfectionem. Sed

Contra primò. Licèt eſſet ab alio, tamen eſſet ab illo tanquam actus purus intrinſecè; ſed ut à principio probavimus, quod eſt intrinſecè actus purus, eſt intrinſecè infinitum: ergo licèt eſſet ab alio, eſſet intrinſecè infinita. Maj. prob. ut ſupra, quia ut à principio dicebamus, eſſet abſque omni intrinſeca potentialitate.

Secundò. (Et eſt etiam refutatio ejus, quod in prima reſponſione dicebatur, ſcilicet quòd haberet eſſe participatum.) Ad hoc, ut aliquid ſit intrinſecè finitum & limitatum debet excogitari aliquod principium intrinſecum, & non ſolùm extrinſecum ſuæ limitationis, ſed agens efficiens eſt principium ſolùm extrinſecum: ergo non ſufficeret ad hoc, ut creatura eſſet finita, & limitata in linea eſſendi. Prob. maj. à pari. Ad hoc, ut aliquid ſit intrinſecè materiale, debet excogitari aliquod principium non ſolùm extrinſecum, verùm etiam intrinſecum ſuæ materialitatis, nimirum ipſa materia, ad hoc, ut aliquid ſit intrinſecè illimitatum, debet excogitari aliquod principium ſuæ illimitationis, cujus in Deo eſt ipſum eſſe Divinum; ad hoc ut aliquid ſit intrinſecè ſpirituale debet excogitari aliquod principium intrinſecæ ſpiritualitatis, cujus eſt ipſa irreceptibilitas in materia: ergo à pari ad hoc, ut aliquid ſit intrinſecè finitum &c. Cùm ergo, ut ſupra probavimus, non poſſet intrinſecè limitari à ſeipſa, jam &c.

Tertiò. Id omne quod non habet eſſe receptum, nec eſt recipiens ab alio, habet quoque eſſe non receptum, nec recipiens in alio, ut patet in Deo: ergo à pari omne id, quod habet eſſe non receptum, nec recipiens in alio, debet quoque habere eſſe non receptum, nec recipiens ab alio.

Qua ex re habet, quòd etiam reſponſum iſtud eſt mera petitio principii. Nam ſicut ſi ego dicerem ſic: *id, quod habet eſſe non recipiens nec receptum ab alio, eſt infinitum: ergo non poteſt extare aliquod finitum habens eſſe non recipiens ab alio:* non benè poſſet reſponderi dicendo, quòd poteſt optimè extare, quia licèt haberet eſſe non receptum ab alio, nec recipiens ab alio, tamen haberet eſſe receptum in alio. Ita nec in noſtro caſu benè reſpondent &c.

Quartò: Hoc modo poſſet etiam dici, creaturam poſſe ſibi identificare operationem, omnia accidentia, & tamen quòd non eſſet actus purus, nec infinita; quia adhuc haberet eſſe ab alio.

Benè ergo dixit noſter Goudin in ultima ſua editione impreſſâ Coloniæ Agrippinæ adeo firmas eſse iſtas D. Thomæ rationes, ut videatur prorſus eas ab Angelis accepiſse.

Alia reſponſio expugnabitur §. 4. ſub num. 8. ad 4. arg.

Per quæ excluditur diſtinctio purè formalis. Nam ſicut ſi formaliter identificaretur neceſſariò eſſentialiter exiſteret formaliter, & eſſet formaliter actus purus, ut patet ex dictis, ita ſi identificatur realiter cum ſola diſtinctione formali, neceſſariò eſſentialiter exiſteret realiter, & eſſet realiter actus purus.

§. IV.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

5. ARg. 1. Oppugnando noſtras rationes. Ideo per nos eſſentia creaturæ debet realiter à ſui exiſtentia diſtingui, quia aliter ſequeretur, quòd creatura neceſſariò, non verò contingenter exiſteret; & quod eſſet actus purus & infinitus; ſed hæc falsò dicuntur; ergo falsò dicimus, quòd eſſentia creaturæ diſtinguatur realiter à ſui exiſtentia. Prob. min. Ipſa exiſtentia exiſtit per exiſtentiam à ſe realiter indiſtinctam; ſed hoc non obſtante non ſequitur quòd exiſtentia creaturæ neceſſariò, non verò contingenter, exiſtat, quòd ſit actus purus, & infinita; ergo falsò dicitur quòd ſi eſſentia creaturæ non diſtingueretur realiter à ſui exiſtentia, neceſſariò exiſteret, & quòd eſſet actus purus, ac infinita. Maj. patet, aliter haberetur proceſſus in infinitum.

Reſp. nego min. Ad prob. diſtinguo maj. exiſtentia exiſtit *ut quod*, nego, *ut qua*, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Exiſtentia ergo exiſtit ſolùm *ut quo*, quatenus eſt id, quo eſſentia exiſtit. Eſſentia autem debet exiſtere *ut quod*, quia eſt id quod per exiſtentiam exiſtit.

Contra. Hæc reſponſio eſt mera petitio principii; ergo inepta. Prob ant. Hoc eſt, quod arguens probare intendit, ſcilicet quòd ipſa eſſentia ſit ſibi ipſi id, quo ipſa exiſtit, ſeu ſit ſibi ipſi ratio formalis exiſtendi: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo ant. & aliàs adverſarii etiam admittunt, quòd eſſentia exiſtat etiam *ut quod*, concedo, præcisè *ut quo*, nego ant. & conſequentiam. Adverſarii ergo quamvis contendant, eſſentiam non indigere alio, quo ipſa exiſtat, tamen volunt, eſſentiam exiſtere & *ut qua*, & *ut quod*, secùs ſi eſſentia exiſteret ſolùm *ut qua*, deberent excogitare aliud exiſtens *ut quod*, quia totum exiſtit *ut quod*. Nos autem dicimus, quòd exiſtentia exiſtit ſolum *ut quo*, eſſentia verò per exiſtentiam affecta exiſtit *ut quod*, ſicut V.G. albedo eſt alba *ut quo*, paries verò albedine affectus eſt albus *ut quod*.

Dices. Licèt exiſtentia per ſeipſam, ſeu per ſuam eſſentiam exiſtat *ut qua*, non ſequitur, quòd neceſſariò eſſentialiter exiſtat *ut quo*, ita taliter, quòd nec à Deo deſtrui poſſit: ergo pariter eſſentia licèt exiſteret per ſeipſam, ſeu per ſuam eſſentiam & *ut qua*, & *ut quod*, non ſequeretur, quòd *ut quo*, & *ut quod* eſſentialiter neceſſariò exiſteret, taliter quòd nec à Deo deſtrui poſſet. Conſequentia eſt exacta à pari, quia non minùs per ſuam eſſentiam exiſtentia exiſtit *ut quo*, ac eſſentia ipſa per ſeipſam, ſeu per ſui eſſentiam exiſteret & *ut quod*, & *ut quo*.

Conf. Etiam exiſtentia habet ſuam eſſentiam, & tamen ejus eſſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia, aliter foret abire in infinitum: ergo eſſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia.

Reſp. dato ant. nego conſequentiam & paritatem. Ad prob. Aſſignatur diſparitas, quia cùm *id quo* nequeat ſtare ſine *id quod*, à quo dependet, hinc eſt, quod ſine *id quod* non habet ex ſua eſſentia totum, quod requiritur ad hoc, ut exiſtat etiam præcisè *ut quo*. Undè cùm non exiſtat neceſſariò ipſa eſſentia, ceu quæ non exiſtit per ſeipſam, ideo nec ipſa exiſtentia habet neceſſariò exiſtere etiam præcisè *ut qua*.

Ad Conf. dato ant. concedo etiam conſequentiam, loquendo de eſſentia exiſtente *ut quo*, qualis eſt exiſtentiæ eſſentia; quia unum *quo* non indiget alio *quo*, ſicut lux quæ eſt id *quo* alia videntur, non indiget alio quo ipſa videatur; & nego illam de eſſentia exiſtente *ut quod* qualis eſſentia, ut ita dicam, eſſentia illa ſcilicet qua aliquid conſtituitur in ſpecie determinata directè ponibili in prædicamento V. G. *animal rationale &c.*

Et certè etiam in ſententia Scotiſtarum licèt eſſentia diſtinguatur formaliter ab exiſtentia, non ſequitur, quòd etiam exiſtentia debeat exiſtere per aliam exiſtentiam à ſe formaliter diſtinctam; In ſententia aliorum, quòd diſtinguatur ſolùm virtualiter, non ſequitur, quòd exiſtentia debeat exiſtere per aliam exiſtentiam virtualiter diſtinctam ab exiſtentia, aliter foret abire in infinitum: Ita etiam licèt diſtinguatur realiter non ſequitur &c.

Hæc tamen valent in non tranſcendentibus ut eſt exiſtentia; non verò in tranſcendentibus etiam metaphyſicè, ut ſunt *unum*, *verum*, &c. quia iſta implicitè ſe habent etiam ut *quod*. Ob idque S. Th p. p. q. 11. probat contra Avicennam, ens non eſſe unum per aliquid ſuperadditum realiter, quia hoc aliud foret unum per aliud ſuperadditum, & ſic in infinitum. Exiſtentia enim, ceu ultimus terminus rei, quo res ultimò ponitur extra cauſas, ut dicebamus q. 2. art. 3. §. 3. eſt id, quod in linea eſſentiali ultimò realiter advenit, adeoque nequit eſſe tranſcendens metaphyſicè rem, quam terminat. De quo Vid. Guerinois in ſua Meth. q. 5. art. 1. §. 2. ad 8.

Ad id, quod dicebatur in argumento de ratione actus puri & infiniti, dico, quòd exiſtentia, licèt per ſeipſam exiſtat, non ſequitur, eſſe actum purum, & infinitam; quia habet aliunde à quo limitetur, ſcilicet eſſentiam, quæ eſt potentia, in qua recipitur, & à qua limitatur.

Dices. Etiam ipſa eſſentia, ſaltem materialis, habet undè limitetur, etiam ſi per ſeipſam exiſtat, quia ejus forma recipitur in materia.

Reſp. negando ſuppoſitum. Supponit enim, quòd in caſu quo materialis eſſentia exiſteret per ſeipſam, ejus forma

recipe-

Digitized by Google

reciperetur in materia. Hoc autem eſt falſum; quia cùm ſecundùm Thomiſtas non extent exiſtentiæ partiales, ſed partes exiſtant per exiſtentiam totius, partes deberent identificari ambæ cum exiſtentia totius compoſiti, adeoque deberent etiam inter ſe realiter identificari, quia quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.

Ideo autem ego §. 3. n. 4. poſui illam particulam *ſaltem in Angelis*, ne opus foret, me extra quæſtionem conferre ad probandum, nullas exiſtentias partiales extare, & partes exiſtere ſolùm per unam, & eandem exiſtentiam totius.

6. Arg. 2. eandem oppugnando rationem. Ens eſt unum per ſuam eſſentiam & non per aliquid realiter ſuperadditum, & tamen non ſequitur, quòd ita neceſſariò ſit unum, quod dividi nullatenus queat, cùm res materialis dividi queat, ſaltem ratione quantitatis, licèt non ſit unum per quantitatem: ergo pariter licèt eſſentia per ſeipſam exiſteret.

Reſp. quòd unum dividi non poteſt. Intantum autem dividi poteſt ſubſtantia materialis; quia ut vidimus in Logica Syntag. 4. q. 4. art. 2. habet partes actu ante quantitatem actualem diſtinctas. Sed

Contra. In ſententia probabili Thomiſtarum non habet partes actu diſtinctas.

Reſp. quòd in iſta ſententia poteſt aſſignari aliqua diſparitas, quia adverſarii inter eſſentiam, & exiſtentiam nullam admittunt diſtinctionem realem etiam potentialem. At illa ſententia admittit inter partes ſubſtantiæ materialis (ut vidimus ibi §. 3. in probationibus) quandam diſtinctionem realem potentialem, quam tamen ego nunquam percipere potui. At quomodo ipſi id ſalvent, cogitent. Nobis ſufficit, illam ſententiam conciliare, non verò tenemur illam ſententiam ſuſtinere.

7. Arg. 3. eandem oppugnando rationem. Ex eo, quòd materia, & forma ſint indifferentes ad uniri, & non uniri, non ſequitur, quòd uniantur per unionem realiter ſuperadditam. Nec ex eo, quòd uniantur per ſeipſas, ſeu per earum eſſentias, ſequitur, quòd eſſentialiter neceſſariò uniantur, taliter quòd ſemper ſint unitæ, nec poſſint divinitùs ſeparari: ergo pariter ex eo, quòd eſſentia ſit indifferens ad exiſtere & non exiſtere, non ſequitur, exiſtere per exiſtentiam realiter ſuperadditam, nec ex eo quòd per ſeipſam exiſtat ſequitur &c.

Ad hoc patet ex dictis §. 2. in prima probatione ſub num. 3. & loco ibi relato. Vide ibi & hac ratione etiam eſſentia licèt per ſeipſam ſit ſubjectum exiſtens ſive ſubjectum exiſtentiæ non ſequitur, quòd ſit neceſſariò ſubjectum illius. Licèt enim eſſentia & exiſtentia non ſint partes in linea eſſentiali; ſunt tamen veluti partes in linea exiſtentiali. Propter hoc etiam eſſentia licèt ſit per ſeipſam extra cauſas incompletè non ſequitur, quòd ſit neceſſariò extra cauſas incompletè. Non, inquam, quia etiam tunc eſt pars in fieri & in via, & componit inchoativè cum ipſa exiſtentia, ad quam eſt in via; eſtque tunc pars veluti vialiter componens veluti vialiter.

8. Arg. 4. Identificatio cum aliquo finito non facit infinitum; ſed ſi exiſtentia identificaretur realiter cum eſſentia, non identificaretur, niſi cum eſſentia finita: ergo non eſſet infinita.

Reſp. 1. diſtinguo maj. quantùm eſt ex capite illius finiti cum quo identificatur, concedo, aliter, nego maj. & omiſsâ min. nego conſequentiam. In tali igitur caſu exiſtentia haberet infinitudinem, non ab eſſentia, ſed ex eo, quòd tunc eſſet purus actus, utpote depurata ab omni potentia, à qua poſſet imperfici, & limitari. Undè non ex vi eſſentiæ, ſed ex ſui ratione eſſet infinita.

Reſp. 2. data maj. diſtinguo min. cum eſſentia finita, quæ modò eſt finita, concedo, quæ tunc eſſet finita, nego min. & conſequentiam. Siquidem tunc nec ipſa eſſentia diceret aliquam potentiam, quia nec eſſet potentia recipiens utpote ſuum ſibi ultimum identificans actum in linea eſſendi, nec reciperetur in aliqua potentia, ideo eſſet & ipſa actus purus, adeoque infinita.

Contra. Ex hoc ad ſummum ſequitur, quædam infinitudo negativa: ergo non ſequitur quòd eſſet poſitivè infinita. Prob. ant. Illud dicitur infinitum ſolùm negativè quod caret limitativo, & aliàs non habet aliquod poſitivum illimitativum; ſed in tali caſu exiſtentia licèt careret limitativo, non tamen haberet aliquod illimitativum poſitivum: ergo &c. Min. eſt manifeſta. Diceretur enim infinita, quatenus præciſè careret potentia limitante & imperficiente; ergo &c.

Conf. Eſſentia Angeli non recipitur in aliqua potentia, & tamen poteſt dici infinita ſolùm negativè, non verò poſitivè: ergo exiſtentia licèt non reciperetur in aliqua, adhuc non eſſet infinita poſitivè.

Reſp. primitèr, poſſe etiam concedi ant. & ſimul conſequentiam; quia creatura debet eſſe poſitivè finita abſolutè loquendo, ita quòd nec negativè ſit infinita ſimpliciter, ſicut ab oppoſito creator eſt infinitus poſitivè ſimpliciter.

Præterea, nego ant. Ad prob. nego min. ad cujus prob. diſt. ant. ita quòd hoc, quod eſt carere potentia limitante ſit ratio à priori ipſius infinitudinis, nego, ſit ratio à poſteriori, concedo. Ratio ergo à priori quare eſſet infinita non eſſet, quia cereret potentia, ſed quia eſſet actus purus, ut diximus. Et licet ratio à poſteriori probans, quòd eſſet actus purus, eſſet, quia careret potentia, cùm nos à poſterioſi id probaverimus §. 3. tamen ratio à priori, quare careret potentia, eſt, quia eſſet actus purus; ultra quod non eſt inveſtiganda alia ratio à priori, quare eſſet actus purus, quia hoc eſſet ejus eſſentia. Eſsentiæ autem rerum ceu prima principia incomplexa cujuslibet particularis eſſentiæ, nequeunt ulteriùs à priori probari. Sicut etiam in Deo ratio à poſteriori, quare ſit actus purus, eſt, quia caret omni potentia; non tamen eſt ratio à priori, quia mera negatio, aut privatio, ſicut eſt ly *carere* ſcilicet carere potentia, eſſe nequit ratio à priori alicujus poſitivi, ut eſt ly *actus purus*, ſed ratio à priori, quara caret potentia, eſt, quia Deus eſt actus purus, & eſse actum purum eſt ratio, quare ſit infinitus carens omni limitativo. Cùm ergo eſse actum purum ſit quid poſitivum, ideò tunc creatura haberet illimitativum poſitivum, nimirum hoc, quod eſt eſſe actum purum.

Tandem reſponderi poſſet, nego ant. Ad prob. nego min. ad cujus prob. poſſet diſtingui juxta dicta in 2. reſp. ad arg. ant. ſic præciſè propter hoc, nego, per hoc & ſimul aliquid aliud, concedo ant. & nego conſeq. Tunc enim haberet poſitivum illimitativum, nempe ipſam eſſentiam, quæ identificando ſibi ſuum ultimum actum in linea eſsendi importaret poſitivam infinitudinem.

Ad conf. dico, quòd eſſentia Angeli licèt non recipiatur in aliqua potentia, tamen eſt potentia recipiens exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam & ideo eſt finita poſitivè ſimpliciter, licèt poſſit dici infinita negativè ſolùm ſecundùm quid, quatenus non recipitur in aliqua potentia. De quo iterum hic ad penult. inſtantiam hujus argumenti.

Dices. Etiam eſſentia identificata realiter cum exiſtentia eſſet potentia receptiva operationis, aliorumve accidentium: ergo non eſſet infinita.

Reſp. nego ſuppoſitum antecedentis. Supponit enim, quòd tunc darentur accidentia, aut operatio eſset accidens. Cùm enim hoc, quod eſt ſibi identificare propriam exiſtentiam importet tam grandem perfectionem, ſcilicet infinitam, non poſſet non identificare ſibi etiam accidentia. Undè iſta utpote cum ipſa ſubſtantia identificata, eſſent & ipſa ſubſtantia.

Oppugnabis. Iterum reſponſum hoc eſt petitio principii: ergo non eſt aptum. Prob. ant. Nam hoc eſt, quod probatur, ſcilicet quòd eſsentia non diceret tantam perfectionem, quia eſſet potentia ad accidentia.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. & aliàs illa eſt ratio ſolùm à poſteriori, concedo. Ut enim vidimus §. 3. licèt hoc, quod eſt eſſe potentiam ad accidentia ſit ratio à poſteriori probandi, quòd aliquod non ſit infinitum adeoque & quòd non identificet ſibi eſſentiam; Tamen hoc, quod eſt ſibi exiſtentiam realiter identificare eſt ratio à priori quare aliquid nequeat eſse potentia ad accidentia, adeoque quòd ſibi identificet illa, quia eſt ratio à priori probandi, quòd ſit infinitum, quia hoc, quod eſt ſibi identificare exiſtentiam, eſt eſse actum purum. Undè licèt nullum, quod eſt potentia ad accidentia ſit infinitum, quia tamen omne, quod ſibi identificat exiſtentiam, eſt actus purus, adeoque quid infinitum, ideo nullum, quod ſibi identificat exiſtentiam, poteſt eſse potentia ad accidentia, aut ad operationem, adeoque quicquid ſibi identificat realiter exiſtentiam, quoque ſibi realiter identificat operationem & omnia quæ ſui ſeunt accidentia, nec ampliùs forent accidentia.

Dicas. Ex eo, quòd aliqua forma non recipiatur in materia, non ſequitur, quòd nequeat eſse potentia receptiva exiſtentiæ à ſe realiter diſtinctæ: ergo pariter ex eo, quòd exiſtentia non reciperetur in eſsentia, non ſequeretur, quòd non poſset eſse potentia receptiva accidentium realiter diſtinctorum. Ant. palam eſt in ipſa natura Angelica. Con-

ſequentia autem eſt exacta. Nam ſicut receptio formæ in materia præcedit receptionem exiſtentiæ in eſſentia, ita receptio exiſtentiæ in eſſentia præcedit receptionem accidentium. Vel ſicut forma irrecepta in materia caret limitativo formæ, ita irrecepta exiſtentia caret limitativo exiſtentiæ: ergo ſi &c.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. aſſignatur diſparitas, conſiſtens in hoc, quòd irreceptibilitas formæ in materia ut eſt irreceptibilitas Naturæ Angelicæ, licèt importet actum poſitivum; non tamen actum purum poſitivè, ſed purum ſolùm negativè: at irreceptibilitas exiſtentiæ in eſſentia importat actum purum; purum inquam etiam poſitivè.

Quare autem prima, non verò ſecunda importet actum purum puritate ſolùm negativa, & ſecunda importet actum purum purita. etiam poſitiva: Hoc iden eſt, quia natura Angelica non identificat ſibi materiam, in qua negat recipi, ſed excludit materiam, quia nullam importat materiam ſaltem phyſicam nec à ſe diſtinctam, nec ſibi identificatam. At exiſtentia ſi identificaretur cum eſſentia, in qua non reciperetur, non ſolùm diceret non recipi in ea, verùm etiam diceret poſitivè identificare ſibi illam, ſicque puritas poſitiva importaretur, quia non ſolùm haberetur, quòd exiſtentia non reciperetur (quod eſt infinitari veluti negativè,) verùm etiam, quod ipſa eſſentia poſitivè identificaret ſibi ultimam actualitatem, adeoque importaretur puritas poſitiva etiam ex parte ipſius eſſentiæ. Non enim exiſtentia excluderet eſſentiam, ſicut eſſentia Angeli excludit materiam, ſed illam maximè, ideſt per identitatem, includeret. De quo iterum ad 5.

Inſt. demum. Exiſtentia habet limitationem formalem à ſeipſa, licèt non habeat à ſe limitationem materialem: ergo tametſi non reciperetur in eſsentia, adhuc eſset formaliter limitata. Prob. ant. Ab eſsentia non habet, niſi quandam limitationem materialem, ergo &c. Prob. ant. Forma à materia habet limitationem ſolùm materialem, non verò formalem, & iſtam habet à ſeipſa: ergo pariter &c. Ant. prob. Tum quia materia non habet eſse niſi materiale: ergo dare nequit, niſi limitationem materialem. Tum quia, quod forma V.G. ignis ſit ita limitata, ut nequeat exercere operationes V.G. aquæ, non habet à materia: ergo &c. Ant. patet: aliter forma aquæ non poſset exercere operationes aquæ, quia ipſa recipitur in materia.

Conſ. Albedo tametſi non reciperetur in ſubjecto, adhuc eſset formaliter limitata: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ant. Ad prob. primodùm poſset concedi ant. & negari conſequentia propter diſparitatem adductam de Angelo; quia ſcilicet illa forma per hoc, quòd non reciperetur non identificaret ſibi materiam, aliter non eſset forma, ſed materiam etiam. Deinde, nego ant. ad cujus prob. dato ant. diſtinguo conſequens, directè, concedo, indirectè, nego ant. & conſeq. Sicut enim diximus in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 2. §. 5. ſub num. 12. ad 2. arg. quòd differentiæ materiales licèt directè tollant ſolùm unitatem materialem; tamen indirectè tollunt unitatem etiam formalem propter identitatem unitatis formalis cum materiali, ita dicimus, quòd materia licèt directè tollat ſolùm illimitationem materialem, tamen indirectè tollit illimitationem etiam formalem propter identitatem unius cum alia.

Ad 2. prob. omiſso ant. nego conſeq. Nam primitùs poſset dici, quòd evaderet infinita duntaxat in ratione ignis, quatenus contineret virtutem omnium ignium, etiam infinitorum in numero, ſi extarent, vel eſsent poſſibiles.

Verùm quia, ut dicemus lib. 3. q. 2. art. 2. ſi extaret infinitum non poſset coarctari ad determinatam ſpeciem. Ideo dico, quòd ſi non reciperetur in materia, forma ignis haberet etiam operationes aquæ. Undè nego ant. ſecundæ probationis. Ad illius prob. Dico, quòd receptio in materia formæ ignis facit, quòd ipſa forma non habeat operationes aquæ, & ignis ſimul, quas tamen ſicut & operationes omnium aliarum formarum ſimul haberet, ſi non reciperetur in materia, quia eſset infinita. Aqua autem non habet operationes aquæ ſimul & ignis.

Ad Conſ. poteſt ut ſupra aſſignari diſparitas; quia albedo non identificaret ſibi ſubjectum. Vel ſi eſset ſeparata diceret ordinem ad recipi. Quod ſi non diceret ordinem ad recipi dum eſset ſeparata, dico, quòd eſset infinita negativè. Quòd ſi identificaret ſibi ſubjectum dico, quòd eſset infinita poſitivè & eſset ſubſtantia, utpote cum ſubſtantia identificata. Et ex ea à poſteriori inferretur, etiam infinitudo ſubjecti; quia nonniſi ens infinitum identificat ſibi ea, quæ in aliis ſunt accidens ut diximus. Undè retorquetur argumentum.

9. Arg. 5. Oppugnando eandem rationem. Quod recipitur ab alio, ſeu habet eſſe ab alio, non eſt infinitum; ſed exiſtentia, & eſſentia tametſi identificarentur, adhuc haberent eſſe ab alio, nimirum à Deo: ergo non eſſet infinita.

Conſ. Tametſi identificarentur realiter eſſentia, & exiſtentia; adhuc in ipſa eſſentia extaret diſtinctio virtualis excluſiva inter gradus metaphyſicos, quia gradus metaphyſici per nos diſtinguuntur virtualiter excluſivè; ſed ubi extat diſtinctio virtualis penès excluſum, non extat infinitudo: ergo non eſſet infinita. Min. patet. Nam hac ratione nos in Logica Syntag 4. quæſt. 3. art. 2. §. 2. excludendo Deum à prædicamento ſubſtantiæ, probavimus, in Deo non extare diſtinctionem virtualem penès excluſum, & negavimus in eo compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia.

Reſp. ad arg. primitèr diſtinguo maj. quod habet eſſe ab alio per modum actus puri, nego, ſecùs, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Reſponſum patet ex dictis §. 3. refellendo ſecundam Adverſariorum evaſionem. Aliter poſſet etiam ſuſtineri, quòd creatura poſſit ſibi identificare ſuam operationem, & omnia accidentia ſine eo, quòd eſſet infinita, quia haberet eſſe ab alio. Verùm quia, ut dicemus lib. 3. quæſt. 2. eſt impoſſibile aliquod creatum infinitum. Iden

Deinde nego min. Nam ſicut diximus §. 3. in fine Implicat, aliquid eſſe irreceptum ab alio, & eſſe receptum in alio; ita implicat, aliquid eſſe irreceptum in alio, aut non recipiens aliud, & eſſe receptum ab alio, quia utrobique adeſt infinitudo. Ob idque tunc non ampliùs eſſet creatura. Quod impl car

Ex quo poterat etiam aliter ſic cum quodam in m. f. diſtingui illa min ſic. Haberet eſſe ab alio repugnanter, concedo, non repugnanter, nego min. & conſequentiam; eſſet enim ab alio ut ſupponitur, quia eſſet creatura, & non haberet eſſe ab alio, quia haberet eſſe per eſſentiam &c. & eſſet infinita. Nec reſponſum eſt petitio principii, quia, quòd eſſet ipſum eſſe per eſſentiam & infinitum non ſolùm dicimur, ſed etiam probavimus §. 2. & 3. & poteſt inſtari iterum de ipſa operatione.

Ad Conſ primodùm permiſſa maj. diſtinguo min. non extat infinitudo in eſſe metaphyſico, concedo, in eſſe phyſico ſubdiſtinguo, ſi non adſit identitas phyſica, concedo, ſecùs nego min. & conſeq. Intantum autem ibi excludebamus à Deo diſtinctionem etiam virtualem penes excluſum; quia (ut ibi diximus) Deus non ſolùm in eſſe phyſico, verùm etiam in eſſe metaphyſico eſt actus purus, & infinitus, cùm etiam in eſſe metaphyſico ſit Deus.

Dixi *permiſſa maj.* quia non deſunt Thomiſtæ, illam negantes, & dicentes, quòd tunc non extaret talis diſtinctio; quia diſtinctio & identitas inter eſſentiam & exiſtentiam cùm ſit primordialis fundat diſtinctionem, aut identitatem in omni alia linea. Undè ſublata diſtinctione phyſica inter eſſentiam & exiſtentiam tolleretur etiam metaphyſica diſtinctio à gradibus metaphyſicis; & poſita identitate phyſica inter eſſentiam & exiſtentiam poneretur identitas metaphyca in ipſis gradibus metaphyſicis.

10. Arg. 6. contra eandem rationem & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Gradus metaphyſici, & omnia prædicata quidditiva, ut ratio ſubſtantiæ, intellectivi identificantur realiter inter ſe; & tamen non ſunt infiniti, & actus purus: ergo pariter exiſtentia licèt identificaretur realiter cum eſſentia non eſſet infinita, & actus purus.

Conſ. Licèt in ullo creato inferiori nequirent realiter identificari, benè tamen in aliquo ſuperiori creato: ergo ſaltem in iſto non diſtinguentur. Ant. prob. à pari. Ratio ſenſitivi & intellectivi &c. eſtò nequeant identificari in aliquo inferiori, benè tamen in aliquo ſuperiori, puta in Anima rationali; ſicut etiam ratio practici, & ſpeculativi in Theologia: ergo pariter &c.

Reſp. ad arg. quòd ideo adhuc ſunt finita, quia ſunt potentia ad exiſtentiam. Idem dicas ad Conſ. Nam ideò poſſunt illo ſuperiori adunari practicum & ſpeculativum, quia utpote receptivum exiſtentiæ adhuc remanet finitum.

Contra. Hoc, quod eſt unum ex illis prædicatis identificari, & eſſe irreceptum in alio prædicato non obſtat, quia adhuc ſit receptivum exiſtentiæ: ergo pariter hoc, quòd eſ-

ſet

Digitized by Google

ſet exiſtentiam identificari realiter cum eſſentia, & eſſe irreceptam in illa, non impediret, quin eſſet receptiva accidentium, ſicque remaneret finita. Et en redit difficultas quarti arg. num. 8.

Reſp. nego conſeq. quia ſtaodo in creatis, quòd illa prædicata ſint adhuc receptiva exiſtentiæ provenit ex eo, quòd præſtantur à forma recepta in materia ut in Homine &c. Et ſimiliter practicum & ſpeculativum præſtantur à forma, ſcilicet à ſcientia recepta in ſubjecto. At, ut diximus ad 4. in caſu, quo exiſtentia realiter identificaretur cum eſſentia, tunc exiſtentia præſtaretur à forma quæ eſſet irrecepta in materia, & cum materia eſſet identificata; quia materia & forma cùm per unam & eandem exiſtentiam exiſtant, ſi identificarentur cum exiſtentia, identificarentur quoque inter ſe.

Dices ex ibidem, ad 4. poſitam in 4. arg., dictis: ergo ſaltem in Angelis, ubi exiſtentia præſtatur à forma ſolùm negativè irrecepta in materia, ſcilicet per non identificationem cum materia, adeoque infinita ſolùm negativè, poſſet ſalvari, quòd eſſet receptiva exiſtentiæ, ſicque eſſet finita.

Reſp. diſtinguo conſequens poſſet ſalvari repugnanter, concedo, non repugnanter, nego conſequentiam. Nec reſponſum eſt petitio principii. Nam poſſet ſalvari quantùm eſt ex hoc capite, ſed quia alliàs natura Angelica ceu tota ſpiritualis, eſſet perfectior qualibet re materiali; ideo implicat, quòd res materialis eſſet actus purus non receptiva exiſtentiæ, ſicque infinitus, & ipſa natura Angelica eſſet actus non purus, receptiva exiſtentiæ, & finita, quòd eſſet illam eſſe re materiali imperfectiorem. Undè ſalvaretur, & non ſalvaretur; quæ ſunt contradictoria, adeoque ſalvaretur repugnanter. Unde ne tot contradictoria, totque repugnantiæ ſequantur, dicendum, exiſtentiam ab eſſentia realiter diſtingui.

§. V.

Solvantur alia argumenta.

51. ARg. 7. Quæ producuntur per unam, & eandem actionem non diſtinguuntur realiter inter ſe; ſed eſſentia, & exiſtentia producuntur per eandem actionem: ergo eſſentia & exiſtentia non diſtinguuntur realiter inter ſe. Min. eſt perſpicua, quia actio productiva eſſentiæ tendit ad dandum illi eſſe, ſeu facere eam exiſtentem. Maj. verò prob. Ubi ſunt diſtincti termini, ſunt diſtinctæ actiones, quia terminus actionis eſt id, in quo actio terminatur, ſeu finitur; ſed quæ diſtinguuntur realiter inter ſe, ſunt termini realiter diſtincti: ergo quæ per eandem actionem producuntur non diſtinguuntur realiter inter ſe.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſtinguo maj. ubi ſunt diſtincti termini ſe habentes per modum plurium, concedo, ſe habentes per modum unius, nego maj. & diſtinguo min. ſunt diſtincti termini ſe habentes ſemper per modum plurium, nego, aliquando per modum plurium, aliquando per modum unius, concedo min. & nego conſeq. Quando enim aliqua ſunt inter ſe connexa, ſe habent per modum unius effectus. Undè ſicut poſſunt aliquando plures cauſæ & plures actiones concurrere per modum unius ad eundem effectum, ut patet in pluribus portantibus idem pondus; ita poſſunt plures termini per modum unius produci per unam, & eandem actionem.

52. Arg. 8. Eſſentia ſeipſa eſt exiſtens: ergo non eſt exiſtens per exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam. Prob. ant. Eſſentia ſeipſa eſt extra nihil; ſed eſſe extra nihil eſt exiſtere; ergo &c. Prob. maj. Eſſentia recipit ſeipſa exiſtentiam; ſed quod eſt nihil nequit exiſtentiam recipere: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo maj. ſeipſa eſt extra nihil inchoativè tantùm, & in fieri, concedo, in facto eſſe, & conſumativè, nego. Pro hoc reſponſo applicentur ea, quæ de materia prima diximus in hoc 1. Phyſ. q. 2. art. 3. & 4. in § 3. Videatur ibi per extenſum.

Dices. Eſſentia ſeipſa terminat actionem agentis: ergo ſeipſa eſt exiſtens. Conſequentia eſt exacta, quia actio productiva terminatur ad exiſtentiam. Ant. autem prob. Eſſentia ſeipſa eſt producta: ergo &c. Prob. ant. Seipſa non eſt improducta, aliter eſſet Deus, vel nihil: ergo ſeipſa eſt producta.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ant. Ad prob. diſt. ant. non eſt improducta poſitivè, concedo, negativè nego. Eſſentia enim ſeipſa, nec eſt poſitivè producta, nec poſitivè improducta, ſed ſolùm ratione exiſtentiæ.

Inſt. Aliquando eſſentia producitur abſque eo, quod producatur exiſtentia: ergo eſt producta ſeipſa. Prob. ant. Juxta principia Thomiſtica humanitas Chriſti exiſtit exiſtentia Verbi, quæ non eſt producta: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo ant. quò ad a. p. non eſt producta in ſe abſolutè quantùm ad id quod in ſe dicit in recto, concedo, quatenus terminat humanitatem, & quantum ad id, quod dicit in obliquo, nego ant. & conſequentiam. Et licèt exiſtentia Divina prout in ſe non diſtinguatur realiter à ſeipſa ut terminante humanitatem quantùm ad id, quod dicit in recto, diſtinguitur tamen realiter quantùm ad id, quod dicit in obliquo, & de connotato, ſcilicet quantùm ad connotationem humanitatis. Et hac ratione ſalvant noſtri Thomiſtæ in tract. de Incarnatione communiter, perſonam Chriſti eſſe ſimpliciter compoſitam ex Divina, & humana natura, licèt diſſidium aliquod ſit inter eos, an ſit compoſitio cum his, vel ex his. Et hac etiam ratione ſalvatur, Filium Dei dici genitum eſſe in tempore, paſſum, mortuum &c. Videnda etiam erunt quæ dicam art. 3. §. 3. ad 2. & 3. arg.

Reſp. deindè diſt. ant. per accidens ex aliquo impedimento, concedo, per ſe, nego ant. & conſequentiam. In Chriſto enim id fuit per accidens, quia ab exiſtentia Divina, quæ per actionem aſſumptivam fuit humanitati Chriſti communicata, fuit impeditum, ne actio generativa, & productiva humanitatis Chriſti produceret etiam propriam ejus exiſtentiam humanam.

Ex quibus patet, quòd exiſtentia non educitur de eſſentia, licèt diſtinguatur ab illa. Non, inquam, quia ad hoc, ut unum ex alio educatur non ſufficit, ab illo diſtingui, ſed ulteriùs requiritur, quòd illud antecedenter exiſtat per aliam actionem productum. Undè ad ſummum ſi forma educitur, exiſtentia dicetur coeduci. Vid. Guerinois ubi ſupra ad 7.

53. Arg. 9. Quoties unum realiter diſtinguitur ab alio, poteſt ab ipſo ſeparatum exiſtere; ſed nec eſſentia poteſt exiſtere ſine exiſtentia, nec exiſtentia ſine eſſentia: ergo exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſſentia.

Reſp. diſtinguo maj. quoties unum diſtinguitur realiter ab alio, nec eſt cum illo connexum, concedo, aliter, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Et patet in materia & forma. Videantur dicta in hoc 1. Phyſ. quæſt. 2. art. 4. §. 1. ad 5. arg. & in Logica Syntag. 4. q. 5. art. 1 §. 2. num. 8.

54. Arg. 10. & ultimò. Si exiſtentia diſtingueretur realiter ab eſſentia, reciperetur in illa; ſed hoc eſt falſum: ergo exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſſentia. Prob. min. Exiſtentia nequit recipi in nihilo; ſed eſſentia pro priori ad exiſtentiam eſt nihil: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſtinguo min. eſt nihil exiſtentiæ, concedo, eſt nihil eſſentiæ, ſubdiſtinguo pro priori temporis, & in quo, tranſeat, pro priori à quo & naturæ, nego min. & conſequentiam. Dixi *tranſeat*, quia adeſt ſententia probabilis inter Thomiſtas in Metaphyſica volens, quòd eſſentiæ rerum etiam pro priori temporis, & in quo, imò ab æterno ſint præter Deum quid reale poſitivum, non quidem in actu exercito participiale, ſeu exiſtentiale, ſed in actu ſignato nominali, ſeu eſſentiali.

Dices. Si exiſtentia reciperetur in eſſentia, reciperetur in illa ut in ſubjecto inhæſionis, & eſſet accidentalis, ſeu accidens; ſed hoc iterum eſt falſum; ergo nequit exiſtentia recipi in eſſentia. Maj. patet, quia quod recipitur in eſſentia integra, recipitur in illa ut in ſubjecto inhæſionis, & ut accidens, cùm non ſit prædicatum eſſentiale. Min. etiam conſtat, aliter ſubſtantia exiſteret per exiſtentiam accidentalem.

Ad hoc dicunt nonnulli, quòd eſt accidens prædicabile, & non prædicamentale.

Tamen iſti non evacuant difficultatem. Nam accidens prædicabile, quando non eſt accidens prædicamentale, eſt ſubſtantia, licèt non prædicetur eſſentialiter, ſicut eſſe aureum, vel argenteum, vel æneum &c. quod eſt accidens prædicabile reſpectu V. G. ſigilli, anuli &c. in ſe eſt ſubſtantia, licèt non dicatur eſſentialiter de anulo, ſigillo &c. Exiſtentia autem non eſt ſubſtantia, ſecùs cùm habeat informare, ſeu actuare eſſentiam, eſſet forma ſubſtantialis.

Alii dicunt, quòd eſt modus ſubſtantialis. Sed neque iſti evacuant difficultatem. Quandoquidem iſte modus modifican-

ficando eſſentiam informat, & actuat eam. Tum ſic: vel informat accidentaliter, ſeu inhærendo, & ſic erit accidens. Vel informat ſubſtantialiter, ſeu non inhærendo, ſicque erit forma ſubſtantialis. Hoc autem eſt impoſſibile, quia forma ſubſtantialis eſt illa, quæ dat primum eſſe materiæ. Aliter ergo

Reſp. quòd eſt formaliter accidens, tamen eſt virtualiter ſubſtantia, non quidem virtualiter entitativè, ſeu præcontinentia & eminentia entitativa (quia accidens nequit eminenter præcontinere entitatem ſubſtantiæ) ſed purè virtualiter terminativè, ſeu præcontinentia, & eminentia purè terminativa; eo modo, quo punctum V. G. dicitur diviſibile virtualiter terminativè, aut continuativè, quatenus terminat, & continuat partes diviſibiles, non verò virtualiter entitativè.

Secundò, quòd in eſſe entis abſolutè eſt accidens, tamen in eſſe exiſtentiæ nec eſt accidens, nec ſubſtantia, ſed eſt præcisè terminus eſſentiæ, vel ſubſtantiæ. Illa autem diviſio adæquata entis in ſubſtantiam & accidens, de qua diximus in hoc 1. Phyſ. q. 1. art. 2. §. 2. eſt diviſio entis abſolutè accepti, non verò entis terminativè accepti. Sicut ſolet dici à noſtris, & nos dicemus in lib. de Anima, quòd ſpecies intentionalis in eſſe naturali eſt interdum ſubſtantia, ut in Angelo ſpecies, qua cognoſcit ſeipſum; aliquando accidens; Tamen in eſſe intentionali nec eſt accidens, nec ſubſtantia. Et quod diviſio illa entis in accidens, & ſubſtantiam eſt diviſio entis in eſſe naturali.

Dices. Accidens eſt illud, quod advenit rei jam exiſtenti; ſed exiſtentia non advenit eſsentiæ jam exiſtenti: ergo nec formaliter, & abſolutè poteſt eſse accidens.

Reſp. maj. eſse veram de accidenti, quod eſt præcisè accidens etiam terminativè, nec eſt terminus completivus eſſentiæ in linea eſsentiæ.

55. Aliud arg. quod objici hic poſſet, ſolvetur q. ſequenti art. 2. §. 3. ad ult. inſtantiam, ejuſque conſ. contra reſponſum dandum ad 1. arg.

Ex dictis colligi poteſt, quòd quando S. Th. p. p. quæſt. 50. art. 5. dicit, quòd eſse comparatur ad formam ſicut rotunditas ad circulum intendit facere paritatem, non quoad omnia, ita quòd ſicut rotunditas non diſtinguitur realiter à circulo, ita exiſtentia non diſtinguatur realiter ab eſsentia; ſed ſolùm quò ad aliqua, quantum ſcilicet ad hoc, quod quemadmodum circulus nequit ſtare ſeparatus à rotunditate, aut è contra; ita nec eſsentia ſine exiſtentia, aut è contra. Quando autem q. 42. art. 1. ad 1. dicit, quòd primus effectus formæ eſt eſse, loquitur de primo effectu provenienteab extrinſeco, non verò de primo effectu proveniente ab intrinſeco, qui eſt ipſa forma communicata. Cæterùm de mente S. Thomæ ſatis conſtat ex dictis à nobis §. 2. n. 3.

Colligi etiam poteſt, quòd neque accidens poteſt realiter identificari cum ſua exiſtentia tametſi obtineret exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ. Tum quia ſi accidens identificaret ſibi exiſtentiam, multò magis illam ſibi identificaret ſubſtantia; tunc autem, ut conſpeximus ad 4. arg. §. 5. ſubſtantia identificaret ſibi accidentia, ſicque nulla ampliùs extarent accidentia. Tum quia foret & ipſum infinitum, nec ampliùs reciperetur in ſubjecto. Sicut enim diximus ad 4. quòd ſubſtantia identificata cum exiſtentia non reciperet accidentia, ita nec accidens identificatum cum exiſtentia reciperetur in ſubjecto.

Colligi denique poteſt, quòd quando S. Th. p. p. q. 8. art. 1. ex eo probat, Deum eſse intimè in omnibus rebus, quia eſse, quod eſt effectus proprius Dei, magis eſt intimum cuilibet rei, & profundiùs ineſt; per ly *intimum*, & *profundiùs* intendit idem ac immediatum, & proximius, non verò identificatum. Eapropter non obſtat, quin poſſit extare aliquid magis intimum rei, nimirum eſsentia per identitatem. Et hoc nitet ex eo, quòd ibi S. Doctor vult probare, Deum eſse intimè, ideſt immediatè per ſeipſum in omnibus rebus actualibus completis, non verò quòd ſit cum illis identificatum.

Videri etiam poteſt Cavin. in tract. de Mundo diſp. 3. quæſt. 1. §. 7.

Vel dic, quòd loquitur de eſse quod eſt commune eſſentiæ, & exiſtentiæ, uti dicam art. ſequenti 2. §. 3. ad ult. arg. ſub num. 9.

§. VI.

SECUNDA CONCLUSIO.

Exiſtentia diſtinguitur realiter ab Eſsentia ut modus à re.

56. PRob. Exiſtentia vel ſumitur formaliter ut exiſtentia, ſeu ut terminus. Et hoc modo nec eſt res, nec eſt modus, ſed eſt purè terminus, quia diviſio entis in rem & modum eſt diviſio entis abſolutè, non verò præcisè in ratione termini, juxta nuper dicta ad ult. arg. Vel ſumitur in eſſe entis. Et hoc modo (ut diximus ad ult. arg.) eſt quoddam accidens, & quidem incompletum, cùm ad nullum ex prædicamentis formaliter ſpectet. Secundùm alios autem negantes, eſse accidens prædicamentale, cùm non ſit ipſa ſubſtantia in recto, nequit eſse, niſi quidam modus ſubſtantialis. Ex his

Conſ. Exiſtentia ſolùm reductivè non verò directè ſpectat ad prædicamentum; ſed ſpectare reductivè ad prædicamentum eſt proprium modi: ergo exiſtentia eſt modus, adeoque ſolùm realiter modaliter diſtinguitur ab exiſtentia.

Nec valet dicere quòd ſpectat reductivè non ut contenta, ſed ut continens omnes gradus in ratione ultimæ actualitatis, & veluti cauſæ formalis: ſicut Deus dicitur poni reductivè, non ut contentus in aliquo prædicamento, ſed ut continens omnia prædicamenta in genere cauſæ efficientis.

Non, inquam, juvat, Tum quia hoc modo ſicut omnia prædicamenta reducuntur ad Deum in genere cauſæ efficientis, ita omnia reducerentur ad exiſtentiam in genere cauſæ formalis, ſicque eſset ſuo modo infinita non minùs, ac Deus. Tum quia exiſtentia dicitur poni reductivè in prædicamento quatenus reducitur ad ſpeciem & genus illius rei, cujus eſt terminus, eò quòd terminus reducitur ad genus & ſpeciem ejus cujus eſt terminus V. G. punctum ad genus & ſpeciem quantitatis &c.

57. Objic. 1. S. Th. opuſc. 48. cap. 2. dicit, quòd exiſtentia, & eſsentia ſunt duæ res: ergo &c.

Reſp. primiter dubium eſse, num opuſculum illud ſit D. Th. quod indicant minutiores characteres, quibus in editione Romana habetur, & D. Antoninus negat, quòd ſit à Th. conſcriptum. Deinde dicimus, quòd ſumit rem, non ſtrictè, ſed latè prout eſt terminus tranſcendens comprehenſus in illa littera *Reabas*. Quo pacto quidquid eſt in Univerſo eſt res.

58. Objic. 2. Exiſtentia eſt ſimpliciter perfectior eſsentia: ergo nequit eſse purus illius modus. Ant. prob Tum quia exiſtentia conſtituit eſsentiam in ratione entis realis ſimpliciter; Tum quia in ordine ad exiſtentiam ſumitur tota ratio entis.

Reſp. negn ant. loquendo præcipuè de exiſtentia in eſse entis. Ad prob diſt. ant. conſtituit eſsentiam in ratione entis ſimpliciter participialis, ſeu exiſtentialis, concedo, in ratione entis eſsentialis, ſubdiſtinguo, ut conditio, tranſeat, ut ratio formalis, nego. Idem dico ad 2. prob. Per ordinem enim ad exiſtentiam ſumitur tota ratio entis participialis, ſeu exiſtentialis, non verò entis eſsentialis, niſi ad ſummum tanquam per ordinem ad conditionem. Nam eſsentia licèt habeat ab exiſtentia tanquam à ratione formali, quod exiſtat, non tamen habet ab exiſtentia tanquam à ratione formali eſse eſsentiæ, aliter exiſtentia eſset vel *ut quod*, vel ſaltem *ut quo* prædicatum eſsentiale, ſed ad ſummum tanquam à conditione, in ſententia, quòd pro priori in quo & temporis ad exiſtentiam ſit nihil.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Exiſtentia ſit perfectior ſimpliciter Eſsentia.

§. I.

1. DEcertatio iſta ſupponit, inter eſsentiam & exiſtentiam extare diſtinctionem aliquam, vel realem, quam nos art. prægreſso propugnavimus, vel formalem, vel ſaltem virtualem, cùm certum ſit, idem non poſſe ſecundùm eandem rationem eſſe perfectius, & imperfectius ſeipſo.

Triplex hac in re extat ſententia. Prima tenet, quòd exiſtentia

ſtentia ſit ſimpliciter perfectior eſsentia, hæc verò ſit perfectior illa ſecundùm quid. Hanc tuetur Ferrarienſis, Banez, Cajet., Navarete, Martinez, quos refert, & ſequitur Cavinus in tract. 1. de Mundo diſp. 3. q. 1. §. 8. & alii præclpuè io m. ſ. clariſſimi cujuſdam ex noſtris.

Secunda huic extremè oppoſita defendit, quòd eſsentia ſit ſimpliciter perfectior, licèt exiſtentia poſſit dici ſecundùm quid perfectior eſsentia., Hanc propugnant Soncinas 4. Metaphyſicæ q. 13. Zumel, Nazarias, Marleſta, & alii apud Martinez de Prado, quibus adhæret etiam Scotus.

Tertia media via procedens dicit, quòd abſolutè loquendo nec exiſtentia poteſt dici ſimpliciter perfectior eſſentiâ, nec eſſentia ſimpliciter perfectior exiſtentiâ, ſed mutuò ſe excedentes eſse in diverſo ordine, ſeu diverſa ratione conſideratas, puta in ratione entis & actualitatis. Videtur enim, quòd eſsentia in ratione entis ſimpliciter excedat exiſtentiam, cùm eſsentia ſit ens completum, & exiſtentia ens incompletum; in ratione verò actualitatis videtur, quòd exiſtentia excedat ſimpliciter eſsentiam. Hujus opinionis fuit Nazarius p. p. q. 3. art. 4. poſt ſecundam controverſiam. Vel aliter ſe ad invicem excedere conſideratas in genere entis, & actualitatis, & in genere limitationis, ſeu ſpecificationis; itaut ſi conſideretur exiſtentia ſecundùm ſe ut actualitas ultima eſt, excedit ſimpliciter eſsentiam, ſi verò ut talis exiſtentia eſt, puta ut recepta in tali eſsentia, & ab ipſa ſpecificata, & limitata V. G ad eſse Hominem, vel Equum, ad eſse album, vel nigrum, &c. exceditur ab eſsentia. Sic ſentit Jo: à S. Th. & Alexander à Jeſu.

§. II.

CONCLUSIO.

Eſſentia eſt ſimpliciter perfectior ſua Exiſtentia.

2. PRobatur ratione ſimul & authoritate D. Th. qui p. p. q 76. art. 6. dicit, quòd *eſſe, nullas diſpoſitiones ad ſui receptionem requirit*. Et reapſe non ſunt aſſignabiles iſtæ diſpoſitiones. Si autem exiſtentia eſset ſimpliciter perfectior eſsentia ſecundùm aliquam rationem, vel æqualiter perfecta, plures diſpoſitiones requireret, quàm ad eſſentiam vel ſaltem æquales; quia videmus, quòd plures diſpoſitiones requiruntur, quò aliquis actus eſt perfectior. Undè plures diſpoſitiones requiruntur, ut aliquod ſit vivens, quàm ut ſit corpus, plures ut ſit ſenſitivum, & multò plures, ut ſit rationale.

Nec valet dicere cum illo prælaudato in m. ſ. quòd S. Th. negat, requiri diſpoſitiones, quæ ſint mediæ inter eſsentiam, & exiſtentiam. Cùm quo tamen ſtat quòd omnes diſpoſitiones ad formam ſint etiam, & magis diſpoſitiones ad exiſtentiam. Imò ipſamet forma (inquit Navarete) eſt diſpoſitio ad exiſtentiam.

Non, inquam, quia diſpoſitiones illæ ſunt diſpoſitiones proportionatæ operationibus, puta organa, quibus poteſt ſentire &c. ergo ſunt diſpoſitiones ſolùm pro forma, & non pro exiſtentia. Prob. conſequentia. Eſsentia eſt principalior ratio operandi, per quam agens ſibi aſſimilat effectum in forma per quam agit, non verò exiſtentia. Imò in aliquorum ſententia nullatenus eſt operativa, cùm ſit de linea eſsendi, & non de linea operandi, adeoque dicitur pura conditio neceſsariò requiſita ad operandum, ut art. 4. videbimus.

Dicere autem, quòd forma ſit diſpoſitio ad exiſtentiam, eſt error, & non opinio; quia eſt dicere, quòd forma ſit ut deſerviat exiſtentiæ. Hoc autem eſt magnus error; quia exiſtentia potiùs eſt ut deſerviat formæ, ſcilicet ut faciat eam exiſtere. Undè ſi per impoſſibile extaret exiſtentia ſine forma, puta in materia, certè eſset quid deforme informe, & proinde viliſſimum; at ſi per impoſſibile extaret forma ſine exiſtentia, eſset adhuc conſtitutivum rei, diceretur-que forma, ideſt pulchritudo, eò quòd materiam formet, & ornet. Sanè tota pulchritudo materiæ, eſt forma, non verò exiſtentia.

Nec iterum dicere cum eodem valet, quòd ad exiſtentiam non dantur diſpoſitiones, non quia non ſit perfectior, ſed quia foret abire in infinitum, eò quòd illa diſpoſitio indigeret alia diſpoſitione, qua uniretur cum ſua exiſtentia, & iterum hæc ſecunda, diſpoſitione, ut uniretur cum ſua exiſtentia, & ſic in infinitum.

Non, inquam, juvat: Tum quia dicere, quòd ad exiſtentiam non dantur diſpoſitiones, quia foret abire in infinitum, eſt probare, quòd ad exiſtentiam non dentur diſpoſitiones; ſed hæc eſt ratio quare nos probamus, exiſtentiam eſse imperfectiorem eſsentia; quia ſcilicet ad illam nullæ dantur diſpoſitiones ſimpliciter quæ aliàs dari deberent ſi eſset ſic perfecta: ergo reſponſum hoc vel probat noſtram concluſionem, vel ſaltem eſt petitio principii. Tum quia falſum eſt, quòd illa diſpoſitio indigeret alia diſpoſitione, ut uniretur cum exiſtentia; quia unum *quo* non indiget alio *quo*, ſicut lux, quæ eſt id, quo aliquid videtur, non indiget alia luce, qua videatur. Diſpoſitio autem ad exiſtentiam eſt id, quo aliquid diſponitur ad exiſtentiam.

3. Prob. 2. Exiſtentia vel ſumitur entitativè. Et hoc modo vel eſt accidens, vel ſecundùm alios eſt modus ſubſtantialis, ſi eſt exiſtentia ſubſtantiæ ut vidimus art. præcedenti tum §. 5. ſub num. 14. ad ult. arg. tum §. 6. concl. 2. ſed accidens eſt imperfectius ſimpliciter ſubſtantia, & modus eſt ſimpliciter imperfectior re, cujus eſt modus: ergo & exiſtentia erit ſimpliciter imperfectior eſſentia. Vel ſumitur terminativè. Et hoc modo eſt major perfectio ſolùm ſecundùm quid, ſeu cum addito, ſcilicet cum illo addito *terminativè*, aliter etiam punctus eſſet perfectior ſimpliciter quantitate quam terminat.

4. Prob. 3. Eſſentia, non verò exiſtentia eſt id, undè tota rei perfectio ſimpliciter menſuratur: ergo eſſentia erit ſimpliciter perfectior exiſtentia, & non è contra. Ant. patet. Nam ratione ſuæ eſſentiæ vivens eſt perfectius ſimpliciter non vivente; & alia quælibet, puta ſenſitivum perfectius non ſenſitivo, & rationale perfectius irrationali.

Nec juvat dicere cum Clariſſimo illo in m. ſ. quòd eſſentia eſt perfectior perfectione ſolùm comparativa, exiſtentia verò eſt perfectione abſoluta.

Non, inquam, juvat: Tum quia hìc ſit ſermo de perfectione comparativa, cùm comparemus perfectionem exiſtentiæ cum perfectione eſſentiæ, & è contra. Tum quia major perfectio cujuslibet rei eſt comparativa, cùm quælibet res ſit ſemper vel perfectior, vel imperfectior alia, etiam loquendo de perfectione exiſtentiæ, aliter exiſtentia rei ſpiritualis ſpiritualiter exiſtentis non eſſet perfectior exiſtentia rei materialis materialiter exiſtentis: ergo ſi non eſt perfectior perfectione comparativa, nec erit perfectior perfectione abſoluta.

Nec iterum dicas cum Cav. in tract. 1. de Mundo diſp. 3. q. 1. §. 9. hinc ſolùm ſequi majorem perfectionem materialem. Non, inquam, quia pugna eſt in terminis dicere, quòd eſt major perfectio eſſentialis, & quòd eſt major perfectio ſolummodo materialis, cùm majoritas materialis ſit potiùs majoritas imperfectionis. Qua ratione in Logica Thomiſtæ propugnando, quòd genus nequeat ſalvari in unica ſpecie, benè verò ſpecies in unico individuo, dicunt, quòd differentiæ individuales, ceu materiales, non addunt ſpeciei perfectionem eſſentialem. Nec eſt verum quòd idem Cav. ait, nimirum, quòd differentia ſpecifica ideo addat generi perfectionem eſſentialem, quia magis accedit ad exiſtentiam. Non, inquam, quia ſecùs majorem perfectionem eſſentialem addere ſpeciei deberent differentiæ individuales, quæ, ceu ultimæ differentiæ, magis, quàm differentia ſpecifica accedunt ad exiſtentiam. Cùm ergo exiſtentia nullam eſſentialem perfectionem addat etiam in ratione ultimæ actualitatis; Idcircò etiam ſub hac ratione erit imperfectior.

5. Prob. Demum quia, ut diximus art. præcedenti §. 6. exiſtentia non ſpectat directè ad aliquod prædicamentum, ſed ſolùm reductivè. Cùm ergo proprium ſit imperfecti reduci ad perfectum, & non è contra, jam exiſtentia erit ſimpliciter imperfectior &c. Videatur ibi, ubi etiam impugnavimus reſponſum cujuſdam dicentis, quòd ſpectat reductivè per exceſſum, non verò per defectum. De hoc iterum infra art. 5. §. 2. & §. 3. ad 1. arg.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

6. ARg. 1. In quolibet ordine actus adæquatus eſt ſimpliciter perfectior potentia per ſe primò ordinata ad illum; ſed exiſtentia eſt actus adæquatus, ad quem per ſe primò ordinatur eſſentia: ergo exiſtentia eſt ſimpliciter perfectior eſſentia. Min. patet ex definitione eſſentiæ, dicitur enim, quòd ſit *id, cujus actus eſt eſſe*, ſeu quòd ſit *poten-*

tia ad eſſe. Maj. etiam conſtat tum inductione formæ reſpectu materiæ, operationis reſpectu potentiæ operativæ, & univerſaliter de quocunque actu adæquato, ad quem per ſe primò ordinatur, nec dabitur inſtantia in contrarium. Tum ratione à priori, eò quòd unumquodque intantum eſt perfectum, inquantum eſt in actu: ergo actus eſt ſimpliciter perfectior potentia, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis.

Reſp. diſtinguo maj. ſi ſit actus, ad quem per ſe primò ordinetur tanquam ad ſui ſpecificativum, concedo, tanquam ad ſui purum terminativum, & completivum, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Quando igitur potentia per ſe primò ordinatur ad aliquem actum tanquam ad ſui ſpecificativum, ſeu dantem ſpeciem, ut materia ad formam, potentia & habitus ad actus, & actus ad objecta, tunc actus eſt ſimpliciter perfectior potentia. Secùs verò ſi per ſe primò ordinetur ad illum ut ad purum terminativum, & completivum. Cujus exemplum in promptu habemus de puncto, & lineis, ad quæ per ſe primò ordinatur quantitas figuralis, & tamen nec puncta, nec lineæ ſuperant in perfectione figuram, non obſtante, quòd figura definiatur per ordinem ad puncta & lineas terminantes dicendo quòd *reſultat ex terminatione partium quantitatis*. Eſſentia autem per ſe primò ordinatur ad exiſtentiam, non ut ad ſui ſpecificativum, cum ex ſe & ex ſuis eſſentialibus ſpecificis prædicatis eſſentia habeat eſſe ſpecies, V. G. eſſentia Hominis per eſſe animal rationale; ſed ſolùm ut ad ſui purum terminativum, quod actuat, non ut exiſtentia, cùm ut exiſtentia dicat ſolùm eſſe terminum, ſed ut accidens eſt, ut ſatis diximus art. 1. §. 5. ad ult. arg. ſub num. 14.

Contra primò. Quoties definitur unum per ordinem ad aliud, ordinatur per ſe primò ad illud ut ad ſui eſſentiale ſpecificativum; ſed, ut vidimus, eſſentia definitur in ordine ad exiſtentiam: ergo ordinatur ad illam ut ad ſui eſſentiale ſpecificativum.

Secundò. Etiam relatio ordinatur per ſe primò ad terminum; & tamen ordinatur ad illum ut ad ſui ſpecificativum, & terminus eſt ſimpliciter relatione perfectior: ergo non obſtante, quòd eſſentia ordinetur ad exiſtentiam ut ad purum terminum, adhuc ordinabitur ad illum ut ad ſui eſſentiale ſpecificativum ſimpliciter perfectius ſeipſa.

Reſp. ad 1. primiter omiſſa maj. diſtinguo min. definitur definitione propriè dicta, & eſſentiali, nego, impropria, vel ſolùm deſcriptiva, concedo min. & nego conſequentiam. Eſſentia enim ut ſic cùm ſit analoga, & non univoca, ceu communis omni eſſentiæ tum accidentis tum ſubſtantiæ, nequit unica definitione definiri; quia analoga cùm non unam, ſed plures importent eſſentias, nequeunt unica definitione definiri. Undè illa definitio vel eſt deſcriptio, vel (meliùs dicam) eſt quædam circumlocutio. Benè verò poſtea quælibet eſſentia determinatæ ſpeciei definitur per ſuum genus & ſpeciem V. G. Homo per animal rationale.

Per quod patet ad 2. Nam vel ſumitur relatio ut ſic, & iſta, ut vidimus in Logica, cùm ſit ſupremum genus carens differentia propriè tali, non eſt propriè definibilis. Vel ſumitur relatio talis vel talis ſpeciei, & tunc clara eſt diſparitas, quia talis relatio eſt propriè definibilis, non verò eſſentia ut ſic propter jam dicta.

Deindè ad 1. diſt. maj. Si ſit aliquod non habens ex ſe ſuam eſſentiam, concedo, aliter, nego maj. & omiſſa min. nego conſeq.

Per quod iterum patet ad 2. Nam ultraquamquod omnino gratis ſupponit, terminum eſſe ſimpliciter perfectiorem relatione, adhuc lata eſt diſparitas; quia relatio non habet ex ſe eſſentiam. Et certè ſi argumentum hactenus factum valeret, ſequeretur, etiam eſſentiam habere ſuam ſpeciem ab exiſtentia. In quo tamen res ſe habet oppoſito modo, cùm, ut diximus, § 2. num. 5. & loco ibi relato, potiùs ab eſſentia accipiat ſpeciem exiſtentia, quæ de ſe directè ad nullam ſpeciem, aut genus pertinet, ſed reducitur ad genus, & ſpeciem rei, cui eſt terminus. Quemadmodum etiam ſubſiſtentia dicitur *Perſona*, ſi eſt in natura rationali, *ſuppoſito* verò in natura ſive irrationali, ſive rationali.

Inſt. Licèt eſſentia determinata habeat ex ſe ſpeciem, tamen eſſentia ut ſic non habet ex ſe ſpeciem: ergo prout ſic definitur in ordine ad ſui exiſtentiam ut ad actum ſpecificativum, ſicque ſaltem eſſentia ut ſic erit imperfectior ſimpliciter. Subſumitur min. ſed quod convenit rationi communi ut ſic eſſentialiter, convenit omnibus inferioribus: ergo etiam quælibet eſſentia in particulari erit ſimpliciter imperfectior exiſtentia.

Reſp. diſt. ant. eſſentia ut ſic non habet ex ſe eſſentiam univocam, concedo, analogam, nego ant. & conſequentiam. Vel aliter diſt ant. non habet unam eſſentiam, concedo, non habet plures eſſentias, nego. Eſſentia enim ut ſic habet eſſentiam, ſed analogam, quatenus importat omnem eſſentiam ſive accidentalem, ſive ſubſtantialem; & ideo dixi non eſſe unica definitione definibilem.

Ad 2. prob. poſitam in argumento à principio diſt. maj ſi ſit actus eſſentialis, concedo, ſi ſit actus non eſſentialis, ſubdiſtinguo; unumquodque eſt perfectum inquantum eſt in actu perfectione eſſentiali, nego: perfectione non eſſentiali, ſed exiſtentiali, concedo ant. & nego: conſequentiam. Videantur dicta §. 2. in 3. prob. ſub num. 4 & iterum q. ſequenti art. 3. §. 3. ad 5.

7. Arg. 2 Quò magis aliquid eſt actuale, eſt perfectius; ſed exiſtentia eſt actualior eſſentia, cùm ſit illius ultimus actus: ergo exiſtentia eſt ſimpliciter perfectior eſſentia.

Reſp ut ſupra diſt. maj. ſi ſit magis actuale actualitate eſſentiali, concedo, ſi ſit magis actuale actualitate ſolùm non eſſentiali, nego maj & diſtincta min. nego conſeq. Undè ex hoc colligitur ſolùm quædam major perfectio ſecundùm quid.

Contra. Quod eſt actualius actualitate eſſentiali eſt ſimpliciter perfectius; ſed exiſtentia eſt actualior eſſentia eſſentialiter eſſentialitate ſibi, licèt non eſſentialitate eſſentiæ, quam terminat: ergo erit ſimpliciter perfectior eſſentia. Min. patet quia eſſentia exiſtentiæ eſt actualior eſſentia ipſius eſſentiæ, quam terminat: ergo &c.

Reſp. diſt maj ſi ſit eſſentia ſeu habeat eſſentiam directè in ſpecie aliqua collocatam, concedo, ſi ſolùm reductivè, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq Reſponſum ex dictis patet.

Nec juvat dicere, quòd pertinet reductivè per exceſſum, & non per defectum. N..., nquam, quia hoc jam impugnavimus § 2 in 3 prob ſub num 4.

Inſt Operatio quia eſt actualior potentia eſt ſimpliciter perfectior potentia; & tamen operatio non eſt aliquid eſſentiale: ergo pariter exiſtentia licèt non ſit aliquis actus eſſentialis eſſentiæ; tamen quia eſt actualior eſſentia, erit ſimpliciter perfectior, ſaltem in ratione ultimæ actualitatis.

Reſp. diſt, ant. eſt ſimpliciter perfectior potentia radicali, quæ eſt ſubſtantia, nego (tunc enim eſt perfectior ſolùm ſecundùm quid ratione ſuæ majoris actualitatis, niſi ſit operatio ſupernaturalis, ut eſt viſio beatifica &c. quæ ſunt accidens ſupernaturale. Et ſic retorquetur arg.) eſt perfectior potentia proxima, quæ eſt accidens, concedo ant. & nego conſeq. quia tunc lata eſt diſparitas: Tum quia potentia, ut diximus ad 1. arg. ſpecificatur ab actu, non ſic verò eſſentia ab exiſtentia, aliter eſſentia haberet ſuam ſpeciem ab exiſtentia. Tum quia etiam ipſa potentia eſt accidens, quod poteſt ab accidenti perfectiori excedi. Eſſentia autem multoties eſt ſubſtantia, & exiſtentia accidens, ut diximus §. 2. ſub num 3. in 2 prob. Vide etiam quod dico lib. 1. & 2. de Anima q 1. art. 1. § 3 ad 4.

8. Arg. 3. Finis eſt ſimpliciter perfectior iis, qui ſunt ad finem, ut patet in Deo, qui eſt finis omnium creaturarum; ſed exiſtentia eſt finis eſſentiæ: ergo exiſtentia eſt ſimpliciter perfectior eſſentia. Min. conſtat Nam eſſentia eſt propter exiſtentiam, quia eſt ut ſit, ſeu ut exiſtat.

Reſp. primodùm nego min. Ad prob. in ſententia probabili noſtra poteſt negari ſuppoſitum. Supponit enim, quòd eſſentia antequam exiſtat ſit, & quod tunc ſit propter eſſentiam. Non enim in ſe eſt, niſi dum exiſtit, & tunc nequit dici, quòd ſit, ut exiſtat, aliter idem eſſet ac dicere, quòd exiſtit, ut exiſtat.

Deinde nego min. Ad prob. diſt. ſi eſſentia conſideretur reduplicativè ut futura, vel ut poſſibilis, concedo, ſi conſideretur abſolutè & ſecundùm ſe, nego.

. Demum nego iterum min ſi loquatur de fine ultimo. Ad prob diſt. ant eſt propter exiſtentiam tanquam propter finem intermedium, concedo, tanquam finem ultimum, nego. Finis enim ultimus creatus eſſentiæ eſt ipſamet eſſentia, quæ ut ponenda extra cauſas per exiſtentiam eſt finis ſui ipſius ſecundùm ſe conſideratæ.

Imò potiùs eſſentia eſt finis exiſtentiæ, & exiſtentia eſt propter eſſentiam, ſcilicèt ut reddat exiſtentem ipſam eſſentiam.

Nec

Nec juvat dicere, quòd eſſentia eſt ſolùm finis *cui*, non verò finis *cujus gratia* ipſius exiſtentiæ. Non, inquam. Nam eſt etiam ipſa finis cujus gratia, quia, ut vidimus §. 2. num. 2. in 1. probatione circa medium, exiſtentia eſt ut deſerviat eſſentiæ.

Adde, quòd exiſtentia ſolùm grammaticaliter dici poteſt finis eſſentiæ, quatenus eſt id in quo ultimò finitur, ſeu terminatur eſſentia eo proportionali modo, quo punctum eſt finis quantitatis; non verò finis intentus, ſcilicet propter quem eſt intenta eſſentia. Iſte enim finis poteſt dici pulchritudo Univerſi, quæ conſiſtit in eſſentiarum varietate ut in formali, & in exiſtentia ut in conditione.

9. Arg. poſtremò. Ariſt. vocat *eſse maximum Dei beneficium*, & S. Th. q. 7. de poſt. art. 2. ad 9. inquit *hoc, quod dico eſse eſt inter omnia perfectiſſimum, quia actus ſemper eſt perfectior potentia*. Idem habet p. p. q. 4. art. 1. & alibi, & ibidem de pot. ad 10. ait, quòd *eſse tenet locum ultimi finis, quia producuntur res ut ſint*, & p. p. q. 8. art. 1. & q. 45. art. 5. & alibi ſæpè ait, quòd *eſſe, ſeu exiſtere eſt propriiſſimus effectus Dei*: ergo &c.

Reſp. ad authoritatem Philoſophi eum loqui de eſſe prout comprehendit tam eſſentiam, quàm exiſtentiam, ſcilicet eſſentiam individuatam, ſeu contractam ad tale individuum eſſe maximum Dei beneficium collatum tali individuo. Deinde & ad authoritatem Philoſophi, & ad primam authoritatem D. Thomæ, eos loqui de majoritate beneficii, & de majoritate perfectionis ſecundùm quid, non verò ſimpliciter.

Contra. Superlativa videntur importare exceſſum ſimpliciter, & non ſecundùm quid tantùm; ſed Ariſt. & D. Th. loquuntur per illa ſuperlativa, ſcilicet *maximum, perfectiſſimum*: ergo loquuntur de beneficii, & perfectionis majoritate ſimpliciter.

Reſp. diſt. maj. videntur importare exceſſum ſimpliciter extenſivum, concedo, ſemper intenſivum, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Hoc enim conſueverunt etiam Grammatici, quòd quando unus excedit alium vel paucos tantùm in aliqua re, exprimant per nomina comparativa, etiam ſi excedat ſimpliciter ut V. G. *fortior*, *doctior* &c. ſi verò excedat omnes, tametſi exceſſus ſit duntaxat ſecundùm quid, exprimant ſuperlativis nominibus, ut ſi V. G. diceretur Logica eſt omnium ſcientiarum nobiliſſima, quia Modum ſciendi aliis Scientiis præbet, eſſet locutio per ſuperlativa; & tamen eſſet ſermo de majori nobilitate ſecundùm quid, cùm aliàs habeat objectum inter cætera ſcientiarum objecta ignobilius, ſcilicet ens rationis. Undè quia exiſtentia in illa ſua majori actualitate, aliàs non eſſentiali, excedit quamlibet eſſentiam, ideo per nomina ſuperlativa exprimitur ejus perfectio, licèt ſolùm ſecundùm quid talis.

Ad 2. authoritatem D. Thomæ Reſp. primitùs, quòd dum S. Th. dicit, quòd tenet locum ultimi finis, vult innuere, non habere propriè rationem finis ultimi, ſed ſolùm eſſe finem futuritionis eſſentiæ. Quod eſt eſſe finem impropriè, ſicut in definitione quod ſolùm tenet locum differentiæ non eſt propriè differentia, vel dici finem ultimum per excluſionem ulterioris finis, præter ipſam eſſentiam, quæ (ut diximus ad 4. arg.) eſt ſecundùm diverſam rationem finis ſui ipſius.

Ad 3. primitùs Reſp. quòd D. Th. dicit ibi, quòd eſſe eſt propriiſſimus effectus Dei, non quia ipſum eſſe rei ſit perfectius, ſed quia Deus eſt ſuum eſſe per eſſentiam.

Deinde videbimus art. 3. §. 3 ad 7. arg. ſub num. 10. quòd D. Th. ibi loquitur de eſſe communi tam Eſſentiæ, quàm exiſtentiæ prout contradiſtinguitur à nihilo.

Cæterùm de mente D. Thomæ ſatis conſtat ex dictis à nobis §. 2. num. 2. in prima probatione.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Accidentia habeant propriam exiſtentiam realiter ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam.

§. I.

5. HIc iterum non minùs, ac art. præcedenti diviſi ſunt Thomiſtæ, apud quos duplex proinde viget ſententia.

Prima vult, Accidens quodlibet ſicut habet propriam eſſentiam completam, ita habere propriam exiſtentiam ab illa ſubſtantiæ diſtinctam, ipſique addere novum eſſe ſecundùm quid, non ſolùm eſſentiæ, verùm etiam exiſtentiæ. Hæc ſententia eſt in via Thomiſtica probabilior probabilitate extrinſeca, quia plures habet patronos, cùm eam defendant Cajet. de ente & eſſentia cap. 7. & p. p. q. 28. art. 2. Soncinas 7. Metaph. q. 5. Marietta, p. p. q. 3. art. 4. contr. 12. Flandr. 3. Metaph. q. 1. art. 5. Blaſius à concep. in Metaph. diſp. 6 q. 3 Zuchi in Metaph. q. 14. art. 4. quibus adhæret ſæpè memoratus Junior in m. ſ. & eam ſuſtinere tenentur omnes, qui volunt, exiſtentiam identificari realiter cum eſſentia, cùm accidens habeat eſſentiam realiter diſtinctam ab eſſentia ſubſtantiæ. Dicunt tamen, quòd accidens per illam exiſtentiam exiſtit duntaxat *ut quo*, & ſubjectum *ut quod*, non quidem abſolutè, quia ſubjectum abſolutè exiſtit per ſuam exiſtentiam ſubſtantialem, & non per exiſtentiam accidentis, ſed ſecundùm talem, vel talem denominationem, puta albi, dulcis &c.

Secunda ſententia vult, accidentia exiſtere per exiſtentiam ſubſtantiæ, ita ut per idem eſſe ſubſtantiale primariò exiſtat ſubſtantia, & ſecundariò accidens in illa ſubjectatum, quodam proportionali modo, ac per idem eſſe, quo primariò exiſtit compoſitum, intelliguntur de ſecundariò exiſtere materia & forma. Cum hac tamen differentia, quòd materia, & forma ceu ſubſtantia, exiſtunt ſecundariò ſubſtantialiter, accidentia verò exiſtunt de ſecundariò accidentaliter modo explicando §. 1. ad 1. arg. ſub num. 5. Hanc ex noſtris propugnant Soto, & Bannez abſolutè in ſua prima editione, & probabiliter in ſecunda editione, & Aug. de Rubeis in ſuis m. ſ. ex Exteris autem Ægidius Romanus.

Hæc ſecunda ſententia licèt minùs probabilis probabilitate extrinſeca in numero authorum conſiſtente; tamen videtur mihi probabilior probabilitate intrinſeca in majori rationum vi conſiſtente. Undè ſalva probabilitate primæ ſententiæ ſit

§. II.

CONCLUSIO.

Nullum Accidens habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſed omnia per eandem exiſtentiam ſubſtantiæ exiſtunt.

2. NOn dubito, eam eſſe de mente D. Th. cùm ipſe eam expreſſè docuerit opuſc. 37. art. 4. & aliis pluribus in locis, quæ affert Auguſtinus de Rubeis in m. ſ. ſed præcipuè p. 2. q. 110. art. 2. ad 3. ubi *accidens*, inquit, *non dicitur ens, quia ipſum eſſe habeat, ſed quia eo aliquid eſt. Undè magis dicitur eſſe entis ens, quàm ens, ut dicitur 7. Meth. Et quia ejus eſt fieri, vel corrumpi, cujus eſt eſſe; ideo propriè loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur, ſed dicitur fieri, vel corrumpi ſecundùm quod ſubjectum incipit, vel deſinit eſſe in actu ſecundùm illud accidens*. Hæc D. Th. Si autem accidens haberet propriam exiſtentiam, certè diceretur fieri, vel corrumpi, quando acquirit, vel amittit propriam exiſtentiam.

Dices cum prælaudato in autographo, quòd D. Th. negat accidens habere propriam exiſtentiam *ut quod*. Sed

Contra. Ideo D. Th. negat, habere propriam exiſtentiam, quia non habet proprium fieri; ſed nec *ut quo*, nec *ut quod* accidens habet diſtinctum fieri à ſubjecto, benè verò fit de ſecundariò per eandem actionem: ergo pariter exiſtit ſolùm de ſecundariò per eandem exiſtentiam ſubjecti. Ex his

3. Prob. concluſio & D. Th. ratiocinio. Quæ habent idem fieri habent eandem exiſtentiam, quia actio productiva terminatur ad exiſtentiam; ſed accidentia præcipuè propria habent fieri per eandem actionem: ergo etiam exiſtunt per eandem exiſtentiam.

Dixi præcipuè accidentia propria: quia de iſtis à nemine negari poteſt, quia qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe. Cæterùm etiam idem debet dici de accidentibus communibus; quia iſta etſi non fiant per illam actionem, per quam incepit ſubjectum eſſe abſolutè, tamen (ut vidimus cum D. Th.) fiunt per illam actionem, qua ſubjectum incepit eſſe ſecundùm illud accidens, puta album, dulce &c. Undè ſemper actio productiva accidentis etiam communis terminatur ad exiſtentiam ſubſtantiæ, non ſecundùm quod talis

exiſtentia reddit exiſtentem ſubſtantiam, ſed ſecundùm quod reddit exiſtens illud accidens.

Dices cum prælaudato Juniori, quòd maj. noſtræ probationis verificatur de illis, quæ habent fieri per modum partis eſſentialis, non verò de his, quæ habent idem fieri per modum termini totalis eſſentiæ completæ. Sed

Contra. Fieri eſt ipſius eſſe, ſeu exiſtentiæ, cùm fieri ſit tranſitus de non eſſe ad eſſe, & actio productiva, ut diximus, terminatur ad exiſtentiam rei; ſed accidentia præcipuè propria, tametſi ſint terminus eſſentiæ totalis, & non partes eſsentiales, adhuc habent idem fieri, per eandem actionem de ſecundariò; quia proprietates habent eſſe per quandam reſultantiam de ſecundariò, non verò per aliam diſtinctam actionem ad ſe etiam *ut quo* terminatam: ergo habent quoque exiſtere de ſecundariò etiam *ut quo* per eandem exiſtentiam, non verò per diverſam exiſtentiam etiam *ut quo*.

4 Probo 2. ergo evertendo fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Ideo per Adverſarios accidentia nequeunt exiſtere per eandem exiſtentiam ſubſtantiæ, quia aliàs unirentur ſubſtantiæ ſubſtantialiter, & exiſterent ſubſtantialiter, ſed hoc eſt falſum: ergo ruit eorum fundamentum & ſententia. Maj. eſt Adverſariorum, ut videbimus § ſequenti 3. ad 1. arg. Min. prob. Modi exiſtunt per exiſtentiam ſubſtantiæ; ſed hoc non obſtante non exiſtunt ſubſtantialiter: ergo falſum eſt, quòd ſi accidentia etiam completa exiſterent per exiſtentiam ſubſtantiæ exiſterent ſubſtantialiter. Min. eſt certa quia etiam ipſa ſunt accidentia, Undè propter hanc rationem prælaudatus Nuperus dicit, probabilius eſſe, quòd etiam talia accidentia modalia habeant exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ; quia hujuſmodi ratio eſt eadem de omnibus. Maj. autem prob. Hujuſmodi accidentia modalia ſunt accidentia incompleta, quapropter ſpectant ad poſtprædicamenta, & non collocantur directè in aliquo ex prædicamentis. Sed Thomiſtæ perpetui ſunt in negando exiſtentias incompletas; ergo &c.

Nec juvat dicere ut ſupra, quòd negantur exiſtentiæ incompletæ in partibus eſsentialibus, quia ex iſtis debet fieri unum per ſe, non verò in accidentibus, quia ex iſtis & ſubjecto non fit unum per ſe.

Non, inquam, juvat: quia Thomiſtæ dum probant, materiam & formam non poſſe habere proprias partiales exiſtentias, quia aliter ex illis non fieret unum per ſe, probant de ratione, cujuſcunque exiſtentiæ eſſe, quòd ſit completa, quia cùm ſit ultimus terminus nequit per aliud compleri, ſecùs, non eſſet ultimus terminus, cum ultimus terminus eſſet id, per quod compleretur: ergo ratio quare non poſſint habere proprias partiales exiſtentias, non eſt quia ex illis fieret unum per ſe, ſed quia eſsent exiſtentiæ completæ, ex quo poſtea ſequitur, quòd non fieret unum per ſe. Subſumo min. ſed hæc ratio militat de quavis exiſtentia accidentis etiam incompleti, quia etiam iſta definitur, quòd ſit ultimus terminus eſsentiæ: ergo etiam de iſtis licèt non facientibus unum per ſe militat eadem ratio, ac de partibus eſsentialibus; quia eorum exiſtentia non eſset, niſi incompleta, cùm eorum eſſentia ſit incompleta, ſicut exiſtentia accidentis completi eſset, ſi extaret completa. Ant. autem prob. Nam ideo dicunt Thomiſtæ, quòd ex materia & forma non fieret unum per ſe, quia ex pluribus entibus in actu completis non fit unum per ſe. Nam aliter dicere poſsent, quòd ex illis fieret unum per ſe, utpote exiſtentiis incompletis, ſicut ex pluribus eſsentiis incompletis fit unum per ſe.

Vide in fine hujus quæſtionis poſt articulum 5.

Præfatus Nuperus in m. ſ. poſtquam dixit quòd ei videtur eadem ratio de omnibus, ſubdit, etiam aliquam eſſe diſparitatem, cur accidentia completa, non verò incompleta habeant propriam partialem exiſtentiam, quia ſcilicet accidentia incompleta ut ſunt *motus*, *habere*, *prioritas* & alia, ut *ſeſſio*, *ambulatio*, nec ſupernaturaliter poſſunt exiſtere ſine ſubſtantia. Sed

Contra. Iſta ex eo quòd exiſtant per exiſtentiam ſubſtantiæ non ſequitur ea uniri ſubſtantialiter, aut exiſtere ſubſtantialiter: ergo falſum eſt, quòd ſi accidentia exiſterent per exiſtentiam ſubſtantiæ exiſterent ſubſtantialiter. Nam hoc, quod eſt non poſſe exiſtere ſeparata à ſubſtantia, non facit, quòd non exiſtant per exiſtentiam ſubſtantiæ, ſi ſemel non habent propriam, Imò magis conducit ad hoc, ut per exiſtentiam ſubſtantiæ exiſtant.

§. III.

Adverſariorum ſolvuntur argumenta.

5. ARg. 1. Omne accidens unitur ſubjecto accidentaliter, non verò ſubſtantialiter, cùm non ſit ſubſtantia; ſed ſi accidens non haberet diſtinctam exiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ, uniretur ſubjecto ſubſtantialiter, non verò accidentaliter: ergo accidens habet exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ. Maj. eſt certa. Min. prob. Si accidens non haberet exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ exiſteret per exiſtentiam ſubjecti, ſeu ſubſtantiæ; ſed hoc ipſo, quòd exiſteret per exiſtentiam ſubſtantiæ, uniretur illi ſubſtantialiter, & non accidentaliter: ergo &c Prob min. Intantum Corpus humanum in reſurrectione faciet unum ſubſtantiale cum Anima rationali, quia trahetur ad idem eſſe, ſeu ad eandem exiſtentiam Animæ rationalis: ergo &c Similiter D Thom. 3. p. q 2. art. 6. ad 2. habet, quòd intantum natura humana unitur ſubſtantialiter in Chriſto, inquantum trahitur ad idem eſſe ſuppoſiti, & non affert ſecum ſuum eſſe: ergo &c. Hinc S. Th ibi q. 17. concludit, quòd ſi natura humana adveniret Chriſto accidentaliter (ut quidam Hæretici putaverunt) oporteret, ponere in Chriſto duplex eſſe, alterum ſecundùm quòd eſt Deus, alterum ſecundùm quòd Homo, ſicut in Sorte ponitur aliud eſſe ſecundùm quòd eſt Homo, & ſecundùm quòd eſt albus.

Reſp nego min Ad prob. nego iterum min Ad utraſque probationes dato ant. nego conſequentiam, vel claritatis gratia diſtinguo ant. præcisè, quia trahantur ad idem eſſe, nego, quia trahuntur ad idem eſſe, & quia ſunt ſubſtantia, concedo ant. & nego conſequentiam. Ad hoc ergo, ut aliquid uniatur ſubſtantiæ ſubſtantialiter, non ſufficit, quòd trahatur ad idem eſſe, ſed requiritur, & quòd trahatur ad idem eſſe, & inſuper quòd ſit ſubſtantia, quæ ſola poteſt ſubſtantialiter uniri, ſicut & Corpus quod trahetur ad eſſe Animæ rationalis, & humanitas Chriſti, quæ trahitur ad eſſe Verbi eſt ſubſtantia. Eo modo, quo, ut aliquid infinitè uniatur, non ſufficit, quòd trahatur ad eſſe infinitum, ſed ulteriùs requiritur, quòd ſit infinitum. Undè humanitas Chriſti licèt trahatur ad idem eſſe infinitum Verbi Divini, non tamen unitur infinitè, aut exiſtit infinitè. Idem dicimus de exiſtentia ſubſtantiæ ſubſtantiali, quæ modo accidentali terminat accidentia, ſicut exiſtentia infinita Divini Verbi terminat modo finito humanitatem finitam.

Benè autem S. Th. concludit, quòd ſi natura humana adveniret Chriſto accidentaliter, oporteret, ponere in Chriſto duplicem exiſtentiam, quia cùm negatio unionis ſubſtantialis non poſſet provenire ex defectu ſubſtantiæ, quia humanitas eſt ſubſtantia, deberet provenire ex eo, quòd non haberent eandem exiſtentiam.

Quando autem dicit ſicut in Sorte ponitur aliud eſſe ſecundùm quod *eſt Homo*, *& ſecundùm quod albus*, loquitur de eſſe eſſentiæ. Non quòd velit negare duplex eſſe eſſentiæ in Chriſto, cùm adſit eſſentia Dei, & eſsentia Hominis. Sed voluit exemplo illuſtrare duplicitatem exiſtentiæ quæ requireretur exemplo duplicitatis eſſentiæ Hominis, & albedinis. Cùm enim deficerent exempla voluit exemplo illuſtrare ſic, quòd ſcilicet ſicut modò diſtinguitur in Sorte aliud eſſe eſsentiæ ſecundùm quod Homo, & aliud eſse eſſentiæ accidentalis ſecundùm quòd albus, ita deberet diſtingui in Chriſto aliud eſse exiſtentiæ inquantum Homo, & aliud eſse exiſtentiæ inquantum Deus. Cæterùm de mente S. Th. conſtat ſatis ex dictis in noſtra prima probatione.

Contra. Reſponſum hoc videtur petitio principii: ergo non eſt aptum. Prob ant. Nam hoc eſt, quod argumentum adducit ad probandum, quòd accidens nequeat exiſtere per exiſtentiam ſubſtantiæ; quia cùm non ſit ſubſtantia, nequit uniri ſubſtantialiter; Si autem exiſteret per exiſtentiam ſubſtantiæ uniretur illi ſubſtantialiter: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad pro. dico, quòd ideo quia ſic probat, ideo contra ſemetipſum arguens probat. Nam cùm non ſit ſubſtantia, nequit uniri ſubſtantialiter, tametſi per exiſtentiam ſubſtantiæ exiſtat. Undè non noſtrum reſponſum eſt petitio principii, ſed ipſamet probatio argumenti eſt argumenti ſolutio, aliter etiam eſſet petitio principii id, quod dictum eſt de natura humana in Chriſto.

Dices Ex rebus non completis poteſt fieri unum per ſe, ſeu ſubſtantialiter, ut patet in partibus cujuslibet entis; ſed ſi accidens non haberet propriam exiſtentiam eſſet quid

incom-

ncompletum in linea eſsendi: ergo poſset ex eo, & ſubſtantia fieri unum per ſe, quod eſt eſse unum ſubſtantialiter, ad differentiam ejus, quod eſt unum per accidens, quia iſtud eſt unum accidentaliter.

Reſp. diſt. maj. ſi non ſint res diverſorum generum, concedo, ſi ſint res diverſorum generum, ut eſt accidens & ſubſtantia, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam.

Noto, quòd tripliciter poteſt unum uniri alteri accidentaliter. Uno modo prout contraponitur ad uniri eſſentialiter metaphyſicè ſicut uniuntur, ſeu potiùs identificantur animal, & rationale in Homine. Secundò ut contraponitur ad uniri eſſentialiter phyſicè ſicut eſſentialiter uniuntur materia & forma. Tertiò prout contraponitur ad uniri accidentaliter ideſt per accidens, ſed unione accidentali aliquarum ſubſtantiarum, qua uniuntur lapides in acervo. Igitur unio per accidens poteſt fieri dupliciter. Primò per unionem accidentalem aliquarum rerum ejuſdem generis, ſed completarum, puta aliquarum ſubſtantiarum completarum, ut acervus lapidum. Secundò per unionem aliquorum incompletorum; ſed diverſorum generum ſicut uniuntur cum ſubſtantia accidentia. Iſta enim ſunt generum diverſorum à ſubſtantia.

6. Arg. 2. authoritate Concilii Tridentini ſeſſ. 13. cap. 2. dicentis, poſt conſecrationem remanere duntaxat ſpecies panis, & vini. Undè ſic poteſt formari argumentum: Quæ realiter ſeparantur realiter diſtinguuntur; ſed accidentia tum quò ad eſſe eſſentiæ, tum quo ad eſſe exiſtentiæ ſeparantur à ſubſtantia: ergo accidentia habent exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ. Maj. patet, & min. conſtat ea authoritate Concilii. Nihil enim ſubſtantiæ panis, & vini manet poſt conſecrationem, ſcilicet nec forma, nec materia, nec exiſtentia ſubſtantialis earum; & tamen accidentia exiſtunt in eodem eſſe permanentia, quo erant antea.

Si reſpondeas negando, quòd ſit idem eſſe.

Contra eſt 1. ex D.Th.3.p.q 77. art. 1. ad 3. ubi ait, quòd deſtructa ſubſtantia remanent in Sacramento eadem accidentia cum illo eſse individuato, quod antecedenter habebant.

Secundò. Non eſt probabile in via Thomiſtarum aſserere, quòd nova exiſtentia illis accidentibus ſubrogetur, cùm ad ſummum aliqui concedant, ſuperadditum novum modum eſsendi, non verò exiſtentiam.

Tertiò. Adhuc admiſso quòd nova exiſtentia ſuperadderetur, cùm hæc non eſset exiſtentia alterius ſubſtantiæ, quia hæc ad ſummum poſset facere exiſtere accidentia propria, non verò aliena, alioquin eſset infinita, ut efficaciter oſtendit Blaſius hic, tenentur concedere, quòd accidentia ſunt capacia habendi aliquam exiſtentiam propriam.

Ad hoc omiſso præfato reſponſo quod benè refellit arguens Reſp. admiſsa authoritate Concilii, nego min. Ad prob. dico, verum eſse, quòd ibi nec materia, nec forma panis remanet, falſum tamen eſse, quòd non remaneat ibi exiſtentia panis. Dico enim quòd remanet ſeparata à panis ſubſtantia.

Contra primò. Exiſtentia in ſententia noſtra eſt modus, ſed modus nec ſupernaturaliter poteſt exiſtere ſine re cujus eſt modus: ergo exiſtentia ſubſtantiæ nequit exiſtere ſeparata à ſubſtantia, cujus eſt modus.

Secundò. Deſtructio ſubſtantiæ fit per deſtructionem illius exiſtentiæ; ſed in Sacramento Euchariſtiæ deſtruitur ſubſtantia panis: ergo & illius exiſtentia deſtruitur. Maj. patet, Tum quia deſtrui eſt tranſitus de eſſe ad non eſſe; ſicut fieri eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, Tum quia productio rei terminatur ad eſſe, ſeu ad producendam exiſtentiam rei: ergo pariter deſtructio rei ad deſtruendam rei exiſtentiam.

Tertiò. Licèt effectus primarius poſſit ſaltem ſupernaturaliter ſtare ſine ſecundario, ſicut poteſt ſtare extenſio in ordine ad locum quæ eſt effectus primarius quantitatis, ſine extenſione in ordine ad locum, quæ eſt ejus ſecundarius effectus, non tamen è contra poteſt ſtare effectus ſecundarius ſine primario, V. G non poteſt ſtare extenſio in ordine ad locum ſine extenſione in ordine ad ſe; ſed reddere exiſtens ipſum accidens ad ſummum poſset eſse effectus ſecundarius exiſtentiæ ſubſtantiæ, & reddere exiſtentem ſubſtantiam effectu primarius: ergo nequit facere quòd exiſtant accidentia ſine eo quòd reddat exiſtentem ſubſtantiam.

Reſp. ad 1. diſt. min. ſine ulla re, cujus eſt modus, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Exiſtentia enim ſubſtantiæ eſt modus non ſolùm ſubſtantiæ, verùm etiam accidentium, & utrumque habet modificare. Undè quodcunque ex illis habeat, non caret omni re, cujus eſt modus. Ad ſummum ergo quando accidens eſt quid incompletum non poterit exiſtere nec exiſtentia nec accidens ſeparatum, ut *motus*, quia tunc utrumque eſt modus.

Ad 2. Reſp. quòd ſicut productio ſubſtantiæ poteſt fieri etiam per hoc quod communicetur exiſtentia ſine eo quod producatur exiſtentia, ut patet in humanitate Chriſti, cujus exiſtentia non fuit producta, ſed illi fuit communicata exiſtentia Verbi, ita deſtructio rei fieri poteſt per hoc præcisè, quòd ab ea ſeparetur exiſtentia, ſine eo quòd ejus exiſtentia deſtruatur.

Ad 3. diſt. maj. non tamen ſecundarius ſine primario ſi ſit primarius primarietate tam effectus quàm recipientium, ſolùm primarietate recipientium, nego maj. & diſt. min. ad ſummum poteſt eſse effectus ſecundarius ſecundarietate recipientium, concedo, ſecundarietate effectus, nego min. & conſequentiam. Sicut enim licèt effectus primarius quantitatis ſit extendere partes ſubſtantiæ, & ſecundarius reddere extenſas partes accidentis, adhuc poteſt exiſtere ſupernaturaliter quantitas cum aliis accidentibus ſine ſubſtantia, quia illa primarietas eſt ex parte recipientium, non verò ex parte ipſius effectus, ex parte cujus effectus primarius eſt extenſio in ordine ad ſe, & ſecundarius eſt extenſio in ordine ad locum: ita propter eandem rationem poteſt ſtare exiſtentia cum accidentibus ſine ſubſtantia.

Si autem petas, quinam effectus exiſtentiæ ſit ſecundarius ex parte effectus, cùm reddere exiſtens ſit effectus primarius; primitèr dici poſset, quòd iſte eſt reddere capax operationis ſaltem ut conditio. Vel dicatur, nullum extare ſecundarium effectum exiſtentiæ ſecundarietate effectus. Tandem ipſimet Adverſarii, qui renuunt concedere, quòd hoc, quod eſt reddere exiſtens ipſum accidens ſit effectus ſecundarius exiſtentiæ ſubſtantiæ, aſſignent ipſi aliquem effectum ſecundarium ſubſtantiæ, quod & nos eundem aſſignabimus.

7. Arg. 3. Accidentia ſaltem ſupernaturalia nequeunt per exiſtentiam ſui ſubjecti exiſtere: ergo accidens non exiſtit per exiſtentiam ſui ſubjecti. Ant. prob. Exiſtentia ſubjecti eſt naturalis; ſed accidentia ſupernaturalia nequeunt exiſtere per exiſtentiam naturalem: ergo &c. Min. pateſcit, quia accidentia ſupernaturalia conferunt eſse ſupernaturale, & Deiforme, cùm ſint ordinis divini.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. eſt naturalis ſubjecto, concedo, accidentibus, ſubdiſtinguo: naturalibus, concedo, ſupernaturalibus, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Sicut enim ſubjectum non recipit accidentia ſupernaturalia per potentiam naturalem, ſed elevatur per potentiam obedientialem ad illa recipienda, ita ejus exiſtentia elevatur per potentiam obedientialem ad reddendum exiſtens accidens ſupernaturale. Undè talis exiſtentia, licèt ſit naturalis reſpectu ſubjecti, tamen eſt obedientialis reſpectu accidentis ſupernaturalis.

8. Arg. 4. Si exiſtentia ſubſtantiæ poſſet reddere exiſtens ipſum accidens eſſet infinita; ſed hoc eſt falſum: ergo accidens non per exiſtentiam ſubſtantiæ, ſed propriam exiſtentiam redditur exiſtens. Prob. maj. Si exiſtentia, vel ſubſiſtentia ſubſtantiæ poſſet reddere exiſtentem, aut ſubſiſtentem alienam naturam, eſſet infinita, qua ratione Thomiſtæ 3.p. docent, ſubſiſtentiam, aut exiſtentiam creatam nec per abſolutam Dei potentiam poſſe alienam terminare naturam: ergo pariter ſi &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. conceſſo ant. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia natura accidentis, licèt ſit diverſa à natura ſeu eſsentia ſubſtantiæ, non tamen eſt omnino aliena, ſed aliquid ipſius eſt, cùm accidens ſit entis ens.

9. Arg. 5. Si accidens exiſteret per exiſtentiam ſubſtantiæ, ſequeretur, quòd quoties deſtruitur, vel producitur aliquod accidens, deberet deſtrui, vel produci ipſa ſubſtantia; ſed hoc eſt falſum: ergo non per exiſtentiam ſubſtantiæ, ſed per exiſtentiam propriam exiſtit. Min. eſt certa, ſecùs quoties Homo amittit colorem aliquem deberet mori. Maj. verò prob. Quoties deſtrueretur, vel produceretur aliquod accidens, deberet deſtrui, vel produci exiſtentia ſubſtantiæ; ſed ad deſtructionem, vel productionem exiſtentiæ ſubſtantiæ deſtruitur, vel producitur ipſa ſubſtantia, cùm nequeat perſiſtere ſine exiſtentia: ergo &c. Prob. maj. Ad deſtructionem, vel productionem accidentis deſtruitur, vel producitur exi-

Digitized by Google

ſtentia accidentis, cùm productio rei ad eſſe rei, & deſtructio rei ad non eſſe rei terminetur: ergo &c.

Reſp. ex dictis cum D. Th. ſupra §. 2. ſub num. 3. nego maj. Si loquatur de ipſius ſubſtautiæ productione, aut deſtructione abſolutè. Ad prob. primodùm ex dictis cum D. Th. diſt. deberet deſtrui vel produci exiſtentia ſubſtantiæ abſolutè, nego, reduplicativè ut reddit exiſtens ipſum accidens, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequeutiam. Quod poteſt illuſtrari doctriua eorundem Adverſariorum allata §. 1. num. 1. Nam ſicut ipſi dicunt, per exiſtentiam accidentis (quam ipſi ponunt diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ) exiſtere ipſum accidens *ut quo*, & ſubjectum ut *quod*, non quidem abſolutè, ſed ſolùm ſecundùm talem denominationem accidentis. Ita dicimus cum D. Th. ubi ſupra, quòd ad deſtructionem, vel productionem cujuſlibet accidentis deſtruitur, vel producitur exiſtentia ſubſtantiæ, & ipſa ſubſtantia non abſolutè, ſed ſecuodùm talem denominationem.

Nec obſtat, quòd exiſtentia ſubſtantiæ abſolutè accepta non diſtinguatur realiter à ſeipſa ſecundùm talem denominationem. Non, inquam, quia licèt non diſtinguatur realiter quantùm ad id, quod dicit in recto, diſtinguitur tamen realiter quantùm ad id quod dicit in obliquo, & de connotato, ſcilicet ex parte accideotis, quod connotat.

Deinde ex dictis hic ſub num. 6. ad 2. inſt. factam contra reſponſum datum ad 2. nego maj. Ad prob. ex ibi dictis patet, quòd ad hoc, ut deſtruatur accidens, ſufficit, quòd ab ipſo ſeparetur, etſi non deſtruatur ejus exiſtentia, ſicut diximus ibi, quòd adhoc, ut deſtruatur ſubſtantia ſufficit, quòd ſeparetur, etſi non deſtruatur ejus exiſtentia. Item ad hoc, ut producatur accidens ſufficit, quòd ei communicetur exiſtentia ſubſtautiæ, etſi non producatur; ſicut ibi explicavimus exemplo humanitatis Chriſti. Ad prob. dicimus, quòd actio deſtructiva terminatur ad non eſſe, ſeu ad non exiſtere vel per deſtructionem, vel per ſeparationem ipſius exiſtere ſive ipſius exiſtentiæ, non verò ſemper per deſtructionem ipſius exiſtentiæ. Item productio rei terminatur ad eſſe rei vel producendum, vel communicandum, non verò ſemper producendum.

10. Arg. 6. Exiſtentia accidentis eſt inhærentia; ſed exiſtentia ſubſtantiæ non eſt inhærentia, ſecùs ſubſtantia inhæreret; ergo exiſtentia ſubſtantiæ non eſt exiſtentia accidentis, aut è contra.

Conſ. conglobatis rationibus, Tum quia implicat, eandem exiſtentiam eſſe ſimul dependentem, & independentem à ſubjecto; ſed ſi eadem eſſet exiſtentia ſubjecti, & accidentis, eadem exiſtentia eſſet dependens ſimul & iodependens à ſubjecto; quia exiſtentia accidentis dependet à ſubjecto, ſecùs verò exiſtentia ſubſtantiæ: ergo &c. Tum quia connaturalis exiſtentia eſt actus ultimus proportionatus eſſentiæ, cujus eſt actus, & in eodem genere cum illa, juxta dictum Philoſophi, quòd actus & potentia ſunt in eodem genere; ſed exiſtentia ſubſtantiæ non eſt actus proportionatus cum eſſentia accidentis, nec in eodem genere cum illa, cùm ſit ſubſtantia; ergo &c. Tum demum quia eſſentia accidentis, & ſubſtantiæ ſunt duæ potentiæ totales completæ, per conſequens duos actus eſſendi immediatè reſpicientes, cùm quævis potentia adæquata & completa ſuum actum habeat, ad quem per ſe primò ordinatur ab actu alterius diſtinctum.

Reſp. ad arg. nego maj. Nam reapſe accidentia in Eucharistia actu exiſtunt, & tamen non actu inhærent. Inhærentia ergo eſt ſolùm quidam modus dependentiæ accidentis tanquam quid annexum, non verò exiſtentia accidentis. Imò retorqueri poteſt argumentum ſic: Nam ſi accidentia haberent exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, talis exiſtentia non eſſet, niſi inhærentia, cùm non ſit excogitabilis alia, ſed nequit eſſe ipſa inhærentia, cùm accidentia Euchariſtica actu exiſtant, & tamen non actu inhæreant: ergo accidentia non habent exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ. Et en aliam pro noſtra concluſione ratiocinationem.

Ad 1. conſ. Reſp. primitèr, quòd eſſet depeodens, & independens ſecundùm diverſam rationem, vel cum diſtinctione reali quò ad id, quod dicit in obliquo & de connotato juxta dicta ad præcedens 5. argumentum; vel c[illegible] diſtinctione virtuali.

Deinde nego min. quòad 2. p. & nego, quòd accidentis exiſtentia ſit dependens. Dicimus, quòd eſt dependens accidens, non tamen ejus exiſtentia.

Dices. Quod eſt dependens in exiſtendo eſt dependens per exiſtentiam dependentem; ſed accidens eſt dependens à ſubſtantia in exiſtendo: ergo per exiſtentiam depeodentem, adeoque ejus exiſtentia eſt dependens. Maj. prob. Quod eſt in exiſtendo independens, eſt per exiſtentiam independentem independens: ergo pariter &c.

Reſp. diſt. maj. eſt depeodens per exiſtentiam dependentem, vel per dependeutem communicationem in exiſtentia independenti, concedo, ſemper per exiſtentiam independentem, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Et palam eſt in ipſa materia prima quæ exiſtit dependenter à forma, & à toto; & tameu non ſequitur, quòd exiſtat per exiſteutiam propriam dependentem, & diſtinctam ab exiſtentia totius quæ eſt independens, ſed duntaxat per hoc, quod dependenter à forma & à toto communicat in exiſtentia totius. Ad prob dico, quòd id, quod eſt in exiſtendo independeus eſt independens tam per independentiam in communicando in aliqua exiſtentia, quam per exiſtentiam iodependentem, quia *bonum ex integra cauſa*, *malum ex quocunque defectu*. Ob idque, quia dependentia eſt de genere mali, ideo ut accidens dicatur dependens in exiſtendo ſufficit, quòd dependeat à ſubſtantia in communicando in ipſa exiſtentia ſubſtantiæ, tametſi non exiſtat per exiſtentiam dependentem.

Ad 2. Reſp. id verum eſſe de actu & potentia eſſentiali, qualis eſt formæ reſpectu materiæ (& ſic interpretandus Ariſt.) non verò de potentia, & actu exiſtentiali.

Deinde dico, quòd conſpeximus art. 2. §. 2. num. 3. qualiter exiſtentia ſumpta ut exiſteutia, ſeu terminativè nec eſt ſubſtantia, nec accidens.

Demum dicatur, quòd exiſtentia ſubſtantiæ licèt non ſit proportionata accidenti ut ſuo terminabili primariò, benè tamen eſt proportionata illi ut terminabili ſecundario: ſicut actio productiva ſubſtantiæ eſt proportionata accidenti, ut cuidam producibili ſecundario.

Ad 3. dico, quòd ſunt duæ eſſeutiæ quidem completæ (quamquam extent etiam accidentia incompleta, de quibus eadem eſt ratio, ut vidimus §. 2. num. 4.) tamen una, qualis eſt illa accidentis, non eſt aliquid ſui, ſed entis ens, ideo non petit peculiarem exiſtentiam. Undè diſt. ant. ſunt duæ eſſentiæ completæ, quarum tamen una eſt entis ens, concedo, aliter, nego. Cujus ſignum eſt, quòd per eandem actionem producuntur.

11. Arg. ultimò ex D. Th. pluribus in locis, quæ refert Martinez controverſia 7. art. 5. §. 2. præcipuè 2. contra Gentes cap. 52. ubi: *Sorti*, inquit, *præter ſuum eſſe ſubſtantiale ineſt album, quod quidem diverſum eſt ab ejus eſſe ſubſtantiale, non enim idem eſt eſſe Sortem, & eſſe album, niſi per accidens*. Et in primo ſent. diſt. 3. univerſaliter ait quòd *ſecundùm quodlibet accidens additur aliquod eſſe ipſi ſubſtantiæ*. Et ne aliqua difficultas fiat de accidentibus relativis, idem S. Th. in primo ſent. diſt. 33. q. 1. art. 1. ait, quòd *aliud eſt eſſe relationis, & ſubſtantiæ, quæ refertur ad alium*. Demum 3. p. q. 26. art. 2. ubi quærens *utrum in Chriſto ſit tantùm unum eſſe?* reſpondet cum diſtinctione, quòd *ſi loquamur de eſſe ſubſtantiali, quod pertinet ad hypoſtaſim, eſt tantùm unum, quia in Chriſto eſt una tantùm hypoſtaſis, licèt cum dualitate naturæ; Si verò loquamur de eſſe accidentali, quod ſequitur ad hypoſtaſim, puta eſſe album, eſſe muſicum, &c. nil prohibet in Chriſto multiplicari*.

Reſp. primitùs ad 1. & 2. & 3. authoritatem, poſſe eis ſatisfieri ſolito reſponſo, ſcilicet S. Doctorem fuiſſe ibi locutum ut commentatorem in ſententia Petri Lombardi, cujus opera ibi commentatur, non verò ut Doctorem, & in ſententia propria.

Scio, quod PP. Salmant. 3. p. veſtigando *num Gratia fuerit diſpoſitio phyſica ad hypoſtaticam unionem*, renuunt hoc audire, ubi S. Th. non dicat expreſsè ſe retractare. Sed etiam ſcio, quòd hoc ſcrupulum non habuerunt ibidem veſtigando *num Chriſtus ſit perſona compoſita*, & ibidem veſtigando, *num ſi Divina Perſona aſſumeret duas humanitates foret unus Homo*.

Deinde ad omnes Reſp. quòd S. D. ibi loquitur de eſſe eſſentiæ, non verò de eſſe exiſtentiæ. Sed

Contra ſtatim inſurgit ſæpè laudatus in m. ſ. S. D. loco citato ex 3. p. ſi loqueretur de eſſe eſſentiæ non poſſet in Chriſto negare duo eſſe ſubſtantialia. Siquidem in Chriſto eſt duplex eſſentia, ſeu natura Divina nimirum, & humana.

Reſp.

Reſp. hoc facere pro nobis. Nam S. Th. ibi negat duplex eſſe, loquendo de eſſe, quod pertinet ad hypoſtaſim, ſcilicet de eſſe exiſtentiæ quæ explicatur per propoſitionem de ſecundo adjacente. Sola enim perſona in concreto eſt illa, quæ immediatè exiſtit *ut quod* cùm poſt ſubſiſtentiam ſequatur immediatè exiſtentia. Si verò ſit ſermo de aliis eſſe, quæ non ſpectant ad perſonam, ſed ad naturam, ut eſſe eſſentiale humanum, vel Divinum, eſſe album, vel muſicum, hujuſmodi *eſſe* ſunt plura juxta pluralitatem naturarum, ſeu formarum accidentalium, quæ tribuunt eſſe de tertio adjacente.

Poſſet objici alia authoritas D. Th. qui p. 2. q. 3. art. 2. in corp. ait, *duplex eſt gratiæ effectus*, ſicut & cujuslibet alterius formæ; ergo accidens habet ſuum eſſe eſſentiale, ut effectum primarium, & ſuum eſſe exiſtentiale, ut effectum ſecundarium.

Reſp. faciliter quòd D. Th. per ſecundarium effectum intelligit operationem.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum eſſe, ſeu exiſtentia ſit effectus ita proprius Dei, ut neque principaliter, neque inſtrumentaliter poſſit quò ad entitatem dici à creatura productum.

§. I.

1. PRopter varias hinc inde D. Thomæ authoritates eſt etiam hic ſicut præcedenti art. ſchiſma inter Thomiſtas, quorum ſententiæ ſunt tres, duæ extremæ, & altera media.

Prima eſt, quòd eſſe, ſeu exiſtentia ita eſt effectus proprius Dei, ut nulla cauſa ſecunda propriè poſſit dici effectiva ipſius eſſe ſive principaliter, ſive inſtrumentaliter, ſed tantùm diſpoſitivè concurrere ad illius productionem. Ita Bannez, & Rubeus in autographo qui explicans ſuam ſententiam dicit, quòd ſicut producens diaphanum ad præſentiam Solis illuminantis dicitur cauſare aliquo modo lucidum, non quia activitas ejus pertingat ad lucem, ſed quia pertingit ad producendum, quod eſt Corpus diſpoſitum ad immediatè ſuſcipiendam lucem, quæ tamen lux ab unico Sole cauſatur, ita ſecunda cauſa dicitur cauſare exiſtentiam ſui effectus ad præſentiam Divinæ cauſalitatis, inquantum cauſat eſſentiam immediatè diſpoſitam ad ſuſcipiendam exiſtentiam.

Secunda extrema defendit, poſſe produci etiam principaliter à cauſa ſecunda. Hanc tuetur Alexander à Jeſu, ſecutus Cajetanum p. p. q. 8. art. primo.

Tertia media ſuſtinet, non poſſe principaliter, benè verò inſtrumentaliter cauſari à cauſa ſecunda. Hanc propugnant Flandria, Navarete, Ledeſma, Jo: à S. Th. Blaſius à Conceptione, quos propriis locis refert, & ſequitur Zuchi, eiſque adhæret ſæpè memoratus Junior in m. ſ.

Inter has ſententias ſecunda licèt minus probabilis inter Thomiſtas probabilitate extrinſeca, tamen mihi videtur probabilior probabilitate intrinſeca modo explicato ſupra art. 3. §. 1. eamque defendere tenentur etiam omnes illi, qui contendunt exiſtentiam, non diſtingui realiter ab eſſentia, cùm principaliter ſui effectus eſſentiam cauſa ſecunda producat.

§. II.

CONCLUSIO.

Cauſa ſecunda etiam principaliter producit exiſtentiam ſui effectus.

2. MEntem D. Thomæ colligimus ex D. Th. 2. contra G. cap. 21. ubi talem cauſalitatem concedit cauſis ſecundis reſpectu exiſtentiæ, qualem concedit Sorti reſpectu humanitatis; ſed neque S. Th. neque aliquis alius docet, quòd inſtrumentaliter tantùm aut nullatenus Sortes producat humanitatem: ergo neque dici poteſt, quòd nullo modo, aut ſolùm inſtrumentaliter exiſtentiam producat, adeoque illam principaliter producit, ſicut producit humanitatem. Maj. patebit cuique legenti S. Thomam: ſic enim inquit: *ſicut Sortes non poteſt dici prima cauſa humanitatis, ſed ſecunda, & quaſi inſtrumentalis, quia habet humanitatem, non à ſe. ſed ab alio, ſcilicet à Deo,* & poſtea dicit, quòd omnis cauſa ſecunda univoca eſt quaſi inſtrumentalis reſpectu Dei, quia virtutem agendi habet ab ipſo, ſcilicet à Deo: Deinde concludit, quòd etiam omnis cauſa ſecunda eſt quaſi inſtrumentum reſpectu Dei quò ad eſſe ſui effectus, quia habet eſſe, non à ſe, ſed ab alio.

Sed quia poſſunt Adverſarii (ut fieri ſolet) in aliquo ſenſu explicare S. Thomam, vel dicere quòd S. Th. ibi ſit locutus ut commentator. Ideo ipſos impugnare debemus, quia D. Th. ubi & quando adducit rationem convincentem dicendum eſt locutum fuiſſe ut authorem in ſententia propria, & in eo ſenſu, in quo illa ratio convincit; ſed ratio, quam ibi habet S. Th. convincit, quòd cauſa ſecunda producat principaliter exiſtentiam: ergo in iſto ſenſu, & in ſententia propria loquitur ibi: difficultas ſtat in Min. quam ſtatim probabimus. Unde ſit

3. Prob. 1. concluſio ratione S. Thomæ ubi ſupra. Homo generans verè producit Hominem in genere cauſæ principalis. Et ne aliqua difficultas fiat de Homine, in quo, nec Anima, nec materia producitur, ſed actione, ſeu productione ſolùm unitiva producitur totum. Ideo adducamus aliud exemplum ſic. Equus generans alium Equum, verè producit Equum in genere cauſæ principalis; ſed nequit generare Equum producendo tantùm principaliter formam illius niſi eodem modo producat etiam exiſtentiam: ergo Equus producit principaliter exiſtentiam alterius Equi, adeoque cauſa ſecunda producit principaliter exiſtentiam ſui effectus. Prob min. Generatio, & quodlibet fieri eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, ſeu de non exiſtere ad exiſtere; ergo &c.

Reſpondet adverſæ doctrinæ vindex, quòd fieri, & generari eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe in materia, non verò de non eſſe ad eſſe exiſtentiæ ſaltem ut principaliter, niſi ad ſummum diſpoſitivè, producendæ ab agente creato.

Contra tamen inſto ſic. Sicut generari, & omne fieri eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, ita corrumpi & deſtrui eſt tranſitus de eſſe ad non eſſe; ſed corrumpi & deſtrui ipſius Equi eſt tranſitus de eſſe ad non eſſe etiam exiſtentiæ ut deſtruendæ etiam ab agente creato principaliter, & non ſolùm diſpoſitivè, puta, vel à perimente, vel ab alia cauſa creata: ergo pariter generari, & fieri ipſius Equi eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe etiam exiſtentiæ, ut producendæ etiam principaliter, & non ſolùm diſpoſitivè ab agente creato.

Per quod remanet probatum, quòd exiſtentia producatur etiam in ratione ultimæ actualitatis principaliter à cauſa ſecunda, ſicut etiam in ratione ultimæ actualitatis à cauſa ſecunda corrumpitur, & deſtruitur.

4. Prob. 2. Qui dat formam, eodem modo dat conſequentia ad formam; ſed exiſtentia conſequitur ad formam: ergo cum agens creatum, puta ignis, producendo ignem det ut cauſa principalis formam ignis, dat quoque principaliter exiſtentiam ejus.

Reſpondet ſæpè laudatus in autographo, maj eſſe veram de iis, quæ ſequuntur effectivè, & dimanativè à forma, non verò de iis, quæ purè materialiter, & diſpoſitivè conſequuntur ad formam, ut eſt exiſtentia. Quod reſponſum coincidit cum illo quod dat Rubeus dicens, quòd exiſtentia conſequitur ad formam, ad hunc ſenſum, quòd ſtatim habita forma habetur exiſtentia, non verò quaſi quòd exiſtentia ſequatur, aut conſequatur ex ipſa forma. Sed

Contra. Qui ponit ultimam diſpoſitionem ad formam, dicitur formam principaliter producere; ſed unum agens creatum generando aliud ponit ultimam diſpoſitionem ad exiſtentiam; ergo producit etiam principaliter exiſtentiam. Maj patet. Hac enim ratione omnes Thomiſtæ negant, quòd Homo poſſit ponere ultimam diſpoſitionem ad gratiam, quia aliter diceretur gratiam principaliter producere. Et certè non alia ratione ſalvatur, Animam rationalem non produci ab Homine generante, licèt iſte ponat ultimam diſpoſitionem ad illam, niſi quia Anima rationalis, ſeu ſpiritualis, eſt independens à materia. Cùm ergo exiſtentia ſit dependens ab eſſentia, in qua indiget recipi, non poterit negari, quòd qui ponit ultimam diſpoſitionem ad exiſtentiam, dicatur principaliter exiſtentiam producere. Min. autem prob. Ultima diſpoſitio eſt illa, ad quam ſtatim immediatè ſequitur forma; ſed ad formam ſubſtantialem, quam principaliter producit agens creatum, ſequitur ſtatim immediatè exiſtentia, ſeu forma exiſtentialis: ergo &c.

Adde, quòd, ut art. ſequenti videbimus, exiſtentia ſequitur dimanativè ad eſſentiam.

Per

Per quod iterum remanet probatum, quòd exiſtentia etiam in ratione ultimæ actualitatis producatur à cauſa ſecunda; quia etiam in ratione ultimæ actualitatis exiſtentia ſequitur ad eſſentiam, & proinde cauſa ſecunda ponit ultimam diſpoſitionem ad illam, etiam in ratione ultimæ actualitatis.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

5. ARg. 1. probando, quòd agens creatum ſit cauſa ſolùm inſtrumentalis exiſtentiæ ſic. Quod agit in virtute alterius, ſeu per virtutem ab alio acceptam, agit ut cauſa ſolùm inſtrumentalis, non verò principalis; ſed agens creatum producit entitatem exiſtentiæ in virtute Dei, ſeu per virtutem à Deo acceptam: ergo producit illam ut cauſa tantùm inſtrumentalis, non verò principalis. Maj. eſt definitio cauſæ inſtrumentalis ut à principali diſtinctæ. Min. ultra quamquod docetur à D. Th. ſæpè ſæpiùs, & præcipuè 3. contra cap. 66. patet de ſe. Nam creatura omnem ſuam virtutem, & quidquid aliud habet, habet à Deo.

Reſp. 1. primitèr, quòd argumentum nimis probat. Nam probat, quòd nec eſſentiam ſeu formam principaliter producat; quia agens creatum habet à Deo virtutem producendi formam, & eſſentiam. Deinde diſt. maj. Si illam virtutem habeat ſolùm per modum tranſeuntis, & vialiter, concedo, ſi illam habeat firmiter, & per modum permanentis, nego. Ut enim videbimus, lib 2. quæſt. 2. art. 1. §. 3. ad 1. arg. de ratione inſtrumenti eſt, habere virtutem ab alio, non quomodocunque, ſed vialiter, & per modum tranſeuntis. Virtutem autem, quam habet creatura in ordine ad ſuos effectus, & conſequentia ad ipſos, eſt permanens.

Reſp. 2. Alex à Jeſu maj. eſſe veram, quando illa virtus ſit data ad effectum excedentem ipſam cauſam in perfectione. Exiſtentia autem non ſic excedit, ut vidimus §. præcedenti, & art. 1.

Contra primam. Calor naturalis habet virtutem permanentem producendi carnes; & tamen quia non producit carnem, niſi in virtute animæ, congreditur merè inſtrumentaliter ad productionem carnis: ergo pariter creatura licèt habeat virtutem permanentem ad producendam exiſtentiam, quia tamen illam producit per virtutem à Deo acceptam, non producet, niſi ut inſtrumentum Dei.

Secundò contra utramque. Cauſa quæcumque, ſaltem univoca, ut eſt omnis cauſa immediata, & particularis, ſi non aſſimilet ſibi effectum in forma per quam agit eſt cauſa, quæ exceditur ab effectu merè inſtrumentalis, ut patet de calore naturali, qui quia non tendit ad aſſimilandum ſibi effectū in forma, per quam agit, non concurrit principaliter, ſed merè inſtrumentaliter ad productionem carnis; ſed agens creatum producendo exiſtentiam ſui effectus non aſſimilat exiſtentiam ſibi in forma per quam agit; ergo producit illam ut effectum ſe excedentem in perfectione, & ut cauſa purè inſtrumentalis. Prob. min. Forma per quam agens creatum agit eſt propria forma eſſentialis, ſeu propria eſſentia; ſed non aſſimilat ſibi exiſtentiam in eſſentia, ſeu forma eſſentiali: ergo &c. Prob. min. Hic ſupponitur tanquam certum in communiori ſententia Thomiſtarum, ipſam exiſtentiam cauſæ ſecundæ ad operandum non eſſe ipſam virtutem operativam ejuſdem, nec proximam, nec radicalem: ergo &c. Prob. ant. Non eſt virtus proxima, quia aliter exiſtentia ſic non eſſet ultima actualitas, ſed compararetur ad operationem tanquam primus actus ad ſecundum; & inſuper exiſtentia ſubſtantiæ ab aliquo extrinſeco ſpecificaretur, nimirum ab operatione: Neque radicalis; quia ſimiliter non eſſet ultima actualitas, & non eſſet diſtincta ab ipſa eſſentia, quæ eſt virtus radicalis agentis; adeoque ſupponimus, eam eſſe ſolam conditionem ad agendum *ſine qua non*, non quidem purè connaturalem, ſicut eſt approximatio agentis ad paſſum, ut in ipſum agat, quæ proinde eſt à Deo ſupplebilis, ſed eſſentialem per modum complementi prærequiſiri ad agendum, quod efficaciter oſtendit Godoy 3. p. diſp. 40. §. 6. contra Apulienſem.

Reſp. ad 1. ex dicendis lib. 3. q. 2. art. 1. §. 1. quòd quando dicitur, cauſam inſtrumentalem accipere à cauſa principali virtutem tranſeuntem, & vialem, fit ſermo de inſtrumento propriè dicto, quod non eſt ipſamet virtus cauſæ principalis, vel (ut alii dicunt) de inſtrumento non conjuncto, quale etiam eſſet comparativè ad Deum agens creatum ſi ut cauſa inſtrumentalis Dei produceret exiſtentiam. Calor autem eſt inſtrumentum impropriè dictum reſpectu ipſius animæ, eſtque ipſamet animæ virtus in producendo carnes; vel (ut alii dicunt) inſtrumentum conjunctum.

Ad 2. Reſp. diſt. maj. ſi ſit effectus primarius non conſecutus ad alium, concedo, ſi ſit effectus conſecutus ad alium, nego maj. & diſtinguo min. & aliàs exiſtentia eſt effectus veluti ſecundarius conſecutus ad eſſentiam, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Patet enim, quòd proprietas principaliter producitur ab eo, qui principaliter producit rei eſſentiam; & tamen agens tunc producendo proprietatem non aſſimilat ſibi effectum, ſcilicet proprietatem in forma per quam agit, quia forma per quam agit eſt eſſentia, non verò ſua proprietas V. G. forma, per quam Cygnus producit Cygnum non eſt albedo, ſed eſt forma ſubſtantialis Cygni. Similiter qui producit principaliter aliquod corpus; producit principaliter etiam ejus quantitatem; & tamen non aſſimilat ſibi quantitatem in forma per quam agit, quia forma, per quam agens producit quantitatem ſui effectus non eſt quantitas agentis, ſed eſt ipſa ſubſtantia agentis, cùm quantitas non ſit de linea operativi. Exiſtentia autem conſequitur ad eſſentiam, ut diximus § præcedenti 2. num. 4.

Qua ex re patet, quòd nos concedimus exiſtentiam eſſe puram conditionem ad operandum, non verò rationem formalem, aut virtutem operativam.

Ad id autem, quod de calore naturali dicebatur, patet diſparitas, quia carnes non ſunt effectus conſequens dimanativè ad alium effectum, benè verò exiſtentia.

Dices. Nec exiſtentia conſequitur dimanativè ad eſſentiam: ergo reſponſum nullum. Prob ant. Si exiſtentia dimanaret ab eſſentia, deberet eſſentia eſſe exiſtens ante exiſtentiam; ſed hoc eſt implicatorium: ergo &c. Prob. maj. Cauſa efficiens intantùm operatur, inquantùm eſt in actu, ſeu inquantum eſt exiſtens; ſed cauſa dimanativa ſpectat ad genus cauſæ efficientis: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego maj. ad cujus prob. diſt. maj. quando operatur per actionem propriè talem, concedo, aliter nego, maj. & diſtinguo min. & aliàs dimanatio eſt actio ſolùm impropriè talis, concedo, propriè, & ſimpliciter talis, nego min. & conſequentiam. Quæ enim fiunt per dimanationem fiunt, non per veram actionem, ſed ſolùm per quandam reſultantiam, & (ut ita dicam) pullulationem. Videnda erunt quæ ſcribam in Theologicis p. p. in tract. de Scientia Dei q. 2. art. unico concl. 1. tuendo, quod eſſentia diſtinguatur virtualiter ab exiſtentia §. 3. ſub num. 7. ad 2. arg.

6. Arg. 2. ad idem. Quoties aliquis effectus eſt proprius alicujus cauſæ nequit ab alia ſaltem principali cauſa produci, aliter eſſet communis pluribus, & non proprius unius; ſed exiſtentia eſt effectus proprius ipſius Dei: ergo non poteſt ſaltem principaliter à cauſa ſecunda produci. Min. prob. authoritate, & ratione D. Th. p. p. q. 8. art. 1. & q. 45. art. 3. ſic. Deus eſt ipſum eſſe per eſſentiam: ergo eſſe creatum eſt effectus proprius Dei. Prob conſequentia. Quod eſt tale per participationem eſt proprius effectus ejus, quod eſt tale per eſſentiam; ſed omne eſſe creatum eſt tale per participationem: ergo ſi &c. Min. explicatur. Omne, quod eſt per participationem calidum eſt proprius effectus ignis, qui eſt per eſſentiam calidus, ſicut omne, quod eſt per participationem lucidum, eſt proprius effectus Solis, qui eſt per eſſentiam lucidus: ergo &c.

Conſ. ratione ejuſdem Sancti D. q. 45. citata. Quando plures conveniunt in una ratione, tunc ille effectus eſt proprius alicujus ſuperioris, in cujus virtute illæ cauſæ agunt, non verò proprius illarum cauſarum; ſed ad talem collectionem cauſarum nulla reſtat ſuperior, niſi Deus: ergo eſſe eſt proprius effectus Dei. Maj. declaratur ſic. Nam quia videmus, quòd multa conveniunt in calefaciendo, ut piper, & cinaper, dicimus, quòd calefacere non eſt proprius eorum effectus, benè verò ignis: ergo &c. Min. verò de ſe patet. Omnes enim cauſæ ſecundæ faciunt eſſe ſuos effectus. Conſequentia eſt exacta, & ſubſumptum eſt evidens.

Reſp. ad arg. diſt. maj. ſi ſit proprius illius omnibus modis, concedo, aliter, nego maj. Et interpreto D. Th. diſtinguendo min. exiſtentia eſt effectus propriùs Dei veluti antonomaſticè ideſt per quandam excellentiam, concedo, omnibus modis, nego min. & ad ejus prob. dico, ita eſſe

intel-

intelligendum S. Thomam, & diſtinguendam rationem ibi adductam, quando tamen illæ cauſæ, quæ ſunt tales per participationem habeant illam formam & virtutem per modum permanentis, & non ſolùm per modum tranſeuntis, ſicut aqua ſolùm per modum tranſeuntis habet calorem; undè etiam aquæ minerales extractæ citò deperdunt calorem; Stellæ autem (ut in lib. de cœlo dicemus) licèt aliquam lucem habeant à Sole, tamen aliquam habent à ſe; undè illuminant etiam ut cauſæ principales. Et certè nemo poteſt negare, quòd piper, ſinapſis, vinum &c. calefaciant ut cauſæ etiam principales, & non ut purum inſtrumentum ignis, cujus exemplum affert ibi S. Th.

Idem dicatur ad Conſ. Vel dicatur, quòd tunc ille effectus eſt proprius unius cauſæ ſuperioris comparativè, quatenus cum illæ aliæ cauſæ nequeant illum effectum cum tanta facilitate, & perfectione producere ſicut cauſa ſuperior, ſe habent comparativè ad illam, ac ſi talem effectum non cauſarent, non tamen abſolutè loquendo. Et ita intelligendus eſt D. Th. ut patet de exemplo ignis ibi à D. Th. adducto.

Dices: S. Th. ibi aliquid ſpeciale intendit dicere de eſſe exiſtentiæ; ſed hæc noſtra doctrina valet etiam de eſſe eſſentiæ, quia etiam iſta, ſi antonomaſticè loquamur, eſt proprius effectus Dei, à quo cum in infinitum majori facilitate, & perfectione, ſaltem ex parte modi operandi, cauſatur: ergo reſponſio non eſt ad propoſitum.

Reſp. nego maj. Nam ſaltem de conſequenti loquitur de utroque, quia ratio militat de utroque.

Oppugnabis. Ratio D. Th. procedit, quia Deus eſt ſuum eſſe per eſſentiam; ſed hæc ratio probat, aliquid ſpeciale de eſſe exiſtentiæ. ergo aliquid peculiare intendit dicere de eſſe exiſtentiæ. Min. patet, quia loquendo de eſſe eſſentiæ etiam creatura eſt ſuum eſſe per eſſentiam: ergo &c.

Reſp. conceſſa maj. diſt min. ex parte medii probativi, concedo; ex parte rei probatæ, nego min. & conſequentiam. Quamvis enim ſolus Deus ſit ſua exiſtentia per eſſentiam; tamen ex hoc evincitur, quòd habeat ſpecialem virtutem non ſolùm in productione exiſtentiæ, verùm etiam in productione cujuslibet eſſentiæ; quia quod eſt ſuum eſſe, ſeu ſua exiſtentia per eſſentiam, habet virtutem majorem & infinitam, qua non ſolùm ad eſſe exiſtentiæ, verùm etiam & à fortiori, ad ipſum eſſe eſſentiæ extendi poteſt.

Qua ex re patet, quòd producere exiſtentiam non eſt effectus proprius Dei, ſicut eſt ejus effectus proprius creare, ad quod proinde creatura nec inſtrumentaliter elevari poteſt. Non, inquam, quia creare eſt effectus proprius Dei, non ſolùm antonomaſticè, aut comparativè, ſed etiam ſimpliciter, & omnibus modis; quia ad creare requiritur virtus infinita pro ſuperanda diſtantia infinita, quæ eſt inter ens, & nihil, ut probavi lib 1. quæſt. 3 art. 3 num. 6.

7. Arg. 3. ex Aug de Rubeis probando, quòd nec principaliter, nec inſtrumentaliter exiſtentia à cauſa ſecunda producatur. D. Th. p. p q. 8. art. primo ideo probat, quòd Deus ſit per ſe intimè præſens in omnibus, quia ipſum eſſe eſt intimum in omnibus, & Deus ſe ſolo producit, & conſervat eſſe in omnibus; ſed ſi creatura produceret ſive principaliter, ſive inſtrumentaliter exiſtentiam ſuorum effectuum, nulla eſset ratio D. Thomæ: ergo nec principaliter, nec inſtrumentaliter cauſa ſecunda producit exiſtentiam ſui effectus. Prob. min Nam vel Deus tunc non cauſaret eſse in creaturis, vel illud cauſaret mediante creatura, non verò immediatè per ſeipſum. Item q 5. de potentia art. 1. docet, ens à ſolo Deo conſervari in eſse, quia ſolus Deus eſt in omnibus, & idem alibi repetit infinitis in locis.

Reſp. ex Mag. Ferre, quem refert Cavinus in tract. de Cœlo & Mundo diſp 3. quæſt. 1. §. 10. doctrina quæ communiter ſolet adduci ad probandum concurſum ſimultaneum Dei, & à nobis etiam lib. 7. quæſt. 2 art. 5. §. 2. in 2. probatione n. 4. nego min. & ad prob. ex dicendis loco citato 7. phyſ. dicatur, quòd cauſat Deus & cauſa ſecunda ſimul immediatè ſecundùm diverſam rationem, ut duæ cauſæ principales. Deindè in forma diſt. primam maj. quia Deus ſe ſolo producit, & conſervat eſse, loquendo de eſse ſecundùm rationem prædicati univerſaliſſimi entis, concedo, talis entis, ad quod dicimus, creaturam principaliter concurrere, nego maj & min. Ad ſalvandum enim, quòd Deus immediatè non ſolùm immediatione virtutis, ſed etiam immediatione ſuppoſiti cauſet ipſum eſse in rebus, & per hoc Deus ſit intimè in omnibus rebus, ſufficit, quòd cauſet ipſum eſse ſecundùm rationem univerſaliſſimam entis, quæ in tali ente intimè imbibitur ſit effectus Dei, cujus proprium eſt ens ex non ente producere, eſtò ſub ratione particulari eſsendi ſit effectus cauſæ ſecundæ.

Adde cum Cajet. ibidem, quòd ad intentum S. Thomæ ſufficit, quòd Deus immediatè agat immediatione ſuppoſiti in omnibus rebus aliquid ſaltem per ſe requiſitum ad eſse, & reapſe in omnibus rebus hoc agit. Nam quælibet res vel eſt materialis, vel immaterialis? Si immaterialis totam ſubſtantiam rei producit Deus ſe ſolo immediatè ipſam creando. Si materialis, ſaltem ſe ſolo immediatè agit creando materiam, quæ eſt per ſe requiſita ad eſse. Et ſic verificatur Deum agere, & eſse immediatè in omnibus rebus immediatione ſuppoſiti.

Quædam objectio, quam contra reſponſum hoc facit loco citato Cavinus, cui non placet hoc reſponſum, remanet ſoluta ex dictis ad præcedens 2. arg.

8. Arg. 4 ad idem ex eodem Rubeo alia authoritate D. Thomæ ſic. S. D. p. p. q. 104 art. 1. ad 1. *Sicut*, inquit, *lumen ſequitur diaphanum aeris ſuppoſito influxu Solis, ita eſſe ſequitur ad formam creatam ſuppoſito influxu Dei*; ſed nullus dicet, quòd cauſa producens diaphanum in aere, producat in eo entitatem lucis ullo modo: ergo nec poteſt dici, quòd ullo modo creatura producens formam in materia; producat etiam exiſtentiam.

Reſp. quòd S. D. non intendit facere paritatem quò ad omnia, ſed ſolùm quò ad hoc, quòd nihil eſt capax lucis, niſi diaphanum, ita nihil eſt capax recipiendi exiſtentiam nec etiam à Deo, niſi habeat formam.

Et quidem quòd paritas nequeat currere quò ad omnia, patet, quia ad diaphanum non ſequitur neceſsariò lux, & poteſt ſtare & conſervari diaphanum ſine luce, ut patet noctis tempore, vel dum diaphanum in obſcuro loco clauſum aſservatur. At eſsentia nequit conſervari ſine exiſtentia. Nec ad diaphanum ſervandum requiritur neceſſariò influxus Solis, aut alterius illuminativi. At ut eſsentia conſervetur requiritur neceſsariò influxus agentis producentis exiſtentiam, & etiam ipſius Dei, qui ſemper ſimul cum creatura concurrit concurſu præcipuè ſimultaneo, & etiam prævio ſine eo, quod tollat ab ipſa creatura rationem cauſæ principalis, ut videbimus lib. 7. q. 2. art. 1. & 2.

9. Ex his habentur ſolutæ rationes Adverſariorum, & etiam explicatæ omnes authoritates D. Thomæ. Et certè miror quomodo noſtri Thomiſtæ adeo fidant authoritatibus illis, cùm, ut vidimus, clarè conſtet, non poſse interpretari, niſi in ſenſu à nobis explicato. Ultima quidem propter latam diſparitatem, quam monſtravimus de diaphano. Penultima etiam, cùm doctrina, quam ibi adhibuimus ſit communis doctrina, qua utuntur omnes Thomiſtæ ad probandum concurſum ſimultaneum Dei & nos utemur 7. phyſ. q. 2. art. 1. § 2. in 2. probationem num. 4. ſecunda etiam propter exemplum adductum ibi à D. Th. de igne, cùm negari nequeat, quòd etiam piper, ſinapſis, & vinum calefaciant ut cauſæ principales. Prima demùm, quia, ut vidimus, num. 6. aliter ex illa ſequeretur, quòd neque eſsentia, ſeu forma produceretur principaliter à cauſa ſecunda, cùm etiam virtutem, qua producit formam, ſeu eſsentiam creatura habeat à Deo.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum eſſe, ſeu exiſtentia ſit effectus formalis formæ, & an ab ea activè dimanet.

§. I.

5. CErtum eſt ſecundùm nos Thomiſtas diſtinguentes realiter exiſtentiam ab eſſentia, quòd exiſtentia eſt effectus eſſentiæ in genere cauſæ materialis, cùm realiter recipiatur in illa, & in illa ſubjectetur. Undè difficultas remanet, an ſit effectus illius etiam in genere cauſæ formalis, aut etiam efficientis dimanativè. Nam Cajet. vult, quòd exiſtentia ſit effectus eſſentiæ in genere cauſæ materialis; Marietta in genere cauſæ efficientis; Bannez, Blaſius, & Flandria nec in genere cauſæ formalis, nec in genere cauſæ efficientis, ſed ſolum in genere cauſæ materialis.

His adſtipulatur Emin. Ferrari in ſuo autographo.

§. II.

CONCLUSIO.

Exiſtentia eſt effectus eſsentiæ in quolibet cauſarum genere.

1. QUò ad genus cauſæ materialis eſt certum in via Thomiſtarum diſtinguentium realiter eſsentiam ab exiſtentia, ſecundùm quos debet in illa proinde recipi.

Quò ad genus cauſæ formalis Probo 1 ſic. Quod conſequitur ad formam ut forma eſt, eſt illius effectus in genere cauſæ formalis, ſed exiſtentia conſequitur ad formam ut formam: ergo conſequitur ad formam ut ejus effectus formalis, ſeu in genere cauſæ formalis. Min. patet, quia exiſtentia non poteſt conſequi ad materiam. Maj verò prob. Quod conſequitur ad finem ut finis eſt, eſt effectus illius in genere cauſæ finalis; quod conſequitur ad principium efficiens ut efficiens eſt, conſequitur ad illud in genere cauſæ efficientis: ergo pariter &c.

Prob. 2 deſtruendo fundamentum Adverſariorum. Ideo per ipſus exiſtentia non eſt effectus formalis formæ, quia forma deberet informare ipſam exiſtentiam; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min. Extenſio in ordine ad locum eſt effectus ſecundarius quantitatis, & tamen quantitas non informat ipſam extenſionem in ordine ad locum: ergo &c.

Quò ad idem genus cauſæ formalis Prob 3. Quod conſtituit aliud in ſpecie atoma comparatur ad ipſum per modum formæ; ſed eſſentia ratione formæ conſtituit propriam exiſtentiam in ſpecie atoma: ergo exiſtentia eſt effectus eſſentiæ in genere cauſæ formalis. Min. patet ex dictis art. 2. § 2. ubi vidimus, quòd exiſtentia reducitur ad eſſentiam, & ſpeciem eſſentiæ; Et reapſe una exiſtentia non diſtinguitur ſpecie ab alia, niſi ratione diverſæ formæ, quam actuat.

Reſpondet ille Nuperus in autographo maj. eſſe veram ſi illud conſtituat in ſpecie atoma per modum actus perfectivi, ſecùs verò ſi ſolùm per modum potentiæ, & conſtitutum habeat rationem ultimi termini, & actus ultimò complentis. Undè dicit, quòd una exiſtentia non differt ab alia, niſi materialiter ratione diverſæ formæ, quam actuat, non verò formaliter. Sed

Contra. Quod dat alteri totam ſpeciem, conſtituit illud in ſpecie per modum actus perfectivi; ſed eſſentia dat exiſtentiæ totam ſpeciem: ergo conſtituit per modum actus perfectivi in ſpecie. Maj. patet, quia eſſentia, & ſpecies rei eſt ipſa eſſentialis perfectio rei, adeoque ab aliquo perfectivo haberi debet. Min. prob. Idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum; ſed eſsentia eſt illa, quæ dat uni exiſtentiæ totum diſtinctivum ab omni alia exiſtentia: ergo &c Prob. min. Si velimus definire exiſtentiam Hominis ut diſtinctam ab exiſtentia alterius rei, nequit definiri, niſi per hoc, quòd eſt *ultimus terminus eſſentiæ humanæ*: ergo &c.

Nec valet id, quod dicebatur, ſcilicet quòd una exiſtentia non differat ab alia, niſi materialiter.

Non, inquam, valet. Nam nequit negari, quòd exiſtentia rei ſpiritualis diſtinguatur formaliter ab exiſtentia rei materialis, aliter eſſet ejuſdem rationis formalis cum illa; cùm tamen nullum ſpirituale poſſit eſſe ejuſdem rationis formalis cum re materiali qualis eſt eſsentiæ materialis exiſtentia, quæ nequit eſſe, niſi materialis, & corporea. Exiſtentia autem ſpiritualis non diſtinguitur ab exiſtentia materiali, niſi quia una eſt terminus rei ſpiritualis, & alia terminus eſſentiæ corporalis, maximè verò in ſententia quamplurium Adverſariorum, volentium, quòd accidentia habeant exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ. Nam in hac ſententia certè exiſtentia ſubſtantiæ quæ ſecundùm ipſos, eſt ſubſtantialis, erit diverſæ rationis ab exiſtentia accidentium, quæ per ipſos ſubſtantialis non eſt.

3. Quò ad genus cauſæ efficientis. Prob. Quæ ex vi ejuſdem actionis, qua producitur forma, reſultant ad formam, dimanant activè ab illa, ut patet in ipſis proprietatibus; ſed exiſtentia etiam ſi ſe habeat per modum ultimi actus, & termini (ut præveniatur Adverſariorum reſponſio) reſultat ad formam ex vi primæ actionis, qua primò fuit producta ipſa forma: ergo dimanat activè ab ipſa forma. Prob. maj. In ſententia communi Thomiſtarum, negantium ubique exiſtentias, & ſubſiſtentias partiales, dicitur, quòd dum aliquid aquæ V. G ſeparatur à mare, ſtatim reſultat in ipſa aqua ſeparata nova exiſtentia, & ſubſiſtentia totalis ex vi illius primæ actionis, qua primò fuit productum, ſive creatum mare, & idem dicitur de aliis rebus ſeparatis, quia pars illa dum eſt ſeparata non habet amplius rationem partis, ſed induit quandam rationem cujuſdam totius: ergo &c.

4 Demum quò ad genus cauſæ finalis remanet probatum ex dictis art. 3 §. 3. num. 8. ad 3. arg. quia ſcilicet exiſtentia ad hoc data eſt, ut inſerviat eſsentiæ reddendo ipſam exiſtentem. Videatur ibi.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

5. ARg. 1. probando, quòd exiſtentia non ſit effectus formalis formæ, ſeu in genere cauſæ formalis, ſic. Ad hoc, ut exiſtentia eſſet formæ effectus formalis, ſeu in genere cauſæ formalis, forma deberet ſe habere, ut forma reſpectu exiſtentiæ; ſed non ſe habet ut forma reſpectu exiſtentiæ; ergo exiſtentia non eſt formæ effectus formalis, ſeu in genere cauſæ formalis. Maj. patet ex dictis à nobis §. præcedenti 2. num. 1. Min. prob. Forma dicitur ab informando, & actuando; ſed forma non informat, non actuat exiſtentiam, ſed potiùs informatur, & actuatur ab illa: ergo &c.

Reſp. nego min Ad prob. diſt. maj. forma dicitur ab informando illud cui effectum formalem communicat, quod etiam ſolet dici effectus formalis *cui*, concedo, ab informando effectum formalem, quem communicat, qui etiam ſolet dici effectus formalis *qui*, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Redintegretur hic noſtra ſecunda probatio poſita § præcedenti num. 2., ſo evertendo adverſariorum fundamento cum exemplo de quantitate.

Contra. Ex hoc ſequeretur, quod omnia accidentia, & etiam quantitas eſsent effectus formalis formæ; ſed hoc eſt falſum: ergo reſponſio eſt nulla. Min patet, cùm per Thomiſtas quantitas ſit accidens potiùs conſecutum ratione materiæ. Maj. verò prob. Omnia conſequuntur poſt formam. ergo &c.

Reſp. diſt maj omnia accidentia, quæ conſequuntur ad formam ut forma abſolutè eſt, nego, ut talis forma eſt, concedo. Vel aliter diſt eandem maj. quæ conſequuntur ad formam ut de formali ſe habentium, concedo, quæ conſequuntur ad formam ſolùm tanquam ad quid præſuppoſitum, purè ſubſtractivè, ſeu de ſubſtrato ſe habens, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Quantitas autem vel ſequitur ad formam ut forma abſoluta eſt, non verò ut talis forma eſt. Thomiſtæ autem dicentes, quantitatem ſequi ad materiam, loquuntur de quantitate radicali, vel per quandam aſſimilationem ad materiam, quia quantitas eſt primum accidens receptivum aliorum accidentium. Et videri poteſt Cajetanus p. p. q 7. art. 2. Vel conſequitur ad formam, & totum non ratione totius, & formæ, ſed ratione materiæ Alii dicunt, quòd Quantitas ſolùm ut ad quid ſubſtractivè præſuppoſitum conſequitur ad formam, quatenus nullum accidens poteſt immediatè recipi in materia. Cæterùm per ſe conſequitur ad materiam, cùm utpotè accidens potentiale recipiens omnia accidentia magis participet de materia in eſſe accidentali.

Dices. Saltem ſequeretur, quòd forma deberet dare eſſentiam omnibus accidentibus, quæ conſequuntur ad formam, ſicut hac ratione nos diximus, quòd dat eſſentiam exiſtentiæ; ſed hoc eſt falſum, cùm albedo V. G. habeat ſuam eſſentiam in genere & ſpecie qualitatis: ergo rationes noſtræ ſemper ex aliqua parte corruunt.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. dicimus, quòd non ex eo præciſè quòd exiſtentia ſit effectus formalis formæ in genere cauſæ formalis, ſequitur, habere eſſentiam à forma, ſed ex eo, quòd ſit effectus formalis ut quid incompletum, & purus terminus, de cujus ratione eſt reduci ad genus & ſpeciem ejus, cujus eſt terminus, ut patet de puncto, qui reducitur ad genus, & ſpeciem quantitatis. Undè nos non probavimus, habere eſſentiam à forma, quia ſit effectus formalis illius, ſed è contra eſſe effectum formalem ejus, quia ab illa habet eſſentiam. Nam omne, quod habet eſſentiam ab aliquo tanquam effectu *qui*, eſt effectus formalis ejus, ſicut eſt exiſtentia, quæ eſt formæ effectus *qui*, non quidem primarius, ſed ſecundarius; Non tamen è contra omnis effectus *qui* etiam ſecundarius formalis habet eſſentiam à forma,

ma, ſed solùm quando eſt quid incompletum, & præcipuè quando eſt incompletum per modum puri termini. Albedo autem, actio, &c. ſunt accidentia completa, quæ proindè ſpectant directè ad prædicamentum.

6. Arg. 2. ad probandum, quòd exiſtentia non conſequatur ad formam activè, quia deberet præſupponi exiſtens ante exiſtentiam.

Verùm hoc remanet ſolutum ex dictis art. præcedenti §. 3. ad 5. arg. ſub num. 5. in fine illius numeri. Videatur ibi.

APPENDIX.

Num in Toto compoſito ſubſtantiali extent exiſtentiæ partiales.

AD hoc ex dictis in hoc 1. Phyſ. q. 2. art. 3. patet, reſpondendum eſſe negativè. Tum quia aliter ex partibus, non fieret unum per ſe; Tum quia una exiſtentia nequit comparari ut potentia ad aliam, aliter non eſſet amplius ultimus terminus. Tum quia ſequeretur, partes poſſe exiſtere antecedenter ad totum compoſitum, adeoque antequam terminaſſent actionem omnium ſuarum cauſarum &c. Vide ibi ubi etiam §. 3. ſolvimus quoddam argumentum procedens ex eo, quòd in toto compoſito, ad differentiam totius ſimplicis, extant eſſentiæ partiales, ſeu partes; Exiſtentia autem ſequitur ad eſſentiam. Ad quod diximus, quòd exiſtentia ſicut & operari ſequitur ad eſſentiam totalem, non verò partialem. Undè ſicut non extant operationes partiales, licèt extent partes, ita nec exiſtentiæ partiales licèt extent partes, ſed iſtæ exiſtunt ſecundariò per exiſtentiam totius.

Quædam objectiones videantur ſolutæ apud Cavluum in tract. de Mundo diſp. 3. q. 3. §. 5. ſub finem, & fuſiùs PP. Salmat. 3. p. in tract. de Incarnatione diſp. 8. dub. 1. §. 5. folio 512. à num. 17. & ſeqq.

Quod ibi diximus de toto eſſentiali, idem proportionaliter intelligendum eſt de toto integrali.

Quædam autem objectio, quæ de toto integrali fieri poſſet, ſolvetur quæſt. ſequenti 6. art. 2. §. 3. ſub finem, & quod ibi de ſubſiſtentia dicemus, idem proportionaliter hic de exiſtentia erit dicendum.

QUÆSTIO SEXTA.

De Subſiſtentia.

SOlius ſubſtantiæ eſt propria ſubſiſtentia; ſiquidem accidens habet quidem exiſtere, ſeu exiſtentiam, non tamen habet ſubſiſtere, ſeu eſſe per ſe.

Subſiſtentia ergo quaſi *ſubſtantiæ in ſeipſa ſiſtentia* etymologicè dicta, eo quod ſit id, in quo ultimò ſubſtantia ſiſtit, & in ſua linea ultimò completur; ſolet à noſtris definiri: *ultimus terminus ſubſtantiæ in linea ſubſtantiæ.*

ARTICULUS PRIMUS.

Num Subſiſtentia conſtitutiva ſuppoſiti, ſeu perſonæ ſeu hypoſtaſis diſtinguatur realiter à natura individua.

§. I.

1. QUid nomine ſubſiſtentiæ veniat, jam dictum eſt. Quid autem veniat nomine naturæ, notum ſuppono, nempe id, quo aliquid conſtituitur in ſuo genere, aut ſpecie. Multis autem nominibus conſuevit natura inſigniri ſecundùm diverſa, ad quæ comparari poteſt. Appellatur *natura*, *eſſentia*, *quidditas*, & *ratio*. Dicitur natura prout inſpicit operationem. Dicitur eſſentia quatenus inſpicit eſſe, ſeu exiſtentiam. Dicitur quidditas prout inſpicit definitionem, per quam, quidnam res ſit, explicatur. Dicitur demum ratio quatenus inſpicit intellectum diſcurrentem, quia eſt illud prædicatum primordiale rei, ex quo cætera deducit intellectus. Ob idque ſolemus dicere *de ratione talis rei eſt*, &c. Item ex dictis in Logica notum eſt, quid ſibi velit illa particula *individua*. Natura namque individua, ſeu ſingularizata nuncupatur quatenus non eſt communicabilis alteri ut individuo, ſeu communis multis cum ſui reali multiplicatione, ut requiritur ad univerſale, cùm ſit jam contracta, & ſingularizata ad unum, puta Cajum, Sejum. Cùm namque univerſalia non exiſtant extra intellectum, idcircò non procedit difficultas de natura univerſali, benè verò de individua.

Dixi autem in titulo *conſtitutiva ſuppoſiti, ſeu perſonæ, ſeu hypoſtaſis*. Pro quo ſcito, quòd nomine ſuppoſiti communiter intelligitur id, quod per ſe ſubſiſtit, ut completum omnino in genere ſubſtantiæ; ita quod natura ſignificatur nomine abſtracto, licèt abſtracta non ſit à ſingularitate V. G. *hæc humanitas*; ſuppoſitum verò nomine concreto V. G. *hic Homo*, *hic Leo* &c.

Sortitur autem omnia prædicta tria nomina, *ſuppoſiti* nempe, *hypoſtaſis*, & *perſonæ*. Quibus addi poſſunt alia duo, ſcilicet *prima ſubſtantia*, & *res naturæ*. Quæ omnia nomina ſignificant completam, & per ſe ſubſiſtentem naturam, ſolumque diverſificantur juxta diverſas naturas, in quibus ſubſiſtentia ponitur. Et primitèr hoc nomen *ſuppoſitum*, eſt nomen veluti genericum ad cætera recenſita nomina. Dicitur enim ſuppoſitum, quatenus ſupponitur, ſeu ſubjicitur prædicationi eorum, quæ ad naturam pertinent. Dicitur *prima ſubſtantia*, quatenus ab ipſo inchoatur ſcala prædicamentalis. Dicitur *hypoſtaſis*, quia habet ſubſtentare accidentia. Dicitur *res naturæ* ab habendo naturam. Et demum *perſona* à ſubſiſtendo in rationali natura, ſuppoſitum verò dicitur ſubſiſtens in quacunque natura, ſive rationali, ſive irrationali; Idcircò perſona definitur ex Boetio in lib. de duabus naturis, quòd ſit *rationalis naturæ individua ſubſtantia*; ſicque etiam ſuppoſitum definietur, quòd *ſit vel rationalis, vel irrationalis naturæ individua* &c.

Quantum verò ad perſonæ, ſive ſuppoſiti &c. incommunicabilitatem, recolenda eſt triplex incommunicabilitas, quam ex D. Th. in 3. ſent. diſt. 5. q. 2. art. 1. ad 2. & in 3. ad Annibaldum diſt. 5. quæſt. unica art. 2. ad 4. tradidimus in Logica Syntag. 4. quæſt. prima art. 5. §. 3. ad primam inſtantiam factam contra reſponſum datum ad 2. arg. & videri poteſt apud Guerinois hic ultra communicabilitatem Univerſalis. Incommunicabilitas autem importata à ſuppoſito, ſeu natura per ſubſiſtentiam ſuppoſitata, aut perſonata, eſt incommunicabilitas alteri tanquam ſuppoſito.

Diſſidium circa nomen Hypoſtaſis, & Perſonæ ſublatum fuit à D. Epiphanio, ut fert noſter Alex. ſuâ in Eccl. Hiſt. ad ſec. 4. in p. 3. diſert. 35. in art. ſecundo.

Circa autem hoc nomen *perſona* Noto, quòd dupliciter accipi poteſt perſona. Uno modo pro perſona artificiali. Et hoc modo ſignificat faciem confictam. Alio modo pro perſona naturali. Et hoc modo ſignificat rationalem naturam per ſe ſubſiſtentem, ſeu ſubſiſtentiam terminatam, definitam ſupra cum Boetio, quòd *ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia*.

2. Duplex adeſt in hac difficultate ſententia. Prima dicit, diſtingui, vel ſolà diſtinctione rationis, ut Durandus, Henricus de Gandavo, Richardus, & Gabriel, quos ſequitur Arriaga, & noviſſimè Jo: Baptiſta du Hamel in ſua Philoſophia veteri, & nova, aliique recentiores; vel ſolùm moraliter, ut Saguens.

Secunda ſuſtinet, diſtingui realiter. Hanc defendunt omnes Thomiſtæ, & Scotiſtæ, & ferè omnes Philoſophi, Metaphyſici, & Theologi; Et meritò quia vix aut ægrè certè poteſt oppoſita ſententia à Neſtoriana diſcerni.

§. II.

CONCLUSIO.

Suppoſitum, ſeu perſona, ſive (quod idem eſt) ſubſiſtentia diſtinguitur realiter à natura individua.

3. PRobari poteſt primò argumentis Philoſophicis quibus quæſt. præcedenti art. 1. probavimus §. 2. & 3. exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia; quia ſcilicet natura ſi identificaret ſibi realiter ſubſiſtentiam, neceſſariò eſſentialiter ſubſiſteret. Item eſſet actus purus, & infinitus in linea ſubſiſtendi; Præcipuè eſſentia Angeli, in qua nulla alia ſupponitur potentia receptiva, puta materia receptiva formæ.

Nec valet dicere, quòd non eſſet actus purus, quia eſſet in potentia ad exiſtentiam.

Non, inquam. Nam Adverſarii omnes negant, exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia, & natura.

Quomodo autem hæc ratio locum habeat in via Thomi-

ſtarum, per quos exiſtentia diſtinguitur realiter ab eſſentia: Dico optimè vigere. Namque ſicut diximus art. 1. quæſt. præcedentis, præcipuè §. 4. ad inſtantias in tertio argumento poſitas, quòd ſi exiſtentia identificaretur realiter cum eſſentia, non ampliùs poſſet eſſe potentia ad accidentia, quia propter ſuam irreceptibilitatem poſitivam in alio eſſet actus purus: Ita dicimus, quòd ſi ſubſiſtentia identificaretur realiter cum natura, non poſſet ampliùs eſſe potentia ad recipiendam exiſtentiam; quia propter ſuam poſitivam irreceptibilitatem in natura eſſet actus purus.

Neque poteſt dici, quòd tunc ſubſiſtentia præſtaretur à forma, quæ realiter reciperetur in materia.

Non, inquam, Tum quia per Thomiſtas, cùm non extent ſubſiſtentiæ partiales, ſed partes ſubſiſtant per unam, & eandem ſubſiſtentiam totalem totius compoſiti, jam ſi partes identificarentur realiter cum ſubſiſtentia, quoque identificarentur realiter inter ſe, ut diximus ibi; quoniam quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe; ſicque non ampliùs forma reciperetur in materia, cùm nihil recipiatur in ſe ipſo. Tum quia id non valet in Angelis, in quibus forma non eſt receptibilis in materia.

Quædam autem objectio, quæ contra hoc fieri poſſet quò ad Angelos ſoluta eſt quæſt. præcedenti §. 4. ad inſtantiam factam contra reſponſum datum ad 3. arg.

Alia adverſantium reſponſa refutata ibidem extant §. 2. & 3.

4. Prob. 2. argumento Theologico. Quod eſt realiter ab alio ſeparabile, & interdum ſeparatur, eſt realiter ab illo diſtinctum; ſed ſubſiſtentia creata eſt realiter ſeparabilis, & interdum realiter ſeparatur à natura: ergo realiter ab illa diſtinguitur. Min. prob. In Chriſto fuit, & eſt natura humana; ſed in illa non eſt ſubſiſtentia creata; ergo &c. Maj. eſt certa. Min. etiam debet eſſe indubitata apud Catholicos, aliter eſſent in Chriſto duæ perſonæ, Divina nimirum, & humana: quæ fuit hæreſis Neſtoriana, damnata in variis Conciliis, quæ fusè videri poſſunt apud Albertinum Jeſuitam tom. 2. diſp. 3. q. 2. num. 11. & apud Salmant. in tract. de Incarnatione 3. p. tom. 9. diſp. 3. dub. 2. §. 1. à num. 20. ego verò brevitatis gratia aliis omiſſis unum proferam Francofordienſe celebratum anno 794. tempore Adriani primi, & Caroli Magni, ubi ex epiſt. Paſchaſii Romanæ Eccleſiæ diaconi in libello de Spiritu Sancto cap. 4. ſic legitur: *in Deo Homine*, ideſt Chriſto, *gemina ſubſtantia, ſed non gemina perſona eſt*. Eadem eſt SS. PP. mens, quorum longus cathalogus videri poteſt apud ſupradictos Salmant. ibi, inter quos præcipuè S. Aug. in lib. de fide ad Petrum cap. 17. *firmiſſimè*, inquit, *tene, & nullatenus dubites, Deum Verbum carnem factum unam habere divinitatis ſuæ carniſque perſonam . . . Deus enim verbum non accepit perſonam Hominis, ſed naturam.*

Conf. Non aliundè Neſtorius ponens in Chriſto duas perſonas, & Eutyches ponens in Chriſto unam duntaxat naturam inducti ſunt ad illas hæreſes, niſi ex eo, quod noluerunt agnoſcere diſtinctionem realem inter naturam, & ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem, ut teſtantur SS. PP. & præcipuè S. Epiphanius in 6. Synodo, Damaſcenus de Fide Hortbodoxa cap. 7. & Boetius apud D. Thomam in 3. ſent. diſt. 5. q. 1. art. 3. Nam Neſtorius ex eo, quòd admittebat duas naturas, humanam nempe, & Divinam in Chriſto, etiam conſequenter duo admittebat ſuppoſita, humanum ſcilicet, ac Divinum. Eutyches, quia ſuſtinebat unum tantum in Chriſto eſſe ſuppoſitum, unam etiam ſolam admittebat naturam.

Antequam aliorum non adeo levia adoriar refellere reſponſa, placet præmittere reſponſum ſingulare quidem, ſed prorſus abs re Joannis Sagnens.

Reſpondet igitur Sagnens in ſua Metaphyſica tom. 1. appoſita unà cum Logica cùm ad arg. tum ad Conf. Ad arg. quidem, quòd, ut ſalvetur aſſumi unum, altero non aſſumpto, quæ ſunt contradictoria, ſatis eſſe, perſonam diſtingui moraliter: ſicut ut verificetur, aliquem eſſe ingenuum, & non eſſe ingenuum, ſed eſſe ſervum, ſufficit diſtinctio moralis; undè eidem Homini convenire poſſunt, qui ut ingenuus eſt ſui juris, ſi verò in ſervitutem incidat, non eſt ſui juris. Perſonalitas autem dicit eſſe ſui juris, ut colligitur ex eodem Concilio Francofordienſe, quod ſui dogmatis rationem ſubjungens, inquit: *in Deo homine gemina ſubſtantia; ſed non gemina perſona eſt*: ecce dogma catholicum, inquit Sagnens: Tum verò addit: *Nam perſona perſonam conſumere poteſt, non ſubſtantia ſubſtantiam: quia perſona* ecce rationem, ait Saguens, *res juris eſt, ſubſtantia res naturæ*. Humanitas autem ſemel aſſumpta à Verbo non fuit amplius ſui juris, ſed illud amiſit, ideo propriam amiſit perſonalitatem ſine eo, quòd amiſerit entitatem realem, ſed ſolùm reſpectum moralem. Idque exemplis illuſtrat in inſitione arborum, media qua, dum ſpecies nobilior ignobiliori inſeritur; hæc ſervit illi, nec dein ſuos, ſed alienos fructus enutrit, quin & ſuo ipſo nomine ſpoliatur; Tum in unione partium alimentitiarum cum ſubſtantia primigenia viventis.

Ad Conſ. etiam dicit id ſæpiſſimè contingere propter humanam, ſive malitiam, ſive ignorantiam, aut contumaciam, quòd ex certiſſimis principiis falſiſſimæ eruantur conſequentiæ. Sic Calvinus ex efficacia Divinæ gratiæ intulit, nos cogi ad actus, ad quos gratia efficax concurrit. Pelagius ex Hominis libertate, & libero arbitrio intulit, negandam efficaciam gratiæ.

Sed quò non pertingit opinandi libido? Quid abſurdius hoc dici poterat?

Peto à Saguens. Perſonalitas, vel eſt quid phyſicum, vel non, ſed quid morale? Si primum, cùm hoc phyſicum non ſeparetur (ut ipſe dicit) jam perſiſtet, ſicque perſiſtet perſonalitas humana, quæ cum Divina erunt duæ, adeoque in Chriſto erit *gemina perſona* directè contra Concilii dogma fidei. Si ſecundum; quod tenet re vera Saguens, & probat, vel probare conatur, ut vidimus primitèr, cùm morale, & phyſicum pertineant ad ordinem omninò diverſum, jam natura phyſica, & perſona erunt realiſſimè diſtinctæ. Inſuper id falſum prorſus, & deteſtandum eſt, ac ejurandum. Nam ſequeretur, etiam perſonalitates Divinas eſſe quid purè morale, & Divinas perſonas in aliquo morali infinito ſitas eſſe, ſicut perſonalitas finita in aliquo morali finito conſiſtit: Eò vel maximè, quòd perſonalitas creata eſt participatio perſonalitatis Divinæ, ſicut bonitas creata, ſcientia creata, juſtitia creata, & quælibet creata entitas eſt Divinæ participatio. Ex quo ulteriùs ſequeretur, Perſonas Divinas diſtingui ſolùm moraliter inter ſe de quo iterum art. ſequenti § 2. num. 6. Nec tamen inde ſequitur, quòd ſicut perſonalitas creata realiter à natura diſtinguitur per nos, ita & perſonalitas Divina realiter à Divina natura diſtinguatur. Non, inquam, quia infinitudo identificat aliqua quantùm identificabilia ſunt, ſicut finitudo diſtinguit quantùm diſtinguibilia ſunt.

Ulteriùs ſequeretur, nullum ſervum aut filium non emancipatum poſſe dici perſonam, quia non eſt ſui juris. Immò nec ullus Homo, aut Angelus eſſet ſui juris, cùm omnes ſint ſervi Dei, & alia abſurda complura.

Præterea hoc refellitur Deo dante in tract. de Incarn. ſuſtinendo, quòd ſatisfactio Chriſti fuerit de rigore juſtitiæ.

Quando autem Concilium, & Patres dicunt, quòd perſona eſt res ſui juris, loquuntur figuratè, quatenus ſicut ille dicitur ſui juris, qui à jure alterius non dependet; ita illud dicitur ſubſiſtens, quod eſt in ſe completè ſiſtens ſine dependentia ab alio, ut à ſuppoſito.

Exemplum autem, quod ibi ſubdit Saguens redolet hæreſim Eutychetis. Nam tunc ex illa arborum inſitione formatur tertia quædam natura, & permixtio. Undè ſequeretur, ita eveniſſe in Incarnatione. In quo conſiſtebat Eutychetis hæreſis. Quod ſi aliquando Patres dicunt, ita naturam Divinam fuiſſe humanitati inſitam, loquuntur & ipſi metaphoricè.

Hinc patet etiam erraſſe nonnullos dicentes, ſubſiſtentiam conſiſtere in ipſa natura cum ſuorum accidentium collectione, aut in ipſo principio individuationis, ſicut & erraſſe Laurentium Valla, qui (licèt non ad hoc propoſitum, & forſan ex eo id deſumpſit Saguens) lib. 6. elegantiarum cap. 34. Perſonam non ſignificare ſubſtantiam rei, ſed qualitatem duntaxat, tum animi, tum corporis, per quam unus Homo ab alio differt; hinc idem plures perſonas ſuſtinere poteſt, modò *Regis*, modò *Servi*, modò *Patris*, modò *Filii*, modò *irati*, modò *mitis* &c. varias induendo veſtes, varias ſibi aptando perſonas diverſas. Erraſſe, inquam, Tum quia ſequeretur, Verbum aſſumpſiſſe perſonam humanam, cùm aſſumpſerit naturam humanam cùm omnibus ejus accidentibus, & qualitatibus phyſicis, ac individuam. Tum quia adhuc habemus intentum; nimirum quòd realiter diſtinguatur à natura.

Standum igitur Boetio potiùs quam ipſi Saguens, quòd Perſona ſit *rationalis naturæ individua ſubſtantia*.

Tandem contra reſponſum datum ad Conf. inſtatur,

quia

Google

quia Calvinus, & cum eo Janſenius ex aliò prorſus principio proceſſit ac Pelagius. At Neſtorius, & Eutycheres ex eodem principio identitatis ſubſiſtentiæ cum natura. Quod ſignum eſt, vel unum, vel alterum ex erroribus illis inevitabilem admiſſo illo principio.

Alii aliter reſpondent, ſicut etiam Ipſe Saguens & Jo: Baptiſtæ du Hamel in ſua Philoſophia veteri, & nova, quòd verificanda illa contradictoria, ſcilicet eſſe aſſumptam naturam, & non perſonam humanam, ſufficit diſtinctio penes diverſos reſpectus metaphyſicales, vel diſtinctionem virtualem. Sed

Contra. Nam ultra quòd diſtinctio iſta non ſufficit ad ſalvanda hujuſmodi contradictoria phyſica in rebus creatis, ut vidimus in Logica agendo de præciſionibus objectivis; etiam ſi ſalvetur non fuiſſe à Verbo aſſumptam perſonam; tamen ſi non eſt ſeparata: ergo ibi perſiſtit humana perſona, cui addita Divina, erunt duæ perſonæ, ſicque *gemina perſona* erit in Chriſto, cujus oppoſitum directè dicunt verba Concilii. Inſuper Concilium dicit ibi, quòd perſona Divina conſumpſit perſonam humanam: ergo ibi nullatenus remanet perſona humana, ſed conſumpta eſt non conſumpta humanitate, adeoque humanitas non eſt idem, ac ſua perſonalitas.

Alii reſpondent, quòd cum entitate naturæ humanæ in Chriſto adeſt etiam tota entitas propriæ ſubſiſtentiæ, cùm ſit una, & eadem entitas utriuſque. Nihilominùs nequit prout in illo denominari ſubſiſtens, aut ſuppoſitum, quia iſtud ſignificatur ut habens humanitatem; Humanitas autem in Chriſto non ſignificatur ut *habens*, ſed ſignificatur ut *habita* à Verbo. Et propter hoc nequit dici, quòd Deus aſſumpſerit Hominem, ſeu humanum ſuppoſitum, ſed ſolùm quòd aſſumpſerit humanitatem; quia non ſibi univit humanitatem per modum habentis naturam in concreto, ſed per modum habitæ, & veluti in abſtracto.

Contra primò. Nam reſponſum hoc eſt mera principii petitio: ergo debebat omitti. Prob. ant. Tum reſponſum eſt petitio principii, quando pro reſponſo, & ſolutione argumenti adhibetur id, quod eſt in quæſtione, quodque obiiciens aſſumit probandum; ſed hoc eſt, quod probamus, nempe, quòd humanitas aſſumpta deberet denominari etiam *habens*, & non purè *habita*, quia haberet ſubſiſtentiam, & habens ſubſiſtentiam dicitur *habens*, ſeu *ſuppoſitum* &c. ut in aliis patet: ergo &c. Undè ſi hic eſſent duæ ſubſiſtentiæ, eſſent quoque duo *habentes*, ſive duo *habentia*, & non unum ſolum *habens*.

Secundò. Hæc ſolutio immediatè adverſatur dictis Concil. & PP. dicentium, ut vidimus, in Chriſto non adeſſe realitatem geminæ perſonæ, ſed Verbum conſumpſiſſe, impediſſe, ſuppleſſe humanam perſonam.

Tertiò. Admittere illas ſolas diverſas ſignificationes, unitum per modum *habentis*, aut per modum *habiti* eſt differre ſolùm in verbis, & in diverſis modis ſignificandi, ac explicandi; non verò in re à ſententia Neſtorii: ergo in re eſt unus, atque idem error cum errore Neſtorii. Prob. ant. Quicquid realitatis admittit Neſtorius ea parte humanitatis unitæ Verbo, totum illud admittit ſententia, quam oppugnamus, ſolùmque à Neſtorio differt, quòd realitatem eandem humanitatis Chriſti vocat naturam, & non ſuppoſitum, ſeu *habitam*, non verò *habentem*, quam Neſtorius perſonam ſeu ſuppoſitum, ſive habentem, & non præcisè habitam eſſe dicebat.

Dices, non dici ſuppoſitum, non quia aliquid ei deſit, ſed potiùs quia habet aliquid, ratione cujus non poteſt eſſe ſuppoſitum; Et hoc aliquid eſt eſſe in Verbo tanquam forma in ſuppoſito. Quod quidem tollit rationem ſuppoſiti; quia hoc petit eſſe per ſe, & non in alio.

Contra primò. Hoc reſponſum iterum eſt petitio principii. Nam hoc eſt, quod probamus, nempe, quòd humanitas aſſumpta non poſſet eſſe in alio, ut in ſuppoſito, quia haberet ſubſiſtentiam, ſeu eſſet ſubſiſtens; eſſe autem ſubſiſtens eſt eſſe per ſe, & non in alio.

Secundò. Intantum humanitas ut habita nequit per adverſarium dici ſuppoſitum, quia habet eſſe in alio; ſuppoſitum verò eſt illud, quod habet eſſe per ſe: ergo jam concedit, ſuppoſitum addere aliquid realiter naturæ, ſcilicet perſeitatem, ſive negationem eſſendi in alio, ſive poſtea illud ſit aliquid poſitivum, ut volunt, Thomiſtæ, ſive negativum, ut Scotiſta prætendit. Neque enim hic diſputatur, num ſit quid poſitivum, nec ne; ſed hoc diſputabitur art. ſequenti.

Dices iterum, humanitatem Chriſti non dici ſuppoſitum eſtò realiter identificet ſibi ſuam ſubſiſtentiam, quia præventa à perſonalitate Verbi caruit munere, & exercitio ſubſiſtendi.

Contra primò. Iterum reſponſum hoc eſt petitio principii, quia hoc eſt, quod probamus, nemque, quòd non careret ſubſiſtendi exercitio; eò quòd ſi eſt idem ſubſiſtentia, & humanitas, ſicut non caret exercitio humanitatis, ita nec ſubſiſtentiæ exercitio careret.

Secundò. Illud exercitium ſubſiſtendi, vel eſt aliquid naturæ, vel diſtinctum ab illa. Si eſt aliquid naturæ: ergo humanitas non fuit integrè aſſumpta à Verbo; quod eſt hæreticum. Si eſt aliquid diſtinctum jam habemus intentum.

Dices tandem, quòd humanitas poteſt carere proprio exercitio ſubſiſtentiæ, atque adeo denominatione humanæ perſonæ abſque eo, quod aliquid intrinſecum ipſi deficiat realiter, ſive entitativè, ſive modaliter ab ipſa diſtinctum; ſicut in nonnullorum ſententia poteſt deficere exercitium relationis, abſque eo, quod deficiat aliquid realiter à fundamento diſtinctum. Et Thomiſticè loquendo deficit exercitium referendi Patrem ad ſecundum filium, & exercitium unionis per nos in materia, & forma, abſque eo, quòd deficiat aliquid realiter diſtinctum, ſive entitativè, ſive modaliter à Patre, ut relato ad primum filium, aut à partibus. Sed

Contra eſt primò. Et primitèr jam ex hoc reſponſo, & ex his exemplis habemus, quòd exercitium ſubſiſtendi, ſeu denominatio ſuppoſiti, ſeu perſonæ ſuperaddit ad naturam ſaltem aliquid connotatum extrinſecum, puta negationem eſſendi in alio ſuppoſito extraneo; ſed hoc confert ad intentum noſtræ concluſionis ſalvandum contra Durandum, alioſve citatos (neque enim hic volumus determinare num ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum ſuperaddat aliquid in recto, aut poſitivum ad ipſam naturam) ergo data reſponſio non eſt ad propoſitum.

Secundò. Nequit abeſſe denominatio realis intrinſeca, niſi abſit vel aliqua entitas, aut modus, vel ſaltem aliquid realiter connotatum extrinſecum, ut patet in exemplis adductis, & aliis adducibilibus; ſed in humanitate Chriſti non abeſt denominatio intrinſeca perſonæ, aut ſuppoſiti ex defectu extrinſeci connotati: ergo abeſt ex defectu entitatis intrinſecæ ſaltem modalis. Min. prob Non eſt excogitabile hoc extrinſecum connotatum, quod deficiat in Chriſti humanitate. ergo &c. Prob. ant. Si enim dicatur, eſſe negationem eſſendi in ſuppoſito extraneo, hoc eſt ſalſum; quia hujuſmodi negatio non conſtituit, ſed ſupponit conſtitutam perſonam, & ad illam conſequitur; quia mera negatio nequit conſtituere aliquid poſitivum, ut eſt ſubſtantia completa, ſeu per ſe ſubſiſtens. Si autem dicatur, quòd eſt exiſtentia creata, qua caruit humanitas Chriſti, non minùs eſt ſalſum, Tum quia Adverſarius etiam exiſtentiam ponit cum eſſentia realiter identificatam. Tum quia Fidei dogma eſt, quòd humanitas Chriſti caruit propria perſonalitate; & tamen non eſt fidei dogma, quòd caruit propria exiſtentia, cùm Scotiſtæ, & cæteri identificantes exiſtentiam cum eſſentia oppoſitum aſſerant. Tum quia etſi re vera humanitas Chriſti careat etiam propria exiſtentia, ut communiter Noſtrates defendunt; tamen defectus ipſius nequit eſſe cauſa à priori, cur deficiat denominatio perſonæ quæ exiſtentiam creatam præcedit, ut videbimus infra art. 4. Et per hæc patet diſparitas ad exempla adducta.

Tertiò. Ita deficit denominatio perſonæ in humanitate Chriſti, quòd ipſa remanet entitativè incompleta in linea ſubſtantiæ; ergo deficit hæc intrinſeca denominatio propter defectum alicujus entitatis intrinſecæ, & non per puram deficientiam extrinſeci connotati. Conſequentia liquet. Nam nequit humanitas remanere intrinſecè incompleta, niſi aliqua entitate intrinſeca ſaltem modali careat. Ant. eſt verum; quia aliàs ex ipſa, & Verbo nequiret unum per ſe completum reſultare.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

5. ARg. 1. contra primam noſtram probationem omnibus argumentis ſolutis quæſt. præcedenti art. 1. §. 4. & 5. illuc adeas.

Arg. 2. authoritate D. Th. qui Quodlibeto 2. art. 4. in fine, inquit: natura dicitur conſtituere ſuppoſitum, non quia

natura ſit una res, & ſuppoſitum alia res, ſed quia ſecundum modum ſignificandi, natura ſignificatur ut pars, ratione ſupra dicta; ſuppoſitum verò ut totum, natura ſignificatur ut conſtituens, & ſuppoſitum ut conſtitutum: ergo judice D. Th. ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia non diſtinguitur realiter à natura.

Conf. ex Ariſt. 7. Metaphyſ. cap. 6. tex. 21. & cap. 15. in fine ubi; *in omnibus*, inquit, *quæ per ſe dicuntur, quodquid eſt non diſtinguitur ab eo cujus eſt: Quodquid eſt* autem, ſeu natura eſt ſuppoſiti.

Reſp. ad arg. cum communi interpretando S. Th. quòd intendat duntaxat negare, ſuppoſitum diſtingui à natura ut rem à re, non verò negare, illud diſtingui ut modum à re; cùm S. Th. ibidem in illo eodem art. in corpore, & ad primum expreſsè affirmet, ſuppoſitum diſtingui ab humanitate.

Hinc quando S. Th. opuſc. cap. 21. dicit, Unionem animæ cum corpore conſtituere ſuppoſitum, dicendum eſt loqui de ſuppoſito inchoativè, ſeu radicaliter. Idem dicatur, quando ſimilia alia alibi habet.

Ad Conf. Reſp. eodem modo Ariſt. ac D. Th. interpretando.

Contra. Saltem in rebus ſpiritualibus, puta in Angelis S. Th. negat ſuppoſitum ſeu perſonam diſtingui realiter à natura, etiam ut modum à re: ergo ſaltem in iſtis non diſtinguitur, & per conſequens poſtea nec in aliis; quia noſtra prima probatio probat etiam, imò magis de Angelis, ut vidimus. Ant. prob. Angelicus in 3. diſt. 5. q. 1. art. 3. contra Neſtorium admittentem in Chriſto duas perſonas ſicut duas naturas: *ſciendum*, inquit, *eſt ergo quòd in quibuſdam differunt natura & perſona ſecundùm rem; in quibuſdam verò* (nempe in Angelis) *ſecundum rationem tantùm*. Deinde ſubdit; *in ſimplicibus autem non differunt re natura, & perſona*. Subſumitur min. ſed differentia per rationem non importat diſtinctionem realem nec etiam modi à re: ergo &c.

Reſponderi ad hoc communiùs ſolet S. Th. ibi loqui de ſuppoſito radicaliter ſumpto, non verò formaliter accepto.

Quod reſponſum aptum quidem eſt; ſed quia patitur non paucas inſtantias, quas fusè refert quidam doctiſſimus in m. ſ. ſigillatim eas ſolvens; quas omnes proſequi nimis prolixum foret, & nonnullæ videri poſſunt ſolutæ apud PP. Salmanticenſes in Theologicis 3. p. in tract. de Incarnatione diſp. 3. dub 2. ubi inquirunt *num unio humanitatis ad Verbum ſit facta in perſona* §. 2. ad 4. arg. à num. 29. & iterum diſp. 9. §. 2. num 7. ubi etiam circa hoc aliqua referunt ex Godoy ibi diſp. 18. §. 2. Ideo aliter, & breviùs.

Reſp. 1. ex dictis art. 3. §. 3. ad ult. arg. ſub num. 10. S. Th. ibi fuiſſe locutum non ex propria ſententia, ſed ut commentatorem Magiſtri ſent. Cujus ſignum eſt, quòd in Summa oppoſitum docet. Nam 3. p. q. 2. art. ubi dicit & probat, quòd ſuppoſitum eſt aliud à natura in omnibus naturis capacibus alicujus prædicati ad ſpeciem non pertinentibus naturam, & ſuppoſitum differunt; quia natura ut natura ſignificatur, & importat ſolam quidditatem rei; idcircò ſi contingat ei aliquid accidere, nequeunt de ea ratione ſui prædicari, ſed de habente talem naturam, quod eſt ſuppoſitum, ſeu perſona. Patet autem in Angelis inveniri aliquid præter rationem ſpeciei, nimirum, non ſolùm exiſtentiam, verùm etiam operationes, gratiam &c. quæ omnia ſunt accidentia, ſicut & potentiæ operativæ. Eandem rationem habet Quodl. 2. q. 2. art. 3. de qua infra ad 6. arg. ſub num. 9. & poſtea loco citato ex 3. p. *ſicut*, inquit, *maniſeſtè apparet in his, quæ ſunt ex materia, & forma compoſita*. Quibus verbis innuit idem reperiri in ſubſtantiis creatis ſimplicibus; licèt hoc in eis non adeo perſpicuè appareat. Ex his

Reſp. cum Guerinois, S. Th. ſolùm velle, quòd in Angelis ſubſiſtentia à natura non diſtinguatur realiter ex omni eo capite, ex quo diſtinguitur in rebus materialibus. Nam in rebus materialibus diſtinguitur realiter; & quia materiales ſunt conſtitutæ per formam realiter diſtinctam à materia, & quia finitæ ſunt; in Angelis verò præciſè quia naturam finitam, & limitatam habent. Quod reſponſum videri fuſiùs apud Guerinois explicatum poteſt.

Dices. S. Th. 4. contra Gentes cap. 55. probat, convenientius fuiſſe, quòd Verbum aſſumpſerit naturam humanam, quàm Angelicam, quia in Homine aliud eſt natura, aliud perſona; cùm ſit ex materia, & forma compoſitus, non verò in Angelo, quia immaterialis eſt: ergo ex ſententia propria S. Th. vult perſonam in Angelo ex nullo capite diſtingui à natura.

Reſp. dato ant. nego conſeq. Quandoquidem potiùs facit pro nobis. Nam ſi ex nullo capite ſubſiſtentia, ſeu perſona in Angelo diſtingueretur à natura, non ſolùm convenientius fuiſſet aſſumi naturam humanam, quàm Angelicam, verùm etiam omnino impoſſibile fuiſſet, aſſumi naturam Angelicam, contra illud Apoſt. ad Hebr. 2. commendantis benignitatem Dei erga nos præ Angelis *nuſquam Angeles, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Undè idem S. D. 3. p. q. 4. art. 1. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd quidam dicunt, Angelum non eſſe aſſumptibilem: quia à principio ſuæ creationis eſt in ſua perſonalitate perfectus, cùm non ſubjaceat generationi, & corruptioni. Undè non poſſet in unitatem Divinæ perſonæ aſſumi, niſi ejus perſonalitas deſtrueretur: quod neque convenit incorruptibilitati naturæ ejus, neque bonitati aſſumentis: ad quam non pertinet, quòd aliquid perfectionis in natura aſſumpta corrumpat. Sed hoc non videtur excludere totaliter congruitatem aſſumptionis Angelicæ naturæ: poteſt enim Deus producendo novam Angelicam naturam copulare eam ſibi in unitate perſonæ: & ſic nihil præexiſtens ibi corrumperetur*.

Quia igitur diſtinctio eſt neceſſaria inter naturam & perſonam, ut aſſumi valeat, cùm, ut oſtendunt Noſtrates 3. p. perſona ſit eſſentialiter inaſſumptibilis, utpote importans in ſuo conceptu ſubſiſtentiam, quæ ex ſui eſſentiali ratione dicit incommunicabilitatem alteri ut ſuppoſito; idcircò ubi ex pluribus capitibus habetur diſtinctio, ibi major aſſumptibilitas, ſeu major congruentia ad aſſumi. Undè authoritas illa poterat ab Adverſario omitti.

6. Arg. 3. fundamento Durandi. Homo, & humanitas ſunt ſuppoſitum, & natura; ſed Homo, & humanitas differunt ſolùm ex modo ſignificandi, non verò realiter: ergo ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia non diſtinguitur realiter à natura. Prob min. Homo & humanitas ſe habent in genere ſubſtantiæ, ſicut album & albedo in genere accidentis, nimirum ut concretum, & abſtractum; ſed album, & albedo differunt ſolùm ex modo ſignificandi, non verò realiter, ſeu ex parte rei ſignificatæ: ergo &c. Min. docetur ab Ariſt. cap. de ſubſtantia, dicente, quòd album ſolam qualitatem ſignificat, quam etiam ſignificat albedo.

Reſp. nego min. Ad prob. nego iterum min. ad cujus prob. interpreto Philoſophum cum diſtinctione ſic: ſolam qualitatem ſignificat in recto, concedo, in obliquo, nego ant. & conſequentiam. In obliquo namque importat ſubjectum realiter diſtinctum ab ipſa qualitate: Undè etiam *Homo* in recto dicit humanitatem, de connotato verò ſuppoſitum realiter diſtinctum. Ob idque retorquetur objectio in Adverſarium. Eapropter non valet dici *Homo eſt humanitas*, ſed habens humanitatem.

Ubi obſervandum, quòd perſona, ſeu ſuppoſitum poteſt duobus nominibus concretis ſignificari; nimirum nomine naturæ ut eſt hoc nomen *Homo*; & nomine concreto ſuppoſiti formalis, ut eſt hoc nomen *perſona*, vel *ſuppoſitum*. Primum facit ſenſum formalem pro humanitate, & materialem pro ſuppoſito; ſicque perſona, ſeu ſuppoſitum importatur ſolùm de connotato, humanitas verò in recto: Secundum nomen facit ſenſum formalem pro hypoſtaſi, & materialem pro humanitate; ſicque in iſto humanitas importatur duntaxat in obliquo, hypoſtaſis verò, ſeu ſuppoſitum in recto.

Contra. Idem importatur per hoc nomen *Homo*, ac per ejus definitionem, ſed per definitionem Hominis nihil aliud importatur, quàm ejus natura, cùm definitio explicet naturam, ſeu quidditatem rei, & Hominis quidditas ſit ejus natura: ergo *Homo* non dicit, niſi naturam.

Reſp. diſt. maj. idem importatur in recto, concedo, de connotato, & de materiali, nego. Non enim eſt neceſsè, quòd definitio ſe extendat ad ea, quæ de connotato importantur.

7. Arg. 4. ex eodem. Humanitate ſibi relicta, & omni alio ſublato, extat in humanitate per ſe ſubſiſtens, ſeu habens humanitatem; ſed hoc eſt ſuppoſitum: ergo iſtud non eſt quid realiter ſuperadditum humanitati. Prob. maj. Data humanitate, & omni alio ſublato humanitas non exiſtit in alio: ergo &c.

Reſp. nego min. loquendo de per ſe ſubſiſtente poſitivè.

Ad

Ad prob. omiſſo ant. diſt. conſequens extat per ſe ſubſiſtens poſitivè, nego, negativè, concedo ant. & nego conſequentiam. Tunc ſiquidem haberetur per ſe ſubſiſtens negativè, quatenus non eſſet in alio, non verò poſitivè.

Dixi *omiſſa ant.* Poterat enim diſtingui ſic; Non exiſtit in alio actualiter, concedo, poſſibiliter, nego ant. & conſequentiam. Siquidem ad rationem ſubſiſtentis, & ſuppoſiti non ſufficit actu ab alio non dependere, & ſuſtentari, ſed ulteriùs requiritur, non poſſe ſuſtentari, & dependere, ut vidimus ad ult. inſtantiam factam contra reſponſum datum ad 2. arg. In humanitate autem ſic accepta eſtò non extet actualis dependentia, & ſuſtentatio à ſuppoſito extraneo, non tamen illi repugnat à ſuppoſito alieno terminari, ſeu eſſe in alio, non quidem ut in ſubjecto inhæſionis, cùm ſit ſubſtantia, ſed ut in ſuppoſito.

Adde, quòd etiam toto hoc conceſſo nihilominùs importatur aliquid realiter diſtinctum ab humanitate, nempe negatio dependentiæ ab alio. Non enim modò diſputamus num hoc realiter diſtinctum ſit quid poſitivum, vel negativum. Sed de hoc art. ſequenti.

Contra. Poſita humanitate ſola, & omni alio ſive negativo, ſive poſitivo ſublato, eſſet per ſe ſubſiſtens, poſitivè independens etiam poſſibiliter ab alieno ſuppoſito: ergo &c. Prob ant. Perſona habet omnia dicta; ſed poſita ſola humanitate, & omni alio ſive poſitivo, ſive negativo, ſublato, humanitas eſſet perſona: ergo &c. Prob min. Perſona definitur à Boetio, quòd ſit *rationalis naturæ individua ſubſtantia*; ſed humanitas quocunque ſubſiſtentiæ ſublato eſſet rationalis naturæ individua ſubſtantia: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia completa in linea ſubſtantiæ, concedo, incompleta, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Natura ſiquidem pro priori ad ſubſiſtentiam, ſeu ſuppoſitum non eſt ultimò completa in linea ſubſtantiæ; quia adhuc eſt communicabilis alteri tanquam ſuppoſito, ſeu perſonæ. Undè ſubſiſtentia eſt illa, quæ ultimò complet naturam in linea ſubſtantiæ; ſicut exiſtentia eſt illa, quæ ultimò complet eandem naturam in linea eſſentiæ.

Et reapſe ſubſiſtentia abſoluta competens naturæ Divinæ antecedenter ad relationes non eſt perſona, licèt exiſtat per ſe, & in ſe per illam, non alia ratione, niſi quia non eſt per ſe perſeitate fundante talem incommunicabilitatem. Idem dicas de Anima rationali ſeparata.

8. Arg. 5. oppugnando noſtram rationem. Ideo per nos ſuppoſitum diſtinguitur realiter à natura, quia humanitas Chriſti eſt aſſumpta; non aſſumpto humano ſuppoſito; ſed iſta ratio eſt nulla: ergo nullum eſt motivum diſtinguendi realiter ſubſiſtentiam, ſeu ſuppoſitum à natura. Prob. min. Tum quia Verbum Divinum ut ſuppoſitum diſtinguitur duntaxat ratione, & non realiter à natura Divina; & tamen verificatur ipſum aſſumere humanitatem non aſſumente ipſa natura Divina. Tum quia inter Deum, & deitatem non extat diſtinctio realis; & tamen verificatur, Deum generare, non generante deitate: ergo pariter eſtò realiter non diſtingueretur realiter ſuppoſitum humanum ab humanitate, dummodo diſtinguatur ab illa ſecundùm rationem, hoc ſat erit, ut dicatur aſſumpta humanitas, & non aſſumptum ſuppoſitum humanum.

Reſp. nego min. Ad 1. prob. diſt. min. non aſſumente natura Divina nec formaliter, nec identicè, & realiter, nego, non aſſumente &c. formaliter, concedo. Natura ſiquidem Divina quamvis non dicatur aſſumens formaliter; quia tamen eſt identificata realiter cum Verbo, dicitur identicè, & realiter verè eſſe humanitati unitam. Dici autem nequit catholicè loquendo, quòd ſuppoſitum, ſeu perſona ſit identicè realiter verè perſonæ Divinæ unita.

Ad 2. eodem modo dico, quòd hæc propoſitio *Deitas generat* eſt vera in ſenſu identico, & reali, quamvis vera non ſit in ſenſu formali. Sicque retorquetur argumentum.

Adde, quòd diſtinctio virtualis in Divinis, utpote maximè eminens (ut diximus in Logica agendo de præciſionibus objectivis) poteſt valere ad ſalvanda aliqua contradictoria, quæ in creatis ſalvare non poteſt, utpote minùs eminens.

9. Arg. 6. contra id, quod ex D. Th. diximus ſub num. 5. ad primam impugnationem reſponſi dati ad 1. arg. Tum quia ad recipiendum aliquid extra naturam non requiritur aliquid præter naturam. Siquidem eadem ſubſiſtentia per nos eſt extranea naturæ, ſeu extra rationem ſpeciei; & tamen ad illam ſuſcipiendam non requiritur aliquid extra naturam: ergo non benè D. Th. ex eo, quòd naturæ creatæ poſſunt accidere aliqua ipſi extranea, infert, debere ipſi ſuperaddi ſubſiſtentiam, ut illa recipiat. Tum quia ſubſiſtentia Divina non diſtinguitur realiter à natura; & tamen terminat immediatè naturam humanam extraneam: ergo tametſi ſubſiſtentia creata non diſtingueretur realiter à natura poſſet immediatè recipere accidentia extranea ſuæ ſpeciei. Tum quia ſtat benè, quòd aliquid conveniat naturæ ratione ſuppoſiti, ſeu quòd ſuppoſitum dicat aliquid, quod eſt extra eſſentiam, & tamen, quòd realiter identificetur cum illa; ſicut ſtat benè, quòd rationale identificetur realiter cum animali, & tamen, quòd ſit extra conceptum eſſentialem animalis.

Reſp. ad 1. quòd ſubſiſtentia licèt ſit aliquo modo extranea naturæ, quatenus non eſt ratio primò conſtitutiva ejus; tamen eſt ultimus terminus, & complementum ejuſdem; idcircò poteſt immediatè recipi in natura individua, reddendo illam ut *quod* ſubſiſtentem aptam ad recipienda accidentia, quæ non ſunt complementum ejus, & exiſtunt in illa.

Ad 2. dato ant. nego conſeq. quia terminare naturam alienam non eſt recipere aliquid in ſe (ut fuſiùs Deo dante in tract. de Incarnatione dicemus) ſed eſt præcisè ſupplere vices ſuppoſiti alieni, cujus vices certè non ſuppleret, niſi iſtud realiter diſtingueretur. Undè hæc quoque objectio favet nobis.

Ad 3. Reſp. jam antea eam prævidiſſe S. Th. qui proinde eam ſolvit loco à nobis relato, nimirum Quodl. 2. art. 3. ad 1. dicens, quòd dupliciter poteſt aliquid accidere præter ejus rationem. Uno modo quatenus non cadit in definitionem rei, ſed tantùm determinat, & contrahit illam eſſentialiter; & ita licèt non conſtituat illam in ſe, tamen cum ipſa conſtituit aliquam eſſentiam, determinando gradum ſuperiorem, ſicut facit rationale reſpectu animalis. Alio modo dicitur aliquid accidere alicui rei, quatenus nec conſtituit ipſam eſſentialiter, nec ipſam eſſentialiter determinando aliquod tertium cum ipſa conſtituit, ſicut albedo reſpectu Hominis. Primo modo ſtat aliquid accidere, & identificari cum ipſa, ut patet in rationali reſpectu animalis, ſecus verò ſecundo modo, ut patet in albedine reſpectu Hominis. Ille. Cùm autem in creatis, exiſtentia, & accidentia hoc ſecundo modo naturæ creatæ conveniant ratione ſubſiſtentiæ, conſequenter ſequitur, non identificari realiter cum natura creata, ſed ab ipſa ſimul cum ſubſiſtentia realiter diſtingui.

10. Arg. 7. Ad hoc, ut natura reddatur incommunicabilis alteri ut Univerſalis ſufficit gradus individualis virtualiter diſtinctus, non verò requiritur aliquod realiter diſtinctum: ergo pariter ut reddatur incommunicabilis alteri ut ſuppoſito ſufficiet aliquid virtualiter diſtinctum, nec opus erit aliquo realiter ſuperaddito.

Reſp. primodùm ex dictis mox ad 3. poſitam in præcedenti argumento 6. ſub num. 9 deinde ex dictis de exiſtentia quæſt. præcedenti art. 1. §. 4. ad conſ. poſitam in 5. arg. ſub num 9. ſicut de aliis gradibus metaphyſicis diſcrimen eſſe, quia nimirum adhuc habet undè limitetur, eò quòd adhuc eſt in potentia ad exiſtentiam. Quod quomodò ſalvetur, videatur ibi. Tandem diſcrimen eſt; quia eadem realiter poſitivè natura non eſt communicabilis pluribus individuis, ſed duntaxat eadem metaphyſicè, & Logicè, ac negativè. At eadem poſitivè natura eſt communicabilis proprio, & alieno ſuppoſito ſaltem ſucceſſivè.

11. Aliud arg. quod objici hic poſſet fuit ſolutum in Logica in Syntag. 4. quæſt. prima art. 5. inquirendo *num ens ſit analogum atque analogia* §. 3. ad 2. arg. ſub illius finem ſub num. 5. ultra medium. Videatur ibi. Aliud ſolvetur art. ſequenti ad 2. & aliud ibi ad confirmationem ultimæ inſtantiæ contra reſp. dandum ad 1. arg.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Subſiſtentia, ſeu Suppoſitum addat ſupra naturam ſingularem aliquid poſitivum, vel ſolam negationem dependentiæ, aut communicabilitatis alteri ut Suppoſito?

§. I.

1. DUæ ſunt pugnantes ſententiæ, inter ſe. Prima tenet, quòd ſuppoſitum creatum ſupra naturam duas addat negationes, ſcilicet negationem dependentiæ, & communicationis actualis cuique ſuppoſito etiam Divino, ſeu cuique enti ſubſtantiali completo, & negationem communicationis aptitudinalis naturalis eidem, prout iy *aptitudo* dicit capacitatem naturalem ad aliud, non verò ſolam potentiam obedientialem. Ita Scotus in 3. diſt 1. q. 1. art. 3. licèt nonnulli Scotiſtæ mox citandi conentur Scotum trahere ad bonum ſenſum.

Pro dilucidatione hujus ſententiæ juvat tradere doctrinam, quam habet Scotus tum loco citato, tum Quodl. 19. art. 3. ubi triplicem diſtinguit dependentiam unius ab alio quantum ad præſens attinet, quicquid ſit de aliis dependentiis, puta effectus à cauſa extrinſeca, efficiente &c. Una actualis, qua reapſe unum dependet ab alio, ſicut reapſe una pars ſive eſſentialis, ſive integralis eſt actu communicata toti (ut habetur ex D. Th. non ſolùm 4. contra Gentes cap. 49. ad 10. verùm etiam in 3. ad Annibal. diſt. 5. q. unica, & p. p. q. 29. art. 1. ad 2. & art. 2. idcircò excluduntur ſubſiſtentiæ omnes partiales) & humanitas Divino ſuppoſito, quarum proinde nulla rationem ſuppoſiti obtinet. Altera aptitudinalis aptitudine naturali, qua res una habet inclinationem, & aptitudinem naturalem, ut alteri communicetur; ſicut Anima rationalis ſeparata habet aptitudinem naturalem, ut communicetur alteri ſuppoſito, ſeu toti compoſito, nimirum toti Homini ſaltem ut ſubjecto formato, non verò informi: Et ſimiliter accidentia Euchariſtica dicunt naturalem aptitudinem ut ſubjecto inhæſionis communicentur. Tertia & ultima eſt obedientialis, qua unum ſupernaturaliter, & virtute agentis ſupernaturalis poteſt alteri communicari; quo pacto quælibet natura humana habet hanc aptitudinem, ut communicetur ſuppoſito Divino, eo modo, quo eſt reapſe communicata humanitas Chriſti.

Per contrapoſitionem ad hanc triplicem dependentiam triplex diſtinguitur negatio dependentiæ, ſeu independentia; nimirum actualis, qua de re, Anima ſeparata, eſt independens à toto, & accidentia Euchariſtica (licèt diverſimodè, & miraculosè) ſunt independentia à ſubjecto; aptitudinalis, qua cujuſque puri Hominis humanitas, & quilibet purus Homo eſt independens à ſuppoſito Divino, cui nonniſi ſupernaturaliter uniri poſſet; & tandem obedientialis, qua nec ſupernaturaliter unum poteſt ab alio dependere; & hæc eſt propria ſolius Divini ſuppoſiti, cui eſſentialiter repugnat dependere ab alio.

Itaque juxta hanc ſententiam ſubſiſtentia creata ſita eſt in duabus primis negationibus.

Sic diſcurrunt Scotiſtæ cum Scoto; licèt nonnulli Scotiſtæ, ut Rada 3. p. controverſ. 5. art 1. Lychetus in 3. diſt. 1. q. 1. & alii contendant, Scotum fuiſſe problematicum, & hanc ſententiam determinatè non tenuiſſe, ſed ſolùm ut probabilem diſputandi gratia eam inſinuaſſe. Immò Lychetus probabiliùs cenſet, ſuppoſitum, vel perſonam addere aliquid poſitivum; idipſum & Rada tenet.

Secunda ſuſtinet, ſubſiſtentiam eſſe quid poſitivum. Hanc defendunt communiter Thomiſtæ; quibus adſtipulantur Suarez diſp. 34. Metaph. & communiter cæteri tum Philoſophi, tum Theologi.

§. II.

CONCLUSIO.

Subſiſtentia non in ſola negatione, ſed aliquo poſitivo ſita eſt.

2. PRob. 1. unà ex rationibus communibus. Omnis negatio debet fundari in aliquo poſitivo: ergo. Subſiſtentia erit aliquod poſitivum, in quo fundetur illa dependentiæ negatio. Ant. patet. Nam negatio V. G. incapacitas extenſionis, negatio materiæ &c. in Angelo fundatur in ejus poſitiva ſpiritualitate.

Dices, debere quidem fundari in aliquo poſitivo, non tamen realiter diſtincto, ut in exemplo adducto liquet. Sed

Contra. Licèt negatio inauferibilis à re poſſit fundari in aliquo poſitivo non realiter diſtincto, ut in exemplo adducto de Angelis, & aliis adducibilibus, puta de negatione rationalitatis, quæ negatio in Brutis fundatur in eorum poſitiva brutalitate; tamen negatio auferibilis à re debet fundari in aliquo realiter diſtincto ab ipſa re; ſed negatio dependentiæ ab alio ut ſuppoſito eſt ſeparabilis à ſubſtantia creata: ergo debet fundari in aliquo poſitivo realiter diſtincto à ſubſtantia creata. Min. patet tum in Anima rationali ſeparata, quæ proinde nequit dici ſuppoſitum; tum in humanitate Chriſti, quæ cùm ſit facta dependens à ſuppoſito amiſit negationem dependentiæ ab alieno ſuppoſito. Maj. verò prob. Si negatio incapacitatis extenſionis eſſet auferibilis ab Angelo, non poſſet ab illo auferri, niſi auferretur ab illo aliquid poſitivum, nimirum ejus poſitiva ſpiritualitas; quod autem eſt auferibile, ſeu ſeparabile eſt realiter diſtinctum.

Reſpondebis negando maj. & ad prob. dices, id eſſe verum de negatione eſſentialiter, ſeu etiam ſupernaturaliter inauferibili; non verò de negatione naturaliter auferibili. Patet enim, quòd ab aere tollitur privatio lucis, & ab intellectu privatio viſionis beatificæ, & ab omni materia privatio formæ abſque eo, quòd aliquid ſubtrahatur poſitivum, quod ſit talis privationis fundamentum per hoc ſolùm quòd aliquod poſitivum de novo acquirant.

Reſponſum hoc refellunt Noſtrates, quia ſuppoſitum eſt eſſentialiter incommunicabile alteri ſuppoſito. Verùm hæc impugnatio non eſt præſentis loci; quia id negat Scotus, ut vidimus §. 1. volens, quòd eſſentialis independentia ab alieno ſuppoſito ſit de ratione ſolius Divini ſuppoſiti; ita quòd humanitas licèt non ſit cùm ſubſiſtentia aſſumpta, ſeu non ſit aſſumptum ſuppoſitum humanum, ut eſt de fide; poterat tamen aſſumi. Undè hoc reſervandum eſt pro tract. de Incar. quæſt 9 art. 1. ubi, probabimus nec de potentia Dei abſoluta potuiſſe aſſumi ſubſiſtentiam creatam. Idcirco aliter

Inſto. Licèt negationes & privationes, ad quarum ablationem res nec naturalem repugnantiam dicit, ſed indifferenter ſe habet, poſſint tolli non ablato aliquo poſitivo, in quo fundentur; tamen negationes, & privationes, quas res renuit naturaliter ſibi auferri, nequeunt auferri, non ſublato aliquo poſitivo; ſed per Scotum (ut vidimus §. 1.) ſuppoſitum dicit incapacitatem naturalem, licèt non obedientialem dependentiæ ab alieno ſuppoſito: ergo hæc negatio nequit auferri non ſublato aliquo poſitivo. Prob. maj. In igne V. G. qui naturaliter repugnat ablationi à ſe negationis frigefactivi, nequit auferri ab igne negatio frigefactivi, niſi ab eo ſubtrahatur aliquid poſitivum, nempe ratio calefactivi; ſeu calor, & actio calefactiva: ergo &c.

Adde quòd hac ratione Scotiſtæ probant ex Scoto, unitatem non in aliquo negativo, ſed in aliquo poſitivo conſiſtere, ut videre eſt apud Maſtrium in Metaphyſica diſp. 5. q. 4. art. 5. à folio 133. ſuperadde quòd hac ratione admittuntur etiam à Scotiſtis puncta terminativa in quantitate continua, ut videbimus 6. Phyſ. quæſt. unica, art. 5. §. 2. ſub num. 4.

3. Prob. 2. alia ratione communi. Nulla perfectio ſita eſt in pura negatione; ſed id, quod ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum præſtat naturæ eſt perfectio: ergo nequit ſubſiſtentia, ſeu perſona in ſola negatione conſiſtere. Maj patet, quia negatio cùm ſit nihil, nequit eſſe perfectio. Min. verò prob. Subſiſtentia, ſeu ſuppoſitum præſtat independentiam; ſed independentia eſt perfectio, ſicut illius oppoſitum, nimirum dependentia eſt imperfectio, qua ratione Deus qui eſt omninò ab alio independens eſt perfectiſſimus: ergo &c.

Dices fortaſſis, quòd licèt omnis perfectio poſitiva ſit quid poſitivum, ſecùs tamen perfectio purè negativa, ut eſt independentia. Sed

Contra. Nam primitèr eſt pugna in terminis dicere, quòd ſit perfectio negativa, cùm negatio utpote nihil, nequeat eſſe perfectio. Deinde ſequeretur, quòd ſumma independentia Dei, quæ eſt ſumma illius perfectio, eſſet perfectio ſolùm negativa, nimirum pura negatio imperfectionis.

4. Prob. 3. ratione Theologica. Nam (ut vidimus art. præcedenti §. 2. num. 4.) ſecundùm Concilia, & Patres con-

Digitized by Google

contra Neſtorium in Chriſto non admittitur ſubſiſtentia, ſeu perſona creata ita quòd Verbum non aſſumpſit perſonam humanam; ſed ſi ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum creatum pro formali conſiſteret in ſola negatione non verificaretur hoc fidei dogma: ergo ſubſiſtentia non conſiſtit in pura negatione. Prob. min. Nam poſito quòd ratio formalis perſonæ creatæ conſiſtat in negatione unionis, communicationis, & dependentiæ, dum Concilia, & Patres dicunt, quòd Verbum aſſumpſit humanitatem, & non perſonam humanam, ſenſus fieret, quòd Verbum aſſumpſit humanitatem, & quòd humanitas ita aſſumpta non eſt actu non communicata, ſive unita, ſeu dependens; ſed hic ſenſus utpote nugatorius eſt omnino ridiculus, atque indignus, quem tanto ſtudio SS. PP. in Conciliis congregati proferrent, cùm eſſe unitam, communicatam, & dependentem ſit idem, ac non eſſe non unitam, non communicatam, & non dependentem: ergo &c.

Quædam doctrina extat apud Maſtrium in tract. de Incar. nimirum in 3. ſent. q. 3. quę hic poſſet applicari, videlicet, quòd Concilia, & Patres variis phraſibus conſueverunt damnare errores Hæreticorum; ſicut & ipſi Hæretici conſueverunt variis phraſibus ſuos tradere errores, ut faciliùs decipiant. Quod & in Concilio Lateranenſi, quò ad alias materias eveniſſe refert. Sed

Contra inſto. In prællato ſenſu nec phraſis, nec ſenſus varietas pro majori dilucidatione damnationis haberetur, ſed pura nugatio. Siquidem ſi qui ſunt, vel eſſent, qui negarent, humanitatem fuiſſe aſſumptam, negarent quoque, fuiſſe unitam, communicatam, dependentem &c. & ſimiliter ſi qui ſunt, vel eſſent, qui negarent, fuiſſe unitam, communicatam, & dependentem, negabunt quoque, fuiſſe aſſumptam, cùm ſit idem, eſſe aſſumptam, ac eſſe unitam, communicatam, & dependentem. Undè dicere, quòd humanitas aſſumpta non eſt non unita, quod idem eſt ac dicere, quod eſt unita, eſt res purè nugatoria. Nunquam autem audivi, quòd nugæ ſint phraſes.

Prætendunt Scotiſtæ ex myſterio incarnationis potiùs deduci oppoſitum, innixi quibuſdam levibus motivis de quibus aliquid dicemus §. ſequenti 3. tum ad 3. arg. n. 9. tum num. 10. in colligendo.

5. Prob. 4. ſimili alia ratione Theologica, quæ eſt confirmatio præcedentis. Verbum aſſumendo humanitatem ſupplevit vices ſubſiſtentiæ creatæ, ſed ſi ſubſiſtentia creata pro formali ſita foret in ſola negatione Verbum non ſuppleſſet illius vices: ergo ſubſiſtentia creata non conſiſtit in ſola negatione. Prob. min. Cùm negatio nihil ſit nihil ſuppleſſet.

Nec valet dicere, quòd Verbum ſupplevit ſubſiſtentiam humanitatis, quatenus fecit illam dependentem à ſe ipſo, independentem ab alio terminando illius dependentiam.

Non, inquam, Tum quia terminando hanc dependentiam ſuppleſſet ſolam negationem, quæ nihil eſt: ergo nihil ſuppleſſet. Tum quia ſi hoc modo ſuppleſſet, maximè faciendo, quòd haberet à ſe ipſo illam dependentiam, quam habuiſſet à proprio ſuppoſito, ſi adeſſet; ſed à proprio ſuppoſito ſi adeſſet, ſemel dato, quòd iſtud conſiſteret pro formali in ſola negatione, nullam haberet dependentiam: ergo nec à ſuppoſito Divino ullam haberet dependentiam. Prob. min. Ens poſitivum, ceu perfectius, nequit à negativo, ceu imperfectiori, dependere.

Conf. Ex Verbo, & humanitate non poſſet fieri unum per ſe. Quod prob. Siquidem cùm Verbum ſuppleret vices ſubſiſtentiæ creatæ, eo modo ex Verbo, & humanitate fieret unum, quo ex humanitate, & ſubſiſtentia creata fieret unum; ſed ſemel admiſſo, quòd ſubſiſtentia pro formali in ſola negatione conſiſteret, jam ex ea, & humanitate non poſſet fieri unum per ſe: ergo nec ex humanitate & Verbo. Prob. Ex poſitivo & negativo, ſeu ex ente, & non ente, nequit fieri unum per ſe: ergo &c. Ant. patet. Siquidem magis diſtant ens, & non ens, quàm ſubſtantia, & accidens prædicamentale; ſed ex ſubſtantia, & accidente prædicamentali nequit fieri unum per ſe: ergo &c.

6. Prob. 5. & ultimò ratione iterum Theologica indigitata etiam art. præcedenti §. 2. contra Joannem Saguens fundata in myſterio Trinitatis. Licèt non univocè, ſed analogicè perſona dicatur de Divina, & creata, tamen perſonalitas creata eſt participatio Divinæ ſicut ſcientia, bonitas, relatio &c. creata eſt participatio Divinæ; ſed perſonalitas Divina non conſiſtit in ſola negatione, aliter Perſonæ Divinæ conſiſterent in tribus negationibus: ergo nec perſona creata poteſt in ſola negatione conſiſtere. Conſequentia eſt exacta, Tum quia ſi participat Divinam perſonalitatem, debet quoque ejus conſtitutivum participare. Tum quia reapſe reliquæ participationes alicujus prædicati poſitivi Divini dicunt aliquod reale poſitivum, ut ſcientia, juſtitia, relatio, &c. creata.

Adverſariorum reſponſa negantium conſequentiam conſiſtunt in aſſignandis variis diſparitatibus inter perſonam Divinam, & creatam; nunquam tamen reſpondent ad probationem deſumptam ex capite participationis. Undè eas omitto.

Præterea fuſiùs de hoc videri poteſt noſter Illuſtriſſimus Godoy tract. 11. ſuæ Theologiæ diſp. 80. num. 54.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

7. ARg. 1. Subſiſtentia eſt id, quod habet perſonare naturam; ſed id, quod habet naturam perſonare eſt pura negatio communicabilitatis: ergo in hac ſola negatione conſiſtit ſubſiſtentia. Prob. min. Perſona definitur ex Boetio, quòd ſit *rationalis naturæ individua ſubſtantia*, ideſt (exponimus nos) *completa*, ſeu *incommunicabilis*; ſed incommunicabilitas conſiſtit in negatione communicabilitatis: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. conceſſa maj. diſt. min. conſiſtit in negatione communicabilitatis habita ab aliquo poſitivo, concedo, ſecùs, nego min. & conſequentiam. Debet enim ut vidimus §. 2. n. 2. fundari in aliquo poſitivo. Vid. ibi. Undè illa negatio vel eſt quid eſſentialiter connotatum à ſubſiſtentia, vel effectus ejus ſecundarius, non quidem poſitivus, qui poteſt ſupernaturaliter ſeparari, ſed negativus, qui (ut diximus lib. 1. q. 3. art. ultimo ſuſtinendo, quòd plures formæ nequeant eſſe in eadem materia §. 3. ad 2. arg.) nec divinitùs ſeparari poteſt à primario; idcircò dicunt Noſtrates 3. p. quòd ſubſiſtentia creata eſt inaſſumptibilis à Divino ſuppoſito. Et certè dicta definitio etiam Divinis perſonis competit.

Contra. Omnino ſuperfluit hoc poſitivum, à quo præſtetur talis negatio: ergo ſubſiſtentia non conſiſtet in tali poſitivo, à quo hujuſmodi negatio habeatur. Prob. ant. Etiam tali poſitivo ſublato natura ſe ſola, ut poſita extra ſuas cauſas, & ſola ſuperaddita negatione communicationis alteri ſuppoſito ipſa eſt per ſe ſubſiſtens incommunicabiliter: ergo &c. Prob. ant. Et quidem, quò ad p. p. quòd eſſet per ſe exiſtens patet, cùm non eſſet in alio: ergo &c. Quò ad 2. verò, nimirum, quòd incommunicabiliter exiſteret, etiam videtur evidens, quia ſupponitur habere ſibi additam negationem communicationis, aut communicabilitatis alteri ſuppoſito: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. primodùm dici poſſet, ſicut ſupra art. præcedenti §. 3. ad 4. arg. quòd eſſet per ſe exiſtens negativè. Sicut Scotiſtæ volentes, quòd unitas addat ad ens aliquid poſitivum formaliter ab ente diſtinctum & non ſolam negationem diviſionis in ſe, tenentur dicere, quòd ſi poneretur talis negatio ſine illo poſitivo eſſet unum duntaxat negativè.

Deinde nego iterum ant. quò ad utramque p. Ad prob. pro p. p. ex dictis ibidem diſt. ant. non eſſet in alio actualiter, concedo, poſſibiliter ſubdiſt. non eſſet in alio, ut ſubjecto, concedo, ut ſuppoſito, nego Vid. ibi.

Ad 2. diſt. ant. ſupponitur verè, & non repugnanter, nego, falsò, & repugnanter, concedo ant. & nego conſequentiam. Cùm enim illa negatio ut vidimus §. 2. num. 2. eſſentialiter petat fundari in aliquo poſitivo, omninò impoſſibile eſt, illo ſublato eam extare; idcircò omninò impoſſibiliter ſupponitur, niſi illud poſitivum ſupponatur, loquendo de communicatione etiam poſſibili.

Dices. Si humanitas Chriſti dimitteretur à Verbo, eo ipſo abſque illo poſitivo eſſet ſuppoſitum, ſeu perſona, cùm negatione communicabilitatis alteri; ſed tunc non adeſſet, niſi dicta negatio: ergo poteſt iſta optimè ſupponi abſque ullo poſitivo. Prob. maj. & min. ſimul. Explicabile non eſt per quam actionem illud poſitivum de novo produceretur: ergo &c.

Conf. in partibus integralibus V. G. aquæ, ligni &c. quarum unaquæque, ſi dividatur ab alia, eſt verè ſuppoſitum, cùm tamen per hanc diviſionem non acquirat aliquod poſitivum, ſed duntaxat negationem unionis cum aliis par-

tibus : ergo iſta & poteſt ſupponi , & ſufficit ad conſtituendam naturam in eſſe ſuppoſiti abſque illo poſitivo ſuperaddito.

Reſp. ad Inſt. nego utramque præmiſſam. Ad prob. nego ant. & aſſignatur. Dicimus namque, quòd produceretur per illam actionem, per quam primò fuit producta humanitas, & per quam in caſu conſervaretur dimiſſa à Verbo. Siquidem cùm actio illa fuiſſet de ſe ſufficiens ad producendam ſubſiſtentiam propriam humanitatis ſicut reapſe produxiſſet, niſi fuiſſet impedita per unionem humanitatis ad Verbum ; idcircò deſtructa tali unione, reſultaret abſque ulla nova actione in humanitate illa poſitiva entitas propriæ ſubſiſtentiæ in vi primæ actionis, qua primò fuit producta humanitas ; quæ actio perſeverat, licèt non formaliter, benè verò virtualiter, conſervando humanitatem, cùm conſervatio ſit continuata productio. Sicut ſublato impedimento faciente, ne grave ad centrum deſcendat, reſultat motus in gravi, non in vi novæ actionis diſtinctæ ab illa, qua grave producitur, & conſervatur, ſed in vi ejuſdem actionis.

Ad Conf. Reſp. primitùs, quòd in ſententia Adverſariorum admittentium exiſtentias partiales nihil concludit ; quia cohærenter loquendo deberent admitti ſubſiſtentiæ partiales. Sicut neque in ſententia illorum Thomiſtarum, qui partiales admittunt ſubſiſtentias, quorum mentionem feci lib. 1. q. 2. art 3 §. 3 num. 9. ad ult. arg. Deinde dic, quod dum pars aquæ ab aqua dividitur, vel pars ligni à ligno, nequit dici ſuppoſitum, niſi ſuperaddatur ei aliquod poſitivum, nimirum propria ſubſiſtentia. Siquidem natura aquæ diviſa ab alia aqua procul dubio habet totam ſuam totalitatem, quam antea non habebat, ratione cujus jam ſeparata exiſtit, & antea non exiſtebat. Tum verò quæritur: undè habet illam totalitatem ? Forſitan ex hoc, quòd loco punctorum continuativorum reſultarunt nova puncta ? Nequaquam ; hoc namque facit totalitatem purè quantitativam reſpectu capacitatis ubicationis ſeparatæ, non verò totalitatem, & completionem ſive terminationem intrinſecam exiſtentiæ in ordine ad exiſtendum per ſe ; ergo habet illam ab aliquo ſibi ſuperaddito intrinſecè complente, & terminante ſubſtantialiter. Et hoc eſt ſubſiſtentia, quam nos ponimus. Si autem petas ut ſupra à quo illud poſitivum ſubſiſtentiæ producatur.

Reſp. cum eodem, ut ſupra de humanitate Chriſti, in caſu, quo dimitteretur à Verbo, quòd producitur à conſervante in eſſe naturam aquæ, & quòd dimanat activè ab ipſa natura aquæ ſine alia actione diſtincta ab actione generantis, qua primò aqua fuit producta, & ab unione cum alia impedita ne propriam ſubſiſtentiam haberet. Et quidem, ſubſiſtentiam poſſe dimanare activè ab ipſa natura, evinci poteſt ex his, quæ de exiſtentia diximus quæſt. præcedenti art. quinto tum §. 2. num. 3. tum §. 3. ad 2. arg. loco ibi relato.

Si contra hoc objicias, inde ſequi, quòd quoties aquæ diviſæ reuniuntur, aut unitæ dividuntur, toties de novo generentur, & corrumpantur ; eò quòd cùm novas ſubſiſtentias acquirant, quoque novas exiſtentias acquirent, ne dicamus, eandem exiſtentiam migrare de ſuppoſito in ſuppoſitum, & non eſſe proprium ſubſiſtentiæ reddere ſubſtantiam capacem exiſtentiæ ; rem autem generari, & corrumpi eſt acquirere, & amittere eſſe.

Reſp. negando ſequelam, & ad prob. dicendo, quòd rem generari, & corrumpi eſt acquirere, & amittere eſſe ſimpliciter, non verò acquirere novum eſſe poſt eſſe, & amittere eſſe acquirendo novum eſſe.

Si iterum petas dum aquæ diviſæ reuniuntur, acquirant ne eandem numero ſubſiſtentiam, quam prius habebant, & amittant proprias, quas diviſæ acquiſierant, nec ne ? Ubi ſi dicatur primum, ſequitur, quòd eadem res iterum eadem numero reproducatur ab agente naturali, contra id, quod cum omnibus, præcipuè Thomiſtis dicemus in lib. de Gener. & Corrup. lib 2. q. 2. ſi verò dicatur ſecundum, ſequitur, quòd in eodem compoſito extent plures ſubſiſtentiæ partiales.

Reſp. 1. quòd aquæ dum reuniuntur acquirunt eandem numero ſubſiſtentiam, & exiſtentiam. Nec inde ſequitur, denuò produci. Non, inquam, quia ut res dicatur de novo produci, non ſufficit, redire ad idem eſſe, ut diximus, ſed requiritur redire ad idem poſtquam fuit ſub non eſſe ſimpliciter. Reſp 2. quòd tunc, cùm fiat aliquod novum totum, idcircò totum mare ſimul cum illa gutta novam acquirit ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ex vi primæ generativæ actionis.

Neque mirum eſſe debet, quòd aqua tam faciliter poſt amiſſam unam novas acquirat exiſtentias, & ſubſiſtentias. Non (inquam) quia aqua ſortita eſt per generationem adeo debilem naturam, ut ob ſuam imperfectionem recipiat variabiliter ſuam unitatem, modò ſeparata, modò unita, ſive reunita. Idcircò ſic etiam talem ſortitur naturam, ut variabiliter recipiat ſubſiſtentiam, & exiſtentiam. Et hoc eſt, quod docuerunt Complutenſes in lib de Gener. & Corrupt. diſp. 13. q. 1. art. 3. ubi docent, quòd dum aqua dividitur, non perit quò ad entitatem, ſed quò ad terminationem ; & dum prædiviſa reunitur, perſeverat eadem entitas, ſed ſub diverſa terminatione.

Si tandem opponas, ex hac doctrina ſequi, quòd ſubſiſtentia maris toties corrumpatur, quoties aliquid aquæ ab ipſo extrahitur, vel denuo in mare refunditur ; eò quod nos dicamus, quòd ad diviſionem, & reunionem aquæ ſubſiſtentia ipſius corrumpitur. Imò cùm maris aqua continuò aquas fluminum recipiat, & continuò per ſubterraneas iſcatebras aquas effundat, ſequeretur, nunquam Mare eſſe in facto eſſe, ſed jugiter in fieri : continuò quippe ſubſiſtentiam amitteret, & acquireret.

Reſp. primitùs concedo ſequelam antecedentis abſque ullo inconvenienti, quia ut diximus, aqua adeo debilem ſortita eſt naturam. Deinde aliter cum Alexandro à Jeſu juxta primum reſp. nego ſequelam. Sicut enim hìc, quòd per continuam nutritionem vivens, licet continuò novas partes acquirat, & alias deperdat, eſt idem numero, ut vidimus in hoc 1 Phyſ. in præloquio, & hoc ideo, quia partes illæ, quæ acquiruntur, vel deperduntur, ſe materialiter habent ad ipſam ſubſtantiam viventis : Ita etiam in præſenti philoſophandum, quòd per ſubtractionem guttæ, vel vaſis aquæ, Mare non amittit ſubſiſtentiam ; quia pars illa ſe materialiter habet ad ſubſiſtentiam totius maris. Imò ſicut abſciſſo brachio, totus Homo non amittit ſubſiſtentiam, quamvis eam amittat brachium abſciſſum, & novam acquirat ; Ita ſimiliter quamvis illa aqua extracta à mare novam acquirat ſubſiſtentiam, per quam ſeparata ſubſiſtit ; tamen mare in ſua exiſtentia, & ſubſiſtentia non variatur.

Ad id, quod additur, Reſp. quòd unumquodque elementum quamdiu partes ejus continuantur ſubſiſtit unica ſubſiſtentia. Unde flumina non alia ſubſiſtentia ſubſiſtunt ab illa, qua ſubſiſtit mare, ſed eadem. Cujus ſignum eſt, quòd natura providit aquis de ſubterraneis meatibus, quibus continuentur cum mare, ut unica, & indiviſibili ſubſiſtentia gaudere poſſint.

8. Arg. 2. ex Aureolo apud Capreolum. Si ſubſiſtentia eſſet quid poſitivum à natura diſtinctum, jam natura per illam eſſet in alio, & non per ſe ; ſed hoc eſt contra rationem ſubſiſtentis ; ergo ſubſiſtentia non conſiſtit in aliquo poſitivo. Min. prob. Subſiſtentia eſſet aliud a natura.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. ant. eſſet aliud ſubſiſtens *ut quo* tantùm, concedo, *ut quod*, nego ant. & conſequentiam. Undè *ut quod* non ponit in numero cum ipſa natura, quæ media ſubſiſtentia ſe habente *ut quo*, ſubſiſtit *ut quod*. Sed de hoc arg. fuſiùs dicam in tract. de Incar. q. 9. art. 1. §. 3. ad 1. arg.

9. Arg. 3. ac ultimò. Non eſt explicabile quodnam ſit hoc intrinſecum poſitivum, quod dicimus ſuperaddere ſuppoſitum naturæ, nimirum num ſit ſubſtantia, vel accidens.

Reſp. dicendum eſſe de ſubſiſtentia, ſicut de exiſtentia diximus quæſt. præcedenti art 1. § 5. ad ult. arg.

Et per hoc ſolvitur aliud argumentum, quod objici poſſet, nimirum, quod ſi ſubſiſtentia foret ſita in aliquo poſitivo non poſſet ſuppleri à Verbo in humanitate Chriſti ; quia diceret hoc, quòd eſt recipi in alio, cùm reciperetur in ipſa ſubſtantia, quam reddit ſubſiſtentem. Repugnat autem Divino Verbo, Divinæque ſubſiſtentiæ hoc, quod eſt recipi.

Solvitur, inquam, quia (ut ibi diximus & fuſiùs dicemus in tract. de Incar. q 2. art. 1. § 4 ad 2. arg.) reduplicativè ut exiſtentia, & ſubſiſtentia eſt, nec eſt accidens, nec eſt ſubſtantia, ſed eſt purè terminus. Verbum autem Divinum ſupplet ſubſiſtentiam, quatenus iſta eſt terminus, non verò quatenus eſt accidens, quod eſſentialiter dicit recipi.

Sicut etiam aliud ſolvitur argumentum, ex eo procedens, quòd ſubſiſtentia cùm compleat, & ſubſtentet naturam, eique præ-

præbeat hoc, quod eſt ſubſiſtere in ſe independenter ab alio, nequit dependere à natura, ut à ſubjecto recipiente, & ſuſtentante.

Solvitur inquam. Nam ſubſiſtentia complendo naturam, & dando illi hoc, quod eſt ſubſiſtere in ſe, non ſuſtentat illam per modum ſubjecti, aut per modum ſuſtentaculi; ſed ſolùm per modum termini complet illam, & dat illi ſubſiſtere, ſeu eſſe per ſe, ſive eſſe in ſe ultimatè completam, ad hunc ſenſum, quòd non ſit ulteriùs terminabilis in linea ſubſtantiæ, quod eſt non eſſe ulteriùs communicabilem alteri, ut ſuppoſito, ſive non eſſe ulteriùs complebilem, & terminabilem ab alio ſuppoſito.

Inſuper ſubſiſtentia præſtat naturæ independentiam ab alio, non quidem ut à ſubjecto inhæſionis, nec ut à ſubjecto informationis per modum partis, qualis eſt forma (has enim independentias habet natura à ſeipſa, eo ipſo, quòd ſubſtantia eſt, vel eo ipſo quòd completa eſt in linea eſſentiali phyſica) ſed ut à ſuppoſito. Cui dependentiæ non opponitur dependentia ſubſiſtentiæ à natura, à qua ſubſiſtentia creata, quatenus creata eſt dependet tanquam à ſubjecto informationis. Dicere ni volueris, quòd ſubſiſtentia ut accidens eſt, non verò ut ſubſiſtentia eſt, dependet à natura; ſicut dicimus, quod recipitur in natura ut accidens eſt, ut creata eſt, non ut ſubſiſtentia eſt.

Alia objectio quæ fieri poſſet paritate corporis, quod non completur per ſuperficiem à ſe realiter diſtinctam, ſolutum eſt in Logica tract. 4. quæſt. 1. art. 5. inquirendo *num ens ſit analogum utraque analogia?* §. 3. ad 2. arg. ſub finem, ſub num. 5. nonnihil ultra medium.

Poſſet fieri aliud argumentum, nimirum quòd ſi ſubſiſtentia conſiſteret in aliquo poſitivo, iſtud poſitivum foret aſſumptibile, immò & aſſumptum à Verbo Divino dum fuit aſſumpta humanitas.

Verùm iſta eſt alia quæſtio, quæ agitatur à Theologis 3. p. *an* ſcilicet *natura humana retenta propria ſubſiſtentia potuerit de potentia abſoluta aſſumi*. Ubi negativè reſolvunt communiter Thomiſtæ, quia ex duobus entibus completis in actu vel duobus complementis nequit fieri unum per ſe. Quod & nos reſolvemus ibi in tract. de Incar. q. 9. art. 5. ſed hic non eſt locus id diſputandi.

10. Eà ex re colligitur pro explicatione nonnullarum authoritatum, quòd quando Damaſcenus lib. 9. de Fide Orthodoxa cap. 6. loquens de Verbo ait: *nec enim Verbum quidquam eorum, quæ in natura inſervit prætermiſit*. Tunc inquit de omni eo, quod eſt aſſumptibile, ſeu de omni eo, quod ſpectat ad quidditatem phyſicam Divinæ naturæ, nempe corpus, & animam, cum ſuis potentiis; quia etiam iſtæ pertinent ad conſtitutionem naturæ ut natura eſt, cùm ſub conceptu naturæ exprimat radicem operationis. Unde definitur natura quòd *ſit principium motus & quietis ejus, in quo eſt*; licèt aliàs hic à nobis natura indiſcriminatim ſumatur tam pro eſſentia, ſub cujus conceptu importatur ordo ad eſſe, ſeu ad exiſtentiam, quàm pro ipſa natura, ſub cujus conceptu importatur ordo ad operationem, ſumitur enim hic pro ipſa quidditate.

Idem dicendum eſt, quando ibi dicit, quòd id, quod eſt inaſſumptibile eſt incurabile, ſcilicet id, quod ad conſtitutionem attinet naturæ. Immò ſuppoſitum non indigebat curari in ſe formaliter. Non, inquam, quia non in ſe formaliter erat infirmatum, ſed ſolùm in ſui radice, nimirum carne, anima, ejuſque potentiis, in quibus dicitur eſſe formaliter infirmitas; idcircò ſat erat aſſumi ejus radicem.

Et quòd iſta fuerit Damaſceni mens colligitur ex eo, quòd ibi reprobare intendebat errorem quorundam Hæreticorum, qui dicebant, Verbum aſſumpſiſſe carnem, non verò Animam; cùmque iſta fuerint per peccatum proportionaliter ſauciata, quia per peccatum fuit genus humanum privatum gratia, quæ in Anima reſidet, idcircò Damaſc. inquit, *totum quippe me totus aſſumpſit, ac toti totus unitus eſt, ut toti ſalutem afferret: nam alioquin nec medicina ei allata eſt, quod aſſumptum non eſt.*

De his, aliiſve ſimilibus authoritatibus videri poteſt Cavinus in lib. de Mundo diſp. 3. q. 2. §. 5., & Guerinois in ſua Metaphyſica.

Sequitur ex his ulteriùs, humanitatem aſſumptam non fuiſſe imperfectam, eò quòd caruerit aliqua ſui perfectione poſitiva, qualis in noſtra ſententia eſt ſubſiſtentia.

Non, inquam. Nam licèt tali perfectione caruerit formaliter, tamen habuit eam eminenter, utpote terminata, & completa per Divinam ſubſiſtentiam, in qua eminenter, adeoque perfectiori modo continetur ſubſiſtentia creata humanitatis.

Nec eſt verum, quòd omnis entitas poſitiva ſit à Deo aſſumptibilis. Non, inquam. Nam cùm eſſe aſſumptibile idem ſit, ac eſſe complebile, nequit aſſumi entitas poſitiva completa, ut eſt natura cum ſubſiſtentia; nec à fortiori ipſummet complementum, quod eſt ipſamet ſubſiſtentia. Undè ſubſiſtentia eſt omnino incommunicabilitas. Quòd ſi hanc incommunicabilitatem non habet ſubſiſtentia abſoluta in Divinis præcedens ſubſiſtentias relativas, hoc eſt ratione Divinæ infinitatis, ratione cujus non extat incommunicabilitas, niſi ubi datur oppoſitio extat.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Subſiſtentia diſtinguatur realiter ab Exiſtentia.

§. I.

1. Controverſia hæc apud eos duntaxat locum habet, qui tum exiſtentiam, cùm ſubſiſtentiam à natura realiter diſtinctam dicunt. Nam apud eos, qui nec exiſtentiam, nec ſubſiſtentiam volunt eſſe realiter à natura diſtinctam, certum eſt, non diſtingui inter ſe exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, ſed eſſe idem; quia *quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*; adeoque ſi exiſtentia, & ſubſiſtentia ſunt idem cum tertio, ſcilicet eſſentia, ſeu natura, ſunt quoque idem inter ſe. Item apud eos, qui dicunt, ſubſiſtentiam non verò exiſtentiam realiter diſtingui ab eſſentia, certum eſt, ſubſiſtentiam, & exiſtentiam realiter inter ſe diſtingui, quia ſi eſſent idem, quicquid de una diceretur, quoque & de alia affirmaretur; adeoque ſi de una verificaretur, quòd eſſet idem cum natura, & de alia quoque verificari deberet. Igitur ſolos inter Thomiſtas hæc controvertitur res.

2. Negant diſtingui realiter Mailhat, Blaſius à conceptione Carmelita excalceatus in ſua Metaphyſica, citans Capreolum, Paludanum, Deeza Hiſpalen. & Zumel, quos noviſſimè ſequitur Guerinois in Metaphyſ. quæſt. 5. nec non alii in m. ſ. cujuſdam ex noſtris doctiſſimi, volentes diſtingui duntaxat virtualiter.

Affirmant autem diſtingui realiter inter ſe Cajet. p. p. q. 4. art. 2. *§. examinanda igitur &c.* & *§. ſimpliciter autem* &c. Ferrarienſi 4. contra Gentes cap. 43. Bannez p. p. q. 3. art. 3. dubit. 1. concl. 2. Nazarius, Jo: à S. Th. 1. Phyſ. q. 7. art. 5. *Quod ſi inquiras* & art. 4. Cavinus in lib. de Mundo diſp. 3. ex Illuſtriſſima autem Excalceatorum Carmelitarum Familia ſapientiſſimi PP. Salmant. 3 p. in tract. de Incar. diſp. 3. ubi quærunt *utrum unio Verbi cum humanitate ſit facta in perſona* §. 2. num. 32. Complut. abbrev. in lib. de Gener. diſp. 55. q. 3. Philippus q. 20. Alexander à Jeſu in ſua Metaphyſica. Cum quibus

§. II.

CONCLUSIO.

Subſiſtentia realiter ab exiſtentia diſtinguitur.

3. Non pauca D. Th. loca in noſtrum favorem producunt Complut. ubi ſupra, ſed & plura Alex. à Jeſu, quæ nos brevitatis gratia apud eos videnda relinquimus; ſolumque ſiſtimus in conſideratione, quam facit Cippullus, & cum eo Cavinus, videlicet, quòd pertractans difficultates de diſtinctione exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ à natura, tanquam diſtinctas proponit, & reſolvit, ut patet p. p. q. 3. art. 3. ubi oſtendit alteritatem ſubſiſtentiæ à natura, & in art. 4. ubi illam exiſtentiæ: & ſimiliter procedit quodl. 2. q. 2. art. 3. ubi iterum inquirit de illa exiſtentiæ, & in art. 4. de altera ſubſiſtentiæ, ſeu ſuppoſiti. Non multiplicaſſet verò quæſita, & præcipuè in Summa, ubi brevitati conſulit, ſi utramque unum, & idem eſſe exiſtimaſſet. Quaſdam alias ejuſdem S. Th. authoritates vide art. ſequenti §. 2. n. 2.

4. Probo 1. ratione ſic. Subſiſtentia eſt illa, quæ præbet ſubſtantiæ eſſe per ſe, incommunicabiliter; ſed hoc nequit præſtari ab exiſtentia etiam ſubſtantiali: ergo exiſtentia non eſt idem realiter, ac ſubſiſtentia, adeoque realiter ab illa diſtinguitur. Prob. Min. Exiſtentia etiam ſubſtantialis nec ut exiſtentia abſolutè eſt, nec ut talis exiſtentia, nimirum ſubſtantialis eſt, poteſt dare eſſe per ſe: ergo &c.

Ant. quò ad p. p. patet, aliter omnis exiſtentia id daret, ſicque omne exiſtens, nimirum etiam accidentia, & Anima ſeparata, haberent hoc modo eſſe per ſe. Nec valet dicere, quòd, ut nos diximus q. præcedenti art 3 accidentia exiſtunt per ſubſtantiæ exiſtentiam, quam etiam ſeparata in Euchariſtia retinent. Non, inquam. Nam ſaltem poſſet à Deo accidentibus alia exiſtentia accidentalis communicari cùm in hoc nulla ſit implicantia, licèt nulla adſit neceſſitas, adeoque utpote ſuperflua non extet. Et ſic tunc illa exiſtentia daret per ſe ſubſiſtere. Eò vel maximè, quòd plerique adverſariorum dictam ſententiam non amplectuntur. Quò ad 2. etiam partem manifeſtatur. Nam ſecùs committeretur circulus vitioſus, & ſubſiſtentia haberet à ſubſtantia hoc, quod eſt dara eſſe per ſe ſubſtantiæ, cùm ſubſiſtentia, & exiſtentia, ut ita dicam, taleizentur ab ipſa ſubſtantia, quia directè ad nullum genus, nullamque ſpeciem pertinet, ſed reducitur ad ſpeciem ejus, cujus eſt terminus, ſicut punctum, quod eſt terminus quantitatis, reducitur ad genus, & ſpeciem quantitatis.

5. Probo 2. Nullum majus ſignum realis diſtinctionis quàm realis ſeparatio, ſed contingit, exiſtentiam interdum à ſubſiſtentia realiter ſeparari: ergo realiter ab illa diſtinguitur. Prob. min. Dum Anima ſejungitur à corpore moriente Homine deſtruitur ſubſiſtentia totius, nec eam retinet, nec novam acquirit Anima ſeparata; ſed Anima ſeparata non caret exiſtentia; ergo &c. Min. patet: reapſe enim Anima rationalis ſeparata exiſtit per ſe. Maj. verò prob. Anima ſeparata caret ſubſiſtentia: ergo &c. Prob. ant. Si haberet ſubſiſtentiam eſſet ſuppoſitum & perſona; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Maj. eſt certa, quia ſubſiſtentia eſt conſtitutiva ſupoſiti, ſeu perſonæ. Min. verò prob. Tum quia (ut vidimus art. 1. §. 1.) Homo, non verò Anima rationalis ſeparata eſt perſona. Tum quia Anima rationalis ſeparata non habet incommunicabilitatem, cùm reapſe ſit communicabilis ad conſtituendum totum Hominem.

Nec in tuto fueris ſi dixeris, quòd Anima rationalis ſeparata eſt communicabilis alteri ut ſubjecto, nimirum materiæ, non verò alteri ut ſuppoſito, adeoque non obſtat, quin poſſit eſſe ſuppoſitum.

Non, inquam, Tum quia Homo, non verò Anima ſeparata eſt ſuppoſitum. Tum quia ſi eſſet incommunicabilis alteri ut ſuppoſito, eſſet quoque incommunicabilis alteri ut ſubjecto; nam ſubſiſtentia, ejuſque incommunicabilitas cùm adveniat enti completo, eſt ultima incommunicabilitas, adeoque ſupponit omnes alias incommunicabilitates alteri, nimirum ut Univerſalis inferioribus, ut forma materiæ, ut accidens ſubjecto inhæſionis.

Quid ad hanc probationem Adverſarius dicere queat, non video, niſi, quòd Anima ſeparata retinet ſubſiſtentiam, ſed hæc non præſtat illi niſi hoc, quod eſt exiſtere, non verò incommunicabilitatem, ſeu reſpectu ejus exercet duntaxat munus exiſtentiæ, non verò ſubſiſtentiæ; eò quòd Anima ſeparata eſt incapax incommunicabilitatis. Sed

Contra eſt. Nam, ut vidimus art. præcedenti 2. §. 3. ad 1. arg. incommunicabilitas eſt effectus ſecundarius, qui utpote negativus, eſt à ſubſiſtentia inſeparabilis: ergo nequit in Anima ſeparata ſtare ſubſiſtentia ſine incommunicabilitate.

Conf. Ex hoc ſequeretur, quòd poſſet ſtare ſubſiſtentia ſine eo, quòd conſtitueret perſonam, ſicque poſſet extare in Chriſti humanitate ſubſiſtentia creata humanitatis propria ſine eo, quod eſſet perſona; quia hoc eſſet aliquid à ſubſiſtentia ſeparabile; ſicque potuiſſet aſſumi humanitas cum ſua ſubſiſtentia; eò quòd non ſequeretur, eſſe in Chriſto duas perſonas. Cujus oppoſitum ſtabilivimus art. 1. §. 2.

Dicendum eſt igitur, quòd dum ſeparatur Anima deſtruitur ſubſiſtentia totius; & quòd dum Anima corpori reunitur, reſultat denuo alia ſubſiſtentia vi actionis creativæ: eo proportionali modo, quo art. præcedenti 2. §. 3. ad ult. inſtantiam factam contra reſponſum datum ad 1. arg. ſub num. 7. diximus de humanitate Chriſti in caſu, quo à verbo dimitteretur.

De hoc aliquid indigitavimus in hoc 2. Phyſ q. 3. art. 3. §. 4. ad 2. inſt. contra reſp. datum ad 4. arg. & iterum aliquid videndum dicemus in fine hujus Libri in quadam appendice num. 5. & poteſt inſuper illuſtrari exemplo potentiarum organicarum, quæ in actu ſeparationis Animæ à corpore abolentur, ut cum univerſis Thomiſtis, & Scotiſtis dicemus in Meth. q. 53, art. 2. & in actu reunionis iterum pullulant; In Anima verò ſeparata non remanent, niſi radicaliter.

Aliæ probationes videri poterunt apud Authores, quos in noſtrum favorem retulimus §. 2. num. 2.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. præcipuo fundamento opinionis oppoſitæ. Fruſtra fit per plura, quod fieri per pauciora poteſt; ſed per ſolam exiſtentiam præſtantur omnes effectus, qui à ſubſiſtentia diſtincta præſtarentur: ergo fruſtra ponitur ſubſiſtentia realiter ab exiſtentia diſtincta. Prob. min. Subſiſtentia hoc præſtat, nimirum ut ſubſtantia ſit alteri incommunicabilis ut ſuppoſito; ſed hoc præſtat exiſtentia: ergo &c. Prob. min Habita ſola exiſtentia in ſubſtantia, & quocunque alio diſtincto ſublato, habetur hæc incommunicabilitas: ergo &c Prob. ant. Ad hoc ſolùm natura ſubſtantialis communicatur alteri tanquam ſuppoſito, ut ultimò ab ipſo compleatur in genere ſubſtantiæ & terminetur; ſed exiſtentia habet ultimò complere, & terminare ſubſtantiam, non ſolùm in linea entis (ut præoccupetur communis reſponſio) verùm etiam in quacunque linea, puta etiam ſubſtantiæ: ergo &c. Prob. min. Illud habet ultimò complere, & terminare in quacunque linea etiam ſubſtantiæ, poſt quod nullum aliud ſupereſt complementum in quavis linea; ſed poſt exiſtentiam non ſupereſt aliud complementum in ulla prorſus linea etiam ſubſtantiæ; ergo &c. Maj. patet. Min. eſt certa, quia nos art. ſequenti ſuſtinebimus, exiſtentiam advenire poſt ſubſiſtentiam.

Reſp. ad hoc arg. quod ſub majori convincenti forma, qua potui, propoſui, nego min. Ad prob. nego iterum min. ad cujus prob. nego ant. cujus falſitas evidenter conſtat in Anima ſeparata, quæ exiſtit & tamen non eſt incommunicabilis (ut vidimus §. præcedenti 2. ſub num. 5) Ad ejus prob. nego min & ad prob. diſt. maj. ſi ſe habeat per modum termini, & complementi particularis, concedo, ſolùm communis, & univerſalis, nego maj & diſtincta min. nego conſequentiam. Exiſtentia igitur eſt ultimum complementum, & ultimus terminus communis, competens etiam accidenti; Subſtantia autem exigit terminum particularem, ut fiat incommunicabilis alteri ut ſuppoſito.

Contra. Exiſtentia eſt ultimus terminus ſubſtantiæ in linea ſubſtantiæ per modum termini tùm communis tùm particularis: ergo nulla ſolutio. Prob. ant. Illud ſe habet per modum ultimi termini etiam particularis, poſt quod nullus terminus etiam particularis ſupereſt; ſed poſt exiſtentiam nullus alius ſupereſt terminus etiam particularis, & in linea ſubſtantiæ, cùm nos dicamus, exiſtentiam advenire poſt ſubſiſtentiam: ergo &c.

Reſp. nego ant. Implicat enim in terminis, quòd ſit communis, & quòd ſit particularis: Ad prob. diſt. maj. ſi aliàs ſit terminus conveniens alicui tantùm, concedo, aliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Niſi enim ſit terminus conveniens tantummodo ſubſtantiæ nunquam erit terminus particularis, niſi ad ſummum negativè, quamquam nullus alius terminus particularis ſuperſit; quia vel nullus tunc erit terminus particularis, vel præceſſit ut ultimus, non quidem ut ultimus abſolutè, ſed ultimus particularis.

Inſt. Id, quod eſt commune eſt quid abſtractum; ſed exiſtentia terminans ſubſtantiam eſt concreta, & non in abſtracto: ergo non eſt terminus communis.

Reſp. diſt maj. id, quod eſt commune, & in ſtatu communitatis, concedo maj. commune, ſed non in ſtatu communitatis, nego maj & conceſſa min. nego conſequentiam. Exiſtentia namque licèt ſit communis etiam alteri à ſubſtantia; tamen dum eſt recepta in ſubſtantia, præcipuè individua, non eſt ampliùs in ſtatu communitatis, ſed eſt determinata.

Adde quòd in noſtra ſententia tenente, accidentia non habere exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, exiſtentia ut contracta eſt communis pluribus, non quidem ut pluribus, ut requiritur ad commune abſtractum, ſed pluribus per modum unius, ſcilicet ſubſtantiæ, & de ſecundariò ejus accidentibus. Vide q. 1. art. 3. §. 3. ad 4. arg. ſub num. 8. &c.

Dices. Ergo ut ſic determinata poterit eſſe terminus particularis, V. G. ut exiſtentia eſt eſſe terminus communis

in li-

in linea entis, ut verò talis exiſtentia, videlicet ſubſtantialis eſt, eſſe terminus particularis; & in linea ſubſtantiæ.

Reſp. ex dictis §. 2. in noſtra prima probatione ſub num. 4. diſt. conſequens ſi hanc determinationem haberet ab aliqua ſui differentia, concedo, aliter, nego conſequentiam. Utpote enim quid incompletum exiſtentia non habet differentiam aliquam genericam, aut ſpecificam, imò nec individualem, ſed reducitur ad genus & ſpeciem ejus, cujus eſt terminus. Undè (ut ibi diximus) ſi prout talis daret incommunicabilitatem ſubſtantiæ committeretur circulus vitioſus; quia cùm talei zetur à ſubſtantia haberet à ſubſtantia, quòd daret incommunicabilitatem ipſi ſubſtantiæ.

Hinc ſubſiſtentia, non tantùm ut talis eſt, verùm etiam ut ſubſiſtentia eſt, dat incommunicabilitatem; idcircò omnis ſubſiſtentia finita (cohærenter ad addicta art. præcedenti 2. §. 3. in fine) dat incommunicabilitatem. Non ſic autem omnis exiſtentia, aliter etiam accidens foret incommunicabile. Redintegretur hic noſtra prima probatio poſita §. 2. num. 3.

Alia ad hoc arg. ſolutio vide apud Cavinum ubi ſupra in tract. de Mundo diſp. 3. quæſt. 3. tum §. 3. ad 2. poſitam in arg. p. tum §. 4. ad 2. arg.

7. Arg. 2. Et eſt inſtantia contra dicta. Poſita ſola exiſtentia abſque alia ſubſiſtentia habetur incommunicabilitas alteri ut ſuppoſito: ergo ſuperflua omninò eſt hæc ſubſiſtentia ab exiſtentia realiter diſtincta. Prob. ant. Communicatio alteri ut ſuppoſito fit per hoc, quòd natura terminari nequeat ab aliqua ſubſiſtentia; ſed poſita exiſtentia in natura, hæc nequit ampliùs terminari ab aliqua ſubſiſtentia: ergo &c. Maj. eſt certa. Min. etiam conſtat, quia ſubſiſtentia non ſuccedit ad exiſtentiam, ut nos dicemus, ſed illam præcedit.

Ad hoc reſpondent nonnulli negando ſuppoſitum, nempe, quòd poſſit in natura ſubſtantiali poni exiſtentia, quin priùs habeatur ſubſiſtentia; quia iſta eſt diſpoſitio ad exiſtentiam.

Verùm hoc non eſt cum veritate dictum, ut patet in Anima rationali ſeparata, quæ habet exiſtentiam, non verò ſubſiſtentiam, aliter ſeparata eſſet perſona, ut vidimus §. præcedenti 2. num. 5. Licèt enim per ſe loquendo, & in ſubſtantia tam *ut quo*, quàm *ut quod* completa ſubſiſtentia ſit diſpoſitio ad exiſtentiam, tamen interdum, & per accidens ex incapacitate ſubſtantiæ, quæ etſi ſit completa *ut quod*, tamen eſt incompleta *ut quo*, cùm *ut quo* ſit pars, poteſt evenire, quòd non requiratur ut diſpoſitio ad exiſtentiam. De quo iterum art. ſequenti 4. §. 3. Undè aliter.

Reſp. data maj. diſt. min. nequit terminari ab aliqua ſubſiſtentia recipienda in ipſa exiſtentia, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Quomodo autem hoc fieret, dico, tunc non eſſe imaginandum, quòd in caſu illi ſe inde reciperet, ut locum daret ſubſiſtentiæ de novo advenienti. Hoc enim eſſet nimis materialiter loqui, cùm ſubſiſtentia, & exiſtentia non ſint aliquid corporaliter extenſum occupans locum; ſed terminus quidam omnino indiviſibilis, præcipuè verò in rebus ſpiritualibus.

Fieret igitur hoc modo, quia dum Anima reuniretur corpori, in quodam priori *à quo* antequam exiſtentia Animæ uniretur corpori, reſultaret ſubſiſtentia totius, quæ communicaretur toti, & etiam Animæ, non quidem ſeorſim acceptæ (cùm hoc modo Anima habeat exiſtentiam immediatè, & non media ſubſiſtentia) ſed collectivè ſumptæ. Et poſtea communicaretur exiſtentia ipſi toti, & etiam Animæ rationali collectivè acceptæ, non quidem entitativè, cùm jam illam haberet, ſed cum quadam nova majori explicatione, & veluti extenſione ad totum, in quo & ipſa Anima importatur, novo quodam modo exiſtens, impedito priori illo exiſtendi modo ſeparatim.

8. Arg. 3. Suppoſitum importat aliquid tam per modum potentiæ, quàm per modum actus incommunicabile; ſed hanc incommunicabilitatem non haberet natura affecta ſubſiſtentia antecedenter ad exiſtentiam: ergo fruſtra illa ponitur pro conſtituendo ſuppoſito. Prob. min. Adhuc eſſet potentia receptiva exiſtentiæ: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. incommunicabile alteri ut termino particulari, concedo, ut termino communi, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Eſſe enim communicabile alicui termino, qui ſit communis ſuppoſito, & non ſuppoſito, ut eſt terminus exiſtentia, non tollit rationem ſuppoſiti; quia incommunicabilitas ſuppoſiti eſt incommunicabilitas alteri, ut ſuppoſito, ſeu ſubſiſtentiæ. Undè tunc ſolùm tolleretur ratio ſuppoſiti, quando eſſet potentia receptiva alterius ſubſiſtentiæ.

Reſponſum aliud, videlicet quòd de ratione ſuppoſiti eſt incommunicabilitas alteri in linea ſubſtantiæ, non verò in linea eſſendi &c. Vide apud Cavinum ubi ſupra §. 4. ad 3. arg.

9. Arg. 4. Per id formaliter conſtituitur ſuppoſitum, per quod habet ſubſtantia, quòd in ſe, & per ſe exiſtat; ſed hoc per ſuam exiſtentiam ſubſtantialem habet: ergo per illam conſtituitur independenter ab alia actualitate realiter diſtincta. Prob. min. Tum quia ſubſtantia cum ſola exiſtentia ſubſtantiali non eſſet in alio: ergo eſſet per ſe: Tum quia exiſtentia ſubſtantialis, ad differentiam accidentalis, eſt eſſe per ſe: ergo &c.

Conſ. In accidente non diſtinguitur realiter exiſtentia ab inhærentia: ergo nec in ſubſtantia exiſtentia à ſubſiſtentia.

Reſp. diſt. maj. per quod habet eſſe per ſe & in ſe, prout ly *eſſe in ſe & per ſe* contradiſtinguitur ab eſſe in alio ut in ſubjecto inhæſionis, nego (hoc enim habetur à ſubſtantia, & non à ſuppoſito) prout ly *eſſe in ſe, & per ſe* contradiſtinguitur ab eſſe in alio, ut in ſuppoſito, concedo maj. & proportionali modo diſtinguo min. ad cujus 1. prob. primodùm dicatur, ex eo, quòd non ſit in alio ſolùm ſequi, quòd ſit per ſe ſolùm negativè, non verò poſitivè. Deinde diſt. ant. non eſſet in alio ut in ſubjecto inhæſionis, concedo, ut in ſuppoſito, ſubdiſt. non eſſet in alio actu, concedo, poſſibiliter, nego. Ad 2. etiam dicatur, quòd exiſtentia ſubſtantialis dicit eſſe per ſe, prout ly *eſſe per ſe* diſtinguitur ab eſſe in alio, ut in ſubjecto inhæſionis. Sed de hoc iterum infra art. ſequenti §. 3 ad 5. arg. ſub 5. num

Vide dicta art. præcedenti 2. §. 3. ad 1. arg. ſub num. 7.

Alia ſolutio etiam videri poteſt apud ſupra citatum Cavinum in tract. de Mundo diſp. 3. q. 3. §. 4 ad 2. arg.

Ad conſ. nego ant. cujus falſitas patet in Sacramento Euchariſtiæ, ubi accidentia exiſtunt, & tamen non inhærent. Sed de hoc infra art. ſequenti §. 3. ad inſt. contra reſp. dandam ad 8. arg.

10. Arg. 5. In natura non ponitur duplex diſtincta realiter potentia, alia ad recipiendam exiſtentiam, alia ad ſubſiſtentiam; ergo nec debet poni duplex realiter actualitas, alia exiſtentiæ, alia ſubſiſtentiæ. Ant. eſt certum. Non enim diſtinguuntur realiter ratio entis, & ratio ſubſtantiæ. Conſequentia autem prob. Potentia diſtinguuntur per actus, cùm per illos ſpecificentur; Undè S. Th. p. p. q. 54. art. 2. ex eo probat, intellectum in Angelis diſtingui realiter ab eſſentia, quia earum actus, ſcilicet eſſe, & intelligere realiter ad invicem diſtinguuntur: ergo &c.

Conſ. In ſubſiſtentia in actu primo non diſtinguuntur principium formale eſſendi, & ſubſiſtendi: ergo erit idem realiter actus eſſendi, & ſubſiſtendi. Conſeq. eſt exacta ut ſupra. Ant. eſt certum. Nam ſubſiſtentia in actu primo eſt forma ſubſtantialis, à qua profluunt; Eadem autem realiter forma, ut forma eſt, eſt principium radicale eſſendi, & ut ſubſtantialis eſt, eſt principium radicale ſubſiſtendi.

Reſp. ad arg. dato ant. nego conſequentiam. Ad prob. ex dictis quæſt. præcedenti art. 2. §. 3. ad 1. arg. ſub num. 6. diſt. ſi actus ſint quid in ſua ſpecie completum & ſpecificativum potentiæ, concedo, ſi ſit quid purè terminativum & incompletum, nego. Exiſtentiæ enim tantùm de materiali ſunt actus actuantes; de formali verò dicunt ſolùm rationem termini, nec ſpecificant eſſentiam, ſed ab illa potiùs ſpecificantur, cùm ad ejus ſpeciem reducantur, ut diximus tum hic §. præcedenti 2. num. 4. tum quæſt. præcedenti art. 2. §. 2. num. 5. & loco ibi relato. Vid. ibi, ſicut & ibidem §. 3. ad 1. arg. ſub num. 6. per totum.

Ad Conſ. eodem modo Reſp. dato ant. nego conſequentiam, propter eandem rationem.

Alia ſolutio videri poteſt apud Cavinum ubi ſupra in tract. de Mundo diſp. 3. q. 3. §. 4 ad ult. arg. & conſiſtit in hoc, quòd tunc potentiæ ſpecificantur per actus, quando actus ſunt per ſe primò æquè intenti à natura, ut ſunt eſſe, & operari; adeoque eſſe intelligere, ut videbimus lib. 2. q. 1. art. unico ſuſtinendo, quòd ſubſtantia nequit eſſe immediatè operativa §. 3. ad 3. arg. num. 11. Exiſtentia autem ſola eſt actus per ſe primò à natura intentus, ſubſiſtentia verò ſolùm de ſecundariò ut diſpoſitio ad exiſtentiam ſubſtantiæ. Undè ſubſiſtentia licèt ſit prior in executione, eſt tamen

poſterior in intentione; & è contra exiſtentia licèt ſit poſterior in executione, eſt tamen prior in intentione.

Et en dirutum præcipuum fundamentum præſati eximii in ſuo autographo.

11. Arg. 6. Exiſtentia ſubſtantiæ ut diſtincta ab exiſtentia accidentis, quod eſt ab alio dependens, debet eſſe ab alio independens: argo ſufficiens ad conſtituendum ſuppoſitum.

Retorquetur arg. Nam exiſtentia accidentis realiter diſtinguitur ab ejus inhærentia, cùm accidentia Euchariſtica exiſtant, & tamen non actu inhæreant: ergo pariter exiſtentia ſubſtantiæ realiter diſtinguetur ab ejus ſubſiſtentia.

Primodùm ergo argumentum laborat in falſa ſuppoſitione, cùm (ut vidimus quæſt. præcedenti art. 3.) accidentia non habent exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ.

Præterea duntaxat probat, quòd exiſtentia ſubſtantiæ dicat independentiam ab alio, ut à ſubjecto inhæſionis, non verò ut à ſuppoſito; quia accidens dicit dependentiam ab alio, ut à ſubjecto inhæſionis.

12. Arg 7. argumento Theologico à Blaſio producto, quod ad hanc formam reducit Nuperus quidam in m. ſ. Si conſtitutivum ſuppoſiti creati eſſet ſubſiſtentia realiter ab exiſtentia diſtincta, ſequeretur, poſſe à Deo in ſuppoſito creato, ſeu in natura ut ſubſiſtente ſupplere per ejus exiſtentiam Divinam, & fieri unum per ſe cum illa; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo ſubſiſtentia conſtitutiva ſuppoſiti non diſtinguitur realiter ab exiſtentia. Præmiſſæ ſunt probandæ.

Probatur primitèr. Maj. quòad p.p Tum quia reapſe ſubſiſtentia conſtitutiva ſuppoſiti, quia eſt realiter à natura diſtincta, & nullam dicit in ſuo conceptu imperfectionem, ſuppletur à Deo per ſubſiſtentiam Divinam: ergo ſi exiſtantia diſtingueretur realiter à ſuppoſito, cùm ea ſe nullam imperfectionem importet, poſſet in ſuppoſito, ſeu in natura ſubſiſtente creata ſuppleri à Deo per exiſtentiam Divinam. Tum quia ita ſe habet ſubſiſtentia ad terminandam intrinſecè naturam, ſicut punctum ad terminandam intrinſecè quantitatem; ſed poteſt à Deo ſuppleri exiſtentia accidentium, adeoque etiam quantitatis per punctum terminatæ ſecundùm probabilem Thomiſtarum ſententiam 3. p. q. 4. art. 1. quam amplectitur Cabera diſp. 6. ergo pariter &c.

Prob. Deinde eadem maj. quòad 2. p. Tum quia eatenus reapſe ſubſiſtentia perſonalis Divina ſupplens vicem ſubſiſtentiæ creatæ in natura humana facit unum per ſe cum natura humana in genere ſubſtantiæ, quatenus humanitas ſine ſubſiſtentia eſt quid incompletum in genere ſubſtantiæ; ſed in caſu, quo exiſtentia Divina ſuppleret vicem exiſtentiæ creatæ in humanitate jam ſubſiſtente, hæc eſſet quid incompletum in genere entis: ergo poſſet facere unum per ſe cum illa in genere entis. Tum quia reapſe exiſtentia creata facit unum per ſe cum natura ut ſubſiſtenta, non alia ratione, niſi quia eſtò ſit completa in genere ſubſtantiæ, tamen eſt incompleta in linea entis: ergo quia ſuppoſitum eſſet de ſe incompletum in linea exiſtendi eſtò completum in linea ſubſiſtendi, poſſet exiſtentia Divina facere unum per ſe cum illo.

Min. autem principalis, nimirum quòd ſit impoſſibile ſuppleri à Deo in ſuppoſito, ſeu natura creata ſubſiſtente, per Divinam exiſtentiam vicem ſupplantem exiſtentiæ, & facere unum per ſe cum tali ſuppoſito creato. Prob. Tum quia ſuppoſitum eſt omnino à Deo inaſſumptibile ut inquit S. Th. 3. p q 4. art. 2 ubi oſtendit, quòd perſona creata nullatenus eſt aſſumptibilis à perſona Divina cùm dicat negationem communicabilitatis cum quocunque alio, cum quo faciat unum per ſe, ut ſæpè dictum eſt. Tum quia ſi poſſet ſuppoſitum, ſeu natura propria ſubſiſtentia perſonali ſubſiſtens aſſumi ad exiſtendum exiſtentia Divina, & facere unum per ſe cum illa, maximè quia eſſet tantùm in linea ſubſtantiæ quid completum, & incompletum in linea entis, cujus complementum eſt exiſtentia; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo &c. Prob. min. Et ſupponamus caſum poſſibilem, & ut talem admiſſum à pluribus Thomiſtis contra Alvarez 3. p q 2. diſp 14 in reſp ad 2 quòd ſtante reali diſtinctione, quam nos admittimus inter ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, natura conſervaretur à Deo exiſtens propria exiſtentia, & non ſubſiſtens propria ſubſiſtentia, quem caſum ut poſſibilem admittunt Salmant. 3. p. diſp. 8. dub. 3. §. 4. à num. 87. Godoy ibi diſp. 19. §. 4. Cippullus ibi q. 17. art. 2. ad 4. num. 17. citans Cajet. eadem 3. p. & probant paritate accidentis, quod poteſt abſque inhærentia conſervari Divinitùs exiſtens, ut patet in Sacramento Euchariſtiæ; immò etiam naturaliter in ſubſtantia incompleta *ut quo*, & completa *ut quod* cujuſmodi eſt Anima noſtra, nos diximus hic §. præcedenti 2. num. 5. & in hoc §. num. 5. ad 2. arg. Hoc ſuppoſito prob. illa min. efficaciter ſic. In caſu, quo illa natura eſſet exiſtens, & non ſubſiſtens eſſet quid completum ſolùm in linea entis, & incompletum in linea ſubſtantiæ; & tamen non poſſet aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Divina, & facere unum per ſe cum illa in genere ſubſtantiæ, in quo genere ſola ſubſiſtentia eſt intrinſecum complementum: ergo à pari licèt ſuppoſitum eſſet quid completum tantùm in linea ſubſtantiæ, & incompletum in linea entis &c. Min. eſt communiter tradita à Thomiſtis, ut videre eſt apud Salmant. ibi & Godoy, cùm communiter Thomiſtæ ſuſtineant, quòd humanitas Chriſti nequit in Verbo propria exiſtentia exiſtere etiam Divinitùs, & nos dicemus Deo dante ibi q. 8. art. 2. præcipuè § 2. in ſecunda probatione.

Reſp ex doctrina ejuſdem Godoy., & Salmant. quam etiam trademus in tract. de Incarn. ubi ſupra §. 3. ad 5. arg. concedo maj. & nego min ad 1. prob dico, quòd ſuppoſitum eſt omnino inaſſumptibile, ſi aſſumere, & aſſumi accipiatur prout ex communi uſu loquendi accipi ſolet, nimirum ad *ſe ſumi* in unitatem perſonæ (& ſic intelligendus eſt D. Th.) non verò ſi accipiatur prout eſt aſſumi in unitatem exiſtentiæ. Undè ad prob. annexam dico, quòd ſuppoſitum dicit negationem communicabilitatis cum quocunque alio ut termino particulari (ſicut diximus ad 3. arg.) & in eo genere, in quo eſt completum. Ob idque tunc faceret unum per ſe in linea exiſtentiali, & non in linea ſubſiſtentiali.

Ex quo infero, quòd in tali caſu non eſſet ſicut in Incarnatione ut modò facta eſt, una tantùm perſona, ſed plures. Nec verificaretur ampliùs de Homine aſſumpto illud, quod modò verificatur, nimirum *ego, & Pater unum Sumus*; *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, quæ ſunt prædicationes appellantes ſupra perſonam, & quibus in tract. de Incarn. probatur contra Neſtorium, in Chriſto unicam eſſe perſonam, adeoque unionem factam eſſe in perſona Divina, & natura humana.

Nec obſtat, quòd tunc ſaltem mediatè uniretur etiam Divina perſona propter realem identitatem cum exiſtentia Divina.

Non, inquam. Nam eſtò ei uniretur, non tamen tribueret ſuppoſito humano hoc, quod eſt ſubſiſtere ſubſiſtentia Divina propter ſubjecti incapacitatem: Sicut Anima eſtò in ſe ſit etiam ſenſitiva, tamen unita capillis, & unguibus non tribuit eis eſſe ſenſitivum propter eorum incapacitatem. Eò vel maximè, quòd reddere ſubſiſtentes res extraneas eſt effectus veluti ſecundarius ſubſiſtentiæ Divinæ, cujus effectus primarius eſt perſonare naturam Divinam.

Dicere ni malueris, quòd in tali caſu duntaxat identicè, & materialiter ei uniretur, non verò formaliter: ſicut modò dicitur unita etiam natura Divina propter realem identitatem cum perſona Verbi, & etiam perſona Patris, & Spiritus Sancti, propter realem identitatem cum natura Divina. De quo ſosè Deo dante dicemus in tract. de Incarn. q. 8. art. 1. §. 2. quæ omnia beneficio diſtinctionis virtualis in Deo eminentiſſimæ præſtantur.

Ad 2. prob. nego min. Ad dato ant. nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ſi natura exiſtens propria exiſtentia, & non ſubſiſtens propria ſubſiſtentia aſſumeretur ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Divina, ſequeretur, quòd cùm exiſtentia ſubſequatur ad ſubſiſtentiam, jam ſubſiſtentia Divina actuaretur ab exiſtentia creata. Quod eſſet maxima imperfectio in Deo. At ex eo, quòd natura ſubſiſtens propria ſubſiſtentia, & non exiſtens exiſtentia creata, aſſumatur ad exiſtendum exiſtentia Divina, id non ſequitur, ſed è contra ſequitur, quòd ſubſiſtentia creata perficeretur ab exiſtentia Divina. De quo iterum art. ſequenti §. 3. ad 7. arg.

Vide Godoy loco nuper relato.

§. IV.

Solvuntur argumenta ab authoritate D. Thomæ.

13. QUoniam P. Blaſius in doctrina D. Thomæ benè verſatus contendens, S. Doctorem fuiſſe in oppoſita ſententia quamplurima ejus affert teſtimonia ad id comprobandum, quæ etiam habet Guerinois; idcircò hìc ſaltem

ptin-

principaliora adducemus, & ex his, quæ pro eis dicemus facilè explicari cætera poterunt. Igitur

Arg 8. authoritate D. Th. non ſolùm opuſc.48. tract.3. de decem prædicamentis cap.2. ubi poſt plura, inquit. *Unde eſſe* (idelt exiſtentia) *reſpectu eſſentiæ eſt accidens, quia eſt extra eſſentiam rei, & dicitur ſubſiſtentia* &c. Non ſolùm, inquam, in illo opuſculo, quod non cenſetur eſſe D. Th. ut vidimus quæſt. præcedenti art 1. §.6. ſub num. 17. verùm etiam 3. p. q. 19. art.1. ad 4. ubi *eſſe*, inquit, *& operari eſt perſonæ à natura aliter tamen, & aliter: nam eſſe pertinet ad ipſam conſtitutionem perſonæ*; ſed conſtitutivum perſonæ eſt ſubſiſtentia: ergo eſſe, ſeu exiſtentia eſt ſubſiſtentia de mente D Thomæ

Et p. p. q. 29 art 3 ad 4 adducit, & minimè rejicit definitionem illam Ricardi de S. Victore, quòd *Perſona ſit naturæ incommunicabilis exiſtentia.*

Rurſus q. unica de unione Verbi art.2. ad 10. *natura humana*, inquit, *quandiù eſt verbo unita, quia ſecundùm ſe non exiſtit; non habet proprium ſuppoſitum, vel hypoſtaſim præter perſonam Verbi; ſed ſi ſepararetur à Verbo, haberet non ſolùm proprium ſuppoſitum, aut hypoſtaſim; ſed etiam propriam perſonam, quia per ſe exiſteret.*

Prætereà in 1. ad Annibal. diſt.23. quæſt. unica art.4. in corp. *eſſe*, inquit, *ſignificat id, quod eſt in omnibus generibus commune; ſubſiſtere verò ſpecialem modum eſſendi, qui competit ſubſtantiæ, ſcilicet eſſe per ſe.* Similia alia habet alibi ſæpè S. Doctor.

Reſp. quòd ubicunque S. Th. accipit, & nominat exiſtentiam pro ſubſiſtentia, ſive perſona ſumit ſubſiſtentiam, ſive perſonam non formaliter, & in ſeipſa, ſed duntaxat terminativè, terminatione paſſiva, ſeu pro ſuo termino, quo ulteriùs terminatur in linea entis, qualis eſt exiſtentia, quæ, ut videbimus art. ſequenti, advenit naturæ poſt ſubſiſtentiam; ut etiam patet ex dictis hic ad 3. arg.

Nec mirum eſſe hoc debet. Nam videbimus lib.3. de Anima q.4 art.2. §.3. ad ult. arg. propugnando, quòd *intellectio diſtinguatur realiter à verbo, ſive ſpecie expreſſa.* Videbimus, inquam, qualiter dum objicitur authoritas SS. PP. qui dicunt quòd ipſa *cognitio eſt ſui imago*, interpretantur à D. Th. p.p. q. 34. art.1. ad 2. quòd accipiant cognitionem, non formaliter in ſe, ſed pro ipſa re cognita, ſeu pro ſuo termino, adeoque terminativè.

Videri etiam poſſunt Salmant. tract. 6. de Trinitate diſp. 7. num. 54. ubi dicunt, S. Th nominare interdum exiſtentiam pro ſubſiſtentia, ut ſequeretur phraſim SS. PP. quibus familiare fuit ſumere exiſtentiam pro ſubſiſtentia. Ad quod dilucidandum

Obſervandum venit, quòd ſubſiſtentia ſive perſona dupliciter ſumi poteſt. Uno modo latiſſimè pro qualitercunque eſſe per ſe, ſumpto ly *eſſe per ſe* prout contraponitur ad eſſe in alio ſive ut ſubjecto, ſive ut in ſuppoſito. Alio modo ſtrictè pro eſſe per ſe ſumpto ly *eſſe per ſe* ut contra ponitur ſolùm ad eſſe in alio ut in ſuppoſito. Primo modo comprehendit tùm ſubſiſtentiam, tùm exiſtentiam. Secundo verò modo ſtat pro ſola ſubſiſtentia. Quando igitur S. Th. nominat exiſtentiam pro ſubſiſtentia, ſumit ſubſiſtentiam primo modo, nimirum latiſſimè.

Contra. Si hæc vera eſſent, jam natura, ſubſiſtentia, & exiſtentia, duas facerent, & non unam tantùm compoſitionem; ſed judice D. Th. unam tantùm faciunt compoſitionem: ergo dictæ interpretationes non ſunt ad rem. Prob. min. D. Thom. p. p. q.50 art.2. ad 3. ait, quòd in Angelis una duntaxat eſt compoſitio, ſcilicet eſſentiæ, & exiſtentiæ, & in rebus materialibus datur ſolùm duplex, nempe una eſſentiæ, & exiſtentiæ; altera materiæ, & formæ: ergo &c.

Reſp. nego min. cujus falſitas patet ex dictis §. præcedenti a. num.3. Ad prob dico, non eſſe dubitandum, quòd ſub nomine unius accipit omnes compoſitiones, quę non ſunt eſſentiales phyſicè, quaſi diceret, in Angelis non eſſe, niſi unam non eſſentialem; in rebus verò materialibus duas, unam nempe eſſentialem, & aliam non eſſentialem. Et quia principalior non eſſentialis eſt ex eſſentia, & eſſentia; idcircò ſub hoc nomine omnes non eſſentiales comprehendit. Unde idem S. Th. ibidem ſcilicet p. p. q 50. art 2 ad 3. affirmat, exiſtentiam facere compoſitionem non ſolùm cum eſſentia, ſed etiam cum ſuppoſito.

Et ne videatur hoc arbitrariè dictum, audiat Blaſius, & quilibet alius Thomiſta ex adverſo. Si una tantùm compoſitio, quæ eſt ex eſſentia, & exiſtentia admitteretur à D Th. jam non ampliùs in Angelo extaret compoſitio ex natura, & potentiis operativis; ex principio operativo, & operatione; ex Angelo & gratia, lumine gloriæ &c. Quod audire nullus, præcipuè Thomiſta, conſentiet. Eò vel maximè, quòd intentum S. Th. ibi erat, excludere ab Angelis compoſitionem ex materia, & forma. Videri poſſunt Salmant. 3. p. in tract. de Incarn qui eſt tract.21. diſp. 8. quæ eſt de Perſona aſſumente dub.1. §.4 à num.12. uſque ad num.14.

14. Arg. poſtremò. In via D. Th. duo accidentia ſolo numero diſtincta nequeunt eſſe ſimul in eodem numero ſubjecto; ſed ſi ſubſiſtentia, & exiſtentia eſſent realiter diſtinctæ non diſtinguerentur, niſi numero: ergo non ſunt realiter diſtinctæ. Prob. min. Non diſtinguerentur ſpecie: ergo &c. Prob. ant. Nam (ut diximus §.2. num 4.) reducuntur ad ſpeciem rei, quam terminant; ſed illa eſt una ſpecie: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. data maj. diſt. min. eſt una ſpecie, ſed quodammodo virtualiter terminativè multiplex ſpecie, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Dico igitur, quòd ſubſiſtentia, & exiſtentia diſtinguuntur ſpecie quadam inadæquata, ſicut in lib. de Anima ſuſtinendo, quòd in unico vivente ſit una tantùm Anima, dicemus, quòd variæ potentiæ Animæ, puta viſus, auditus &c. diſtinguuntur inter ſe ſpecie quadam inadæquata.

Aliud arg. ſolvetur art. ſequenti §.3. ad 2. arg.

ARTICULUS QUARTUS, & ULTIMUS.

Num ſubſiſtentia priuſquam exiſtentia in natura ſubſtantiali recipiatur,

§. I.

1. QUamquam contentio iſta ſuppoſita duntaxat diſtinctione reali tum exiſtentiæ à ſubſiſtentia, tum utriuſque ab eſſentia, ſive natura videatur locum habere; nihilominùs etiam apud eos, qui ponunt identitatem exiſtentiæ cum eſſentia, non verò ſubſiſtentiæ cum natura videtur poſſe agitari, ſi non abſolutè, ſaltem conditionatè, ſcilicet in ſuppoſitione, quòd realiter diſtinguerentur.

Et reapſe Suarez 3. p. diſp.8. lect 4 licèt ſentiat exiſtentiam, non verò ſubſiſtentiam identificari cum eſſentia, adhuc non ſolùm ex capite identitatis exiſtentiæ, non verò ſubſiſtentiæ cum natura conatur probare, quòd exiſtentia ſubſiſtentiam præcedat, ut §.3. videbimus

Oppoſitum autem, nimirum quòd ſubſiſtentia exiſtentiam præcedat defendunt Complut. abbrev. in lib. de Gener. & Corrup. Salmant. in Theologia 3. p in tract de Incarn. qui eſt tract.21. diſp.8. quæ eſt de Perſona aſſumente dub.1. §.4. num.14. & ſequentibus, & cæteri illi, quos pro diſtinctione reali ſubſiſtentiæ ab exiſtentia retulimus art. præcedenti §.2.

§. II.

CONCLUSIO.

Subſiſtentia ordine executivo præcedit exiſtentiam in natura ſubſtantiali.

2. DIxi *ordine executivo*, quia ordine intentivo prior eſt exiſtentia, quæ, utpote actus perfectior, & in tota linea entis, eſt per ſe primò à natura intentus. Quæ autem ſunt priora in executione (niſi ſint eſſentialia) ſunt ultima in executione, niſi ultima ſint extra eſſentiam, ut diximus quæſt. præcedenti art.2. § 3.

Sic expoſita noſtra concluſio colligitur apertè ex D. Th. 3. p. q. 17. art.2. ad 1. ubi *eſſe*, inquit, *conſequitur naturam, non ſicut habentem, ſed ſicut qua aliquid eſt: perſonam autem, ſeu hypoſtaſim conſequitur ſicut habentem eſſe.* En igitur, quòd *eſſe*, ſeu exiſtentia conſequitur perſonam, ſeu hypoſtaſim. Item in 3. ad Annibal. diſt.6. q. unica art 2. *eſſe*, inquit, *eſt actus ſuppoſiti ut quod eſt, forma verò ut quo eſt.*

3. Prob. 1. ratione, qua utuntur Compl. abbrev. Salmant. ubi ſupra, & alii. Suppoſitum in aliquo priori à quo antevertit eſſe, ſeu exiſtentiam; ſed conſtitutivum ſuppo-

ſiti

ſiti eſt ſubſiſtentia: ergo ſubſiſtentia præcedit exiſtentiam. Prob. maj. Suſceptivum *quod* exiſtentiæ præcurrit ipſam exiſtentiam; ſed ſuſceptivum *quod* ipſius exiſtentiæ eſt ſuppoſitum, & non tantùm natura: ergo &c. Maj. patet. Intantum enim natura præcedit exiſtentiam, quia eſt ſuſceptivum ejus. Min quæ etiam docetur à D. Th. ubi ſupra, prob. Illud eſt ſuſceptivum *quod* exiſtentiæ; quod habet fieri *ut quod*; ſed ſuppoſitum, & non natura ſola habet fieri ut *quod*: ergo &c. Maj. eſt manifeſta quia fieri nihil aliud eſt, quàm via ad eſſe, cùm ſit *tranſitus de non eſſe ad eſſe*, ſeu de non exiſtere, ad exiſtere, adeoque fieri eſt recipere exiſtentiam, ſicut eſſe factum eſt recepiſſe exiſtentiam, & eſſe faciendum eſt eſſe recepturum exiſtentiam. Min. etiam conſtat præcipuè in via Thomiſtica, in qua fieri, *ut quod* ſicut facere *ut quod* eſt ſuppoſiti, ſeu actiones, & paſſiones ſunt *ut quod* ſuppoſitorum, ut clarius conſtabit in appendice ponenda poſt hunc articolum. Et ratio eſt, quia totum ſuppoſitum eſt illud, quod habet eſſe ut *quod*, non verò pars, cùm iſta ad totum ordinetur, V. G. Homo, & non humanitas exiſtit *ut quod*, humanitas verò exiſtit *ut quo*, per modum ſcilicet naturæ, ſeu formæ totalis, eò quòd natura, & ſubſiſtentia ſunt duæ partes, ex quibus coaleſcit totum ſuppoſitum ut *quod*.

4 Prob. 2 Ex verbis ſupra adductis D. Th loco cit. ex 3. ad Annibal. Nam actus ſubſequitur ad id, quod actuat, ut patet de ſubſiſtentia, & exiſtentia, reſpectu naturæ, quantitate, qualitate &c. reſpectu ſubjecti, &c. ſed exiſtentia eſt actus actuans etiam ſubſiſtentiam, & non ſolùm naturam: ergo &c. Prob min Exiſtentia actuat id quod reddit exiſtens ſicut reddendo exiſtentem eſſentiam eam actuat; ſed reddit exiſtentem etiam ſubſiſtentiam, & non ſolùm naturam: ergo &c Prob. min. Quicquid fit exiſtens fit tale formaliter per exiſtentiam, ſicut quicquid fit operans fit tale per operationem, quicquid fit Sanctum fit tale media Sanctitate; ſed etiam ſubſiſtentia fit exiſtens, cùm & ipſa fiat extra ſtatum poſſibilitatis, dum producitur, effectivè quidem ab agente effectivo, & formaliter per rationem formalem conſtituendi exiſtens, qualis eſt exiſtentia: ergo &c.

Quædam contra hanc rationem objectio ſolvetur §. ſequenti 3. num. 9. ad inſtantiam contra reſponſum dandum ad 6. arg.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

5. ARg. 1. Argumento de anima rationali ſoluto art. præcedenti §. 3. ad 2. arg. ſub num. 5. Videatur ibi.

Arg. 2. Modus eſt poſterior eo, cujus eſt modus; ſed ſubſiſtentia eſt modus exiſtentiæ: ergo ſubſiſtentia eſt poſterior exiſtentia. Maj. patet inductivè in omnibus modis. Min. prob Id quod determinat aliud, ſi non eſt differentia illius, eſt modus ejus, cùm modus ſit adjacens rei determinatio; ſed ſubſiſtentia determinat exiſtentiam, nec eſt differentia illius eſſentialis per nos, aliter cum illa realiter identificaretur: ergo &c. Prob min. quò ad p. p. Subſiſtere eſt exiſtere tale, ſcilicet exiſtere per ſe; ſed exiſtere tale, ſcilicet exiſtere per ſe, determinat exiſtere utcunque: ergo &c. Maj. patet. Non enim eſt exiſtere indeterminatum.

Reſp. nego min. Ad prob. data maj. & conceſſa min. quò ad 2. p. (quia, cùm ut diximus ad nullam ſpeciem directè pertineat, ſed reductivè pertineat ad ſpeciem ejus, cujus eſt terminus, ut art. præcedenti 2 §. 2. num. 4. diximus de puncto, nequit habere differentiam eſſentialem; quia iſta conſtituit directè in aliqua ſpecie) nego eandem min quò ad p. p. ad cujus prob. nego maj. & ad ejus prob. dato ant. nego conſeq. Et dico, quòd ſubſiſtere non eſt exiſtere nec determinatum, nec indeterminatum, quia exiſtere habetur ab exiſtentia, & exiſtere tale à tali exiſtentia, non verò à ſubſiſtentia. Subſiſtentia autem ſolùm terminat naturam reddendo eam incommunicabilem alteri, ut ſuppoſito; ſeu complet, & terminat in linea ſubſtantiæ.

Contra. Subſiſtere eſt eſſe per ſe; ſed eſſe per ſe eſt exiſtere per ſe: ergo ſubſiſtere eſt exiſtere per ſe. Sicut enim eſſe à ſe eſt exiſtere à ſe, ut in Deo, ita eſſe per ſe eſt exiſtere per ſe.

Reſp. nego min. ſtando in ſubjecta materia. Ad prob. diſt. ant. eſt exiſtere à ſe præciſè, nego, aliter, concedo ant. & nego conſequentiam. Nam Deus non ſolùm ſuam exiſtentiam, verùm etiam ſuam eſſentiam habet à ſe ipſo, ideoque ly *eſſe* à ſe non ſtat præciſè pro exiſtere à ſe.

Contra. Exiſtentia ſubſtantialis, ad differentiam exiſtentiæ accidentalis dicit exiſtere per ſe; ſed in ly *per ſe* includitur ſubſiſtere: ergo ſubſiſtere eſt exiſtere per ſe. Prob min. Ly per ſe idem eſt, ac incommunicabiliter, ſeu ac non in alio; ſed incommunicabilitas alteri habetur à ſubſiſtere, ſeu à ſubſiſtentia: ergo &c.

Ad hoc arg. quòd potiùs probat, idem eſſe ſubſiſtentiam, & exiſtentiam. Reſp primitùs, quòd juxta noſtram ſententiam, dicentem, eandem eſſe exiſtentiam ſubſtantiæ, & accidentis, argumentum nihil urget, & poteſt negari ſuppoſitum. Nam nos dicimus, quòd exiſtentia, quæcunque illa ſit, dicit præciſè hoc, quod eſt conſtituere rem extra ſtatum poſſibilitatis, præſcindendo ab hoc, quod eſt eſſe per ſe, vel in alio. Sed ſi res quæ conſtituitur extra ſtatum poſſibilitatis eſt ſubſtantia completa, tunc exiſtentia præſupponit in aliquo priori *à quo*, & naturæ illud eſſe per ſe prout dicit incommunicabilitatem alteri. Si verò res conſtituenda extra ſtatum poſſibilitatis ſit accidens præſupponit in eo pro aliquo priori, non quidem *in quo* & exiſtentiæ, ſed *à quo*, & naturæ, inhærentiam.

Deinde ex dictis art. præcedenti §. 3. ad 3 arg. ſub n. 6. dici poteſt, quòd exiſtentia ſubſtantialis, ad differentiam accidentalis, dicit eſſe per ſe, prout ly *eſſe per ſe* dicit incommunicabilitatem alteri ut ſubjecto inhæſionis, non verò ut ſuppoſito. Quamquam nec eam incommunicabilitatem alteri ut ſubjecto inhæſionis videatur haberi ab exiſtentia etiam ſubſtantiali; quia incommunicabilitatem alteri ut ſubjecto inhæſionis habet ipſa ſubſtantia ex ſe ex eo, quòd ſubſtantia eſt.

6. Arg. 3. Ex natura ſubſtantiali, ſeu eſſentia, & exiſtentia fit vera compoſitio; ſed extrema compoſitionis immediatè uniuntur, ut liquet in materia, & forma: ergo exiſtentia recipitur immediatè, & non mediante ſubſiſtentia in natura ſubſtantiali.

Reſp. primitùs, quòd hoc idem arg. fieri poteſt multò magis de ipſa ſubſiſtentia, quoniam ex ſubſiſtentia, & natura fit vera compoſitio. Deinde diſt. maj. fit vera compoſitio mediata, concedo, immediata, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam.

Contra. Ex eſſentia, & exiſtentia fit compoſitio immediata: ergo nulla ſolutio. Prob. ant. Inter quæ eſt immediata proportio potentiæ, & actus debet eſſe immediata compoſitio; ſed inter naturam ſubſtantialem, ſeu eſſentiam, & exiſtentiam, eſt immediata proportio potentiæ, & actus. ergo &c. Min. patet, quia eſſentia definitur per ordinem ad eſſe, ſeu per ordinem ad exiſtentiam.

Reſp. nego ant Ad prob. diſt. maj. ſi adſit immediata proportio tam *ut quod*, quàm *ut quo*, concedo, ſolùm *ut quo*, nego maj. & diſtinguo min. adeſt immediata proportio *ut quo*, concedo, ut *quod*, nego min. & conſequentiam. Suſceptivum enim *quod* exiſtentiæ eſt ſuppoſitum, ut vidimus §. 2. num. 3. Ad id, quod ſubditur, primodùm patet ex dictis quæſt. præcedenti art. 2. § 3. quòd illa eſt deſcriptio, & non definitio. Deinde ut definiatur in ordine ad illam ſat eſt, quòd exiſtentia ſit immediata in intentione naturæ etſi non in executione.

7. Arg. 4. Si ſubſiſtentia adveniret naturæ priuſquam exiſtentia, ſequeretur, aliquid eſſe exiſtens antequam haberet exiſtentiam; ſed hoc implicat in terminis: ergo ſubſiſtentia non recipitur priuſquam exiſtentia. Prob. maj. Ex eſſentia, & ſubſiſtentia fit vera compoſitio; ſed compoſitio realis fit ex extremis exiſtentibus: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. primitùs diſt. min. ex extremis exiſtentibus in fieri, & inchoativè, concedo, in facto eſſe, & completè, nego. Vel aliter diſt. eandem min. compoſitio realis ex his quæ adveniunt accidentaliter, ut quantitas, qualitas, relatio, actio &c. concedo, aliter, nego. Sufficit enim ad alia eſſe in aliquo priori *à quo*, & naturæ, etſi non in aliquo priori *in quo*, & temporis, ſeu Exiſtentiæ. Patet hoc tum in ipſa natura, & exiſtentia, ex quibus fit compoſitio; & tamen non exiſtunt antecedenter ad exiſtentiam. Tum in ipſa materia, & forma, ex quibus pro priori ad exiſtentiam fit vera compoſitio; & tamen non exiſtunt antecedenter ad exiſtentiam.

8. Arg. 5. Nequit ante exiſtentiam intelligi conſtitutum ſuppoſitum, ergo nequit ſubſiſtentia præire exiſtentiam.

Prob.

Prob: ant. Suppoſitum eſt quoddam totum ſimpliciter in genere ſubſtantiæ; ſed ante exiſtentiam non eſt intelligibile hoc totum ſimpliciter: ergo &c. Prob. min. Totum ſimpliciter in aliquo genere eſt illud, cui nihil deeſt in tali genere; ſed donec ſubſtantia includat exiſtentiam ſubſtantialem deeſt illi aliquid in genere ſubſtantiæ: ergo &c. Min prob. Deeſt exiſtentia; ſed exiſtentia ſubſtantialis eſt de genere ſubſtantiæ, aliter non eſſet ſubſtantialis: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. conceſſa maj. de toto totalitate in linea ſola ſubſtantiæ (nam in linea entis eſt pars quæ cum exiſtentia componit totum exiſtens, ut ex dictis art. præcedenti §. 3. ad 1. & ad 3. arg.) nego min. in dicto ſenſu. Ad prob. data maj. nego min. ad cujus prob primodùm reſpondeo ex dictis q. 1. art. 1. §. 4. num. 14. quòd exiſtentia ut exiſtentia eſt, nec eſt accidens, nec ſubſtantia, ſeu nec de genere accidentali, nec de genere ſubſtantiali, ſed eſt purè terminus. Illa autem diviſio adæquata entis in ſubſtantiam, & accidens eſt in eſſe entitativo, non verò in eſſe terminativo, ut ibi diximus. Videatur ibi

Deinde dicatur cum aliis, quòd exiſtentia eſt de genere ſubſtantiæ ſolùm reductivè, non verò formaliter, ut etiam indigitavi art. præcedenti §. 2. num 4.

9. Arg. 6. Eundem ordinem ſervare debent in actuando naturam ſubſiſtentia, & exiſtentia, quem ſervant ratio entis, & ratio ſubſtantiæ in eadem natura; ſed in natura ſubſtantiali prior eſt ratio entis, quàm ratio ſubſtantiæ: ergo prior eſt exiſtentia quàm ſubſiſtentia. Maj. patet, quia una eſt complementum in linea ſubſtantiæ, & alia in linea entis; inter complebile autem, & complementum, ſicut & inter potentiam, & actum debet eſſe proportio. Min. etiam conſtat; quia ratio entis eſt communior, & univerſalior.

Reſp. diſt. maj. quem ſervat tota ratio entis complebilis per exiſtentiam, concedo, aliter, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Undè quia etiam ſubſiſtentia dicit rationem entis potentis, & petentis exiſtere, ut vidimus §. 2. num 4. ideo & ſubſiſtentia præire debet.

Contra. Et eſt arg. contra noſtram 2. probationem ſub dicto num 4. Exiſtentia tametſi eſſet prior ſubſiſtentia, poſſet reddere exiſtentem etiam ipſam ſubſiſtentiam: ergo ex eo, quod eam debeat reddere ſubſiſtentem non benè infertur, exiſtentiam non debere eſſe priorem. Ant. prob. dupliciter. Et primò. Quantitas eſt primum accidens, adveniens ſubſtantiæ antecedenter ad quodlibet accidens; & tamen habet extendere alia accidentia: ergo pariter. Secundò. Accidentia adveniunt ſubſtantiæ jam exiſtenti; & tamen juxta dicta à nobis quæſt. præcedenti art. 3. exiſtunt per exiſtentiam ſubſtantiæ: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. ſimul & 2. dicimus, diſcrimen eſſe, quia ex illis non fit unum perſe; benè verò ex natura ſubſiſtentia, & exiſtentia fit unum perſe; quia ſuppoſitum eſt unum perſe; quoties autem aliqua faciunt unum perſe compoſitivè, id, quod eſt perfectibile debet ſe habere ut potentia, & perfectivum ut actus, ut palam eſt inductivè in omnibus, nec adducetur exemplum in oppoſitum in his quæ faciunt unum perſe. Cùm ergo ſubſiſtentia ſe habeat ut perfectibilis ab exiſtentia, à qua redditur exiſtens; idcircò debet ſubſiſtentia ſe habere ut potentia ad exiſtentiam ſicut ad actum; Potentia autem eſt prior actu.

Deinde aliud diſcrimen eſt, quòd accidentia fiunt exiſtentia, & quantificata ſolùm *ut quo*. At ſuppoſitum, quod per ſubſiſtentiam conſtituitur, fit ſubſiſtens *ut quod*. Subſiſtens autem *ut quod* eſt ſuſceptivum *quod*, ut diximus num. 3. debet eſſe potentia receptiva.

Immò aliquando actus, ſi ſit de linea tranſeuntis, & non permanentis, nec etiam *ut quo*, nec in his, quæ faciunt unum per accidens, poteſt præcedere ea, quæ perficit & denominat. Hujuſmodi eſt actio. Sed de his nihil ad præſens, quia modò ſumus in his, quæ ſunt de linea permanentium.

10. Arg. 7. ab inconvenientibus. Si ſubſiſtentia præcederet exiſtentiam in natura, ſequeretur. Primò, quòd natura neque Divinitùs poſſet conſervari exiſtens propria exiſtentia ſine ſubſiſtentia; ſed hoc eſt falſum: ergo falſum eſt, quòd ſubſiſtentia exiſtentiam præcedat. Maj. patet, quia tunc ſubſiſtentia eſſet ipſi naturæ ratio recipiendi exiſtentiam: ergo &c. Sicut quia forma eſt materiæ ratio recipiendi exiſtentiam, nec Divinitùs poteſt materia recipere exiſtentiam, niſi præſuppoſita forma, Thomiſticè loquendo. Min. verò prob. paritate accidentis, quòd poteſt conſervari exiſtens ſine inhærentia, ut in Sacramento Euchariſtiæ evenit.

Secundò. Sequeretur, quòd natura ſubſiſtens poſſet per potentiam Dei abſolutam exiſtere per exiſtentiam Divinam; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c. Min. docetur à D. Th. 3. p. q. 4. art. 2. Maj. verò prob. Quoties unum eſt realiter ab alio diſtinctum, & prius illo, tunc id quod eſt poſterius non eſt de eſſentia ejus, quod eſt prius. ergo illud non dependet ab iſto, ac per conſequens non repugnat eſſentialiter, quòd ſine illo exiſtat, adeoque &c.

Tertiò. Sequeretur, quòd natura de potentia Dei abſoluta poſſet ſubſiſtere, & non exiſtere; ſed hoc implicat: ergo &c. Min. conſtat, quia quod eſt ſubſiſtens eſt extra ſtatum poſſibilitatis; implicat autem eſſe extra ſtatum poſſibilitatis, & non eſſe exiſtens. Maj. verò prob ut nuper; quia nempe quoties unum realiter diſtinguitur ab alio, & eſt prius illo, &c.

Reſp. nego ſequelam maj. non quidem propter rationem, quam adducit arguens; ſed propter rationem adductam art. præcedenti 3. §. 3 ſub. num. 10 in 7. arg. Ad prob. diſt. ant. eſſet ratio eſſentialis, nego, ratio, ſeu diſpoſitio tantùm connaturalis, concedo. Ad prob. annexam eſt lata diſparitas, quia nimirum forma utpotè dans primum eſſe eſt ratio, & diſpoſitio eſſentialis.

Ad 2. conceſſa maj. nego min. Ad prob. patet ex dictis loco nuper relato, videlicet art. præcedenti 3. §. 3. in fine ad conſ. 7. arg. ſub num. 10 Vid ibi.

Ad 3. nego ſequelam maj ad cujus prob. diſt. ant. non eſt de ejus eſſentia, nec eſt aliquid, cùm quo ſit eſſentialiter connexum, ſubdiſt. non eſt ſemper, concedo, non eſt interdum, nego. Patet enim, quòd eſt forma priuſquàm exiſtentia recipiatur in materia, & tamen ut ſit in materia dependet eſſentialiter ab exiſtentia, cùm nequeat eſſe in ipſa materia, niſi ſit extra ſtatum poſſibilitatis.

11. Arg. 8. à paritate. In accidente priùs eſt exiſtentia, quàm inhærentia: ergo & in ſubſtantia priùs erit exiſtentia, quàm ſubſiſtentia. Conſequentia eſt exacta, Tum à pari quia ſicut ſe habet inhærentia ad accidens, dando illi eſſe in alio, ita ſubſiſtentia ad ſubſtantiam, dando eſſe perſe. Tum quia aliter ſequeretur, quòd forma accidentalis eſſet perfectior forma ſubſtantiali; quia illud, quod immediatius ordinatur ad eſſe eſt perfectius; qua ratione dicitur, quòd differentia eſt perfectior genere. Ant. autem prob. Si prior eſſet inhærentia non poſſet accidens exiſtere, quin inhæreret, quia poſterius dependet à priori; ſed hoc eſt falſum, ut patet in Sacramento Euchariſtiæ: ergo &c.

Reſp. primitùs permiſſo ant. nego conſeq. Ad 1. prob. nego ant. Nam eſſe perſe, quod habet ſubſtantia à ſubſiſtentia, non eſt illud, quod contraponitur ad eſſe in alio, quod competit accidenti, ſcilicet ad eſſe in alio, ut in ſubjecto inhæſionis (id enim habet ſubſtantia ex ſe, ex eo, quod ſubſtantia eſt etiam incompleta) ſed eſt eſſe per ſe, prout eſſe per ſe contraponitur ad eſſe in alio, ut in ſuppoſito, ut toties diximus. Ad 2. prob. Reſp diſt. ant. ſi ordinaretur immediatius ad exiſtentiam, per quam primariò exiſteret, concedo, per quam ſolùm de ſecundariò exiſteret, nego. Accidentia autem (ut vidimus q. præcedenti art. 3.) non habent exiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam, per quam primariò exiſtant, ſed exiſtunt de ſecundariò per eandem exiſtentiam, per quam primariò exiſtit ipſa ſubſtantia. Vel aliter diſt. ſi ordinaretur *ut quod* (ſicut ordinatur ſuppoſitum, quod per ſubſiſtentiam conſtituitur) concedo, ſi ſolùm *ut quo*, nego. Accidentia autem exiſtunt *ut quo* duntaxat.

Deinde Reſp. nego ant. Nam accidentia cùm per inhærentiam exerceant dependentiam, quam habent à ſubjecto, à quo dependent in genere cauſæ materialis, & ſimiliter terminent influxum cauſæ efficientis, ſive educentis illa ex ſubjecto; nequeunt naturaliter exiſtere priuſquam ſubjecto inhæreant: Nam, ut non infrequenter diximus, exiſtentia eſt ultima actualitas, per quam res perfectè conſtituitur extra cauſas; & minimè illi convenit quandiu intra illas eſſe intelligitur. Undè exiſtentia accidentis dependet naturaliter ab inhærentia, illamve præſupponit. Hinc

Ad prob. antecedentis dicatur, quòd res licèt connaturaliter nequeat exiſtere ſine eo, quod eſt prius, ſi illud ſit ratio vel diſpoſitio eſſentialiter requiſita, ut eſt forma in materia, ſecùs tamen ſi ſit ratio, & diſpoſitio ſolùm connaturaliter requiſita, ut in caſu de inhærentia in ordine ad exiſtentiam ac-

cidentis, ſicut etiam de ſubſiſtentia in ordine ad exiſtentiam ſubſtantiæ diximus ad præcedens 7. arg. ſub præcedenti num. 10.

Contra hoc 2. reſp. inſtatur. Inhærentia accidentis eſt idem, ac inexiſtentia; ſed inexiſtentia eſt propria exiſtentia accidentis: ergo inhærentia non eſt prior exiſtentia.

Reſp. nego maj. in ſenſu formali. Inhærentia enim explicatur quidem per inexiſtentiam, non tamen conſiſtit formaliter in ipſa inexiſtentia. Et reapſe accidentia Euchariſtica actu exiſtunt ſine eo, quod inhæreant actu.

Ratio autem, quare nequeat accidens inhærere, quin exiſtat, eſto prior ſit inhærentia quàm exiſtentia, eadem eſt ac illa, propter quam num. præcedenti 10. ad 3. poſitam in 7. arg. diximus, non poſſe naturam ſubſiſtere, quin exiſtat. Videatur ibi

12. Arg. poſtremò argumento Theologico. Subſiſtentia in Divinis eſt virtualiter poſterior exiſtentia: ergo & in creatis erit poſterior, & quidem realiter cùm realiter diſtinguatur. Ant. patet, aliter in Divinis ſicut admittuntur tres ſubſiſtentiæ, ita & tres exiſtentiæ admitti deberent; quod nullus admittit, excepto Suarez citante pro ſe Ricardum à S. Victore.

Reſp. diſt. ant. ſubſiſtentia abſoluta, nego (iſta enim præcedit exiſtentiam) relativa, concedo.

Contra ſubſiſtentia relativa in Divinis, quæ eſt conſtitutiva perſonæ eſt poſterior exiſtentia: ergo pariter in creatis ſubſiſtentia conſtitutiva perſonæ erit poſterior exiſtentia. Eò vel maximè, quòd etiam de ſubſiſtentia relativa militat ratio à nobis adducta §. 2. quòd nempe etiam ipſa ſit exiſtens.

Reſp. dato ant. nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in creatis non extat alia prior ſubſiſtentia, per quam natura conſtituatur ſuſceptivum *quod* exiſtentiæ, ſicut extat in Divinis, aliter ponendum eſſet myſterium Trinitatis in creatis.

Ad id, quod ſubditur ſi reſpondeas, quòd exiſtentia in Divinis licèt abſolutè ſit prior ſubſiſtentiis relativis, tamen ut modificata per ſubſiſtentias, ſive per relationes, quo pacto modificata reddit exiſtentes ſubſiſtentias relativas, & poſterior illis.

Contra. Ergo etiam exiſtentia creata eſtò eſſet entitativè prior ſubſiſtentia, tamen poſtea ut per ſubſiſtentiam modificata poſſet reddere exiſtentem ipſam ſubſiſtentiam.

Reſp. benè ibi. Ad oppugnationem, nego conſeq. & paritatem. Diſparitas interim eſt, quia ſuppoſitum creatum ſubſiſtit abſolutè, & non modificativè relativè, & ideo non ſufficit, quòd exiſtentia modificativè tantum ſubſequatur. Perſonæ Divinæ autem exiſtunt duntaxat relativè, qui eſt quidam ſubſiſtendi modus modificativus ſubſiſtentiæ abſolutæ. Idcircò ſat eſt, quòd exiſtentia modificativè tantùm ſit poſterior.

Hoc ſit tantùm interim dictum. Nam de hoc fuſiùs, & ſatiùs in tract. de Trinitate apud Theologos, & etiam 3. p. Salmantic. diſput. 8. tractat. 21. dub. 1. §. 6. & 7. præcipuè num. 36.

PERCONTABERIS.

Nam in compoſito ſubſtantiali materiali ſint admittendæ ſubſiſtentiæ partiales.

RESp. negativè ſicut de exiſtentia diximus quæſt. præcedenti in fine totius illius quæſtionis propter eaſdem rationes.

Objectiones in oppoſitum ſolutæ ſunt loco relato ubi ſupra in fine præcedentis quæſtionis.

Videri etiam poſſunt Salmant. in Theologia 3. p. tract. 21. qui eſt de Incarnatione diſp 8. dub. 1. §. 5.

Videatur præſertim Cavinus in tract. de Mundo diſp. 3. q. 3 §. 5. ſub finem.

APPENDIX.

De Axiomate illo Actiones ſunt ſuppoſitorum, *quod eſt Ariſtotelis 2. Phyſ. Cap. 1. & 2. de Anima tex. 65.*

1. QUæſitum hic de hoc movet Guerinois; qui notat, ſicut communiter notatur, quòd duplex eſt principium, nimirum principium *quo*, & principium *quod*. Principium *quo* eſt virtus illa activa, qua agens operatur. Et hoc iterum duplex eſt, unum nempe radicale, ſeu remotum, & eſt natura agentis, prout eſt radix potentiarum immediatè operativarum; & aliud formale, ac proximum, & eſt quælibet potentia immediatè operativa. Principium *quod* eſt id, quod utitur potentiis immediatè operativis ad agendum. Hoc ſuppoſito

Reſpondet, actiones eſſe ſuppoſitorum, non *ut quo*, itaut ſuppoſitum, vel ſubſiſtentia ſuppoſiti conſtitutiva dici poſſit potentia immediatè operativa (ſubſiſtentia quippe eſt conditio duntaxat præſuppoſita ad operandum) ſed actiones ſunt ſuppoſitorum *ut quod* ſuppoſitum enim (ait ipſe) eſt id, quod utitur potentiis immediatè operativis ad agendum.

2. Hæc quæ Guerinois habet optimè dicta ſunt. At adverte, quòd Guerinois ibi ſupponit, illud axioma eſſe abſolutè apud omnes Philoſophos commune; cùm tamen non ita ſit. Nam Scotiſtæ, volentes, Chriſtum ut Hominem potuiſſe peccare, non ita abſolutè illud axioma excipiunt, aliter propriam non poſſent ſalvare ſententiam, cùm in Chriſto non ſit, niſi unicum, & hoc Divinum ſuppoſitum, ut eſt fidei dogma contra Neſtorium. Suppoſitum autem Divinum eſt omnino impeccabile cùm Deus ſit ipſamet impeccabilitas: & idcircò plerique eorum explicant illud Ariſtotelis dictum interpretantes eum, quòd nomine ſuppoſitorum ſumat ſingularia.

3. Quia verò non videtur abſolutè negabile, cùm non humanitas, ſed Homo dicatur intelligens, volens, videns, loquens &c. & Homo utpote ſignificatus per modum habentis ſit ſuppoſitum.

Idcircò Mattrius ſuper 3. ſent. diſp 2. q. 2 art. 3. in tract. de Incarn. agendo de Chriſti impeccabilitate, dicit, quod actiones ſunt ſuppoſitorum denominativè tantum.

Contra quem tamen faciliter inſtare poſſumus. Tum quia ſaltem ſequeretur Verbum poſſe eſſe peccans ſaltem denominativè, ſeu denominari peccans ſi Chriſtus peccaſſet; Tum quia actiones ſunt ſuppoſitorum denominativè; ergo etiam conſtitutivè conſtituendo eum agens in actu ſecundo. Prob. conſequentia. Licèt poſſit ſtare forma ſine denominatione ex defectu alicujus extrinſeci connotati, ut de unione materiæ, & formæ ſeparatis &c. non tamen fiat denominatio ſine forma conſtituente, & conſtituendo denominante. Tum quia denominatio habetur à forma conſtituente: Tum quia inductivè in omnibus patet, V. G. denominatio albi habetur ab albedine conſtituente, & denominante album &c. Nec adducetur exemplum aliquod in oppoſitum: ergo ſi &c.

Et certè iſta denominatio, vel eſt intrinſeca, vel extrinſeca. Si intrinſeca, jam habemus intentum. Nam jam ſuppoſitum denominabitur intrinſecè peccans, aut merens &c. Imò iſta denominatio intrinſeca erit ab actione peccaminoſa intrinſeca ipſi ſuppoſito Divino; quia ſicut denominatio extrinſeca habetur à forma extrinſeca, ita denominatio intrinſeca debet haberi à forma intrinſeca.

Si autem dicatur quòd eſt denominatio extrinſeca. Hoc falsò omnino dicitur. Nam deberet excogitari forma extrinſeca, à qua proveniret dicta denominatio extrinſeca; ſicut denominatio viſi in pariete viſo eſt à potentia viſiva vidente, ſeu à viſione; denominatio Domini in Deo à ſervitute creaturarum &c. Iſta autem forma extrinſeca, à qua proveniret hujuſmodi denominatio extrinſeca nequit excogitari. Non enim poteſt eſſe ipſa humanitas; quia iſta eſt intrinſeca ipſi Verbo, utpote illi intrinſecè unita. Inſuper interim Paries V. G. denominatur à potentia viſiva extrinſecè viſus, quia iſta tendit ad ipſum ut videns eſt, & Deus denominatur extrinſecè Dominus à ſervitute creaturarum, quia ſervitus creaturarum eſt in ordine ad ipſum Deum. At ſi humanitas in Chriſto peccaret, nec peccatum humanitatis, nec humanitas ut peccans tenderet ad ſuppoſitum Divinum, cui nihil eſt cum peccato: ergo &c.

Et licèt tenderet in ſuppoſitum Divinum averſivè, peccando contra ipſum; non tamen per hoc poſſet ſuppoſitum dici denominativè peccans, aliter quoties quis peccat contra Deum, Deus denominaretur peccans.

4. Tandem debet excogitari aliquod principium *quod* operationis. Hoc autem nequit eſſe humanitas, quia iſta eſt ſolum principium *quo*, aliter deberet excogitari aliquid aliud, quod ſe haberet ut principium *quo*. Quod tamen nequaquam poteſt excogitari.

5. Si

5. Si objiciat, quòd Anima ſeparata operatur; & tamen non eſt ſuppoſitum, ut dictum eſt: In art. 3. §. 2. num. 5. ergo actiones non ſunt ſuppoſitorum.

Reſp. ex ipſomet Blaſio hic diſp. 8. Metaphyſicæ q. 6. num. 9. quòd quando dicitur à Thomiſtis, actiones eſſe ſuppoſitorum intelligitur de natura ſuppoſitata; ac de natura operante *ut quod* omnino completum, & in ſtatu abſoluté naturali; quia tunc non ſe habet *ut quod*, niſi ſimul cum ſubſiſtentia, qua non importata ſe habet reſpectu totius *ut quo*; eſtò ſecundùm ſe ab illa ſegregata (in quo ſtatu non eſt actu compars) poſſit ſe habere aliqualiter *ut quod*. Et hoc arg. militat etiam contra Maſtrium, qui illud opponit in Metaphyſ. diſp. 11. q. 5. Nam etiam ipſe docet ibi contra Arriagam, ſubſiſtentiam eſſe conditionem neceſſariò, & indiſpenſabiliter requiſitam ad agendam, licèt non principium, aut comprincipium operativum, ſeu influxivum in operationem.

Nec mirum fiat, aliquod ſe habens *ut quo* conjunctim, ſe habeat *ut quod* ſeparatum. Nam lux in aere videtur *ut quo* & aer *ut quod*, & tamen ſi divinitùs ſepararetur lux ab omni ſubjecto, ut fit in accidentibus Euchariſticis, lux tunc videretur *ut quod*.

Vel dici etiam poteſt, in Anima ſeparata extare modum aliquem ſupplentem ſubſiſtentiæ vices: Sicut dici ſolet quòd cùm gratia ſe habeat ut natura, & principium primordiale operationum ſupernaturalium, in peccatore fideli in quo non extat gratia, extat aliquod auxilium ſpeciale ſupernaturale, ſupplens vices gratiæ ad eliciendum actus fidei ſupernaturalis.

6. Et hic admonitum lectorem velim, hallucinari non parùm Maſtrium, qui ſupponens, univerſos Thomiſtas docere, quòd ſubſiſtentia ſit ratio formalis agendi, & principium, vel ſaltem comprincipium formaliter influxivum in ipſam operationem, ex eo quòd dicunt, actiones eſſe ſuppoſitorum; idcircò in hoc ſenſu eos refutat.

Non parùm, inquam, hallucinari. Nam dicunt Thomiſtæ, ſubſiſtentiam eſſe principium, aut comprincipium influxivum, non formaliter; ſed duntaxat completivé, & terminativé, quatenus eſt complementum principii operativi, & influxivi. Undè poteſt dici principium vel comprincipium influxivum duntaxat reductivé, quatenus eſt complementum, & terminus talis principii; terminus autem reducitur ad id, cujus eſt terminus, ſicut punctum reducitur ad quantitatem. Undè ſicut hac ratione diximus q. præcedentis art. 1. §. 5. ad 10. arg. num. 14. & hic in hac q. 6. art. 2. §. 2. num. 9. ad 3. arg. exiſtentiam, & ſubſiſtentiam in eſſendo reduci ad genus, & ſpeciem ejus, cujus eſt terminus: ita in operari reducitur ad principium, cujus eſt terminus.

Cæterùm loquendo formaliter, certum eſt ſubſiſtentiam eſſe puram conditionem ad agendum, ut videre eſt apud Godoy 3 p. in D. Th. tomo 3. diſp. 41. §. 10. num. 150. & nos de exiſtentia etiam ſæpé diximus.

Dicuntur tamen hoc non obſtante, actiones eſſe ſuppoſitorum formaliter, quatenus natura nuſquam eſt operans formaliter *ut quod* omnino completum niſi ut formaliter per ſubſiſtentiam ſuppoſitata.

Quod iterum Prob. ſic. Nam illud duntaxat operatur *ut quod*, quod habet eſſe *ut quod*; ſed duntaxat ſuppoſitum habet eſſe *ut quod*: ergo actiones *ut quod* ſunt ſolius ſuppoſiti. Maj patet, Tum quia operari ſequitur ad eſſe, adeoque cum eo proportionatur; nec ſolùm ad eſſe eſſentiæ, verùm etiam ſubſiſtentiæ, aliter priùs quis operaretur, quàm ſubſiſteret. Min. prob. illud dicitur habere eſſe *ut quod*, quod habet eſſe incommunicabiliter, quia quod habet eſſe communicabile, habet eſſe ſaltem aliquo modo *ut quo*, aliter nulla extaret differentia inter communicabile, & incommunicabile; ſed ſolùm ſuppoſitum habet eſſe incommunicabile, cùm hoc ſit ſubſiſtentiæ munus: ergo &c.

Alias rationes Deo dante adducemus in tract. de Incarn. ubi videbimus, quòd ſi actiones non eſſent ſuppoſitorum, nequirent actiones Chriſti dici Theandricæ, ideſt Divinæ. Interim Vid. Godoy 3. p. in D. Th. tom. 3. diſp. 41. §. 9. & 10.

LIBER SECUNDUS
PHYSICORUM
DE NATURA, ET CAUSIS.

QUoniam à natura ens naturale nomen ſortitur, idcircò poſtea quàm de principiis entis naturalis, ac de toto naturali, ejuſque exiſtentia, & ſubſiſtentia in primo libro abundè tractavimus; modò hoc in ſecundo libro tractatum adorimur de natura, ſicut etiam de his, quæ ad eam pertinent; proindeque agemus & de Arte, quæ naturam imitatur; ſicut etiam de Violento, quod Naturæ adverſatur. De cauſis quoque agemus, quia in definitionem naturæ ingreditur cauſa.

Quo in libro præmiſſis quibuſdam quæſtiunculis de natura, & Arte, ac Violento, necnon de cauſis in communi (omiſſa quæſtione de cauſa materiali, & formali, nimirum materia, & forma, de quibus ſatis in primo libro dictum eſt) quatuor principales quæſtiones inſtituemus. Prima erit de cauſa efficienti. Secunda de cauſa inſtrumentali. Tertia de cauſa Finali. Quarta de cauſis ad invicem comparatis.

QUÆSTIUNCULA PRIMA.

Quid ſit, quibuſve ratio Naturæ conveniat.

1. MUltifariam Natura ſumi poteſt. Primò latiſſimé pro eſſe extra intellectum quomodocunque realiter: quo pacto dici ſolet, aliquid eſſe in rerum natura. Secundò laté pro univerſitate cauſarum naturaliter agentium: in quo ſenſu accipitur natura, cùm dicitur, quod *natura nihil fruſtra operatur*. Tertiò preſsé pro naturali complexione, vel inclinatione alicujus: in quo ſenſu accipitur natura dum dicitur, quod *natura V. G. Sortis eſt bené agere*: Similiter V. G. diviſionis natura eſt mala, ideſt inducens ad malum. Quartò preſſiùs pro eſſentia, ſive conceptu metaphyſico: in quo ſenſu accipitur natura dum dicitur, quòd definitio eſt *oratio explicans naturam rei*. Ultimò ſtrictiſſimé pro illa, quæ eſt principium motus in rebus phyſicis, & naturalibus, ejuſque nomen derivatur à vocabulo *Nativitas*, quoniam natura dicitur quaſi *naſcitura*. Cùm enim nativitas, & generatio viventis ſit ab intrinſeco, idcircò hoc nomen *natura* impoſitum eſt ad ſignificandum principium intrinſecum motus.

Deveniendo igitur ad noſtrum propoſitum.

§. I.

DICO PRIMO.

Natura exactè definitur ab Ariſt. hic cap. 1. quòd ſit **principium, & cauſa motus, & quietis ejus, in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens;** ***eſtque definitio eſſentialis.***

2. PRob. quòd ad p. p. Data definitio omnia obtinet requiſita ad definitionis perfectionem: ergo eſt exacta. Ant. prob enucleando ſingulas ejus particulas. Dicitur *principium*, per quod tanquam per genus convenit etiam cum privatione, cui non convenit ratio naturæ. Dicitur *cauſa*, per quam dictionem convenit etiam cum aliis, quæ ſunt cauſa, puta intellectu, qui eſt cauſa intellectionis. Dicitur *motus* (ideſt phyſici) *& quietis*, per quas dictiones ſecernitur ab aliis cauſis, puta intellectu, & voluntate, quæ non ſunt cauſa motus ſaltem phyſici, ideſt ſenſibilis, ſed duntaxat intentionalis. Quæ tamen particulæ non ita intelliguntur, quòd ſit principium, & cauſa motus ſimul (cùm motus, & quies, ceu importantes oppoſitionem privativam non ſint ſimul compoſſibiles) ſed ſucceſſivè. Dicitur *ejus*, *in quo eſt primò*, *& per ſe* ad denotandum, quòd natura debet eſſe principium intrinſecum; Idcircò ignis non dicitur natura reſpectu calefactionis in alieno ſubjecto: Imò hæ particulæ in noſtra ſententia, qua in phyſicæ Prodromis art. unico §. 2 num 3. excludebamus accidens ab objecto primario Philoſophiæ, ponuntur ad differentiam etiam accidentis, quod non primum, ſed ſecundum duntaxat, & proximum eſt principium motus.

Quò ad a. p. facilè ſuadetur. Eſſe principium radicale motus, & quietis eſt de eſſentia naturæ: ergo definitio; quæ per illud eſt tradita, eſt eſſentialis.

3. Objicies 1. Idem nequit eſſe principium contrariorum; ſed motus, & quies ſunt contraria; ergo haud benè definitur natura, quòd ſit principium motus, & quietis.

Reſp. permiſſa maj. diſt. min. motus, & quies privativa ſunt contraria, tranſeat (ſunt enim potiùs privativè oppoſita, licèt aliàs poſtea hæc oppoſitio ſit major) motus, & quies poſitiva, ſubdiſtinguo, propriè, nego, impropriè, concedo min. & nego conſequentiam. Duplex eſt quies. Una poſitiva, illa nimirum, quæ per motum acquiritur in termino. Et hæc non eſt propriè oppoſita motui; quia unum oppoſitorum non eſt terminus, & complementum alterius. Altera privativa, illa nimirum, quæ habetur nullo præcedente motu, ut eſt Cœli Empyrei quies. Et iſta opponitur motui, nec hab tur à natura, ſaltem ſecundùm inclinationem particularem, ſed duntaxat in aliquo ſecundùm ſui inclinationem univerſalem, ut inferiùs dicetur in tertio aſſerto hic.

Dixi *permiſſa* maj. quia nonniſi permitti debuit, quoniam cauſa æquivoca (ut eſt natura reſpectu motus, & quietis) poteſt optimè eſſe principium oppoſitorum. Patet namque, quòd idem Sol medio calore eſt cauſa liqueſaciens ceram, & indurans lutum.

4. Objicies 2. Subſtantia non benè definitur in ordine ad extrinſecum; ſed motus eſt extrinſecus naturæ, licèt intrinſecè inhæreat ſubjecto, in quo eſt natura: ergo non benè natura, quæ eſt ſubſtantia, definitur, quòd ſit principium motus. Maj. patet, Tum quia ſubſtantia habet ſuum conſtitutivum intrinſecum; qua ratione dicunt Thomiſtæ, ſubſtantiam non poſſe ſpecificari ab operatione, ut ſalvent, ſubſtantiam non poſſe eſſe immediatè operativam. Tum quia ſubſtantia eſt quid abſolutum.

Reſp. data maj. diſt. min eſt extrinſecùs acceptus formaliter, aut proximè, concedo, radicaliter acceptus, nego min. & conſequentiam in dicta autem definitione ſumitur motus radicitùs; quia definitur natura ut principium primordiale, & radicale motus; ſicut in lib. de Anima explicando animæ definitionem dicemus, quòd anima definitur *id quo vivimus*, *ſentimus*, *loco movemur*, *& intelligimus primò*, ideſt radicaliter. Sumpto autem ſic motu non eſt aliquid extrinſecum, ſed eſt ipſamet natura, quæ eſt radix potentiarum proximè moventium, & operantium.

Per quod patet ad 1. prob. & etiam ad 2. quia inter motum radicalem, & naturam non extat relatio, cùm ſit ipſamet natura. Ultra quamquod dici poſſet, quòd licèt ſit quid abſolutum à relatione prædicamentali, non ſit tamen quid ſolutum à relatione tranſcendentali.

5. Ex dictis colligi poteſt, quòd Ars rationem naturæ non obtinet, non obſtante, quòd ſit aliquorum motuum immanentium principium; Tum quia, utpote accidens, non eſt primum, & radicale principium. Tum quia motus illi tametſi ab Arte ſint tanquam à principio intrinſeco quò ad modum, non tamen quò ad entitatem, V. G. Saltus rectus eſt ab Arte ſaltatoria, non quò ad entitatem, ſed duntaxat quò ad modum artificioſum. Per quod alia ſolvitur objectio.

§. II.

DICO SECUNDO.

Materiæ, & Formæ (comprehendendo etiam Animam rationalem) convenit ratio naturæ.

6 PRob. 1. De materia, & forma. Nam tùm materia, tùm forma ſunt principium radicale motus: ergo utraque eſt natura. Ant prob 1. quò ad p. p. Materia eſt principium paſſivum motus. Cùm enim ſuapte ſit primum ſubjectum tranſmutationis, naturaliter inclinatur, ſeu habet in ſe principium inclinans ad tales tranſmutationes: ergo &c.

Prob. ant quò ad 2. p. Forma eſt principium activum elicitivum (ut in viventibus) vel ſaltem emanativum motus, ut in gravibus deorſum &c. ergo forma eſt natura.

Prob. deindè aſſertum quò ad Animam rationalem etiam ut rationalem, Tum quia ut talis conſtituit Hominem ens naturale in eſſe Hominis: ergo eſt natura. Tum quia ratio naturæ eſt ipſa entitas phyſica rei, non verò gradus aliquis, aut differentia metaphyſica; ſed Anima rationalis phyſicè entitativè eſt principium operationum ſenſibilium, cùm ſit entitativè ſenſitiva: ergo Anima rationalis naturæ rationem obtinet.

7. Objicies 1. in favorem eorum, qui nolunt, materiam eſſe naturam. Si Materia eſſet natura, nullus motus eſſet violentus; ſed hoc falſum eſt: ergo & materiam eſſe naturam falſum eſt. Prob Maj. Nullus motus eſt contra inclinationem materiæ: ergo &c. Prob ant. Materia, utpote ad omnes formas indifferens, eſt etiam indifferens ad omnes motus: ergo &c.

Reſp. negn maj Ad prob diſt ant ſumpta materia ſecundùm ſe, tranſeat, ut affecta forma, nego ant. & conſequentiam. Equidem materia ſecundùm ſe nullam repugnantiam dicit ad quoſcunque motus; tamen ut eſt informata aliqua forma, ratione iſtius dicit repugnantiam ad motus repugnantes tali formæ, totique proinde compoſito. Dixi autem *tranſeat*, quoniam abſolutè poterat negari, eò, quòd nonnulli motus poſſunt eſſe violenti etiam ipſi materiæ, ut ſunt omnes motus illi, qui non ſunt ad acquiſitionem formæ ſubſtantialis. Undè in definitione naturæ poſitum eſt ly *principium*, *& cauſa motus*, ad denotandum, quòd non ſolùm principium activum, quod idem eſt, ac cauſa, verùm etiam paſſivum, quod cauſa non eſt, naturæ rationem obtinet.

8. Objic 2. Probando, formam non eſſe naturam. Natura conſtituit ens mobile; ſed mobile importat duntaxat rationem paſſivi: ergo principium activum motus, ut eſt forma, nequit eſſe natura

Reſp. (ultra reſponſum Cavini) diſt. min importat rationem paſſivi reſpectu motus, concedo, reſpectu principii motus, nego ant & conſequentiam. Mobile itaque modo paſſivo ſignificatur, non quia excludat omne principium activum motus, ſed quia in ſe recipit motum; quæ receptio eſt quædam paſſio. Poteſt autem recipere motum, tametſi habeat in ſe principium activum; quia proprium non ſolùm actionum immanentium eſt recipi in ſubjecto proprio, quod eſt illarum principium activum; verùm etiam eorum, quæ habent eſſe per emanationem; motus autem eſtò ab extrinſeco imprimatur per veram actionem; tamen motus naturalis eſt etiam per emanationem ab eo, cui ineſt, ut præcipuè de motu gravium, & levium ad ſua loca palam eſt.

9. Objic 3. multoties forma, V. G. anima eſt principium motus violenti: ergo non eſt natura Prob. ant. Patet, quòd anima eſt principium motus ſurſum; qui tamen eſt animali violentus: ergo &c.

Reſp. diſt. ant motus violenti reſpectu ſui, nego, reſpectu totius, ſubdiſtinguo, ſecundùm eam rationem, ſecundùm

dùm quam conſtituitur à forma, nego, ſecundùm aliam rationem, concedo ant. & nego conſequentiam. Motus ſiquidem ſurſum eſt violentus animali, non ut animal eſt, ſed ut grave eſt.

10. Objic. 4. probando, Animam rationalem non eſſe naturam. Natura eſt determinata ad unum; ſed Anima rationalis, ceu libera, eſt indifferens: ergo Anima rationalis ut talis non eſt natura.

Reſp. diſt. maj. Natura accepta prout conſtituit naturale diſtinctum à libero, concedo, prout eſt principium motus, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Ut enim vidimus quæſt. 1. prodroma art. 1. ſtabiliendo ens mobile pro objecto Philoſophiæ, ens naturale eſt nomen æquivocum: poteſt enim accipi prout contradiſtinguitur à ſupernaturali, vel à libero, vel à violento, vel ab artificiali, &c. Licèt ergo Natura inſpecta prout conſtituit naturale contradiſtinctum à libero ſit determinata ad unum, non tamen prout conſtituit ens mobile, & ens naturale à violento contradiſtinctum.

§. III.

SCISCITABERIS.

Dicatur ne univocè Natura de Materia, & Forma.

11. RESp. negativè, quia Materia, & forma (ut vidimus lib. 1. q. 2. art. 2.) non habent rationem aliquam genericam præciſam à differentiis, quoniam earum communis ratio, nimirum ſubſtantia incompleta, tranſcendit earum differentias. Qua ratione denegavimus materiæ actum metaphyſicum. Undè mirum eſt nonnullos, ut Jo: à S. Th. ita nobiſcum ibi ſentire, & poſtea hic docere quòd Natura de materia, & forma univocè dicatur. Adde, quòd Natura perfectius de forma, quàm de materia dicitur.

12. Objicies. Tum materia, cùm forma ſunt propriè, & ſimpliciter natura: ergo univocè de utraque Natura dicitur.

Reſp. permiſſo ant. nego conſequentiam. Siquidem etiam omnes ſubſtantiæ completæ ſunt ſimpliciter ens; & tamen Thomiſticè loquendo in ratione entis non univocantur; ſed analogantur propter tranſcendentiam entis in eorum differentiis: Idcircò univocantur duntaxat in ratione ſubſtantiæ. Ex hoc itaque, quòd ratio naturæ ſimpliciter de utraque dicatur, tantùm ſequitur, quòd non analogentur analogiæ attributionis, quæ ex dependentia cauſatur, non verò excluditur analogia proportionalitatis, quæ per tranſcendentiam cauſatur; Quia hoc ipſo, quòd ratio communis tranſcendit differentias inferiorum, includit earum diverſitatem; ſicque eſt cauſa convenientiæ, & diverſitatis. Videatur lib. 1. q. 2. art 2. §. 3. ad 1. inſtantiam factam contra reſponſum datum ad 1. arg. ſub num. 6.

§. IV.

DICO TERTIO.

Cœlo competit ratio Naturæ.

13. EST contra Scotum, qui dicit motum Cœlorum nec eſſe naturalem, nec violentum, ſed eſſe quid medium. Eſt etiam contra Vaſquez volentem, quòd ad rationem naturæ non ſufficiat principium paſſivum motus. Rurſus eſt contra Avicennam denegantem Cœlo principium tùm activum, tùm paſſivum motus, dicente proinde, Cœlorum motum eſſe præternaturalem.

Probatur. Principium, ſive activum, ſive paſſivum motus naturalis eſt natura; ſed Cœlum eſt principium paſſivum inclinans ad motum naturalem: ergo eſt natura. Patet maj. Quandoquidem motus naturalis, hoc ipſo, quòd naturalis eſt, nequit eſſe, niſi à natura; ſecùs non eſſet naturalis: ergo &c. Min. verò prob. Quicquid eſt juxta naturalem inclinationem alicujus eſt illi naturale, ab ejuſque natura, ſaltem per modum principii paſſivi; ſed motus eſt juxta naturalem Cœli inclinationem. ergo Cœlum eſt principium paſſivum motus naturalis. Maj. patet. Siquidem hoc ipſo, quòd eſt juxta naturalem inclinationem non eſt violentum; quia hoc eſt contra inclinationem naturalem; nec eſt ſupernaturale, quia hoc eſt ſupra naturalem inclinationem; nec quid medium (ut putavit Scotus) quia hoc modo eſſet præternaturale, ſeu non naturale, cùm hoc ſit præter naturalem inclinationem. Min. verò prob. Cœlum naturaliter inclinatur in bonum Univerſi, cùm ſit hujus pars; ſed bonum Univerſi pendet à Cœli motu, medio quo Cœlum influit in ſublunaria, ut videbimus in lib. de Cœlo quæſt 4. art. 1. & 2. ergo motus eſt juxta naturalem Cœli inclinationem. Undè S. Th. p. p. q. 70. art. 3. ad 4. *motus*, inquit, *corporis Cœleſtis eſt naturalis, non propter principium activum, ſed propter paſſivum, quia ſcilicet habet in ſua natura aptitudinem, ut tali motu ab intellectu*, idest ab Angelo *moveatur*. Videatur S. Th. per totum illum art. in quo oſtendit, Cœlos non eſſe animatos.

14. Majorem mihi difficultatem ingerit Cœlum Empyreum, quod immobile omnino extat. De hoc namque multi multa opinati ſunt. Alii, ut ſæpè à nobis laudatus in autographo Ferrari, & alii, dicunt, Cœlum Empyreum obtinere rationem naturæ per hoc, quòd eſt principium quietis. Verùm hoc nequaquam arridet. Quandoquidem hoc ipſo, quòd eſt natura eſt ens naturale pertinens ad objectum primarium Philoſophiæ, ad quod pertinere nequit, niſi fuerit principium motus; quia prima paſſio, quam Philoſophia demonſtrat eſt motus. Undè conſpeximus, q. 1. prodroma art. unico §. 3. quòd ſi extaret corpus aliquod immobile non eſſet Philoſophiæ objectum. Alii dicunt, Cœlum Empyreum indifferenter ſe habere ad motum, & quietem. At neque hoc benè ſonat. Siquidem natura eſt principium poſitivè inclinans ad motum. Demum Cavinus inquit, quòd Cœlum etiam Empyreum eſt principium motus, attenta particulari ſua inclinatione; eſt tamen principium quietis attenta ejus inclinatione univerſali, qua unaquæque creatura nata eſt Deo obedire in omnibus. Neque tamen hic finem difficultas ſortitur. Nam ſequeretur, quòd talis quies eſſet violenta Cœlo ſecundùm ejus particularem inclinationem, licèt non ſecundùm univerſalem inclinationem. Rurſus credibile nullatenus eſt, Deum condidiſſe Cœlum, ut perpetuò quieſceret tanquam Beatorum Sedes, & creaſſe illud cum particulari inclinatione ad motum. Deus namque dat rebus inclinationem propriam ad finem, propter quem eas intendit, ut inductivè fieri palam poteſt.

Dico igitur, quòd Cœlum Empyreum eſt principium motus in actu primo, ſeu (quod idem eſt) habet naturam, quæ particulari quodam in caſu (ſi iſte extaret) eſſet principium motus: Puta ſi Deus novum conderet Orbem in ſpatiis extramundanis, ſeu imaginariis, non ſublato præſenti, & ad illum ex loco naturali, in quo modò quieſcit, tranſlocaret veluti violenter hoc Cœlum Empyreum, illud naturaliter moveretur, ac primigenium ad ſuum tenderet locum naturalem, ubi modo naturaliter quieſcit. Idem dico de terra, quæ modò movetur duntaxat ſecundùm aliquam ſui partem. Cujus ſignum eſt, quòd Cœlum Empyreum, ſicut etiam alii Cœli, ac terra ſunt figuræ ſphericæ ſummopere ad motum aptæ: licèt hoc negent Conimbric. Oviedus, Hurtadus, & alii, quos confutabimus in lib. de Cœlo. Verum eſt tamen, quòd reſpectu hujus motus Cœlum ſe habet activè, non paſſivè: non ſecùs ac grave V. G. lapis extra centrum per principium activum intrinſecum movetur ad centrum, ſolumque ſe habet paſſivè Cœlum inferius reſpectu motus, quo moventur Orbes ſuperiores. Vid. lib. 1. de Cœlo in fine, ubi quædam eſt quæſtiuncula *Dico primo*.

Nec talis inclinatio ad motum poteſt dici ſuperflua, eò quòd nunquam ponenda ſit in actu. Non, inquam. Præfata namque inclinatio eſtò non ponatur in executione quò ad omnem ſui actum; ponitur tamen quò ad aliquem ſui actum. Vidimus ſiquidem lib. 1. q. 2. art. ultimo, quod appetitus, qui eſt quædam inclinatio multiplices habet actus, quos inter ſupputatur deſiderium, & complacentia. Inclinatio itaque Cœli Empyrei quamvis non mandetur executioni quò ad primum actum, nimirum deſiderii, qui eſt actualis ipſa tendentia; mandatur tamen quò ad ſecundum, nempe complacentiæ in ſuo loco, quæ neceſſariò ſupponit inclinationem tendendi ad illum in caſu, quo ab illo removeri contingeret.

15. Objicies 1. ex Scoto. Motus quilibet naturalis eſt ad perfectionem aliquam acquirendam naturalem; ſed motus Cœlorum, qui circularis eſt, non eſt ad acquirendam naturalem ullam perfectionem: ergo non eſt naturalis.

Reſp. nego, vel diſtinguo maj. ſemper ad acquirendam perfectionem, nego, vel ad acquirendam, vel dandam, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Motus

ſiquidem Cælorum eſtò duntaxat ſit ad bonum ſublunarium, adhuc eſt Cœlo naturalis ; quia (ut diximus) naturaliter Cœlum inclinatur ad bonum Univerſi.

Nec eſt verum, quòd omnis motus ordinetur ad quietem. Non, inquam, ut in motu cordis fit palam.

Adde, quòd etiam Cœlum habet in ſe principium motus ad acquirendam perfectionem. In caſu enim, quo removeretur à ſuo naturali loco, naturaliter ad illum moveretur ut ad ſuam naturalem perfectionem.

16. Objic. 2. Si motus Cœli eſſet naturalis, ſequeretur, quòd duo motus contrarii eſſent eidem naturales ; ſed hoc eſt impoſſibile : ergo motus circularis Cœli non eſt naturalis. Maj. eſt perſpicua. Siquidem motus à puncto orientali ad occidentalem, eſt contrarius motui à puncto occidentali ad orientalem : ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. nego ant. vel illud diſtinguo, ſtando in motu circulari, nego, aliter, concedo ant. & nego conſequentiam. Hæc ſiquidem eſt motus circularis natura, ut redeat ad eundem punctum, in quo, & à quo cœpit. Nec in hoc contrarietas aliqua eſt. Non, inquam, quoniam eſt idem omnino motus factus eodem in loco ſine loci mutatione. Cœlum ſiquidem ſaltem ſecundùm ſe totum per ſui localem motum non mutat locum, ſed ad ſummum ſecundùm partes.

17. Objic. 3. Motus Cœli eſt ſecundùm principium paſſivum. ergo eſt violentus, non verò naturalis. Prob. conſequentia. Violentum *eſt à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim* ; ſed conferre vim dicit quandam activitatem : ergo ſi &c.

Reſp. nego conſequentiam. Ad prob. (ultra reſponſum Cavini) diſt. maj. non conferente vim nec poſitivè, nec negativè, concedo, tantummodo poſitivè, nego maj. & diſtinguo min. conferre vim poſitivè, concedo, negativè, nego min. & conſequentiam. Ly *non conferre vim* in definitione violenti ſumitur pro poſitiva reſiſtentia, quæ habet potiùs impedire aliqualiter virtutem agentis. Undè ad hoc, ut aliquid ſit naturale ſat eſt conferre vim negativè, ideſt negatio reſiſtentiæ cum inclinatione ad recipiendum etiam ſecundùm principium paſſivum. Vide quæſtincula ſequenti.

18. Objic 4. & ultimò. Si motus Cœli eſſet illi naturalis ſequeretur, quòd quies poſt Judicii diem eſſet illi violenta ; ſed hoc non eſt dicendum : ergo motus non eſt Cœlo naturalis.

Reſp. diſt. maj. ſi eſſet illi naturalis pro omni tempore, concedo, ſi ſolùm pro determinato tempore, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Motus itaque Cœlorum cùm ordinetur ad influendum in generationes ſublunarium, idcircò eſt illi naturalis quouſque duntaxat expleto numero electorum, omnium poſt judicii diem, cum generatione humana ceſſabunt aliæ etiam ſublunarium viciſſitudines. Quo tempore motus eſſet violentus potiùs, quàm naturalis Cœlo.

Dices ex Cavino, cui iſtud diſplicet reſponſum. Ariſt. putavit motum Cœlorum eſſe perpetuum : ergo ſignum eſt, quòd ſuapte natura nunquam ad quietem inclinatur.

Reſp. faciliter, quòd ideò Philoſophus putavit, perpetuum fore Cœlorum motum, quia, utpote Divina carens Fide, cenſuit quoque, ſublunarium generationes perpetuas eſſe ; ſicut etiam exiſtimavit, Orbem eſſe ab æterno.

QUÆSTIUNCULA SECUNDA.

Quid ſit Ars ; & num poſsit naturæ opera efficere.

1. EX dictis quæſtiuncula præcedenti §. 1. num. 5. palam eſt, Artem non eſſe naturam, ſicut etiam quomodo ab illa diſtinguatur. Undè veſtigare modo ſupereſt, an ita poſſit naturam imitari, ut naturæ opera audere valeat.

Quid ſit ars dictum eſt in Logica Syntag. 1. quòd fuit de prodromis art. 2. nimirum *eſt recta ratio factibilium*. Videatur ibi.

DICO.

Ars virtute propria nequit efficere opera naturæ, benè verò applicando activa paſsivis.

2. PRob. Ad hoc, ut ars poſſet naturæ opera efficere, deberet in ſui virtute opera naturæ præcontinere ; ſed ars non præcontinet in ſui virtute naturæ opera : ergo nequit illa propria virtute efficere. Maj. neminem latet, quem non lateat, quòd omnis cauſa efficiens præcontinet ſuum effectum, vel formaliter, vel ſaltem virtualiter. Min. verò prob. Tum quia ad hoc deberet habere in ſe virtutem naturæ. Tum quia opera naturæ multoties ſunt ſubſtantia ; ſed accidens, quale eſt ars, nequit principaliter præcontinere ſubſtantiam, cùm ſit illa quid imperfectius : ergo &c.

Quòd verò applicando activa paſſivis id poſſit, eſt commune apud Philoſophos, & fit palam in Arte medicinæ, quæ ita applicat virtutem herbarum corporibus humanis, ut naturalem ſanitatem in ipſis efficiat : quamquam ego arbitrer, quòd duntaxat occaſionaliter, removendo prohibens, nimirum removendo à corpore res noxias intùs exiſtentes, impedienteſque naturam, ne ad naturalem redeat ſanitatem, non verò effectivè, ſanitatem cauſet. Similiter virgæ Magorum Ægyptiorum coram Pharaone virtute dæmonis verſæ ſunt in veros ſerpentes, ac veras ranas, ut docet S. Th. 1. 2. q. 77. art. 2. ad 1. Et D. Auguſtinus 20. de Civitate Dei cap 13. & 3. de Trinit. cap. 8. inquit, quòd per quædam ſemina à Dæmonibus collecta hoc factum eſt : ergo Ars virtute eorum, quæ applicat poteſt efficere opera naturæ ; Ipſa tamen Arte concurrente purè applicativè.

3. Difficultas eſſe ſolet de auro ab Alchimiſtis fabricato. Ad quod dico, quòd ſi eſt verum aurum (quod indeciſum reliquit S. Th. loco citato, dicens, quòd ſi eſt verum aurum non eſſet illicitum illud vendere pro vero auro) fit applicando activa paſſivis. Conſultiùs tamen dicendum eſt, non eſſe verum aurum, ut ſentire videtur idem S. Th. in 2. ſent. diſt. 7. q. 3. art. 1. ad 5. Ratio eſt, quia aurum gignitur virtute Solis per ejus calorem virtuoſiſſimum, & per ejus, aliorumque Syderum influxum. Alchimiſtæ autem utuntur calore ignis, qui tantam virtutem minimè habet ut calor Solis ; nec ipſi Alchimiſtæ efficaciam habent ſuppiendi influxum Cœlorum, ac Syderum. Et certè aurum, in cujus formatione Sol tot ſæcula conſumit, non eſt perceptibile, quomodo brevi temporis intervallo calore ignis conficiatur. Undè S. Th. eo loci 2. ſent. *quædam*, inquit, *formæ ſubſtantiales ſunt, quas nulla modo Ars inducere poteſt, quia propria activa, & paſsiva invenire non poteſt, ſed in his poteſt aliquid ſimile facere, ſicut Alchimiſtæ faciunt aliquid ſimile auro, ſed tamen non faciunt verum aurum*. Et rationem ſubdit, quia forma ſubſtantialis auri non eſt per calorem ignis, quo Alchimiſtæ utuntur, ſed per illum Solis in loco determinato, ubi viget virtus mineralis ; & idcircò tale aurum non habet operationem ſequentem ſpeciem. Hinc Eccleſia in extravaganti *Spondet*, prohibet uſum talis Artis, & venditionem talis auri. De hoc curioſi videant Arnù, fusè pertractantem, & noviſſimè Guerinois hic q. 5. art. 3. §. 2. præcipuè ad 6. arg. ubi plures experientias ſibi objicit, ac ſolvit.

Ipſe legi cujuſdam Chemici Anonymi opellam, cui titulus eſt *novum lumen Chemicum* ; qui ibi tract. 1. in quodam dialogo Mercurii Alchemiſtæ, & naturæ, in fine illius Dialogi, ac totius illius tractatus introducit naturam loquentem, ac dicentem, quòd tales Philoſophos auriſabros laqueus meritò manet.

Ex his apparet, quid ſit dicendum ad plura exempla, quæ de rebus naturalibus afferri ſolent, ut de ſtatuis Dedali ambulantibus, de columba, aut muſca Architæ Tarentini volante ; de Simulacro Fortunæ, olim Romæ loquente ; & de quibuſdam characteribus, ac imaginibus effectus naturales cauſantibus. Vel enim non erant veræ res naturales, ſed duntaxat in virtute Artis ita diſpoſitæ, ut naturales apparerent. Vel factæ ſunt Arte præcipuè Dæmonis, applicando ſecreta quædam activa paſſivis. Vel demum dicatur, quòd Dæmones in rebus illis loquebantur, vel illas movebant, ſicque apparebat loqui, ambulare, volare &c. Ad id verò, quod de figuris illis dicitur, Reſp. ex D. Th. opuſc. 34. eſſe ſuperſtitiones quaſdam.

Quædam alia videantur apud Guerinois, ubi ſupra.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA TERTIA.

Qaid ſit violentam, & num inferutar, vel inferri queat à caaſu ſuperiori, & uu eutet potentia neutra.

§. I.

1. VIolentum ex his, quæ Philoſophus tradit 3. Ethic. cap. 1. ſic definitur: *Violentam eſt à principio extrinſeco, paſſo non rsuferente vim*. Quam definitionem aliis verbis indigitare videtur Ariſt. ibidem, ubi *violentam*, inquit, *eſt cujas principiam eſt foris, in quod nihil confert, aut speratar id, quod patitur*. Ubi iy *paſſo non conferente vim* ſumitur pro poſitiva repugnantia, ſeu pro contraria inclinatione, & poſitiva obſiſtentia. Nec ſufficit, quòd paſſum negativè duntaxat, ſive indifferenter ſe habeat; aliter dona ſupernaturalia, ad quæ creatura indifferenter, & negativè ſe habet, eſſent ipſi creaturæ violenta.

Non tamen ſemper requiritur contraria inclinatio ſecundùm principium activum, ſed ſufficit etiam ſecundùm principium paſſivum: ſicut diximus quæſtiuncula prima §. 3. *dico* 3. num. 17. ad 3. objectionem, quòd naturale dicitur etiam illud, quod eſt juxta inclinationem paſſivam.

2. Hinc optimè Jo: de S. Th. & alii contra Vaſquez dividunt violentum in violentum violentia activa, illud nimirum, quod eſt contra inclinationem ſecundùm principium activum, & violentum violentia paſſiva, illud videlicet, quod eſt contra inclinationem paſſivam. Sicut enim, quod eſt contra inclinationem activam eſt violentum violentia activa; ita quod eſt contra inclinationem paſſivam eſt violentum violentia paſſiva, vel è converſo.

Objicies contra hæc. Ex hoc ſequeretur primò quod materia dum eſt ſub una forma eſſet in ſtatu violento; quia ſecundùm principium paſſivum inclinatur ad alias, quibus privatur. Siquidem per nos materia dum eſt ſub una forma appetit alias.

Secundò ſequeretur, quòd aeri eſſent violentæ tenebræ; quia aer naturaliter ſecundùm principium paſſivum inclinatur ad lucem.

Tertiò. Sequeretur, quòd humanitas terminata ſubſiſtentia Divina eſſet in ſtatu violento; quia naturaliter ſecundùm principium paſſivum inclinatur ad ſubſiſtentiam propriam.

Ad 1. patet ex dictis lib. primo quæſt. 2. art. 5. §. 3. ad ult. inſtantiam tertii arg. ſub num. 8 illud dici in ſtatu violento, quod caret perfectione, in quam proximè inclinat. Materia autem dum eſt ſub una forma inclinatur, non proximè; ſed duntaxat remotè ad alias; quia tunc dicitur proximè inclinare in formam, ſeu appetere formam, quando eſt affecta diſpoſitionibus ad illam.

Ad 2. Dico, quòd aer inclinat etiam ſecundùm principium paſſivum, non poſitivè, ſed ſolummodo negativè ad lucem, & indifferenter, ac negativè ſe habet tum ad lucem, tum ad tenebras.

Ad 3. Reſp. quòd humanitas Chriſti terminata ſubſiſtentia Divinæ inclinatur, non proximè, ſed duntaxat remotè ad propriam; Cùm prout ſic habeat ſubſiſtentiam perfectiorem continentem ejus ſubſiſtentiam propriam.

§. II.

DICO PRIMO.

A Deaſe ſolo, ut agente Univerſali nequit inferri violentia, benè verò ut agente particulari.

3. DIxi *ſe ſolo*; quia certum eſt concurrendo cum cauſa ſecunda ad omnes ejus operationes ut cauſam univerſaliſſimam, inferre violentiam, quando cauſa ſecunda infert alicui violentiam. Verum eſt tamen, quòd prout ſic Deus dicitur inferre violentiam, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; quia ejus operatio eſt ſimpliciter juxta naturas rerum, nimirum juxta naturam illarum cauſarum, cum quibus concurrit ad inferendam violentiam: licèt operetur aliquid contra naturam illius rei, quæ à cauſa ſecunda patitur violentiam.

Quòd ad p. p. probatur. Siquidem naturale eſt inferiori obedire ſuperiori, cui ſubjicitur. Patet enim, quòd potentiæ inferiores naturaliter obediunt ſuperiori, & ſublunaria ſubduntur virtutibus Cæleſtibus, recedendo etiam ab iis, quæ ſunt juxta naturalem eorum inclinationem. Et quidem hoc petit bonum Univerſi, quia ſecùs ullo abſque ordine confunderetur. Igitur cùm Deus ſit cauſa univerſaliſſima, ac ſuprema, res naturaliter ipſi obediunt in omnibus, quæ voluerit, adeoque nequit prout ſic violentiam inferre. Vid. S. Th. p. p. q. 105. art. 6. & 2. 2. q. 104. art. 1. Et 3. contra Gentes cap. 100. & q. 6. de potentia art. 1. ad 9.

Idem dicatur de omnibus aliis cauſis ſuperioribus univerſalibus, puta Cæleſtibus reſpectu inferiorum, puta ſublunarium propter eandem rationem.

Nec obſtat, quòd interdum cauſæ ſuperiores inferant violentiam inferioribus, ſicut V. G. corpora aliqua Cæleſtia influunt morbos.

Non, inquam, obſtat. Quandoquidem vel cum Cavino dici poteſt, quòd illa Cæleſtia corpora inferunt violentiam, non iis, quibus per ſe dominantur, niſi ad ſummum per accidens ex indiſpoſitione ſubjecti recipientis; ſed iis duntaxat, quibus per ſe non dominantur. Vel cum Guerinois hic art. 2. quòd tunc non agunt omnimodè ut cauſæ univerſales. Tunc enim agunt ut tales omnibus modis, quando movent ſublunaria ob magnam aliquam Univerſi neceſſitatem, ut cùm aqua aſcendit ad occurrendum vacuo, &c. Nam aliunde certum eſt, quòd Sol vehementi calore lædit caput. Vid. Guerinois hic art. 2.

4. Objicies 1. Deus creaturis dominatur, non minùs ut agens particulare, quàm ut agens univerſale; ſed ut agens particulare poteſt violentiam inferre: ergo & ut agens univerſale, vel è contra.

Reſp. (ultra reſponſum Cavini) diſt. ant. & alias eodem modo utitur ſuo dominio, nego, diverſo modo, concedo ant. & nego conſequentiam. Deus namque ut agens particulare præſcindit ab illa inclinatione, qua omnis creatura nata eſt obedire Deo in omnibus etiam contra particularem ſuam inclinationem, dummodo non implicet contradictionem; non verò ut agens univerſale: Idcircò diverſo modo utitur ſuo Dominio ut agens particulare, ac ut agens univerſale; adeoque &c.

5. Objic. 2. Deus nequit agere, quin agat ut agens univerſale: ergo ſi ut agens univerſale nequit violentiam inferre, jam neque ut agens particulare id valebit. Prob. ant. Deus ſicut eſt agens univerſale, ita eſt agens primum; ſed nequit agere, quin agat ut agens primum: ergo pariter &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. iterum ultra reſponſum Cavini diſt. maj. cæteris paribus, nego, cæteris diſparibus, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Diſcrimen eſt, quia, niſi ſemper ut agens primum operaretur Deus, interdum operaretur ut agens ſecundum, ſicque deberet aliquando ab alio agente primo dependere. Quod eſt omnino impoſſibile. Cæterùm ex eo, quòd agat ut agens particulare non ſequitur, quòd agat dependenter ab alio univerſali, ſed ſolùm, quòd diverſo modo utatur ſuo dominio. Quod nullum eſt inconveniens, immò maximè conveniens eſt; quia magis emicat abſolutum Dei dominium ſupra creaturas, dum ſuo pro libito eo utitur.

Videri poteſt Guerinois in ſua Ethica q. 4. art. 4. §. 5.

§. III.

DICO SECUNDO.

Inter naturalem, & violentam non extat Potentia neutra præter obedientialem.

6. ITa Cajet. cæterique Thomiſtæ contra Scotum, cui favere videtur Jo: à S. Th. hìc.

Prob. Tot ſunt potentiæ à parte rei, quot ſunt connexiones cum aliquo actu; ſed triplex duntaxat extat cum actu connexio, quarum altera reſpondet potentiæ naturali, altera violentæ, altera obedientiali: ergo præter has tres alia non extat. Conſequentia tenet. Maj. patet. Nam cùm omnis potentia reſpiciat actum ſuum, ex diverſo modo reſpiciendi actum deſumenda eſt diverſitas ordinis potentiarum. Min. prob. Tripliciter poteſt aliqua potentia actum reſpicere. Uno modo ut ſit in illa, alio modo ut actus non ſit in illa, alio modo, ut ſit poſſibilis præciſè (ſupponimus enim, quòd ad actus omnino impoſſibiles non detur potentia, aliàs fruſtranea foret) ſed illi tres modi reſpiciendi actum ita diſtribuuntur, quòd primus convenit naturali, ſecundus violentæ, & tertius obedientiali potentiæ: ergo

cùm

cùm non ſit excogitabilis alter, ſequitur, quòd triplex duntaxat ſit connexio cum actu correſpondens triplici potentiæ &c.

Conſ. Ordo potentiarum paſſivarum diſtinguitur ſecundùm diſtinctionem potentiarum activarum; ſed tria tantùm extant genera potentiarum activarum reſpondentia potentiæ naturali, violentæ, & obedientiali: ergo triplex ſolummodo extat potentia, nimirum naturalis, violenta, & obedientialis. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd potentia omnis paſſiva correſpondet activæ. Min. prob. Potentia activa vel eſt naturalis, ideſt agens ſecundùm naturam ſubjecti; vel eſt ſupernaturalis, ideſt ſupra naturam ſubjecti, ſive agens in ſubjectum, ut ſit ſibi ſubordinatum, & obediens; vel eſt agens contra inclinationem ſubjecti; ſed nulla alia extat potentia activa neutra, ut vel Adverſarii annuunt: ergo &c.

7. Objicies 1. Quantitas ſecundùm ſe habet potentiam ad albedinem, & nigredinem; ſed hæc naturalis non eſt, aliter determinata eſſet ad unam; nec violenta, aliter reſiſteret; nec obedientialis, quia iſtæ formæ non ſunt ſupernaturales: ergo neutra, adeoque extat potentia neutra.

Reſp. diſt. maj. loquendo de quantitate ſecundùm ſe in ſtatu præciſionis, concedo, de quantitate phyſica, ut eſt à parte rei, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Siquidem hìc eſt ſermo de potentia, quæ convenit rei phyſicè acceptæ, non quæ intelligitur illi competere in ſtatu aliquo præciſionis. Quantitas autem licèt in ſtatu præciſionis ſit indifferens ad albedinem, & nigredinem, calorem, & frigus; tamen phyſicè inſpecta, ut eſt paſſio hujus, vel illius compoſiti alteram qualitatem determinatè petit. Et ſic quantitas nivis albedinem, Corvi nigredinem, ignis calorem, terræ frigus &c.

8. Objic. 2. Potentia, quam habet aer reſpectu lucis, & tenebrarum eſt neutra. Nam non eſt lux ei naturalis, aliter tenebræ eſſent violentæ; nec violenta, ut patet. Item potentia, quam habet aliquid ad motus præternaturales, puta Aqua maris ad fluxum, vel refluxum; & aer vel ignis ad circulationem, non eſt naturalis, neque violenta, neque obedientialis. Similiter potentia Cœli ad motum circularem non eſt violenta, cùm non ſit contra naturam Cœli; non eſt obedientialis, quia talis motus non eſt ſupernaturalis, nec præternaturalis; non naturalis, quoniam ſecùs quies poſt diem Judicii eſſet in æternum violenta: ergo &c. Demum potentia, quam habet Homo ad peccandum non eſt naturalis, aliter peccatum eſſet ſecundùm naturam Hominis, cujus oppoſitum p. 2. docetur; non eſt violenta, quia experimur, peccatum non eſſe ab extrinſeco, benè verò fieri à nobis in nobis cum complacentia, multò minùs eſt obedientialis, quia peccatum non eſt quid ſupernaturale, aut præternaturale ab aliquo ſuperiori impreſſum: ergo &c.

Reſp ad 1. nego ant. Ad prob. annexam. Reſp. ex dictis lib. 1. q. 3. in Appendice poſita poſt. art. 1. num. 3. Sicut diximus, formas artificiales educi de potentia obedientiali ſubjecti, ita dicimus de luce. Non enim ſola potentia ad aliquod ſupernaturale dicitur obedientialis, ſed etiam potentia ad aliquid præternaturale; quia potentia obedientialis dicitur illa, per quam res nata eſt obedire ſuperiori agenti, ſive hoc ſit naturale, ſive ſupernaturale. Verum eſt tamen, quòd potentia ad aliquid ſupernaturale dicitur obedientialis antonomaſticè, ſecundùm quod jam uſus invaluit nominandi potentiam obedientialem illam duntaxat, quæ eſt ad actum, ſeu formam ſupernaturalem.

Ad 2. Reſp. quòd illa potentia ad motum præternaturalem etiam obedientialis eſt citra antonomaſiam. Audiamus reſponſum D. Th. 1. de Cœlo lect. 4. ubi *circulatio*, inquit, *ignis, vel aeris, quam ex motu Firmamenti provenire dicit Philoſophus 1. Meteororum, non eſt illi naturalis, quia non cauſatur ex principio intrinſeco, neque violenta, ſcilicet contra naturam, ſed quodammodo ſupra naturam, quia ſcilicet talis motus ineſt eis ex impreſſione ſuperioris agentis, cujus motum ſequuntur ignis, & aer ſecundùm circulationem perfectam, aqua verò ſecundùm circulationem imperfectam, fluxum ſcilicet, & refluxum maris.*

Ad 3. patet ex dictis hic quæſtiuncula prima §. 3. num. 58. ad 4. objectionem, quòd motus circularis eſt Cœlo naturalis ſecundùm principium paſſivum. Ubi etiam vidimus, quomodo quies poſt diem Judicii non erit eidem Cœlo violenta.

Ad 4. & ult. de potentia peccandi. Reſp. quòd ſi potentia peccandi ſumatur materialiter, ut eſt quædam potentia poſitiva reſpiciens peccatum materialiter quò ad entitatem, quam importat; prout ſic non eſt dubium, quòd potentia naturalis eſt. Si verò ſumatur formaliter, & reduplicativè, prout reſpicit peccatum formaliter ſumptum; prout ſic verè potentia poſitiva non eſt, ſed potiùs eſt defectus potentiæ, ſeu impotentia. Et ſic argumentum laborat in ſuppoſito falſo, quia hic loquimur de potentia aliqua poſitiva.

9. Objic. 3. Potentia, quam habet Angelus ad eſſendum in loco non eſt naturalis, aliter exigeret eſſe in loco, non minùs, ac corpora; nec eſt violenta, quia non eſt ſemper in loco violento; neque obedientialis: ergo neutra.

Conſ primò. Potentia, quam habet materia prima ad formas particulares videtur neutra. Nam ipſa naturaliter inclinatur in formam ut ſic; in hanc verò, vel illam nequaquam, ſed indifferenter reſpicit: ex alia parte nec uni formæ in particulari repugnat; nec ulla forma eſt illi ſupernaturalis, aut præternaturalis: ergo debet in ipſa cognoſci potentia neutra.

Secundò. Objectum colorabile non videtur habere potentiam naturalem ad unum potiùs, quàm ad alium colorem. Quod patet in pariete, qui non magis albedinem, quàm nigredinem petit: ex alia parte nulli colori repugnat, nec ullus eſt illi ſupernaturalis: ergo potentia neutra.

Reſp. arg. diſt. ant. quò ad p. p. non eſt naturalis prout naturale diſtinguitur contra liberum, concedo, contra violentum, nego. Dico itaque, quòd cùm Angelus non alio modo ubicetur, quàm per applicationem ſuæ virtutis, quam pro ſua libertate applicat ubi vult: Idcircò potentia, quam habet ad eſſendum in loco, eſt ei naturalis, ſumpto naturali ut diſtinguitur contra violentum, non ut diſtinguitur contra liberum. Habet etiam potentiam paſſivam ad eſſendum in loco violento, in quo locetur, non per agere, ſed per pati.

Ad 1. Conſ. dico, quòd per ſe primò materia inclinatur in formam ut ſic; tamen per ſe ſecundò inclinatur in hanc, vel illam in particulari.

Ad 2. Si loquamur de objecto colorabili naturaliter, & phyſicè, non verò in ſtatu præciſionis dico, quòd quælibet res naturalis phyſicè accepta non eſt indifferens ad plures colores, ſed juxta ſuum temperamentum, vel juxta quod interdum temperamentum mutat unum determinatè petit, ut in lib. de Anima agendo de ſenſu viſus dicemus. Si verò loquamur de objecto colorabili artificialiter, ut eſt paries &c. Dicimus, quòd paries naturaliter petit illum colorem, quem petunt partes illum componentes, nimirum lapides, & calx. Unde ſi velis, parietem denigrare, oportet extendere ſupra illum aliud corpus nigrum, cui ſit connaturalis nigredo. Vel dico, ſicut ſupra, quòd potentia ad artificialem formam eſt obedientialis citra antonomaſiam.

Videri poteſt de hoc noſter Zuchi in ſua Metaphyſica quæſt. 57. art. 7.

QUÆSTIUNCULA QUARTA.

De Cauſa in Communi.

DElectabilis valdè, pariter ac utilis eſt diſcurſus, qui modò à nobis aſſumitur, nimirum de Cauſis, cum unuſquiſque avidè rerum Cauſas agnoſcere exoptet: quapropter in omnibus, quæ ſibi proponuntur intellectus, eorum Cauſas extemplo veſtigare contendit.

Cauſæ autem nomen etymologiam traxiſſe videtur ab hoc vocabulo *Caſu*; eò quòd plerique veterum, ut Epicuræi, & Democritiſtæ, de quibus diximus lib. 1. quæſt. 1 art unico inſulsè putarint, mundum, & univerſa, quæ in eo ſunt, à caſu, ſive caſualiter facta fuiſſe: Vel ab hoc nomine *Chaos*, à quodam errore antiquorum Philoſophorum, qui ſolam cauſam materialem agnoſcebant, ſeu ſolam materiam primam, quæ chaos confuſa vocitatur.

§. I.

Quid, quotuplex ſit Cauſa, & num ſit ſemper effectu perfectior.

1. ACcepta cauſa, non pro cauſa in cognoſcendo, vel aliis modis, quibus apud Juris peritos uſurpari conſuevit; ſed pro cauſa phyſica (omiſſis aliorum definitionibus)

Digitized by Google

bus) definitur ex D. Th. hic 2. Phyſ. lect. 10. *id, ad cujus eſſe aliud ſequitur*. Quæ definitio aliis verbis proponi ſolet ſic: *Principium influens eſſe in aliud*. Et eſt irreprehenſibilis definitio. Nam primæ particulæ tenent locum generis, quia per illas convenit cauſa cum omnibus principiis, quorum aliqua non ſunt cauſa, ut Privatio. Per alias particolas differt à privatione, quæ nullum habet influxum. Undè ly *ad cujus eſſe ſequitur aliud* intelligitur de ſequela per verum influxum, non verò de ſequela Logica, vel de ſequela purè concomitanti. Qua ratione licèt linea ſequatur ad punctum, & dies ad auroram; tamen nec punctus dicitur cauſa lineæ, nec aurora cauſa Diei; quia nec punctua influit in lineam, nec aurora in diem.

Ponitur autem illa particula *aliud*, ad ſignificandum, quòd effectus debet eſſe diſtinctus in natura, & eſſentia à ſua cauſa ſaltem diſtinctione numerica; loquendo tamen de cauſis extrinſecis tantùm, ut patet ex dictis lib. 1. quæſt. ultima art. 2. Nec ſufficit alia diſtinctio.

Hinc Pater in Divinis, non cauſa, ſed principium duntaxat eſt Filii; quia Filius non eſt aliud, ſed tantùm eſt alter à Patre, cùm non diſtinguatur ab illo in Natura, ſed ſolùm in Perſona. Undè nos in Logica tract. 3. in appendice poſita in fine quæſtionis 4. dicebamus, quòd numerica differentia reducitur ad differentiam eſſentialem propriiſſimam, quæ diverſas conſtituendo naturas facit aliud, & aliud.

2. Circa diviſionem cauſæ conveniunt Peripatetici cuncti cum Ariſt. hic, quatuor eſſe cauſarum genera, nimirum materialis, formalis, efficientis, & finalis. Quæ diviſio eſt adæquata. Tot enim cauſæ eſſe debent, quot influunt in compoſitum naturale; ſed iſtæ ſunt quatuor, & non plures: ergo data diviſio eſt adæquata. Prob. min. Nam influit materia, ex qua fit, quia ex nihilo nihil fit. Influit forma per quam materia conſtituitur in ſpecie determinata. Influit efficiens, quia materia, & forma cùm ſint indifferentes ad exercitè uniri, debent ab aliquo agente determinari. Tandem influit finis, quia omnes agens agit propter finem.

Quod verò non ſint plures enitefcit. Nam cæteræ omnes, quæ aſſignari poſſunt ad iſtas reducuntur. Diſpoſitiones ſiquidem ſe tenentes ex parte materiæ reducuntur ad genus cauſæ materialis; Quæ verò ſe tenent ex parte formæ reducuntur ad genus cauſæ formalis, ut dicebamus lib. 1. q. 1. art. unico §. 14. & ultimo ad 5. arg. Similiter cauſa inſtrumentalis, & Idea non conſtituunt diverſum genus cauſæ, ut falsò putavit Plato; quia inſtrumentum reducitur ad genus cauſæ efficientis; Idea verò ad genus cauſæ, vel efficientis, vel formalis, ut infra dicetur. Tandem objectum ſpectat ad cauſam formalem extrinſecam, cùm habeat rationem ſpecificativi.

3. An autem iſta diviſio ſit univoca nec ne?

Reſpondeo negativè ſaltem reſpectu materiæ, & formæ. Sicut enim diximus hic quæſtiuncula prima §. 3. rationem naturæ non dici univocè de utraque; quia non habent differentias virtualiter excluſivè diſtinctas à ratione communi: ita idem dicimus de ratione cauſæ propter eandem rationem. Reſpectu verò cauſæ efficientis, & finalis, poteſt concedi; quia nec obſtat tranſcendentia, quoniam cùm ſint aliquid completum habent differentias virtualiter excluſivè diſtinctas. Nec dependentia in ratione communi, cùm ſimpliciter utraque participet rationem cauſæ ſine dependentia unius ab alio in ratione communi, licèt una dependeat ab alia ſecundùm rationes particulares.

4. His ſuppoſitis primò inquirendum hic eſſet, num omnis cauſa ſit ſuo effectu prior, & ab eo realiter diſtincta. Verùm quia hoc elucefcit ex dictis lib. 1. tum q. 2. art. 3. §. 3. ad 2. tum q. 4. art. 2. ad 1. arg. Idcircò duntaxat ſupereſt veſtigandum prout in titulo, an ſit perfectior. Et

§. II.

DICO.

Cauſæ intrinſecæ ſunt, non perfectiores, ſed potiùs imperfectiores ſuo effectu: Cauſæ verò extrinſecæ, vel ſunt perfectiores, vel æqualis perfectionis cum effectu; loquendo tamen ſecundùm eſſe; quia certum eſt, quòd ſecundùm rationem cauſæ aliquam ſemper majorem perfectionem dicunt; cùm ſint id, à quo effectus dependet.

5. QUò ad p. p. prob. Materia, & forma vel comparantur inter ſe: Et ſic palam eſt, quòd materia, quæ eſt cauſa materialis formæ eſt imperfectior forma. Quòd ſi forma, quæ eſt cauſa formalis materiæ eſt materia perfectior; hoc non habet ex ratione communi cauſæ intrinſecæ (aliter etiam materia deberet eſſe perfectior forma) ſed habet aliunde.

Vel comparantur ad totum. Et ſic vel ſumuntur ſeorſim: Et hoc modo totum eſt perfectius illis, quia includit quamlibet partem, & uni addit aliam comparitem. Vel ſumuntur ſimul: Et hoc modo cùm ſint ipſum totum, ſunt æqualis perfectionis cum illo. In ſententia autem probabili inter Thomiſtas, quòd totum diſtinguatur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis: adhuc totum eſt perfectius illis, vel æqualiter perfectum; quia cùm diſtinguatur ab eis ſola diſtinctione includentis, & incluſi, eas in ſe includit, adeoque totum in ſe earum perfectionem claudit.

6. Quò ad 2. p. Prob. Et primò de cauſa efficienti. Cauſa efficiens continet in ſe ſuum effectum, vel formaliter, vel virtualiter. Cùm enim nemo det, quod non habet, dicendum eſt, quòd cauſa efficiens præhabeat in ſe, vel formaliter, vel virtualiter id, quod communicat ſuo effectui: ergo debet eſſe æqualis ſaltem perfectionis cum illo. Undè ſi cauſa eſt univoca, eſt æqualis perfectionis cum effectu; ſi verò eſt æquivoca, ut eſt cauſa univerſalis excedit in perfectione ſuum effectum. Hoc tamen intelligendum eſt de cauſa efficienti principali, non verò de inſtrumentali; quia effectus aſſimilatur cauſæ, non inſtrumentali, ſed principali, in cujus virtute continetur.

Quò ad cauſam finalem prob. Proprium eſt imperfectioris ordinari ad perfectius, ut perſpicuum eſt de creaturis, quæ ordinantur ad Deum; ſed effectus finis ſunt ea, quæ ordinantur ad finem: ergo cauſa finalis eſt perfectior ſuo effectu.

Ubi adnotandum, quòd finis alius eſt talis ex natura ſua qui dicitur finis operis; alter eſt, quem ſibi pro ſuo libito præfigit operans, & dicitur finis operantis. Primus ſemper eſt perfectior ſuo effectu, non verò ſecundus; cùm interdum quis poſſit ordinare, quod eſt perfectum ad imperfectum; ut ſi quis ordinaret ſuam ſcientiam ad oſtentationem, ac ſuperbiam. Similiter finis iſte uterque adhuc eſt duplex. Unus dicitur *finis cujus gratia*, & alter *finis cui*. Primus eſt ille, gratia cujus agens movetur ad operandum. Secundus eſt id, cui quis vult talem finem V. G. dum quis ordinat ſtudium ad ſcientiam, quam alios intendit docere, ſcientia dicitur Finis *cujus gratia*; alii verò, quibus illam ſcientiam communicare intendit, dicuntur finis *cui*. Primus finis eſt ſemper perfectior ſuo effectu; non ſemper autem ſic ſecundus, cùm iſte ſit finis operantis potiùs quàm operis.

7. Objicies primò. Cæli juxta Peripateticos ſunt cauſa efficiens animalium imperfectorum, quæ gignuntur ex putri; ſed iſta ſunt perfectiora Cœlis, cùm ſint animata: ergo cauſa efficiens non eſt perfectior ſuo effectu.

Secundò. Aſinus cum Equa eſt cauſa efficiens Muli; ſed iſte eſt perfectior Aſino: ergo cauſa efficiens non eſt effectu perfectior.

Tertio. Potentiæ, & habitus ſunt cauſa effectiva actus, & ſpecies impreſſa eſt cauſa efficiens ſpeciei expreſſæ; ſed actus, cen ultima actualitas perfectiva potentiæ, & habitus, eſt perfectior potentia, & habitu, ſicut etiam ſpecies impreſſa reſpectu expreſſæ eſt imperfecta: ergo cauſa efficiens non eſt ſemper effectu perfectior.

Reſp. ad 1. de qua contra Atomiſtas, & Chimicos videri poteſt Maſtrius in lib. de Gener. & Corrupt. diſp. 8. q. 3. folio 435. diſt. maj. animalium imperfectorum ſub ratione corporis, concedo, ſub ratione viventis, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Cœlum namque producit

viventia, non ſub ratione viventis, ſed duntaxat ſub ratione corporis. Sub ratione autem viventis principaliter producuntur ab Intelligentia Motrice. Undè ſub hac ratione producuntur à Cœlo, non ut à cauſa principali, ſed ut à cauſa duntaxat inſtrumentali in virtute Intelligentiæ motricis.

Ad 2. Reſp. cum Jo: à S. Th. data maj. diſt. min. Mulus eſt perfectior Aſino ſecundùm accidentia, concedo, ſecundùm formam ſpecificam, nego min. & conſequentiam. Mulus ſiquidem licèt quò ad accidentia, puta fortitudinem, magnitudinem &c. ſit perfectior Jumento, imò etiam Equo; non tamen ſecundùm formam ſpecificam, quia Mulus eſt monſtrum.

Si inſtes, quòd accidentia ſequuntur ad formam: ſi ergo eſt perfectior quò ad accidentia, erit quoque perfectior quò ad formam ſpecificam.

Reſp. diſt. ant. accidentia propria, quæ conſequuntur in quarto modo dicendi per ſe, conſequuntur ad formam, concedo, quæ non conſequuntur in quarto modo, ſubdiſtinguo, ſemper, nego, aliquando, concedo ant. & nego conſequentiam. Licèt igitur accidentia, quæ ſequuntur ad aliquam rem in quarto modo, ſemper ſequantur ad formam, & juxta formæ perfectionem dicantur & ipſa ſuo modo perfecta, ut ſunt illa, quæ conveniunt, non tantùm omni, ſed & ſoli, & ſemper; illa tamen, quæ non conſequuntur in quarto modo, licèt interdum conſequantur ad formam, non tamen ſemper, ſed nonnunquam conſequuntur ad quaſdam diſpoſitiones, quæ per accidens ponuntur in generatione alicujus compoſiti, præſertim Monſtri.

Ad 3. diſt maj. ut cauſa principalis, nego, inſtrumentalis, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Potentia ergo, habitus, & ſpecies producit actum, non ut cauſa principalis, ſed ut virtus Animæ, quæ proinde illum producit ut cauſa principalis. Id enim, quod intelligit, quod vult eſt Anima. Similiter ſpecies impreſſa producit expreſſam in virtute ejuſdem Animæ.

Ex quo etiam palam fit, quomodo interdum Homo rudis ingenii, vel Homo deformis poſſit generare Hominem excellentis ingenii. Eſt namque tunc major perfectio duntaxat quò ad accidentia, ut de Jumento, & Mulo dictum eſt.

9. Ordo autem, quem inter ſe cauſæ ſervant talis eſt, loquendo in executione. Cauſa efficiens eſt prior omnibus; poſtea cauſa materialis, ſcilicet materia, ex qua agens educit formam; deinde cauſa formalis, ſeu forma, quam agens unit materiæ; & tandem finis eſt ultimus, ſicut V. G. totum compoſitum, quod eſt finis generationis eſt ultimum. Loquendo autem in intentione finis præcedit omnes alias cauſas; quia ex fine agens movetur ad agendum.

QUÆSTIO PRIMA.

De Cauſa efficiente.

CAuſa efficiens definitur ab Ariſt. in hoc 2. libro ſic: *eſt principium, à quo primò incipit motus*. Ubi ly *principium* tenet locum generis, per quod Cauſa convenit etiam cum privatione. Dicitur *à quo primò incipit motus*. Intellige in executione (ut diſtinguatur à cauſa finali) & per verum influxum, ut diſtinguatur à privatione. Inſuper ly *principium* intelligitur de principio extrinſeco ut diſtinguatur à materia, & forma. Et adnota, quòd ly *primò* non intelligitur ſimpliciter, ſecùs eſſet ſola cauſa prima, nimirum Deus, ſed in genere aliquo determinato.

Qua ex re palam eſt, hic definiri cauſam efficientem duntaxat principalem, non verò inſtrumentalem. Hoc ſuppoſito

Plura hic forent perveſtiganda. Primò *num actio in creatis realiter ab agente diſtinguatur*. Sed de hoc dicemus aliqua lib. 3. & interim videri poteſt Guerinois hic q. 8. art. 2. §. 2. Secundò *num rebus creatis inſit virtus effectiva ad cauſandum*. Quod negaſſe fertur quoſdam Arabes, dicentes, omnia à Deo cauſari ad ſolam præſentiam corporum, V. G. illuminationem ad præſentiam Solis. At circa hoc non eſt cur immorer. Fruſtra namque talis corporis præſentia deſideraretur, niſi activè concurreret. Et videri poteſt idem Guerinois hic q. 8. art. 1. §. 2. ubi dicit, hunc eundem Arabum errorem non diſplicere quibuſdam Recentioribus. His itaque omiſſis

ARTICULUS UNICUS.

Num ſubſtantia creata ſit, vel eſſe poſſit immediatè operativa.

§. I.

1. DIxi *ſubſtantia creata*, quia exploratum eſt, ſubſtantiam increatam Dei eſſe immediatè operativam, quia ceu actus purus identificat ſibi perfectiſſimè ſuum principium proximum operandi, imò & ipſam actualem operationem. Difficultas igitur eſt, an creata ſubſtantia ſit principium radicale, ſimul & proximum operationis, an verò ſit principium duntaxat radicale, eliciens operationem medio principio proximo, quod ſit accidens realiter ab ea diſtinctum.

Prima ſententia abſolutè affirmat, eamque tenent communiter Scotiſtæ, Nominales, & frequentiùs Patres Societatis, cæterique Neoterici.

Secunda, quam tuetur Vaſquez cum aliis, dicit, ſubſtantiam eſſe principium immediatum, & proximum operationis, non totale, ſed tantummodo partiale.

Tertia demum univerſaliter negat; & eſt omnium Thomiſtarum, quos ſequuntur ex Societate non pauci, ut Molina, Ruvio, & alii videndi apud Ortia.

§. II.

CONCLUSIO.

Subſtantia nec eſt, nec eſſe poteſt immediatè operativa.

2. DE mente S. Th. dubitaverit nemo, qui legerit ipſum p. p. q. 54. art. 3. & q. 59. art. 2. & q. 77. art. 1. & q. 115. art. 1. ad 5. & 3. p. q. 77. art. 1. ubi admittit gloſſemata nulla.

Prob. 1. Quantùm ad reapſe. Sol operatur etiam ubi ejus non eſt ſubſtantia, nimirum gignit aurum intra terræ fodinas; ergo ibi non operatur immediatè per ſuam ſubſtantiam, ſed media aliqua ſui virtute, quæ eſt accidens.

Minimè dubitaverim, hic Atomiſtas reſponſuros, quòd Sol illuc corpuſcula immittat. Verùm refelli hoc poterit ex dicendis lib. 2. de Anima q. 5. poſt art. 4. quæſtiuncula prima ſemiquæſtiuncula prima quæſito 2. ſuſtinendo, quòd illuminatio non fiat per defluxum corpuſculorum ex corpore luminoſo; quia nempe notabilem diminutionem Sol pateretur emittendo per tot ſæcula tam ingentem corpuſculorum copiam. Ultra quamquod ſequeretur, metalla ibi genita eſſe ex corpuſculis cœleſtibus compoſita, ſicque eſſent corpora cœleſtia.

3. Solet etiam probari exemplo Generantis, quod interdum tametſi interierit, generat filium medio ſemine à ſe in Matre relicto. Quam probationem fusè perſequitur Gavinus hic, ubi Adverſariorum reſponſa refellit.

4. Prob. 2. Quantùm ad idem ratione, quæ locum habet duntaxat inter Peripateticos, accidentia non reſpuentium. Ignis producit alium ignem mediante calore, ſed calor eſt accidens à ſubſtantia realiter diſtinctum, cùm per ignem poſſit communicari alteri ab igne, puta aquæ, & aliis, à quibus poteſt calor realiter ſeparari: ergo ſubſtantia non eſt immediatè operativa. Maj. contra Adverſarios, dicentes calorem nec etiam inſtrumentaliter producere ſubſtantiam ignis. Prob. 1. Ignis per calorem non tantùm calefacit, verum etiam comburit; ſed combuſtio ligni eſt ignefactio: ergo cùm ignefactio ſit productio ignis, dicendum eſt, quòd ignis mediante calore producit alium ignem. Secundò. Qui ponit ultimam diſpoſitionem ad formam, aliquo modo producit ipſam formam; ſed calor calefaciendo V. G. ut octo rem aliquam combuſtibilem producit ultimam diſpoſitionem ad ignem: ergo aliquo modo calor producit formam ignis. Maj. videtur certa. Nam qui producit aliquid, producit ea omnia, quæ ad ipſum neceſſariò conſequuntur, juxta illud, qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe; ſed ad ultimam diſpoſitionem neceſſariò ſequitur forma: ergo qui producit ultimam diſpoſitionem &c. Min. autem illa, ſicut & iſta clara eſt. Nam per calorem ut octo intelligitur calor in ſummo, ad quem tanquam ad ultimam diſpoſitionem neceſſariò ſequitur forma ignis; quia calor in ſummo eſt proprius ſolius ignis: ergo &c.

Sed

Sed jam venio ad palmare experimentum. Ponas poſt amotum, vel extinctum ignem, in æſtuante Clibano Canem, iſte interibit calore; & tamen non ampliùs ibi extat ignis ſubſtantia.

5. Prob. 3. à pari. Quemadmodum ſe habet natura in ordine naturali, ita gratia in ordine ſupernaturali; ſed gratia in ordine ſupernaturali non elicit operationes immediatè, benè verò mediantibus virtutibus ſupernaturalibus nimirum media charitate, fide, ſpe &c ergo pariter natura, ſeu ſubſtantia in ordine naturali producit ſuas operationes mediante aliquo realiter ſuperaddito, non verò immediatè perſe ipſam.

6. Prob. 4. Evertendo fundamentum partis adverſæ. Ideo per Adverſarios ſubſtantia eſt immediatè per ſe ipſam, non verò accidentis realiter diſtincti miniſterio, productiva alterius ſubſtantiæ, quia accidens eſt impotens ad productionem ſubſtantiæ; ſed licèt ſit impotens ad producendum ut cauſa principalis ſubſtantiam, non tamen eſt impotens ad producendum ut cauſa inſtrumentalis: ergo nullum extat obſtaculum, quin ſubſtantia ſit productiva alterius ſubſtantiæ mediante accidente tanquam principio proximo inſtrumentali.

Min. prob. dupliciter. Et primò. Ideo accidens dicitur impotens ad producendam etiam inſtrumentaliter ſubſtantiam, quia eſt imperfectius ſubſtantia; ſed ratio hæc vana eſt: ergo &c. Prob min. Res naturales ſunt imperfectiores rebus ſupernaturalibus; ſed hoc non obſtante res naturalis poteſt ſaltem inſtrumentaliter producere aliquid ſupernaturale, ut palam eſt in Sacramentis, quæ ſunt cauſæ inſtrumentalis gratiæ: ergo pariter accidens licèt ſit imperfectius ſubſtantia &c.

Secundò. Actualis operatio eſt accidens, ut omnes profitentur (ſi aliquos demas Nominales, & univerſos Atomiſtas volentes, actionem non eſſe, niſi motum localem) & tamen actio producit per modum actualis exercitii ſubſtantiam: ergo & inſtrumentaliter accidens poterit ſubſtantiam producere, eſtò ea ſit imperfectius.

Adde, quòd ſi hoc verum eſſet, deberemus omne inſtrumentum de medio tollere, cùm iſtud ſemper ſit imperfectius effectu, qui correſpondet ſoli cauſæ principali.

Ex his eluceſcit, ſubſtantiam nec partialiter concurrere immediatè ad operationem productivam etiam alterius ſubſtantiæ. Ita, Tum quia actus combuſtivus eſt immediatè à ſolo calore. Per calorem ſiquidem ſummè intenſum res candefit. Tum quia ſummus calor qui eſt ultima diſpoſitio ad formam ignis, in re calefacta habetur immediatè à ſolo calore exiſtente in igne calefaciente. Tum paritate gratiæ, quæ nec partialiter immediatè concurrit ad operationes ſupernaturales. Tum demum ex non repugnantia oſtenſa.

7. Prob modò quantùm ad de poſſibili hac prima communi Thomiſtarum ratiocinatione hauſta ex D. Th. p. p. q. 54. art. 3. Implicat contradictionem, ſubſtantiam perſe ordinari ad operationem; ſed ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, perſe ordinaretur ad operationem: ergo implicat contradictionem, quòd ſubſtantia ſit immediatè operativa, adeoque eſt omnino impoſſibile. Min. eſt perſpicua. Quælibet namque potentia ordinatur ad ſuum actum eo modo, quo eſt potentia ad illum, ut palam eſt inductivè: ergo ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, cùm prout ſic eſſet per ſe ipſam potentia operativa, perſe ordinaretur ad operationem. Maj. verò prob. Implicat contradictionem, unam & eandem potentiam perſe ordinari ad actus inter ſe eſſentialiter adæquatè diverſos; ſed ſi ſubſtantia perſe ordinaretur ad operationem, jam ordinaretur ad actus eſſentialiter, & adæquatè diverſos: ergo &c. Min. conſtat. Ordinaretur enim perſe & ad eſſe, & ad operari, quæ ſunt inter ſe eſſentialiter diverſa: eſſe namque in ſubſtantia pertinet ad lineam ſubſtantiæ, operari verò, ſeu actualis operatio eſt accidens, Peripateticè loquendo; ſubſtantia autem, & accidens ſunt eſſentialiſſimè, & adæquatiſſimè diverſa. Maj. verò prob. Implicat contradictionem, unam, & eandem potentiam habere duplicem eſſentiam, & ſpeciem; ſed ſi una, eademque potentia ordinaretur perſe ad actus eſſentialiter diverſos, haberet duplicem eſſentiam, & ſpeciem: ergo &c. Maj. pateſcit, ſecùs eſſet una, & non eſſet una. Eſſet una, ut ſupponitur, & non eſſet una tantùm, quia duplicem haberet eſſentiam, & ſpeciem. Min. verò prob. Potentiæ ſumunt ſuam eſſentiam, & ſpeciem per ordinem ad actus: ergo juxta diverſitatem actuum eſſentialiter, & adæquatè diverſorum multiplicatur eſſentia, & ſpecies potentiæ; adeoque ſi una & eadem potentia ordinaretur per ſe ad actus eſſentialiter, & adæquatè diverſos, haberet duplicem eſſentiam, & ſpeciem. Ant. prob. Potentiæ definiuntur per ordinem ad actus V.G intellectus per hoc, quòd *eſt principium intellectionis*, voluntas per hoc, quòd *eſt principium volitionis* &c. nec aliter ſunt definibiles; ſed definitio explicat eſſentiam, & ſpeciem rei: ergo &c.

Conf. Implicat, ſubſtantiam ſpecificari ab accidente; ſed ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa, ſeu (quod idem eſt) immediatè ordinata ad operationem, ſpecificaretur ab accidente: ergo implicat, ſubſtantiam eſſe immediatè operativam. Maj. liquet, Tum quia ſubſtantia nequit ſpecificari ab extrinſeco, cùm habeat intra ſe ſuum ſpecificativum, & conſtituatur per eſſe perſe, ut in Logica oſtendimus. Tum quia ſpecificativum debet eſſe perfectius ſpecificato. Min. verò prob. quia (ut vidimus, & latiùs in lib 2. de Anima q. 3. art. 2. videbimus) potentia ſpecificatur ab actu: ergo ſi ſubſtantia foret immediatè operativa ſpecificaretur ab operatione, quæ eſt accidens.

Quia tamen iſta omnia pendent ex dicendis loco citato de Anima, idcircò ulteriùs ſic oſtenditur, ſubſtantiam non poſſe perſe ordinari ad operationem. Quandoquidem ſecùs eſſet, & non eſſet accidente perfectior; ſed hoc involvit contradictionem: ergo contradictionem involvit, ſubſtantiam perſe ordinari ad operationem. Ant. prob. Eſſet perfectior, ut ſupponitur; & non eſſet perfectior; quia proprium eſt imperfectioris ordinari ad perfectius, ut palam eſt in creaturis, quæ ordinantur ad Deum; ſicut etiam apparet ex dictis hic quæſtiuncula 2. in qua vidimus, finem eſſe perfectiorem iis, quæ ſunt ad finem.

Hinc nemine impellente corruit reſponſum Maſtrii, dicentis, ſubſtantiam ceu habentem eſſe quodammodo illimitatum poſſe reſpicere utrumque actum, nimirum tum eſſe, tum operari. Ruit, inquam; quia implicat, unam, eandemque rem (quæcumque illa fuerit) duplicem habere eſſentiam; ſed (ut probavimus) in caſu, quo ſubſtantia eſſet immediatè operativa haberet duplicem eſſentiam, & ſpeciem: ergo etiam permiſſo, quòd eſſe quodammodo illimitatum haberet, nequiret reſpicere immediatè perſe illos duos actus, nimirum eſſe, & operari. Inſuper ſi eſſe quodammodo illimitatum habet, jam longè perfectior eſt accidente: ergo repugnat ad illud ordinari.

Dices cum nonnullis, quòd eſſe, & operari ſe habent ut duo actus inadæquati. Vel quòd ſe habent per modum actus primarii, & ſecundarii, non repugnat autem unam, eandemque potentiam reſpicere duos actus inadæquatos, per modum primarii, & ſecundarii, ut inductivè poteſt fieri manifeſtum. Sed

Contra primò (& eſt Inſtantia contra omnes) Eſſe, & operari ſunt duo actus per ſe primò à natura intenti: ergo ſunt actus adæquati primarii, & primariò inſpecti. Maj. eſt conſtans, Tum à priori, quia tum in ipſo operari, tùm in ipſo eſſe maximè nitet Univerſi pulchritudo. Tum à poſteriori, quia natura pro diverſis operationibus diverſa inſtituit organa: ergo eſſe, & operari ſunt actus perſe primò à natura intenti.

Secundò. Nam (ut probavimus) Eſſe, & operari ſunt actus adæquatè, eſſentialiter inter ſe diverſi; ſed actus inadæquati, vel ſe habentes per modum primarii, & ſecundarii aliquam inter ſe affinitatem, ſive convenientiam habent: ergo eſſe nequeunt inadæquati, vel ſe habere per modum primarii, & ſecundarii.

Tertiò inſto (& iterum eſt inſtantia univerſalis) Majorem inter ſe convenientiam, vel ſaltem minorem diſconvenientiam habent quæcunque operationes inter ſe, quàm habeant eſſe, & operari; ſed nonnullæ ſunt operationes, quæ petunt potentias realiter diſtinctas: ergo multò magis eſſe, & operari. Maj. videtur certa. Quandoquidem omnes operationes ſunt de linea accidentis; eſſe verò eſt de linea ſubſtantiæ, & operari de linea accidentis in Peripatetica via. Min. etiam eſt indubitata. Nam quis dicet, ab una, eademque potentia latrativa Canis poſſe elici riſum Hominis, rugitum Leonis, Galli cantum &c. ergo aliquæ extant operationes, quæ ſunt ita actus primarii, & adæquati, quòd potentias realiter diſtinctas petunt.

8. Prob. demum alia ratione communi deducta ex eodem D. Th. p. p. q. 77. art. 1. & q. de Anima art. 12. in corpore. Ubicunque potentia per ſe, & immediatè eſt ſubſtantia, etiam actus debet eſſe ſubſtantia; ſed repugnat in rebus creatis, actualem operationem eſſe ſubſtantiam: er-

go repugnat, ſubſtantiam eſſe potentiam per ſe immediatè operativam. Min. ſupponitur apud Peripateticos. Maj. prob. Potentia, & actus debent eſſe in eodem genere: ergo ubi potentia per ſe, & immediatè eſt ſubſtantia, etiam actus debet eſſe ſubſtantia. Ant. docetur ab Ariſt. lib 9. Metaphyſicæ tex 13. & ibidem lib 12. tex 26. & 28 & rurſus 3. Phyſ. tex 6 ubi *cùm autem*, inquit, *eorum*, *quæ in unoquoque genere collocantur aliud actu*, *aliud potentia ſit* &c. Ubi (uti palam eſt) in unoquoque genere aſſignat ſuum actum, ſuamque potentiam.

Nec cum Maſtrio dicere juvat, dictum illud Ariſtotelis eſſe intelligendum de potentia objectiva: Vel cum Hurtado, eſſe intelligendum de potentia per ſe receptiva, ut eſt materia reſpectu formæ. Non, inquam. Quandoquidem ſicut potentia objectiva ordinatur objectivè ad actum, & potentia receptiva ad ſuum actum receptibilem; ita potentia operativa ad actum operationis: ergo quemadmodum potentia objectiva, vel potentia receptiva debent eſſe in eodem genere cum ſuo actu ita & potentia operativa. Ex quo

Confirmatur. Actus potentiæ objectivæ nequit non eſſe ejuſdem generis cum illa, ſicut etiam actus potentiæ receptivæ, ut eſt conſtans; ergo & idem de actu potentiæ operativæ dicendum; ergo cùm actus iſtius, nimirum operatio, ſit accidens, ſive de genere accidentis, etiam potentia immediatè operativa debet eſſe de genere accidentis, adeoque realiter à ſubſtantia diſtincta. Undè pars adverſa ſua hac ſolutione ſuppeditat nobis paritates, quibus urgere magis eam valeamus.

Ex quibus poſtea optimè inferunt Noſtrates, quòd ſi ſubſtantia eſſet immediatè operativa eſſet actus purus; quia ubi operatio eſt ſubſtantia, principium operativum eſt actus purus identificans ſibi ſuam actualem operationem; ut in Deo perſpicuum eſt.

Et inde confutari poteſt error quorundam Nominalium, & Atomiſtarum in plùs audentium, ac dicentium, nec operationem diſtingui realiter à ſubſtantia creata. Confutari, inquam, poteſt. Quandoquidem aliter ſubſtantia creata eſſet actus purus, & infinitus, utpote ſuam ſibi ultimam identificans actualitatem in linea operandi; quemadmodum hac ratione lib. 1. q. 5. art. 1. probavimus, quòd creatura eſſet actus purus, ſi identificaret ſibi exiſtentiam, ſeu ultimam actualitatem in linea eſſendi. Item eſſet ſemper in actu ſecundo operans. De quo iterum infra lib. 3.

Pro notione illius dicti, quòd nempe actus, & potentia debent eſſe in eodem genere, & pro diluendis nonnullis objectionibus, quæ in oppoſitum producuntur ab Hurtado, & aliis.

Ad notandum primò, quòd intelligitur de genere non preſsè dicto, cùm ita ſit, quòd potentia proximè operativa eſt in genere, & prædicamento qualitatis, operatio verò in de prædicamento, & genere actionis. Intelligitur igitur de genere latè dicto, nimirum, quòd ſi potentia eſt de genere, ſeu de linea ſubſtantiæ, ita quoque actus ſit de genere, ſeu de linea ſubſtantiæ.

Secundò intelligitur, non de quocunque termino potentiæ productivæ (aliter accidens nequiret ut principium etiam proximum producere ſubſtantiam, quæ eſt terminus per actionem, quæ eſt accidens, productus) ſed de termino per modum actus actuantis potentiam. Et ſic, quia potentia proximè operativa eſt accidens, etiam ejus operatio, quæ eſt illius actus eſt accidens.

Tertiò intelligitur de potentia per ſe ordinata ad actum, & ab illo ſpecificata. Qua ratione ſubſtantia poteſt eſſe potentia receptiva accidentium; quia recipit accidentia, & ad illa ordinatur, non per ſe, & ratione ſui, ſed media exiſtentia, & ratione exiſtentiæ, quæ ſaltem virtualiter eſt ſubſtantia, ut vidimus lib. 1 q. 5 art. 5. Hac eadem ratione omnipotentia Divina, quæ per ſe ipſam eſt productiva rerum, non eſt in eodem genere cum creaturis; quia licèt ſit connexa à poſteriori cum creaturis; minimè tamen per ſe ad illas ordinatur, cùm ſit perfectè in illis; nec ab illis ſpecificatur; eòquòd non eſt propter illas per ſe primò intenta. Hac item ratione potentia naturalis poteſt producere actus ſupernaturales; quia non per ſe, & immediatè illos producit, ſed per virtutem ſupernaturalem ſibi deſuper datam, à qua elevatur.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

9. ARg. 1. Subſtantia eſt principium proximum productivum alterius ſubſtantiæ; ergo ſubſtantia eſt immediatè operativa. Prob ant. Per nos accidens eſt principium proximum productivum ſubſtantiæ: ergo multò magis ſubſtantia. Prob. conſequentia. Nobiliori modo concurrit ſubſtantia ad productionem alterius ſubſtantiæ, quàm accidens; ſed principium proximum productivum eſt nobilius, ut in Deo eſt manifeſtum; ergo ſi accidens eſt principium proximum &c. multò magis &c.

Conf. 1. Subſtantia eſt proximè paſſiva; ergo etiam erit proximè operativa. Ant. ſupponitur in ſententia probabili apud Thomiſtas, quorum non pauci aſſerunt, actionem generativam terminatam ad ſubſtantiam eſſe diſtinctam ab actione alterativa terminata ad diſpoſitiones. Prob conſequentia; Tum quia nobilius eſt eſſe operativum, quàm paſſivum; ergo ſi &c. Tum quia S. Th. quæſt. unica de Anima art 2. docet, quòd actio immediatè terminata ad ſubſtantiam eſt immediatè à ſubſtantia: ergo ſi ſubſtantia immediatè actionem terminat per hoc, quòd eſt immediatè paſſiva, eſt etiam principium proximum actionis.

Conf 2. Subſtantia eſt immediatè productiva per emanationem accidentium, puta proprietatum: ergo eſt immediatè operativa.

Reſp. ad arg. negando ant. Ad prob diſt ant eſt principium proximum per modum cauſæ inſtrumentariæ, concedo, per modum cauſæ principalis, nego ant. & conſequentiam. Deus autem eſt principium proximum ut cauſa principaliſſima. Nobiliori igitur modo concurrit ſubſtantia ad alterius ſubſtantiæ productionem quàm accidens; quia ſubſtantia per modum principii radicalis producit alteram ſubſtantiam, & ut cauſa principalis; accidens verò licèt illam producat ut principium proximum; tamen producit duntaxat ut cauſa inſtrumentalis, quæ longè ignobilior cauſa principali exiſtit: non ſecùs ac in ordine ſupernaturali Gratia licèt concurrat ad operationes ſupernaturales per modum principii radicalis; nobiliori adhuc modo concurrit ac virtutes, quæ ſunt principium proximum; quia iſtæ nonniſi ut inſtrumenta quædam, & virtutes ipſiuſmet Gratiæ concurrunt.

Contra. Nobiliori modo ſubſtantia eſt productiva alterius ſubſtantiæ, quàm accidens alterius accidentis; ſed accidens eſt principium radicale, principale, & etiam proximum productivum alterius accidentis: ergo multò magis ſubſtantia eſt principium & radicale, & proximum productivum alterius ſubſtantiæ. Min. videtur certa. Quandoquidem cauſa principalis productiva caloris eſt calor ignis, non verò ſubſtantia ignis.

Reſp. diſt. min eſt principium radicale, & proximum cum dependentia à ſubſtantia, tranſeat, ſine dependentia, nego min. & conſequentiam. Primodùm poſſet negari, quòd accidens ſit principium radicale ſimpliciter productivum alterius accidentis; quia ſicut in noſtra ſententia, quam indigitavimus in prodromis, accidens non eſt radicaliter mobile, & idcircò non ingreditur primarium Philoſophiæ objectum, ita nec eſt radicaliter operativum, loquendo ſaltem de principio radicali ſimpliciter, quicquid ſit de principio radicali ſecundùm quid. Deinde tametſi foret principium radicale ſimpliciter, ut altera defendit ſententia; adhuc nobilior ſalvatur operandi modus in ſubſtantia, quàm in accidenti; quia accidens in operando jugiter aliquam dependentiam à ſubſtantia habet, ſaltem tanquam à fulcro, fulcimine, à ſubſternante, & ſuſcipiente. Subſtantia verò dependet ab accidente duntaxat tanquam à miniſtro, & à famulante. Quod majorem ejus dignitatem oſtendit.

Qua ex re apparet, quare calor ut tria etiam ut ſubſtantiæ virtus producere nequeat calorem ut quatuor, benè verò calor ut octo poteſt ut virtus ignis producere ſubſtantiam ignis. Ratio enim eſt, quia calor ut tria eſt magis proportionatus cum calore ut quatuor duntaxat in eſſe entis, quia nimirum uterque eſt de linea accidentis, non tamen in eſſe operativi, eò quòd calor reſpectu alterius caloris eſt cauſa quodammodo principalis; cauſa autem principalis nullatenus eſſe poteſt ſuo effectu inferior, ſicut calor ut tria eſt inferior reſpectu caloris ut quatuor. Cæterùm calor ut octo reſpectu ſubſtantiæ ignis eſt cauſa purè inſtrumentalis.

Con-

Contra. Magis, ac perfectius eſt producere ſuos effectus ut cauſa principalis, & effectus alienos ut cauſa inſtrumentalis, quàm præcisè producere ut Cauſa principalis proprios effectus; ſed niſi ſubſtantia eſſet principium proximum operativum alterius ſubſtantiæ, jam accidens eſſet cauſa principalis alterius accidentis, & alterius cauſa inſtrumentalis ſubſtantiæ: ergo ſemper perfectius operaretur accidens, quàm ſubſtantia. Maj. ex eo emicat, quòd majorem indicat activitatem, majorem indicat perfectionem; ſed concurrere ut cauſam principalem ad proprios effectus, & ut cauſam inſtrumentalem ad effectus alienos majorem indicat activitatem, quàm præcisè ut cauſam principalem ad proprios effectus: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſi hujuſmodi cauſa principalis ſit principalis ſimpliciter omni modo abſque dependentia ab alia, tranſeat, aliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Reſponſum ex dictis eluceſcit. Dixi *tranſeat*, quia major activitas purè inſtrumentalis, utpote quædam (ut ita dicam) vilis activitas, nullam indicat majorem perfectionem: Eò vel maximè quòd activitas ejus principalis eſt ad aliquid imperfectius. Ob idque Principis Miniſter tametſi ut cauſa principalis agat quæ ſua ſunt, & ut inſtrumentum quæ ſunt Principis, non habetur ut Principe major.

Contra, Accidens aliquod extat, quod eſt immediatè operativum ſine dependentia ab alio principio radicali: ergo iſtud perfectiùs operabitur quàm ſubſtantia. Prob. ant. Principium radicale operationis in ordine ſupernaturali eſt gratia; ſed extare poteſt principium proximum concurrens ad actus ſupernaturales remota gratia, ut palam eſt in fideli peccatore eliciente actus fidei ſupernaturalis: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. primitèr diſt. min. remota gratia, & omni gerente illius vices, nego, ſecùs, concedo min. & nego conſequentiam. Dicimus namque, quòd in peccatore fideli extat qualitas aliqua ſupernaturalis, ſeu aliquod auxilium ſupernaturale particulare ſupplens vices gratiæ in ordine ad actus fidei ſupernaturalis; à quo auxilio fides dependet in ordine ad ſuas operationes.

Deinde etiam dato, quòd nec gratia, nec aliud gerens vices gratiæ habeatur, adhuc non omnimodè tollitur dependentia; quia fides operatur, non *ut quod*, ſed duntaxat *ut quo*. Id enim, quod operatur *ut quod* eſt Homo.

Dices ex Pontio. Si ſubſtantia produceret aliam ſubſtantiam mediante accidenti, jam accidens diceretur cauſa principalis ſubſtantiæ: ergo ſemper operaretur perfectiùs, ac ſubſtantia. Prob. ant. Tametſi Avus concurrat mediante Patre, adhuc Pater dicitur cauſa principalis Filii. Similiter tametſi Deus concurrat ad effectus naturales mediante creatura, adhuc cauſæ creatæ dicuntur cauſæ principales, ut communiter contra Suarez, & Durandum docetur: ergo pariter tametſi ſubſtantia concurreret mediante accidente ad productionem alterius ſubſtantiæ, adhuc accidens diceretur cauſa principalis.

Reſp. omiſſis quorundam ſolutionibus, nego ant. Ad prob. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas elucеſcet adnotando, quòd dupliciter ſtat, unum concurrere mediante alio. Uno modo ita taliter, quòd effectus aſſimiletur cauſæ (vel quò ad omnia ſi eſt effectus univocus; vel quò ad aliqua prædicata ſi eſt æquivocus) in forma, quæ eſt ratio agendi, tametſi cauſa ſit media inter effectum, & aliam cauſam, ut in exemplis adductis. Et tunc cauſa media obtinet rationem cauſæ principalis, quia licèt virtutem ſuam ab alia cauſa habeat; tamen talis virtus eſt ſibi appropriata, & eſt ipſa ſua forma. Pater ſiquidem eatenus dicitur concurrere ad productionem filii in virtute Avi, non quatenus eſt virtus, vel inſtrumentum Avi, ſed quatenus ab Avo ſortitus eſt illam formam, ſeu naturam, qua filium producere valet. Idem dico de cauſis ſecundis reſpectu cauſæ primæ, nimirum reſpectu Dei.

Alio modo taliter quòd effectus in nullo univocè aſſimiletur cauſæ mediæ, ut accidens reſpectu ſubſtantiæ. Et tunc eſt cauſa purè inſtrumentalis. Idem dico de aliis Inſtrumentis, quæ etſi interdum aſſimilentur effectui; tamen effectus talem aſſimilationem habet, non ex vi talis cauſæ inſtrumentalis formaliter, ſed aliunde. Puta dum Artifex format malleum medio alio malleo; tunc malleus, qui cuditur aſſimilatur illi, medio quo fit ab Artifice; tamen hujuſmodi aſſimilationem obtinet, non ex vi ipſius mallei; qui de ſe eſt indifferens ad formandum vel malleum, vel quid aliud, ſed ex idea exiſtente in mente Artificis.

Ad Conſ. argumenti tranſeat ant. & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ex eo, quòd ſit immediatè paſſiva non ſequitur, quòd ſpecificetur ab aliquo extrinſeco, ſeu ab accidenti. Vel enim eſt paſſiva quatenus eſt operabilis; & ſic non ſpecificatur ab operatione, ſed potiùs ſpecificat operationem. Vel eſt paſſiva per modum potentiæ ſubſtantialis informabilis. Et ſic ſpecificatur à ſubſtantia, nimirum materia à forma ſubſtantiali. Dixi *tranſeat* ant. quia loquendo de paſſiva, ut operabili, illud negabimus lib. 1. de Gener. & Corrupt. quæſt. prima art. unico.

Ad 1. probationem conſequentiæ dato ant. diſt. conſequens, ſi ſit poſſibile; concedo, ſecùs, nego conſequentiam. Maxima equidem perfectio eſt, eſſe immediatè operativum; non tamen eſt poſſibile in ſubſtantia creata, ut ex noſtris ratiociniis §. præcedenti 2. poſitis fit manifeſtum.

Ad 2. prob. ex D. Th. dico, id me ibi non inveniſſe. Si tamen id habetur in D. Th. dicendum eſt, ipſum loqui in Deo, ubi non eſt diſtinguere realiter potentiam activam, & paſſivam.

Ad 2. conſ. diſt. ant. & aliàs emanatio eſt vera actio, ſubdiſtinguo vera, ideſt non purè ſimilitudinariè actio, concedo, propriè, & ſimpliciter talis, nego ant. & conſequentiam. Itaque emanatio proprietatum, licèt ſit quædam actio vera, ideſt realis, non tamen eſt operatio ſimpliciter talis, per ſe primò à natura intenta; ſed quædam pura reſultantia, de ſecundariò duntaxat intenta à natura; quia actio propriè talis, per quam de ſecundariò proprietates producuntur, eſt actio generantis. Quandoquidem, qui dat eſſe, dat conſequentiam ad eſſe. Idcircò non ſequitur, quòd talis operatio ſit ſpecificativa principii proximi.

Idem dicendum de actione, qua Aqua calefacta ſe ipſam reducit ad priſtinam frigiditatem. Talis namque actio eſt pura ſuæ proprietatis dimanatio, quæ dimanatio non eſt actio ſimpliciter talis.

10. Arg. 2. Ex Scoto. Nullum imperfectius poteſt eſſe perfectionis productivum; ſed accidens eſt imperfectius ſubſtantiæ: ergo nequit accidens producere ſubſtantiam, adeoque ſubſtantia immediatè per ſeipſam eſt productiva alterius ſubſtantiæ.

Reſp. ex dictis diſt. maj. per modum cauſæ principalis, concedo, per modum cauſæ inſtrumentalis, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Quamvis namque repugnet, cauſam principalem, cui debet effectus aſſimilari, eſſe effectu deteriorem; non tamen hoc eſt contra rationem cauſæ inſtrumentalis. Conſtans quandoquidem eſt; quòd ipſa actio eſt accidens in omnium ſententia (ſi Nominales aliquos duntaxat, & Atomiſtas demas) imò unum ex novem generibus accidentium, ſeu prædicamentorum accidentis; & tamen per modum actualis exercitii concurrit ad productionem ſubſtantiæ. Sic etiam ut cauſa inſtrumentalis poteſt accidens producere ſubſtantiam, licèt non ut cauſa principalis. Idem eluceſcit in aqua baptiſmali, quæ utpote res naturalis, eſt imperfectior gratia, quæ eſt ordinis ſupernaturalis; & tamen valet eam inſtrumentaliter producere.

Contra primò: Inſtrumentum agit in virtute cauſæ principalis; ſed accidens nequit operari in virtute ſubſtantiæ: ergo accidens neque ut inſtrumentum potens eſt ſubſtantiam producere. Prob. min. Si accidens poſſet agere in virtute ſubſtantiæ, poſſet agere per actionem ſubſtantiæ; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c. Maj. eſt perſpicua, quia operari ſequitur ad virtutem operativam: ergo ſi operaretur in virtute ſubſtantiæ operaretur per actionem ſubſtantiæ. Min. verò prob. Si accidens operaretur per actionem ſubſtantiæ operaretur ſubſtantialiter; ſed eſt impoſſibile, accidens operari ſubſtantialiter: ergo &c. Maj. prob. In ſententia probabili apud Thomiſtas nonnullos profitentes, accidens exiſtere per exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſi accidens exiſteret per exiſtentiam ſubſtantiæ exiſteret ſubſtantialiter: ergo à pari ſi &c. ſicut autem impoſſibile eſt accidens exiſtere ſubſtantialiter, ita impoſſibile erit eum operari ſubſtantialiter. Vide art. ſequenti quæſt. art. 1. ubi quomodo inſtrumentum operetur per actionem cauſæ principalis declarabo & probabo.

Secundò. Omne, quod agit ut Inſtrumentum in virtute alterius, agit per hoc, quòd movetur ab illo, accipiendo ab eo aliquam virtutem; ſed accidens nequit moveri à ſubſtantia accipiendo ab ipſa aliquam virtutem: ergo accidens nequit operari ut inſtrumentum in virtute ſubſtantiæ. Prob. min. Illa virtus non eſſet ſubſtantia, ſecùs ſubſtantia eſſet immediatè operativa; nec accidens, aliter etiam ipſa operaretur

varetur ut inſtrumentum in virtute ſubſtantiæ, & ſic in infinitum : ergo &c.

Reſpondeo ad 1. nego min. Ad prob. data maj. nego min. Ad prob. (etiam hypotheticè admiſſa ea ſententia, quam nos confutavimus ſupra lib. 1. q 5. art. 3. præcipuè §. 3. nom. 5. ad 1. arg.) dico, quòd accidens ea in ſententia poſſet dici operari per operationem ſubſtantiæ duntaxat inſtrumentaliter, non verò principaliter. Verùm adhuc ſupereſt aſſignare rationem, quare accidens nequeat exiſtere per exiſtentiam ſubſtantiæ, benè verò poſſit operari per operationem ſubſtantiæ. Diſparitas eſt igitur, quia accidens operando per operationem ſubſtantiæ, cùm agat tantummodo ut inſtrumentum, talis operatio non eſt conſequens ad illius formam, ſed ſolummodo ab alio, nimirum à ſubſtantia ſibi tranſeunter derivata. Cæterùm ſi exiſteret per exiſtentiam ſubſtantiæ, talis exiſtentia eſſet terminus connaturalis, conſequens ad illius eſſentiam ; quia unumquodque ens, eo ipſo, quòd habet eſſentiam (inquiunt illius ſententiæ Patroni) petit etiam exiſtentiam conſequentem ad ſua formam, eò quòd exiſtentia eſt terminus eſſentiæ.

Ad 2. reſpondeo dupliciter. Primò nego min. Ad prob. diſt. ant. non eſſet ſubſtantia formaliter, concedo, virtuosè, nego ant. & conſequentiam. Dico itaque, quòd virtus illa, licèt ſit formaliter accidens, virtualiter tamen, ſeu virtuosè, eſt ſubſtantia ; quia nimirum eſt ipſa ſubſtantiæ virtus. Nec ageret ut inſtrumentum propriè, nec ut cauſa principalis propriè, ſed ut virtus cauſæ principalis elevans inſtrumentum. Neque inconveniens videatur, extare aliquod operans, quod nec principalis, nec inſtrumentalis cauſa ſit. Palam namque eſt, quòd actio nec eſt cauſa principalis, nec eſt cauſa inſtrumentalis, ſed eſt exercitium cauſæ.

Reſp. 2. cum aliis diſt. maj. omne, quod agit ut inſtrumentum propriè dictum, & in virtute alterius tranſitivè, concedo, ut inſtrumentum impropriè tale, & in virtute alterius intranſitivè, nego maj & permiſſa min. nego conſequentiam. Poteſt igitur dici, quòd accidens non eſt inſtrumentum propriè dictum agens in ſubſtantiæ virtute tranſitivè, ideſt, quaſi, quòd illa virtus ſit aliquid citra ipſum, ſed eſt inſtrumentum duntaxat impropriè, & agit in virtute ſubſtantiæ intranſitivè, nimirum eſt ipſamet virtus ſubſtantiæ : idcircò non indiget moveri, & elevari media alia virtute.

Contra. Virtus productiva ſubſtantiæ debet eſſe intrinſecè ſubſtantialis : ergo accidens, nec ut virtus ſubſtantiæ poteſt ſubſtantiam producere. Prob ant. Virtus productiva effectus nequit eſſe imperfectior ſuo effectu : ergo virtus productiva ſubſtantiæ debet eſſe ſubſtantialis. Ant. patet, quia virtus, præcipuè principalis productiva effectus debet ipſum præcontinere.

Reſp. (omiſſo reſponſo non paucorum in m. f.) diſt. ant. debet eſſe intrinſecè ſubſtantialis virtualiter, concedo, ſubſtantialis formaliter, nego ant. & conſequentiam. Cùm enim effectus contineatur in cauſa duntaxat virtualiter ; hinc eſt, quòd virtus productiva effectus ſubſtantialis debet eſſe intrinſecè ſubſtantialis, non quidem ſemper formaliter, ſed virtualiter modo prædeclarato.

Contra. Accidens, ut accidens, nequit producere ſubſtantiam, ſecùs omne accidens poſſet producere ſubſtantiam : ergo nec ut virtus ſubſtantiæ poteſt ſubſtantiam producere. Prob conſequentia, Tum quia, quod convenit alicui ſecundùm ſe, competit illi in quocunque ſtatu ponatur. Tum quia ut virtus ſubſtantiæ non eſt intrinſecè ſubſtantia. Tum quia hoc, quod eſt eſſe virtutem ſubſtantiæ non addit ſupra accidens, niſi puram relationem ad ſubſtantiam : relatio autem non eſt de linea operativi.

Reſp. concedo ant. & nego conſequentiam. Ad primam prob dico, id verum eſſe de eo, quod convenit poſitivè, non verò de eo, quod convenit duntaxat negativè, ſeu permiſſivè. Accidens autem, ut accidens, dicitur potens, non poſitivè, ſed tantummodo negativè, & per non repugnantiam, producere poſſe ſubſtantiam.

Ad 2. patet ex dictis, quòd licèt non ſit ſubſtantia formaliter, eſt tamen ſubſtantia virtualiter.

Ad 3. diſt. ant. additione reali, concedo, virtuali, nego ant. & conſequentiam. Licèt enim hoc, quod eſt eſſe virtutem ſubſtantiæ, non ſit aliquid realiter diſtinctum, & ſuperadditum accidenti, ut eſt ipſa relatio ; tamen eſt aliquid ratione ratiocinata, ſeu virtualiter ab ipſa diſtinctum, ratione cujus eſt potens ſubſtantiam producere.

Contra tandem. Virtus productiva effectus infiniti debet eſſe formaliter infinita : Virtus productiva effectus ſpiritualis, aut ſupernaturalis, debet eſſe formaliter ſpiritualis, aut ſupernaturalis : Demum virtus productiva effectus vitalis debet eſſe formaliter vitalis : ergo pariter virtus productiva effectus ſubſtantialis debet eſſe formaliter, & non tantùm virtualiter ſubſtantialis.

Reſp. primodùm inſtando ſic. Licèt actio productiva effectus infiniti debeat eſſe infinita ; & actio productiva effectus ſpiritualis, vel ſupernaturalis debeat eſſe ſpiritualis, aut ſupernaturalis ; & actio productiva effectus vitalis debeat eſſe vitalis : non tamen inde ſequitur, quòd actio productiva ſubſtantiæ debeat eſſe ſubſtantia, ut omnes (demptis paucis Nominalibus, & demptis Atomiſtis) fatentur : ergo pariter licèt virtus productiva effectus infiniti, vel ſpiritualis, vel ſupernaturalis, vel vitalis debeat eſſe infinita, vel ſpiritualis, vel ſupernaturalis, aut vitalis ; non tamen inde ſequitur, quòd virtus productiva ſubſtantiæ debeat eſſe ſubſtantia.

Deinde ad primas duas paritates aſſignatur duplex diſparitas. Prima quidem, quia finitum, & infinitum, materiale, & ſpirituale, naturale, & ſupernaturale ſunt diverſi ordinis. Idcircò cùm id, quod eſt inferioris ordinis nequeat pertingere ad id, quod eſt ſuperioris ordinis, nequit aliquid finitum producere infinitum, nec materiale producere ſpirituale, nec naturale ſupernaturale. Cæterum accidens, & ſubſtantia quamquam ſint diverſi generis ; tamen ſunt ejuſdem ordinis naturalis, & materialis.

Secunda aſſignatur. Quandoquidem virtus cauſæ principalis eſt illius proprietas. Patet autem, quòd omnis proprietas entis infiniti eſt infinita, ſicut proprietas entis ſpiritualis eſt ſpiritualis, & entis ſupernaturalis proprietas ſupernaturalis eſt. Nemo autem Peripateticorum inficiabitur, proprietatem ſubſtantiæ eſſe etiam accidens. Et ratio à priori eſt adducta in prima diſparitate ; quia nimirum illa ſunt diverſi ordinis.

Adde ad id, quod de virtute productiva effectus infiniti dicitur aliud diſcrimen eſſe ; quia infinitum, ceu actus purus, debet ſibi identificare omnem ſui virtutem, & actionem. Id autem, quod cum infinito identificatur, nequit non eſſe infinitum. At hoc non militat de re finita, nempe, quòd iſta omnia ſibi identificare debeat, cùm non ſit actus purus.

Ad id, quod de actione productiva effectus vitalis dicitur, nego ant. Conſtat namque, quòd nec ſemen, nec virtus ſeminalis in ſemine ab animali deciſo eſt vitalis, & tamen effectum vitalem, videlicet animal, producit.

Si autem petas, quare actio productiva effectus vitalis debeat eſſe vitalis, & actio productiva effectus ſubſtantialis non ſit formaliter ſubſtantialis. Dico, rationem eſſe Tum quia id non eſt, quia ſic exigat effectus vitalis; ſed quia ex natura ſua talis actio eſt ab intrinſecis. Tum quia actus vitalis cùm ſit actus immanens habet perficere ipſum principium, ipſamque virtutem, à qua elicitur. Quod eſſe non poſſet, niſi vitalis eſſet. Hoc autem de actione tranſeunte non valet.

11. Arg. 3. contra 2. p. concluſionis, oppugnando primam noſtram rationem. Nulla eſt repugnantia, quòd una, eademque potentia immediatè reſpiciat actus realiter diſtinctos, ſe habentes per modum primarii, & ſecundarii ; ſed eſſe eſt actus primarius, operari verò eſt actus ſecundarius, quia operari ſequitur ad eſſe : ergo eadem ſubſtantia poteſt immediatè reſpicere eſſe, & operari.

Reſp. communiter diſt. maj. Si actus illi ſe habeant per modum primarii, & ſecundarii tum in eſſe ſpecificativi, tùm in eſſe entis, concedo, ſolùm in eſſe entis, nego maj. & diſtinguo min. operari eſt actus ſecundarius in eſſe entis, concedo, in eſſe ſpecificativi, nego min. & conſequentiam. Quamquam enim in eſſendo operari ſequatur ad eſſe, non tamen in ſpecificando, ſed hoc modo eſt actus & ipſe primarius : Tum quia operari eſt actus per ſe primò intentus à natura non minùs, ac ipſum eſſe, cùm in uno non minùs, quàm in alio emicet naturæ perfectio. Tum quia majorem inter ſe habitudinem habent, & proportionem quæcunque operationes (cùm omnes ſint de linea accidentis quàm operari, & eſſe cùm primùm ſit de linea accidentis, ſecundum verò ſit ſubſtantia ; ſed extant operationes, quæ habere ſe nequeunt per modum actus primarii, & ſecundarii, ſed diſparatè penitus ſe habentes, proindeque potentias realiter diſtinctas de primariò ſpecificare exigentes, ut §. prægreſſo a num. 7.

num. 7. dictum eſt; ergo multò minùs operari poterit ſe habere ut actus ſecundarius reſpectu ipſius eſſe.

Contra 1. Eadem ſubſtantia ſub conceptu eſſentiæ reſpicit eſſe, & ſub conceptu naturæ operationem, cùm definiatur per ordinem ad illam, dicendo, quòd eſt *principium motus ejus in quo eſt primò, & per ſe &c.* abſque eò, quòd ab illa ſpecificetur: ergo reapſe operatio eſt actus ſecundarius etiam in ſpecificando.

Conſ. Non minùs ſunt diverſi actus operationes naturales, & ſupernaturales quàm eſſe, & operari; ſed eadem realiter entitas poteſt reſpicere actus naturales, & ſupernaturales: ergo multò magis eadem ſubſtantia poterit reſpicere eſſe, & operari. Min. conſtat, quia in ſententia probabili potentia obedientialis, quæ eſt ad actus ſupernaturales diſtinguitur duntaxat virtualiter ab entitate naturali; quæ eſt ad actus naturales.

Secundò. Idem accidens reſpicit eſſe, & operari per modum primarii, & ſecundarii: ergo eſſe, & operari ſunt actus ſe habentes per modum primarii, & ſecundarii etiam in ſpecificando.

Reſp. ad 1. diſt. ant. ut principium radicale, & mediatè, concedo, immediatè ut principium proximum, nego ant. & conſequentiam. Subſtantia ſiquidem ut natura reſpicit operationem duntaxat mediatè, ut diximus in exordio hujus ſecundi libri exponendo definitionem naturæ. Actus autem non ſpecificat potentiam, à qua mediatè tantùm inſpicitur, ſed illam duntaxat, à qua proximè, & immediatè inſpicitur. Et ratio eſt, quia ſpecies, ſeu ratio ſpecifica convenit rei formaliter, & immediatè: ergo actus ſpecificativus debet formaliter, & immediatè reſpici.

Ad Conſ. diſt. min. utroſque poſitivè, nego, unum poſitivè, & alterum purè non repugnanter, concedo min. & nego conſequentiam. Inquantum una, eademque realiter entitas ſecundùm potentiam naturalem, & obedientialem poteſt reſpicere actus naturales, & ſupernaturales; quia non ſunt ambo ſpecificativi. Ratio eſt, quia potentia obedientialis non eſt poſitiva tendentia ad actus ſupernaturales, ſed pura non repugnantia ad obediendum Deo in his, quæ Deus voluerit, ut videbimus q. ſequenti art. 1. §. 2. num. 8. Cæterùm potentia operativa reſpicit poſitivè actum operationis, ſicut & potentia ad eſſe reſpicit poſitivè actum eſſendi: idcircò uterque actus eſt per ſe primo ſpecificativus alicujus potentiæ. Ad 2. inſtantiam dato ant. diſt. conſequens, eſſe accidentis, concedo, aliter nego conſequentiam. Cùm enim accidens ſit entis ens, non verò ſimpliciter ens; hinc eſt, quòd illius eſſe non eſt per ſe primò intentum à natura propter, nimirum propter ipſum accidens, ſed propter aliud, videlicet propter ſubſtantiam: idcirco non eſt per ſe primò ſpecificativum accidentis, ac per conſequens poteſt accidens per ſe primò reſpicere operationem, & ab illa ſpecificari, & ſecundariò reſpicere eſſe, ſeu ineſſe.

Contra 1. Accidens priùs reſpicit eſſe, quàm operari: ergo potiùs ab ineſſe, quàm ab operari ſpecificatur. Ant. prob. Prius eſt eſſe quàm operari: ergo &c.

Secundo. Accidens ſic dicitur per ordinem ad ineſſe: ergo per ſeipſum reſpicit eſſe, ab eoque ſpecificatur.

Reſp. ad 1. nego ant. Ad prob. diſt. ant. præſuppoſitivè, materialiter, & in eſſe entis, concedo, formaliter & in eſſe intenti, nego ant. & conſequentiam. Cùm namque accidens nequeat operari, niſi ſit, nimirum niſi exiſtat; idcircò materialiter, & præſuppoſitivè priùs eſt eſſe, quàm operari. Quia tamen, non propter ſe, ſed propter ſubſtantiam habet eſſe; ideo non ab eſſe, ſed operari ſpecificatur.

Ad 2. diſt. ant. per ordinem ad ineſſe propter ſe intentum, nego intentum propter aliud, concedo ant. & nego conſequentiam. Admonitum te volo, quòd definitio, qua accidens definitur, dicendo, quòd ſit *id cui debetur eſſe in alio*, non eſt eſſentialis, ſed eſt deſcriptiva. Definitio autem illius eſſentialis eſt, quòd ſit *entis ens*.

Quòd ſi in Logica Syntag. 4. q. 3. art. 1. §. 2. probando, ſubſtantiam conſtitui per eſſe per ſe, paritatem ex accidenti formavi, arguendo ſic: *accidens conſtituitur per eſſe in alio, ergo ſubſtantia conſtituitur per eſſe per ſe*. Si, inquam, ſic arguebam, volui ex ſententia illorum Adverſariorum contra illos conſequens deducere.

Obſervandum hic autem, & quidem ſeriò, nos non intendere, quòd univerſaliter omne, & quodlibet accidens per ſe ſpecificetur ab operatione. Non inquam, Tum quia non eſt excogitabilis operatio, ad quam ordinetur quantitas. Tum quia relatio eſt accidens, & tamen (ut diximus in Logica ſuſtinendo, quòd una relatio prædicamentalis nequeat aliam fundare) non eſt de linea operativi. Tum quia S. Th. p. 2. q. 52. art. 1. docet, calorem, albedinem, & ſimilia non habere ſpeciem ab extrinſeco, ſed ſecundùm ſe. Igitur (ut Angelicus ibidem, inquit) accidentia nonnulla per ſe ordinantur ad operationem, ut potentiæ, & habitus, omneſque virtutes. Et iſta accidentia ſpecificantur ab operatione. Alia verò ſunt intenta ad perficiendam ſubſtantiam, non quidem per ordinem ad extrinſecum, ſed in ordine ad ſe, ut ſunt reliqua recenſita. Et iſta ſpecificantur, non ab operatione, ſed à modo illo, quo habent perficere ipſam ſubſtantiam in ordine ad ſe.

Quod ergo intendimus eſt, accidens non ſpecificari ab ineſſe, ut ſalvemus, nonnulla accidentia ab operatione ſpecificari.

Dices. Si ergo Calor, & albedo non ſpecificantur ab operatione juxta D. Th. jam cogimur concedere, quòd calefactio, quæ eſt actio caloris vel ignis, & diſgregatio viſus, quæ eſt actio albedinis, nullam potentiam habet ſpecificare; ſicque falſum erit, operationem eſſe actum per ſe primò intentum ſpecificativum alicujus potentiæ.

Reſpondent plerique in m. f. negando conſequentiam, ac dicunt, quòd aliqua accidentia, quæ principaliter intenduntur, ut perficiant ſubſtantiam in ſe, ſicut V. G. calor, albedo &c. Si habeant operationem aliquam, iſtam eliciunt, non immediatè, ſed mediante aliqua ſui virtute, quæ poſtea virtus à tali operatione ſpecificatur.

Verùm enim verò doctrina hæc videtur prorſus gratuita; nec eſt aſſignabilis quæ ſit virtus iſta. Eò vel maximè, quòd (ut diximus) accidens eſt ipſamet virtus ſubſtantiæ intranſitivè.

Idcircò meliùs mihi videtur interpretari S. Th. dicendo, quòd eo loci loquatur de ſpecie, non metaphyſica, ſed phyſica. Loquitur ſiquidem de accidentibus, quæ patiuntur augmentum. At augmentum habetur duntaxat ſecundùm eſſe phyſicum, ut palam eſt. Et licèt ibi adducat exemplum de formis quæ ſunt omnino indiviſibiles, ſicut numeri; tamen immediatè poſt innuit, ſe non intendere omnimodam ſimilitudinem, cùm dicit hujuſmodi accidentia, nimirum quantitatem, calorem, habere eſſe quaſi indiviſibile (nota ly *quaſi*) ad differentiam habituum, qui habent eſſe nullatenus indiviſibile, ſed ſimpliciter diviſibile. Vide q. ſequenti 2. art. 1. ſub num. 5. §. 1. Quomodo autem intelligatur habitus eſſe diviſibiles, dictum eſt in Logica Syntag. 5. qui fuit ad lib. Poſteriorum q. 3. art. 2. §. 3. num. 20. ad ult. arg.

12. Arg. 4. Eſſe, & operari licèt ſint actus diſtincti; tamen ſe habent per modum unius; ergo reſpici queunt ab eadem potentia realiter indiſtincta. Prob. ant. Eſſe, & operari non ſunt actus diverſæ lineæ: ergo &c. Prob. ant. Quæ in creatis ſunt diverſæ lineæ, in Deo diſtinguuntur virtualiter, ut patet de intellectione, & volitione, quarum una pertinet ad lineam volitivam, & alia ad lineam intellectivam; ſed eſſe, & operari nec virtualiter diſtinguuntur in Deo in probabili Thomiſtarum ſententia, aſſerente, quòd conſtitutivum Divinæ naturæ ſit intelligere actuale: ergo &c.

Conſ. Non repugnat, ſubſtantiam ſpecificari ab operatione: ergo poteſt immediatè reſpicere operationem. Prob. ant. Non magis accidens eſt inferioris lineæ ad ſubſtantiam, quàm ens rationis ad ens reale; ſed non repugnat, ens reale ſpecificari ab ente rationis, ut manifeſtum eſt in Logica, quæ eſt habitus realis; & tamen ab ente rationis ſpecificatur: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. diſt. ant. eſſe, & operari ſub explicita ratione operationis, tranſeat; ſub alia ratione, nego ant. & conſequentiam. Non enim dicimus, quòd operatio ſit actus diverſiſſimus ab eſſe ex præciſa ratione operationis abſolutè, & ex ratione univerſali operationis, ut contingit in cæteris, quæ ex ſui communi ratione ſunt diverſæ lineæ; ſed quia operari in creaturis eſt accidens, quod eſt maximè diverſum ab eſſe de linea ſubſtantiæ. Et quòd ſit accidens habet, non ex ratione operationis ut ſic, aliter etiam in Deo eſſet accidens, ſed quia creata eſt.

Contra. Non minorem diverſitatem habent inter ſe eſſe, & operari, quàm accidens, & ſubſtantia; ſed accidens, & ſubſtantia poſſunt convenire in ratione unius objecti ſpecificativi intellectus, & Metaphyſicæ: ergo etiam eſſe, & operari poterunt ſe habere per modum unius actus ſpecificativi ſubſtantiæ.

Reſp.

Reſp. ex dictis lib. 1. q. 3. art. 4. ad 3. diſt. maj. cæteris paribus, nego, cæteris diſparibus, concedo maj cum min. & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia linea intelligibilis habet majorem univerſalitatem, quàm linea naturalis, ſicut potentia intellectiva utpote magis elevata habet majorem univerſalitatem quàm cæteræ potentiæ naturales: Idcircò ſubſtantia, & accidens tametſi differant in eſſe naturali poſſunt convenire in ratione intelligibilis. Cæterùm eſſe, & operari ſunt actus ſpecificativi in eſſe naturali; idcircò hoc ipſo, quòd ſunt actus diverſi per ſe primò intenti à natura in linea naturali nequeunt integrare unicum objectum ſpecificativum unius potentiæ. Ex his

Ad Conſ. diſt. maj intra forum entis, concedo, intra forum intelligibilis, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Ut namque in Logica diximus, ens rationis eſt realiter ſcibile. Quare autem poſſit ens rationis eſſe reale in eſſe ſcibili, & nequeat accidens eſſe ſubſtantia in eſſe ſpecificativi? Ratio eſt, quia (ut dictum eſt) linea intelligibilis majorem obtinet univerſalitatem, quàm linea naturalis: idcircò, quod non eſt reale in eſſe naturali poteſt eſſe reale in eſſe intelligibili, neutiquam verò id, quod non eſt ſubſtantia in eſſe naturali poteſt eſſe ſubſtantia in eſſe ſpecificativi, ſaltem loquendo de ſpecificativo in linea naturali, ut eſt operatio reſpectu principii operativi.

13. Arg. 5. Oppugnando ultimam rationem. Ideo ſubſtantia nequit eſſe immediatè operativa, quia deberet ſibi identificare operationem, & eſſe infinita; ſed hoc eſt falſum: ergo ſubſtantia poteſt eſſe immediatè operativa. Prob. min. Tametſi ſubſtantia ſit potentia immediatè receptiva exiſtentiæ, non ſequitur, identificare ſibi exiſtentiam, & eſſe infinitam in eſſe exiſtentiali: ergo pariter nec ex eo, quòd &c.

Conſ. Si ſubſtantia eſſet immediatè operativa, eſſet æquivalens conflato ex principio proximo, & radicali; ſed hoc æquivalens non eſſet infinitum: ergo &c. Prob. min. 1. Extat exiſtentia æquivalens exiſtentiæ ſubſtantiæ, & accidentis in ſententia probabili Soti, Bannez &c. ſuſtinentium, accidens exiſtere per exiſtentiam ſubſtantiæ, ut vel nos ſuſtinuimus lib. 1. q. 5. art. 3. & tamen non eſt infinita: ergo pariter potentia æquivalens aggregato ex principio proximo, nimirum accidenti, & radicali, nimirum ſubſtantia non eſſet infinitum.

Secundò. Conjunctum ex potentia proxima, & potentia radicali eſt aliquid finitum; ſed id, quod æquivalet alicui finito non eſt infinitum: ergo æquivalens tali conjuncto non eſſet infinitum.

Reſp. nego min. Ad prob. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia exiſtentia ſeipſa non eſt actus per ſe primò intentus à natura. Et quando dicitur, quòd eſſe, & operari ſunt duo actus per ſe primò intenti à natura intelligitur de eſſe eſſentiæ, non verò de eſſe exiſtentiæ. Undè exiſtentia ſpecificatur ab eſſentia, potiùs, quàm eſſentia ſpecificetur ab exiſtentia, cùm ad ſpeciem eſſentiæ exiſtentia reducatur, ut dictum eſt lib. 1. q. 5. art. 2. & eſſentia habet ſpeciem à ſuis prædicatis quidditativis, genere, & differentia.

Sententia autem oppoſita probabilis dicens, exiſtentiam eſſe perfectiorem eſſentia, adeoque exiſtentiam eſſe actum per ſe primò à natura intentum; dicit, eſſentiam, non quidem in ratione talis eſſentiæ, & naturæ, bene verò in ratione eſſentiæ abſolutè ſpecificari ab exiſtentia, ut ibi vidimus §. 2. cùm eſſentia definiatur per ordinem ad eſſe dicendo, quòd *eſt id cui debetur eſſe*. Undè ſi ſpecificaretur etiam ab operari haberet duplex ſpecificativum. Quomodo autem hæc ſalventur, cogitent illius Patroni.

Ad Conſ. Reſp. nego min. Ad 1. prob. conceſſo ant. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia eſſe ſaltem accidentis eſt, non per ſe primò, ſed duntaxat de ſecundariò intentum à natura: idcircò æquivalens tali eſſe accidentali, & ſubſtantiali non eſt infinitum. Cæterùm eſſe, & operari ſunt actus per ſe primò intenti à natura.

Ad 2. prob. Reſp. quòd nimis probat. Siquidem probat, poſſibilem eſſe creaturam finitam æquivalentem omnibus creaturis ſine eo, quòd eſſet infinita; quia tota collectio omnium creaturarum exiſtentium eſt finita.

In forma igitur diſt. maj. eſt aliquid finitum & in ordine ad actus non ſubordinatos, diverſas eſſentialiter ſpecies importantes, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. ſi ſit æquivalens alicui conjuncto finito, quod diverſos importat actus non ſubordinatos non eſt infinitum, nego, aliter, concedo min. & nego conſequentiam. Cùm enim nulla res finita ſtando in ſua finitudine plures queat habere ſpecies; inde eſt, quòd ſi extaret ſubſtantia aliqua æquivalens conjuncto ex ſubſtantia, & accidente, eſſet infinita; quia iſta reſpiciunt actus primarios diverſos eſſentialiter, ſpecificantes potentias. Undè ſicut hac ratione dari nequit una potentia æquivalens pluribus potentiis non ſubordinatis; ita neque una potentia in ordine ad plures actus non ſubordinatos.

14. Arg. poſtremò duobus exemplis. Et primò. Subſtantia Angeli eſt principium immediatum effectivum cognitionis ſui ipſius: ergo ſubſtantia eſt immediatè operativa. Ant. eſt admittendum. Nam juxta S. Th. p. p. q. 56. art. 1. Angelus cognoſcit ſeipſum per ſuam ſubſtantiam tanquam per ſpeciem intelligibilem; ſed ſpecies eſt principium immediatum effectivum cognitionis, quia ſe habet ut forma determinans potentiam ad cognitionem hujus, potiùs quàm alterius objecti, ut videbimus lib. 2. de Anima q. 6. art. 5. & ultimo: ergo &c.

Secundò. Subſtantia eſt immediata cauſa finalis: ergo de facto ſubſtantia eſt immediatè operativa.

Ad 1. reſpondent plerique in m. ſ. poſſe ſubſtantiam eſſe principium immediatè operativum duntaxat per modum objecti, ut eſt ſubſtantia Angeli reſpectu ſuæ cognitionis. Rationem aſſignant; quia objectum non eſt ſpecificatum, ſed eſt ſpecificativum tum potentiæ, tum operationis.

At ſolutio hæc non videtur facere ſatis. Nam ſpecies intelligibilis conſtituit cum potentia unicum principium intellectionis effectivum, ut videbimus loco nuper relato de Anima: ergo ſicut potentia, immediatè effectivè, & non tantum objectivè operatur, ac ſpecificatur ab operatione, quoque ipſa ſubſtantia Angeli ut gerens vices ſpeciei intelligibilis ſpecificabitur ab ipſa operatione. Omiſſo igitur tum iſta, tum alio M. Cavini reſponſo

Reſp. 1. diſt. ant ut ſubſtantia eſt, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſequentiam. Siquidem cùm ſpecies in eſſe ſpeciei non ſit ſubſtantia, nec accidens; eò, quòd diviſio illa adæquata entis in ſubſtantiam, & accidens eſt diviſio entis in eſſe naturali, non verò entis in eſſe intentionali ut eodem lib. 2. de Anima q. 6. dicemus: idcircò Angelus eſt principium proximum, non ut ſubſtantia eſt; ſed ut eſt quid intentionale præſcindens à ſubſtantia, & accidente.

Reſp. 2. diſt. ant. immediatum per excluſionem ſpeciei mediæ, concedo, ſecùs, nego ant. & conſequentiam. Species namque ſe habet veluti Mas fœcundans, & potentia intellectiva veluti fœmina fœcundata ad partum intellectualem. Ob idque ſicuti Mas fœcundat fœminam, non per ſuam entitatem, ſed per virtutem ſeminalem, quæ poſtea eſt immediatè operativa; ita ſpecies intentionalis creata, quæ eſt ipſum objectum in eſſe intentionali agit in intellectionem, non immediatè per ſeipſam, ſed media virtute in eſſe intentionali ſeminali, qua potentiam fœcundat, licèt non agat media alia ſpecie. Cognitio namque eſt quidam partus intentionalis, ut loco citato de Anima dicemus.

Ad 2. nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia finis non eſt quid ſpecificabile, ſed potiùs quid ſpecificativum.

15. Si petas, num ſubſtantiæ creatæ repugnet eſſe immediatè operativam, vel quia ſubſtantia eſt, vel quia creata eſt; vel ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis.

Reſp. quòd repugnat, non præcisè quia ſubſtantia eſt, ſecùs ſubſtantia Divina non eſſet immediatè operativa; nec præcisè quia creata eſt, cùm accidens ſit creatum; & tamen ſit immediatè operativum. Similiter repugnat, non præcisè ratione perfectionis, cùm ſubſtantia Divina ſit perfectiſſima: nec præcisè ratione imperfectionis, cùm accidens ſit imperfectius ſubſtantia. Repugnat ergo ratione utriuſque, nimirum quia ſubſtantia creata eſt. Similiter repugnat ratione perfectionis admixtæ imperfectioni, videlicet ratio perfectionis limitatæ.

16. Ex his colligitur, Thomiſtas non dicere, quòd ſubſtantia ſit perpetuo torpens otio (ut eos calumniatur Maſtrius) ſed, quòd ſit operans, non quidem proximè, ſed radicaliter, & principaliter.

QUE-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Cauſa Inſtrumentali.

DEfinitio Cauſæ Inſtrumentalis juxta diverſas opiniones diverſimodè ſentientes de conſtitutivo inſtrumenti erit tradenda. Sic alii tenentur inſtrumentum definire, quòd ſit *illud, quod operatur per potentiam obedientialem*. Alii, quòd ſit *illud, quod operatur ad effectum perfectiorem ſe*. Alii verò, quòd ſit *illud, quod operatur per extrinſecam aſſiſtentiam cauſæ principalis*. In ſententia verò Thomiſtica, infra ſtabilienda, dicendum eſt, *inſtrumentum eſſe cauſam illam, quæ operatur in virtute alterius*.

De hoc igitur inſtrumento quæſtionem modò inſtituimus poſt quæſtionem habitam de cauſa principali; quia certum apud omnes habetur, cauſam inſtrumentalem extare duntaxat intra genus cauſæ efficientis. Cauſa namque materialis, & formalis, ſeu materia, & forma, cùm agant per communicationem propriæ entitatis, nequeunt medio aliquo inſtrumento operari. Similiter Finis cùm alliciat ratione bonitatis ſuæ, nequit operari medio aliquo inſtrumento.

Cauſa inſtrumentalis proportionali modo, ac cauſa principalis dividi poteſt. Undè quemadmodum cauſa principalis alia eſt phyſica, phyſicè influens, V.G. ignis reſpectu alterius ignis; & alia moralis, moraliter influens, ut V.G. conſilium, oratio, præceptum &c. Ita inſtrumentum aliud eſt phyſicum, ut V.G. calor reſpectu ignis; & aliud morale, ut V.G. pactum eſt cauſa inſtrumentalis moralis reſpectu ejus, circa quod habitum eſt pactum. Verum eſt tamen, quòd ſicut cauſa principalis moralis non eſt propriè cauſa ſimpliciter, ſed eſt potiùs inductio quædam cauſæ ad agendum; ita cauſa inſtrumentalis moralis non eſt propriè, & ſimpliciter inſtrumentum, ſed eſt potiùs conditio quædam ad agendum.

Præterea quemadmodum cauſa principalis phyſica alia eſt naturalis, alia artificialis, & alia ſupernaturalis: ita inſtrumentum phyſicum aliud eſt naturale ut V. G. intellectus, & voluntas ſunt inſtrumenta naturalia Animæ; aliud artificiale, ut penicillus eſt inſtrumentum Pictoris; aliud ſupernaturale, ut V. G. virtutes ſupernaturales ſunt inſtrumenta gratiæ: quicquid in oppoſitum dicat Scotus, volens duntaxat in artificialibus extare inſtrumenta. Extare namque inſtrumenta in naturalibus habes ex dictis art. præcedenti, ubi vidimus, ſubſtantiam non eſſe immediatum principium effectivum ſuarum actionum. Extare quoque in ſupernaturalibus palam eſt in ipſa gratia, quæ non elicit operationes ſupernaturales, niſi mediis virtutibus, nimirum Fide, Spe, Charitate &c. His habitis

ARTICULUS PRIMUS.

Num inſtrumentum conſtituatur in ratione inſtrumenti per virtutem; & motionem ſibi intrinſecè communicatam à principali agente.

§. I.

1. UT meliùs cum Exteris dimicare valeamus, priùs conciliandi ſunt Noſtrates.

Quidam itaque ex noſtris (& quidem frequentiùs) cum Jo: à S. Th. & aliis negant, quòd inſtrumenta impropriè talia (ut ſunt accidentia reſpectu ſubſtantiæ) participent virtutem ſuperadditam à principali, ſed dicunt eſſe ipſammet virtutem intranſitivè. Alii cum Cajetano p. p. q. 54. art. 3. affirmant etiam de iſtis inſtrumentis.

2. In hoc problematicè ſentio, & puto, utramque partem poſſe haud ægrè ſuſtineri. Primam quidem, non quia ſint inſtrumenta conjuncta (ut plerique in m. ſ. putant) cùm etiam extet aliquod ſeparatum non agens per aliam virtutem ſuperadditam, ut palam eſt de virtute communicata ſemini deciſo à generante. Sed quia (ut dictum eſt q. & art. præcedenti §.3. num. 10. in 2. arg.) illa virtus ſuperaddita accidentibus non eſſet ſubſtantia, nec accidens. Non ſubſtantia, ſecùs ſubſtantia eſſet immediatè operativa. Nec accidens, quia eſſet eadem difficultas de iſto accidente, ac de aliis, an indigeret alia virtute, & ſic in infinitum.

3. Secunda quoque pars pari facilitate defendi poteſt, Tum quia virtus inſtrumentalis debet eſſe tranſiens habens non firmum eſſe (cùm non proveniat ab intrinſecis ipſius inſtrumenti) & incompletum; ſed accidentia, quæ ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ (ſive propriè, ſive impropriè) non ſunt aliquid tranſiens, nec quid incompletum: ergo non ſunt ipſa virtus, adeòque agere debent per virtutem ſuperadditam. Undè S. Th. 3 p. q 62 art 4 *virtus*, inquit, *principalis agentis permanens; & completum eſſe in natura; virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex uno in aliud, ſicut & motus eſt motus imperfectus ab agente in patiens*. Tum quia (ut ſupra diximus) aliquod extat operans in actu ſecundo, quod nec operatur ut inſtrumentum, ſive propriè, ſive impropriè, nec ut cauſa principalis, ſed per modum exercitii, nimirum ipſa actio: ergo pariter dabitur aliquod in actu primo operans, non ut inſtrumentum ſive propriè, ſive impropriè, nec ut cauſa principalis, ſed modo quodam medio, nempe ut virtus. Conſequentia videtur exacta, quia cauſa non minùs in actu primo, quàm in actu ſecundo compleri debet.

4. Ad fundamentum autem partis oppoſitæ, quod militat contra ſecundam Reſp. ex dictis loco ibi citato, virtutem illam eſſe entitativè accidens, virtuosè tamen ſubſtantiam. Quare autem illud accidens, quod eſt inſtrumentum nequeat eſſe virtuosè ſubſtantia, benè verò illud accidens, quod eſt virtus ſubſtantiæ, ratio eſt Tum quia (ut diximus) illa virtus debet eſſe tranſiens; illud autem accidens, quod eſt inſtrumentum habet eſſe permanens. Tum quia quemadmodum actio eſt accidens entitativè, & operativè ſubſtantia per modum actualis exercitii, quatenus eſt operativa ſubſtantiæ; & tamen hoc competere nequit ipſi inſtrumento, aliter hoc eſſet ipſamet operatio: ita poteſt illa virtus, quæ eſt operatio in actu primo eſſe virtualiter ſubſtantia, neutiquam verò illud accidens, quod eſt inſtrumentum.

5. Ad fundamentum ſecundæ partis, quod militat contra primam partem Reſp. ad 1. prob. quòd maj. eſt vera quando inſtrumentum eſt propriè tale, ut ſunt omnia illa, quæ non ſunt proprietas cauſæ principalis; non verò de inſtrumento impropriè tali, ut ſunt accidentia, quæ afficiunt ſubſtantiam veluti proprietates quædam ejus. Ratio eſt, quia primum non eſt ita affixum cauſæ principali, ut eſt ſecundum: Idcircò virtus Cauſæ principalis in ipſo durare duntaxat debet quouſque eſt productus effectus. Qua ratione illa virtus dicitur etiam motio, quia adeſt tantummodo dum Cauſa principalis movet inſtrumentum ad agendum. In ſecundo verò ſemper durat, imò eſt ipſamet virtus intranſitivè, ut non infrequenter dictum eſt.

Verum eſt tamen, quòd accidentia illa, quæ ſunt per ſe primò intenta ad perficiendam ſubſtantiam in ordine ad ſe, ut quantitas, albedo, calor &c. (ſtando in modo dicendi reprobato alias à nobis q. & art. præcedenti §. 3. ſub num. 21. ad 3. arg ſub finem) ſemper deberent participare virtutem, & motionem aliquam intrinſecè ſuperadditam, propter rationem ibi indigitatam.

6. Ad 2. prob. ejuſdem ſecundæ partis aſſigno diſparitatem. Intantum enim debet extare aliquod in actu ſecundo operans, non ut cauſa principalis, neque ut inſtrumentalis, ſed ut quid ab utraque diſtinctum; quia nullum creatum poteſt ſibi identificare ſuum ultimum actum, alioquin eſſet actus purus. Poteſt tamen ſibi identificare actum primum; quia cùm prout ſic adhuc dicat potentialitatem ad actum ultimum, non eſſet actus purus: Idcircò virtus non neceſſariò diſtinguitur à cauſa principali, & inſtrumentali, niſi neceſſitas proveniat ex alio capite, at in inſtrumentis propriè dictis contingit.

Ad id verò, quod ultimò ſubdunt de Scoto, dico, Scotum negare in naturalibus inſtrumenta, ſive propriè, ſive impropriè dicta: idcircò ſuſtinendo primam partem adhuc diverſificamur à Scoto. Deveniendo verò ad noſtrum propoſitum, è diverticulo in viam redeundo.

7. Nonnulli cum Suarez negant, inſtrumentum participare intrinſecam virtutem, & motionem à cauſa; ſed dicunt, conſtitui per ſuam potentiam obedientialem activam ad agendum in effectu excedentem ſe. Alii dicunt ſufficere ſolam extrinſecam aſſiſtentiam cauſæ principalis. Alii ſolam cooperationem cauſæ principalis.

Sententia communis Thomiſtarum eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO.

Inſtrumentum conſtituitur in ratione inſtrumenti per virtutem, & motionem, ſibi intrinſecè à principali agente communicatam.

8. DOcetur à D. Thom. tum loco nuper citato num. 3 tum ibidem art. 1. & in 4. ſent. diſt. 1. q. 1. art. 4 quæſtiuncula 1.

Prob. Inſtrumentum nequit attingere effectum principalis agentis per ſui propriam entitatem, nec per potentiam obedientialem, nec per ſolam extrinſecam aſſiſtentiam principalis agentis, nec per puram ejus cooperationem: ergo debet fieri potens per virtutem intrinſecè ſuperadditam. Conſequentia eſt exacta à ſufficienti diviſione. Ant. prob. 1. quò ad p. p. Si inſtrumentum operaretur per propriam entitatem, eſſet, & non eſſet inſtrumentum; ſed hoc implicat contradictionem; ergo inſtrumentum operari nequit effectum principalis agentis ratione ſuæ entitatis. Prob. maj. Eſſet, ut ſupponitur, & non eſſet, quod probatur. Siquidem, quod operatur virtute propria, operatur ut cauſa principalis, non verò ut inſtrumentum; ſed ſi inſtrumentum ageret per propriam entitatem, ageret virtute propria, quæ eſſet ſui entitas: ergo non eſſet inſtrumentum. Maj. eſt nitens; quoniam inſtrumentum ſe habet ut miniſter; miniſter autem non agit virtute propria: eum ad modum, quo, non miniſter Principis, ſed ſolus Princeps authoritate propria imperat. Undè dicebamus q. & art. præcedenti §. 3. num. 9. ad 1. arg in fine, quòd cauſa principalis agit per virtutem ſaltem ſibi appropriatam. Adde, quòd etiam juxtà Adverſarios effectus debet ſemper excedere inſtrumentum; repugnat autem aliquid propria virtute agere in id, quod eſt ſupra ſe, & excedens ſe.

Prob. 2. idem ant. quò ad 2. p. Tum quia quælibet potentia obedientialis eſt purè paſſiva; ergo repugnat aliquid agere per potentiam obedientialem. Ant. prob. Potentia obedientialis correſpondet potentiæ imperiali, ſicut obedientia correfertur imperio; ſed omnis potentia imperialis eſt activa: ergo omnis potentia obedientialis eſt paſſiva. Undè licèt interdum potentia obedientialis ſit in ordine ad aliquas virtutes activas, ut potentia obedientialis Animæ in ordine ad gratiam, & virtutes ſupernaturales; ipſa tamen non eſt niſi quædam non repugnantia ad patiendum, nimirum ad recipiendum aliquid ſupernaturale. Tum quia potentia obedientialis eſt congenita naturæ cujuſque rei: ergo ſi inſtrumentum per illam ageret, operaretur per aliquid conſequens ad ſui naturam, adeoque per propriam virtutem, ſicque eſſet cauſa principalis.

Tertiò prob. idem ant. quò ad 3. ſimul, & 4. p. & oſtenditur neceſſitas virtutis intrinſecè receptæ. Inſtrumentum, ut fiat potens ad operandum effectum principalis cauſæ, debet intrinſecè mutari; ſed non ſtat intrinſeca mutatio ſine receptione novæ virtutis intrinſecè: ergo cùm ſupponamus modò juxta Adverſarios, per illam extrinſecam aſſiſtentiam, vel cooperationem cauſæ principalis nihil intrinſecè recipi in inſtrumento, ſecus nobiſcum ipſi convenirent, jam dicendum eſt, non ſufficere meram extrinſecam aſſiſtentiam, vel cooperationem cauſæ principalis, ſed opus eſſe virtute, ſeu motione intrinſecè recepta. Min. conſtat. Maj. prob. Fieri de non intrinſecè potente intrinſecè potens eſt intrinſecè mutari; ſed inſtrumentum non eſt de ſe, & per ſui entitatem intrinſecè potens operari effectum principalis agentis, ſecùs eſſet cauſa principalis, ut probatum eſt; ergo ut fiat intrinſecè potens debet intrinſecè mutari.

Conf. Si eſſet ſolummodò extrinſecè impotens, deberet aliquid extrinſecè ſuperaddi, ut fieret extrinſecè potens: ergo pariter ſi eſt intrinſecè impotens, ut fiat intrinſecè potens debet aliquid intrinſecè ſuperaddi.

Adde, quòd nonnunquam inſtrumentum agit non exiſtente cauſa principali, ut conſtat de ſemine à generante deciſo, quod operatur ad fœtus productionem abſente, imò & interdum mortuo generante.

Ex his perſpicuum remanet, non benè, & ſufficienter explicari inſtrumentum, per hoc, quòd operetur effectum excedentem ſe. Non, inquam. Eſt namque hoc pura principii petitio. Quandoquidem hoc eſt, quod quæritur, nimirum per quid, & qua vi, ac virtute queat operari talem effectum excedentem ſe, cùm nequeat propria virtute, ut hactenus probatum eſt.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

9. ARg. 1. Si inſtrumentum reciperet à cauſa principali virtutem aliquam, & entitatem intrinſecè ſuperadditam redderetur cauſa principalis; ſed hoc eſt rationem inſtrumenti tollere: ergo non per virtutem in ſe intrinſecè receptam inſtrumentum operatur. Prob. min. Per virtutem illam redderetur intrinſecè proportionatum ad producendum effectum principalis agentis; ſed, quod eſt proportionatum ad producendum effectum aliquem, eſt cauſa principalis: ergo &c. Maj. eluceſcit. Si namque non eſſet proportionatum, nullo modo poſſet illum attingere. Min. etiam conſtat. Quandoquidem nil plus habet principalis cauſa.

Nec reſpondere cum pleriſque, præſertim in m. ſ. valet quòd inſtrumentum redditur intrinſecè proportionatum proportione materiali, & inſtrumentali, non verò proportione formali, & principali. Non, inquam, valet. Nam hoc eſt, quod argumentum probare intendit, nimirum, quòd eſſet cauſa principalis, & per conſequens proportionatum proportione principali, & quidem formali, cùm virtus illa eſſet formalis. Ea de re reſponſum videtur mera principii petitio. Aliter ergo

Reſp. nego ſequelam. Ad prob diſt maj. Intrinſecè proportionatum imperfectè vialiter, concedo; perfectè, & permanenter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Et inſtatur arg. In ſententia Adverſariorum. Siquidem per potentiam illam obedientialem, vel extrinſecam aſſiſtentiam, aut cooperationem cauſæ principalis inſtrumentum redditur intrinſecè proportionatum ad producendum effectum principalis agentis, ſecus nullatenus poſſet ipſum attingere: ergo redditur cauſa principalis. Sicut igitur hoc argumentum contra nos ſtatuunt, ita contra ipſos pari modo idem ſtatuimus.

Inſtrumentum itaque redditur proportionatum ad effectum principalis agentis, non perfectè, permanenter, uti ad principalem cauſam requiritur; ſed imperfectè duntaxat, vialiter; quia virtus principalis agentis ſolummodo vialiter, imperfectè, & incompletè recipitur in inſtrumento.

Nec indè ſequitur, quòd ſaltem vialiter inſtrumentum conſtituatur cauſa principalis; ſicut ſi talis virtus reciperetur in ipſo permanenter fieret cauſa principalis permanenter. Non, inquam. Nam nego ſuppoſitum, quòd poſſit extare cauſa principalis vialiter, per virtutem vialiter tantummodo in ſe receptam. Quandoquidem Cauſa principalis cùm ſit illa, quæ agit per ſui virtutem, debet perfectè, adeoque permanenter eam poſſidere; quia unumquodque, quod ſuum eſt perfectè poſſidet, ſaltem in naturalibus; quicquid ſit in liberis.

Contra 1. Per illam virtutem inſtrumentum redderetur intrinſecè proportionatum proportione principali formali perfecta completa &c. ergo &c. Prob. ant. Redderetur proportionatum per virtutem principalis agentis in ſe intrinſecè receptam; ſed virtus principalis agentis eſt cum effectu proportionata proportione principali, perfectè, completè, & permanenter: ergo &c.

Secundò. Non eſt de ratione inſtrumenti, ut à cauſa principali diſtincti, operari per virtutem vialem, & tranſeuntem: ergo &c. Prob. ant. Tum quia Anima operatur actum prophetiæ per virtutem vialem, & tranſeuntem; & tamen operatur principaliter, judice S. Th. 2. 2. q. 171. art. 2. in corpore. Tum quia Character Sacramentalis datur per modum formæ permanentis, ut docet S. Th. 3. p. q. 63. art. 5. ad 1. & tamen habet rationem virtutis, qua creatura ut inſtrumentum elevatur. Undè idem Angelicus in 4 ſent. diſt. 8. q. 2. art. 2. ad 9 loquendo de virtute inſtrumentaria Sacerdotis comparativè ad virtutem, quæ eſt in verbis conſecrationis: *ſua*, inquit, ***virtus inſtrumentalis eſt major & dignior, undè etiam permanet, & ad multos hujuſmodi effectus ſe habet, virtus autem verbi tranſit, & eſt ſemel tantùm***.

Reſpondeo ad 1. nego ant. Ad prob diſt. maj. in ſe recepta incompletè, ideſt vialiter, & imperfectè, concedo, completè, ideſt perfectè permanenter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Cùm namque virtus illa non ſit

propria

propria formæ ipſius inſtrumenti, eſt illo imperfectè duntaxat, incompletè tranſeunter, ſeu vialiter (qua ratione dicitur participata) non verò completè, perfectè, & permanenter: idcircò tantummodo incompletè, tranſeunter, ſeu vialiter reddit illud proportionatum ad effectum principalis agentis.

Contra. Etiam cauſa ſecunda movetur à cauſa prima; & tamen eſt proportionata ad proprios effectus perfectè ut cauſa principalis: ergo tametſi inſtrumentum reciperet motionem à cauſa principali, adhuc fieret proportionatum proportione perfecta, & completa, ut principalis cauſa.

Reſp. diſt. ant. movetur purè applicativè, concedo, ſecùs, nego ant. & conſequentiam. Tripliciter poteſt cauſa ſecunda ſubordinari cauſæ primæ. Primò quatenus ab ipſa præmovetur præmotione phyſica ad ſuos effectus (de qua in 7. lib. agemus) & hæc eſt pura applicatio, non verò ſuppeditatio alicujus virtutis, licèt iſta applicatio fiat per impreſſionem cujuſdam qualitatis intrinſecæ. Idcircò non conſtituit cauſam inſtrumentalem, ad quam requiritur receptio alicujus virtutis intrinſecæ; quæ dicitur motio; non quia præcisè applicet, ſed quia datur per modum tranſeuntis. Secundò quatenus Cauſa prima ſimul operatur cum cauſa ſecunda. Et neque hoc conſtituit cauſam inſtrumentalem, niſi aliquid aliud addatur, ut vidimus §. præcedenti a. Tertiò quatenus cauſa ſecunda habet virtutem à cauſa prima, ſibi tamen appropriatam. Et neque hoc conſtituit inſtrumentum, ut dicebamus q. & art. præcedenti §. 3. ad ult. inſt. factam contra reſponſum datum ad 1. arg. ſub num. 9.

Ad 2. inſtantiam plerique in m. ſ. reſpondent, virtutem participatam in inſtrumento non dici tranſeuntem durativè, quaſi, quòd parùm duret, ſed quia tranſit ad aliud extrinſecum.

Verùm hoc videtur contra D. Th. ubi ſupra, nimirum 3. p. q. 62. art. 4. ubi docet, virtutem cauſæ inſtrumentalis eſſe tranſeuntem ex uno in aliud, ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in paſſum. Ubi S. D. docet, virtutem illam eſſe tranſeuntem, non ſolùm ex uno in aliud, ſed etiam eſſe aliquid incompletum, viale, & tranſiens; etiam durativè. Motus enim eſt tranſiens, etiam durativè, quia non durat, niſi quouſque ſit acquiſitus terminus. Et ratio fuit nuper adducta; quia nimirum talis virtus non habet in inſtrumento radicem.

Non tamen propterea intendo, debere parùm durare, tametſi non tam modico tempore producatur effectus. Non, inquam (ut cæteris conſors ſim) ſed duntaxat intendo, quòd duret quouſque ſit productus effectus, ad eum modum, quo motus ceſſat, acquiſito termino. Ad differentiam cauſæ principalis, cujus virtus non tranſit producto effectu.

Reſp. igitur nego ant. Ad 1. prob. dico, quòd virtus Prophetiæ eſtò ſit formaliter tranſiens, eſt tamen æquivalenter permanens, quatenus eſt virtus principii vitalis, faciens id, quod faceret aliquod vitale, quod, ceu illud, quod agit ab intrinſecis radicem ab intrinſeco, adeoque permanentiam petit. Actus namque prophetiæ eſt actus vitalis, licèt ſupernaturalis. Principium autem actus vitalis petit eſſe permanens & ab intrinſecis rei ſaltem æquivalenter, quia de ratione actus vitalis eſt eſſe ab intrinſeco.

Ad 2. prob. Reſp. cum Jo: à S. Th. quòd Character non eſt virtus, qua inſtrumentum movetur à Deo, ſed eſt duntaxat forma, per quam miniſter deſignatur ut inſtrumentum aſſumptibile à Deo ad effectus ſupernaturales. Undè ſumus extra caſum. Quòd ſi S. Th. ibi appellat virtutem inſtrumentalem (ut apparet per id, quod in argumento ſubditur) intendit, eſſe virtutem inſtrumentalem, non formaliter, ſed duntaxat deſignativè, quatenus deſignat miniſtrum, ut inſtrumentum ad recipiendam virtutem inſtrumentalem ad effectus ſupernaturales.

Dices. Vinum non calefacit, niſi ut calefactum per calorem tranſeunter in ſe receptum; ſed vinum calefacit, non ut inſtrumentum, benè verò ut cauſa principalis: ergo tametſi inſtrumentum operetur ut motum à cauſa principali per virtutem etiam tranſeunter in ſe receptam erit cauſa principalis. Maj. liquet. Nam calor eſt inſtrumentum ignis, uti q. & art. præcedenti dicebamus; ſed unum ex inſtrumentis non operatur mediante alio: ergo &c.

Reſp. quòd vel loquimur de calefactione, quam facit vinum per calorem tranſeunter in ſe receptum ab igne vel Sole, &c. Et tunc conceſſa maj. nego min. Ad prob. dico, quòd vinum ſic calefactum non eſt propriè inſtrumentum, nec cauſa principalis, ſed purum medium deferens virtutem calefactivam, ſeu calorem, qui poſtea in virtute ignis, aut Solis, à quo fuit vinum calefactum poteſt in aliquo alio calorem alium producere. Vel loquimur de calefactione, quam inducit vinum medio calore virtuali, quem natura vini præſefert. Et hoc modo operatur ut cauſa principalis per virtutem permanentem naturæ ſuæ appropriatam.

Alia inſtantia de calore naturali ſoluta fuit lib. 5. q. 5. quæ fuit de exiſtentia art. 4. §. 3. ad 1. arg ſub num. 5.

10. Arg. 2. In creatura adeſt potentia obedientialis ad operandum omne, quod Deus voluerit non implicans contradictionem; ſed hæc potentia obedientialis ineſt creaturæ antecedenter ad quamcunque virtutem intrinſecè receptam: ergo poteſt creatura aſſumi ut inſtrumentum Dei abſque virtute intrinſecè recepta. Maj. eſt D. Th. in 4. ſent. diſt. 8. q. 2. art. 3 ad 4. ubi *ſicut*, inquit, *creaturæ ineſt potentia obedientiæ, ut in ea fiat quidquid Creator diſpoſuerit, ita etiam ut ea fiat*. Quod eſt ratio inſtrumenti.

Conſ. Creatura abſque virtute intrinſecè ſuperaddita poteſt recipere aliquid ſupernaturale per ſolam potentiam obedientialem, puta gratiam, virtutes, &c. ergo etiam abſque virtute realiter ſuperaddita per ſolam potentiam obedientialem poterit operari aliquid ſupernaturale.

Si reſpondeas, ut reſponderi conſuevit, quòd adeſt potentia obedientialis remotè, non verò proximè, ut operetur.

Contra eſt. S. Th. dicit, ineſſe naturæ potentiam obedientiæ, ad hoc, ut in ea aliquid fiat, ſicut adeſt potentia, ut media ea aliquid fiat; ſed prima adeſt proximè, ut palam eſt in potentia recipiendi ſupernaturalia: ergo & ſecunda erit proximè. Aliter igitur

Reſp. diſt. maj. adeſt potentia indeterminatè, concedo, determinatè, nego maj. & data, vel diſtincta min. nego conſequentiam. Potentia ſiquidem obedientialis creaturæ eſt intrinſecè indifferens, ut aſſumatur ad operandum hos, vel illos effectus ſupernaturales: Idcircò ut creatura determinetur intrinſecè ad hoc, quòd ſit inſtrumentum in ordine ad talem, vel talem effectum ſupernaturalem debet intrinſecè aliquid ſuperaddi.

Ad Conſ. nego conſequentiam, & paritatem: Diſcrimen eſt, quia plus requiritur ad agendum, quàm ad recipiendum, ſeu patiendum, ut vidimus lib. 1. q. 3. art. 4. & ult. §. 3. num. 9. ad conſ. 5 arg. Idcircò ut creatura recipiat aliquid ſupernaturale non requiritur aliquid intrinſecè ſuperadditum.

Dices. Si quæ eſſet ratio, quare potentia obedientialis proximè non influat in effectum ſupernaturalem, maximè quia eſt intrinſecè, & entitativè ſupernaturalis; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo ſeipſa abſque virtute ſuperaddita ſufficiet. Prob. min. tripliciter. Primò. Potentia obedientialis paſſiva eſt intrinſecè, & entitativè naturalis, & tamen ratione illius poteſt res naturalis eſſe cauſa materialis gratiæ, aliorumve accidentium ſupernaturalium, quæ immediatè educuntur de potentia obedientiali: ergo pariter potentia obedientialis activa eſtò ſit intrinſecè, & entitativè naturalis poterit eſſe virtus proximè effectiva effectus ſupernaturalis.

Secundò. Per D. Th. in 4 ſent. diſt. 5. q. 1. art. 9. virtus inſtrumenti eſt tranſiens, habens eſſe incompletum; & tamen poteſt inſtrumentaliter cauſare effectum permanentem: ergo pariter potentia obedientialis licèt ſit entitativè naturalis poterit inſtrumentaliter producere effectum ſupernaturalem.

Tertiò. Effectus non aſſimilatur inſtrumento, nec virtuti inſtrumenti, benè verò cauſæ principali: ergo eſtò effectus ſit ſupernaturalis poterit virtus proximè productiva eſſe in inſtrumento intrinſecè naturalis.

Ad hoc (omiſſis reſponſis, quæ ad omnes probationes ſingillatim ſolent adhiberi à pleriſque in m.ſ. utpote non neceſſarii) Reſp. faciliter nego abſolutè cauſalem majoris. Ratio namque noſtra eſt, quia potentia obedientialis nullo modo eſt activa ut §. præcedenti a. num. 8. probavimus. Quòd ſi poſtea à D. Th. aſſignatur in ordine ad operandum; Intelligendus eſt Angelicus, quòd ſit in ordine ad operandum, ideſt in ordine ad aliquid, quod datur ad operandum, quatenus eſt in ordine ad recipiendam virtutem, qua poſtea virtute res, cui ineſt talis potentia obedientialis, operatur.

Quando autem diximus, non poſſe inſtrumentum eſſe

aptum ad attingendum effectum principalis agentis per potentiam obedientialem, quia eſt congenita naturæ. Non ideo hoc diximus, quia nequeat aliquid naturale pertingere ad aliquid ſupernaturale. Non, inquam, ſed quia cùm obedientialis potentia ſit congenita naturæ, tunc inſtrumentum ageret per propriam virtutem, ſeu per virtutem ſuæ naturæ congenitam; ſicque eſſet cauſa principalis, & non amplius inſtrumentalis tantùm.

11. Arg. 3. aliquot exemplis. Primò. Aqua baptiſmalis, & res cæteræ corporeæ elevantur ad producendos effectus ſpirituales ſupernaturales. Secundò. Phantaſma inſtrumentaliter concurrit ad productionem ſpeciei intelligibilis; ſed in his nulla recipitur motio, nullaque virtus intrinſeca: ergo &c. Prob. min. Virtus illa vel eſſet ſpiritualis, vel materialis; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. Non eſſet ſpiritualis; quia nequit ſpiritualis virtus in ſubjecto corporeo recipi. Nec materialis; quia materiale nequit producere ſpirituale.

Reſp. nego min. Ad prob. plerique in m. ſ. negant min. quoad p. p. ad cujus prob. dicunt, quòd qualitas ſpiritualis licèt nequeat recipi in ſubjecto corporeo, ut corporeum eſt; poteſt tamen recipi in illo, ut ſubordinabili, & elevabili ad effectus ſpirituales. Verùm ſolutio hæc grave patitur offendiculum. Nam corpus ut corporeum eſt ſubordinatur ſpiritui: ergo ſi nequit recipi in illo qua corporeum eſt, nec quà ſubordinabile, eſt ſiquidem corpus ſubordinatum ſpiritui quatenus eſt ſpiritu inferius; ſed ut corporeum eſt inferius ſpiritu: ergo &c. Aliter igitur

Reſp. nego min. Ad prob. nego min. quoad 2. p. ad cujus prob. diſt. ant. virtus ſpiritualis nequit recipi in ſubjecto corporeo per modum permanentis, concedo, per modum tranſeuntis, nego ant. & conſequentiam. Reſponſum ex dictis eſt planum, quomodo nimirum virtus habeat eſſe in inſtrumento, nempe tranſeunter: quo pacto non repugnat ſpiritui recipi in corporeo.

Contra. Non magis debet proportionari permanenter cum ſubjecto qualitas permanens, quàm debeat proportionari tranſeunter qualitas tranſiens: ergo ſi qualitas ſpiritualis nequit recipi in ſubjecto corporeo per modum permanentis, nec per modum tranſeuntis. Prob. ant. Non minùs recipitur tranſeunter qualitas tranſiens, quàm recipiatur permanenter qualitas permanens; ergo &c.

Reſp. nego ant. Si ly *non minùs* intendat omnimodam paritatem. Idem dico ad prob. Diſparitas eſt, quia qualitas permanens habet radicem in ſubjecto, eſtque in illo ut in ſubjecto proprio: idcircò eſt in illo ut ſubjecto proportionato. Ab oppoſito autem qualitas per modum tranſeuntis nullam habet in ſubjecto radicem; idcircò non eſt in illo tanquam in ſubjecto proprio, & proportionato.

Inſt. Qualitas corporea nec per modum tranſeuntis poteſt recipi in ſubjecto ſpirituali; ergo pariter qualitas ſpiritualis nec per modum tranſeuntis poteſt in ſubjecto corporeo recipi.

Reſp. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia forma cùm actuet, & perficiat ſubjectum debet eſſe in ſua linea illo perfectior. Nullum autem corporeum poteſt eſſe perfectius, & actualius ſpirituali; benè verò ſpirituale eſt perfectius, & actualius corpore.

Oppug. Virtus infinita nec tranſeunter recipi poteſt in ſubjecto finito; ergo pariter nec tranſeunter virtus ſpiritualis poteſt in ſubjecto corporeo recipi.

Reſp. ad hanc inſtantiam, quæ iterum proponetur, & ſolvetur infra lib. 3. q. 2. art. 1. §. 3. num. 8. ad 2. inſt. contra reſponſum dandum ad 1. arg. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia de ratione infiniti eſt eſſe actum purum. Hoc ipſo autem, quòd recipitur in ſubjecto amittit rationem actus puri, quia ex illo, & ſubjecto fit compoſitio per modum actus, & potentiæ, & per modum partis, ac compartis. Cæterùm dum ſpirituale recipitur in corpore non amittit eſſe ſpirituale: ſicut nec virtus ſupernaturalis amittit eſſe ſupernaturale, ex eo, quòd recipitur in ſubjecto naturali. Ratio eſt, quia infinito, ut infinito, ut diximus, repugnat receptio, & receptibilitas in ſubjecto, non ex conceptu finiti, ſed ex conceptu receptionis, & receptibilitatis. Cæterum repugnantia (ſi quæ adeſſet ratio) ut ſpirituale reciperetur in ſubjecto corporeo, adeſſet, non ex cõceptu receptionis, aut receptibilitatis, aliter in nullo etiam ſpirituali ſubjecto recipi poſſet, ſed ex conceptu corporei.

Dices demum. Etiam accidens ſpirituale ſi recipitur in corpore amittit eſſe ſpirituale, & eſt corporeum: ergo par ratio. Prob. ant. Quod habet eſſe in corpore dependenter à corpore eſt corporeum; ſed accidens ſpirituale ſi reciperetur in ſubjecto corporeo, eſſet in corpore dependenter à corpore: ergo &c. Maj. ſuadetur. Nam hac ratione Anima rationalis non eſt in materia dependenter ab illa.

Reſp. nego ant. Ad prob. dico, maj. eſſe veram de eo, quod habet eſſe dependenter à corpore in corpore firmiter, & permanenter, non verò de eo, quod habet eſſe in corpore per modum tranſeuntis.

Si autem petas, quomodo hoc accidens ſpirituale poſſet individuari à ſubjecto materiali, cùm per Thomiſtas accidens individuetur à ſubjecto; aliunde verò tale accidens ſpirituale eſſet individuum ſpirituale.

Reſponderem, quòd individuatur à tali ſubjecto, non quidem ſecundùm ſubjecti potentiam naturalem, ſed obedientialem, quæ ſicut eſt elevativè ſupernaturalis, eſtò ſit entitativè naturalis; ita eſt elevativè ſpiritualis, licèt ſit entitativè materialis.

12. Arg. 4. & ultimò. Idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum; ſed inſtrumentum non diſtinguitur à cauſa principali per hoc, quod eſt recipere virtutem intrinſecam &c. ergo non per hoc conſtituitur inſtrumentum. Prob. min. Etiam Cauſa principalis interdum recipit virtutem ad agendum, ſicut Beati recipiunt lumen gloriæ ad videndum: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. dico, quòd Beati recipiunt lumen gloriæ, non purè tranſeunter; ſed permanenter, & ut virtutem tametſi non propriam; tamen ut ſibi appropriatam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sit ne de ratione inſtrumenti phyſici habere propriam actionem præviam.

§. I.

1. CErtum videtur, quòd inſtrumentum ſaltem connaturale agat per actionem agentis principalis, ſive ſit inſtrumentum propriè tale, ſive impropriè tale, ut etiam innuimus q. 1. art. uoicn §. 3. in prima inſtantia facta contra reſponſum datum ad 2. argum. & iterum mox dicetur. Ob idque dubitatio emergit, num habeat ex propriis ſuam actionem præviam. Quæ difficultas procedit de inſtrumento propriè, non verò de inſtrumento impropriè dicto. Inſtrumentum namque impropriè dictum, cùm ſit ipſa agentis virtus propriam non expoſtulat actionem.

Exploratum quoque eſt, non requiri inſtrumento propriam præviam actionem, quæ effectivè ſe habeat ad effectum principalis agentis: idcircò difficultas duntaxat eſt, an habere debeat propriam præviam actionem, quæ diſpoſitivè tantummodo ſe habeat ad effectum principalis agentis. Undè

Notandum (& quidem ſeriò) quòd non eſt neceſsè, talem actionem eſſe realiter diſtinctam ab actione principalis agentis; ſed ſat eſt, eſſe diſtinctam virtualiter. Sicut V.G. una, eademque ſciſſio ut ſciſſio, eſt actio propria ſerræ, ut ſciſſio verò artificioſa eſt, eſt actio cauſæ principalis, nimirum Artificis. Eaptopter virtus habet ſolùm modificare ipſam ſciſſionem. De quo iterum §. ſequenti 3. ſub num. 6.

Et quidem ſi inſtrumentum haberet actionem aliquam diſtinctam realiter à ſua actione prævia, & ab actione principalis agentis, certè maximè iſta eſſet actio illius virtutis, quam participat ab agente principali, cùm non ſit alia excogitabilis (aliàs erit alia actio propria ipſius inſtrumenti: quod tamen eſſet chimericum aſſerere, cùm implicet, aliquid agere duplici actione ſimul, ſicut repugnat viſum videre ſimul duplici viſione, intellectum intelligere duplici intellectione ſimul in eodem inſtanti) ſed talis virtus non habet actionem diſtinctam ab actione principalis agentis: ergo inſtrumentum non habet actionem diſtinctam ab actione principalis agentis. Min. conſtat. Nam, ut diximus, in agente principali actio inſtrumenti, eſt modificatio duntaxat actionis, ut palam eſt in ſciſſione, quæ ut ſciſſio eſt, eſt actio ſerræ; ut verò artificioſa eſt, eſt actio Artificis.

Quod ampliùs urgeo. Etenim quemadmodum ſe habet inſtrumentum morale ad agens principale morale; ita inſtrumentum phyſicum comparativè ad agens principale phyſicum; ſed inſtrumentum morale habet actionem moraliter

indi-

Digitized by Google

indiſtinctam ab agente principali: ergo pariter actio inſtrumenti phyſici erit indiſtincta ab actione agentis principalis. Min. docetur communiter à Doctoribus, qui hac ratione ſuſtinent, quòd excomunicatus non per Procuratorem non excomunicatum poteſt validum impetrare reſcriptum, quia Procuratoris actio cenſetur moraliter actio ipſius Domini. Jo: Andr. *in cap conſulti de Procurat.* Ancharanus, & plerique alii apud noſtrum Paſſerinum ſuper 6. Decretalium. Tit 3 *de Reſcriptis in cap ipſo jure* q. 1. art. 5. num. 35.

Hinc non eſt neceſsè, quòd actio propria inſtrumenti producat aliquem terminum in effectu; eò vel maximè, quòd virtus cauſæ principalis non habet, niſi modificare ipſam ſciſſionem, eamque reddere artificioſam.

2. Prima ſententia univerſaliter abnuit, quam amplectitur Suarez tom. 1. 3. p. diſp. 31. ſect. 9. cum ferè omnibus Exteris.

Secunda docet, inſtrumentum connaturaliter loquendo debere habere propriam actionem prævìam, non tamen eſſentialiter, adeoque ſupernaturaliter poteſt oppoſitum evenire. Hanc defendit Nugno, Lerma, & alii, præcipuè in autographo cujuſdam ex noſtris eximii nimirum Emin. Ferrari.

Tertia, quam ſuſtinet Cajetanus 3. p. q. 13. art. 2. Jo: à S. Th hic, Complutenſes, Cavinus, & communius Thomiſtæ, eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO.

De ratione eſſentiali inſtrumenti eſt habere propriam prævìam actionem.

3. Efficaciſſima authoritas D. Thomæ habetur ex p. p. q. 45. art 5. ubi probat, creaturam aſſumi nequaquam poſſe ad creandum, eò quòd nequit habere aliquid proprium, per quod diſpoſitivè operetur ad effectum creationis, ut requiritur ad inſtrumentum. Tum verò ſic: Sed neque ſupernaturaliter poteſt creatura aſſumi ut inſtrumentum creationis, ſaltem Thomiſticè loquendo: ergo de ratione eſſentiali inſtrumenti per S. Thomam eſt, habere propriam actionem prævìam, adeo, ut nec ſupernaturaliter oppoſitum evenire queat. Videri poteſt Cavinus hic tract. ultimo q. 2. §. 3. ratione ſecunda.

Reſpondet Nugno 3. p. q. 62. art. 5. & cum eo plerique recentiores in m. ſ. D. Th. loqui de actione latè, & impropriè dicta, ſumpta pro receptione, & ſubſtentatione virtutis à cauſa principali accipiendæ. Et ſit ſenſus, quòd inſtrumentum debet habere propriam entitatem, per quam ſit capax recipere illam virtutem. Vel eſſe intelligendum, quòd inſtrumentum debet habere actionem prævìam æquivalentem, quatenus facit id, quod faceret cùm actione propria. Sed

Contra inſto, Tum quia S. Th. ubicunque tribuit actionem propriam prævìam inſtrumento loquitur de actione propriè & formaliter, non verò impropriè, vel æquivalenter; ſecùs neque actio propria, quæ per iſtos nobis adverſantes Thomiſtas connaturaliter requiritur, eſſet propriè, & formaliter actio: ergo cùm ibi eodem loquatur modo, dicendum eſt, loqui de actione propriè, & formaliter ſumpta. Eò vel maximè, quòd prælaudatus in m. ſ. ex loco illo ſumit authoritatem ad probandum, quòd inſtrumentum connaturaliter loquendo debeat habere propriam actionem prævìam.

Tum quia ſi ſemel hæc via aperitur, jam ratio D. Th. nihil ampliùs concludet. Dicere ſiquidem quis poſſet, creaturam in ordine ad effectum creationis habere propriam actionem latè dictam, quatenus habet entitatem capacem recipiendi Dei virtutem. Licèt namque repugnet, virtutem infinitam (qualis eſt illa, quæ ad creationem requiritur) recipi in creatura; quia infinito, ex quo infinitum eſt, repugnat recipi; tamen repugnantia hæc non ſe tenet ex parte recipientis, ſed ſe tenet ex parte virtutis recipiendæ, quæ hoc ipſo, quòd reciperetur non eſſet ampliùs infinita, ut vel nos dicebamus art. præcedenti §. 3. ad penultimam inſtantiam tertii argumenti. Vel dicere quis poſſet, habere actionem æquivalenter, quatenus faceret inſtrumentum cum propria entitate æquivalenter quidquid faceret cum propria actione formaliter.

4. Prob. 2. ratione. Et primò quantùm ad connaturaliter. Reapſe Securis, & Serra ex propriis habent ſcindere, ut motæ verò ab Artifice ſcindunt artificioſè ad formandam V. G. Cathedram; ergo inſtrumentum habet propriam actionem prævìam. Ant. eſt luce notior. Si namque Securis ex ſe caderet rectè ſuper quid ſcindibile abſque eo, quod ab aliquo moveretur ſcinderet, undè movens ſe habet purè applicativè ad hoc, ut abſolutè ſcindat.

Similiter in Inſtrumentis Divinæ virtutis, aqua baptiſmalis ex ſe habet abluere, & per actionem Dei cauſat gratiam: ergo reapſe inſtrumentum phyſicum habet actionem prævìam.

Et ratio eſt, quia ſi inſtrumentum non haberet quicquam proprium, per quod ad effectum principalis agentis elevaretur, ſequeretur, non minorem aptitudinem ut elevaretur unum quàm aliud, quia de ſuo nihil haberent; ſed hoc procul eſt à vero, ſecùs non minùs uno, quàm alio poſſemus inſtrumento uti; ſicque poſſemus uti malleo ad ſcribendum, calamo ad ferrum contundendum: ergo dicendum, quòd inſtrumentum aliquam habeat propriam actionem, per quam ad effectum principalis agentis concurrat.

Quod verò id ſit de eſſentia inſtrumenti. Prob. Niſi inſtrumentum haberet propriam prævìam actionem ſaltem virtualiter diſtinctam ab actione principalis agentis, eſſet & non eſſet inſtrumentum; ſed hoc eſt implicatorium: ergo de ratione eſſentiali ipſius inſtrumenti eſt habere propriam actionem prævìam. Prob. maj. Eſſet, ut ſupponitur: Et non eſſet. Quod prob. De ratione inſtrumenti eſt, quòd operetur modo inferiori ad cauſam principalem, & modo elevabili; ſed niſi inſtrumentum haberet propriam actionem non eſſet inferius ad cauſam principalem in operando: ergo non eſſet inſtrumentum. Maj. eſt nota. Secùs enim non eſſet inſtrumentum. Min. prob Niſi haberet actionem propriam, operaretur per ſolam actionem cauſæ principalis; ſed actio cauſæ principalis non conſtituit inferius ad ipſam cauſam in operando, aliter etiam Cauſa principalis per ſui actionem fieret inferior ſeipſa: ergo non eſſet in operando inferius ad cauſam principalem.

5. Prob. deinde. Inſtrumentum eſſentialiter diſtinguitur à medio, quod eſt purum ſubjectum deferens virtutem, actionemque agentis; ſed non ſic diſtingueretur, niſi haberet propriam actionem prævìam, ſaltem prævietate virtuali: ergo de ratione eſſentiali inſtrumenti eſt habere propriam actionem prævìam, prævietate ſaltem virtuali. Maj eſt certa. Quandoquidem inſtrumentum eſt de genere Cauſæ efficientis, & non purè deferentia. Min. verò prob. ſiquidem tunc inſtrumentum nihil de ſe operaretur: ergo eſſet purum ſubjectum deferens.

Reſpondet prælaudatus Nuperus, quòd eſſet purum medium, quidem reſpectu virtutis; non tamen reſpectu effectus.

Contra eſt, Tum quia virtus eſt id, quod conſtituit aliquid potens ad operandum, vel principaliter, vel inſtrumentaliter juxta modum cauſæ: ergo ſi eſſet ſubjectum purè deferens reſpectu virtutis, eſſet quoque purum ſubjectum deferens omnibus modis. Tum quia inſtrumentum nihil ex ſe operaretur in ordine ad effectum: ergo ex ſe eſſet purum deferens. Ad eum modum, quo aer V. G. non dicitur inſtrumentum, medio quo objectum producit ſpeciem, ſed purum ſubjectum deferens ſpecies; quia aer nihil operatur ad illius productionem, & immiſſionem; ſicque inſtrumentum non eſſet ampliùs de genere cauſæ efficientia, ſed eſſet duntaxat de genere cauſæ materialia, ad quam ſpectat ſubjectum deferens.

Nec dicas cum eodem, quòd inſtrumentum conſtituitur in ratione inſtrumenti, non ex ſe, ſed duntaxat per virtutem participatam à cauſa principali.

Non, inquam id dicatis. Inſtrumentum namque ex ſe non ſpectat ad genus cauſæ materialis, ut ſpectat purum ſubjectum deferens: ergo ex ſe ſpectat ad genus cauſæ efficientis, non principalis: ergo inſtrumentalis; ac per conſequens ex ſe conſtituitur in ratione inſtrumenti. Undè requiritur quidem virtus participata à cauſa principali; non tamen requiritur, ut conſtituat illud in ratione inſtrumenti; ſed requiritur, ut moveat, faciatque inſtrumentum operari, ipſiuſque operationem perficiat, & elevet ad effectum producendum.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

6. ARg. 1. contra p. p. Concluſionis. Inſtrumentum debet operari inſtrumentaliter; ſed ſi haberet propriam actionem præviam operaretur principaliter, & non purè inſtrumentaliter: ergo inſtrumentum nullam habet propriam actionem præviam. Prob. min. Inſtrumentum reſpectu talis ſuæ operationis propriæ eſſet cauſa principalis.

Reſpondeo diſt. maj. debet operari inſtrumentaliter quando operatur formaliter effectum, concedo, quando operatur duntaxat diſpoſitivè, nego maj. & diſtincta min nego conſequentiam. Actio ſiquidem propria inſtrumenti eſt actio diſpoſitiva, ſeu diſpoſitio quædam, non verò eſt productiva effectus formaliter. Eapropter ex hoc tantùm ſequitur, quòd inſtrumentum diſpoſitivè operetur principaliter. Hoc autem nullum redolet inconveniens, quod tunc ſolummodo ſaperet, quando inſtrumentum operaretur principaliter producendo formaliter effectum.

Contra. Si inſtrumentum operaretur aliquid diſpoſitivè ad effectum, deberet producere diſpoſitionem aliquam in termino; ſed falſum hoc eſt: ergo inſtrumentum nihil per propriam actionem diſpoſitivè operatur. Maj. conſtat. Quandoquidem diſpoſitivè operari nil aliud ſonat, quàm diſpoſitiones ponere, & cauſare. Min. prob. S. Th. 1. 2. q. 118. art. 1. ad 1. ubi docet, quòd poteſt Deus aſſumere actum immanentem, ut aliquid extra ſe miraculosè operetur V. G. cogitationem, viſionem &c. ſed actus immanentes nihil producunt in termino extra ſe: ergo inſtrumentum nullam producit diſpoſitionem in termino.

Conſ. In probabili Thomiſtarum ſententia creatura ſolùm inſtrumentaliter producit exiſtentiam ſui effectus; ſed creatura in tali exiſtentia nec diſpoſitivè aliquid producit: ergo &c. Prob. min. Si in exiſtentia aliquid operaretur, maximè vel producendo illam ut exiſtentia eſt (eo modo, quo lignum ut præcisè ſciſſum eſt à ſerra, ut tali verò modo ſciſſum, nimirum artificiosè, eſt ab Artifice) vel ut talis exiſtentia eſt; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. Maj. à ſufficienti diviſione patens eſt. Min. prob. Non operatur illam ut exiſtentiam abſolutè, ſecùs omnem poſſet exiſtentiam producere adeoque creare: idcircò ad exiſtentiam, ut abſolutè ens eſt nec principaliter, nec inſtrumentaliter concurrere poteſt. Neque ut talis exiſtentia eſt, quia ſub hac ratione quatenus ultimam actualitatem creatura producit illam inſtrumentaliter per actionem, & virtutem principalis agentis, nimirum Dei: ergo ſub nulla ratione.

Reſp. ad inſt. ex dictis §. 1. cum Joan: de S. Th. nego abſolutè maj. ad cujus prob diſt. ant. operari diſpoſitivè, diſpoſitione ſe tenente ex parte rei productæ, concedo, diſpoſitione ſe tenente ex parte modi operandi, nego ant. & conſequentiam. Interdum enim actio propria inſtrumenti diſpoſitivè operatur tùm ex parte modi producendi, tum ex parte rei productæ. Et tunc producit in termino aliquid, quod ſe habet ut diſpoſitio ad effectum. Sic V. G. ſerra per propriam actionem facit lignum eſſe ſciſſum, & per actionem Artificis facit eſſe ſciſſum artificiosè. Interdum verò duntaxat ex parte modi producendi. Et tunc non eſt neceſſè, quòd aliquid in termino producat; quia tunc requiritur tantùm ut modificabilis artificioſitatis modo ab actione principalis agentis. Sicque contingit in exemplis adductis.

Qua ex re apparet, quòd etiam actus immanentes, ut cogitatio, viſio &c. quando aſſumuntur ut inſtrumentum habent ſuam actionem præviam. Viſio enim, & cogitatio eſt eorum propria actio, imò ſunt ipſa actio, ſuntque ipſum inſtrumentum, ipſaque operatio intranſitivè: Ut viſio verò, vel cogitatio miraculoſa operatur inſtrumentaliter extra ſe effectus miraculoſos.

Dices. Actio illa ut modificata per actionem principalis agentis, vel eſt realiter diſtincta ab ipſa actione principalis agentis, vel non. Sed neutrum dici poteſt: ergo nihil diſpoſitivè operatur etiam ex parte modi producendi. Min. quò ad p. p. eſt evidens. Nam ſciſſio ſerræ ut ſciſſio eſt, & ut artificioſa eſt, virtualiter duntaxat diſtinguitur. Quò ad 2. verò prob. Dicta actio vocatur à nobis prævia; ſed ſi non eſt realiter diſtincta, nequit eſſe prævia: ergo &c.

Reſp. data maj. diſt. min neutrum dici poteſt poſitivè, concedo, permiſſivè, nego min. & conſequentiam. Actio ſiquidem propria inſtrumenti ex ſui ratione formali nec dicit eſſe realiter identificatam cum actione principalis agentis, nec eſſe realiter diſtinctam; ſed indifferenter ſe habet. Unde interdum poteſt eſſe realiter identificata, ut in exemplo adducto de ſerra; interdum realiter diſtincta, ut contingit in aqua baptiſmali, in qua ablutio eſt actio realiter diſtincta ab actione productiva gratiæ.

Ad id, quod ſubditur, videlicet quòd niſi eſſet realiter diſtincta nequiret dici prævia Reſp. ly *præviam* non debere intelligi de ſola prævietate reali, ſed vel reali, vel virtuali.

Ad Conſ. quam in publicis diſputationibus audivi ab eximio quodam Carmelita excalceato, reſponderi poteſt ex dictis, & concedi, quòd nulla ſub ratione attingatur exiſtentia per actionem propriam Creaturæ; quia non eſt de ratione inſtrumenti, quòd ſemper per propriam actionem aliquid producat ut in termino, ut nuperrimè conſpeximus.

Vel (ultraquamquod ego præfatam opinionem non amplector) Reſpondeo, quòd per propriam creaturæ actionem attingitur exiſtentia, non tamen ſub ratione exiſtentiæ abſolutè, ut optimè probat arguens, ſed prout eſt proprietas quædam ſui effectus, ſi non proprietas ſtrictè, ſaltem latè dicta pro omni eo, quod conſequitur ad eſſentiam. Et ſub hac formalitate eſt terminus actionis propriæ ipſius creaturæ.

Contra. S. Thom. locò ſuperiùs num. 13. à nobis citato probat, creaturam eſſe non poſſe inſtrumentum creationis, quia nequit operari aliquid diſpoſitivè ad effectum creationis, cùm creatio non ſit de aliquo præſuppoſito, quod poſſit diſponi per actionem inſtrumentalis agentis. Tum verò ſic: ſed ſi actio prævia præſuppoſita ad inſtrumentum non deberet operari aliquid in ſubjecto, hæc ratio eſſet nulla: ergo corruit præfata doctrina. Prob. min. Si actio inſtrumenti nihil producit in ſubjecto, jam poterit dari, abſque eo, quòd ſupponatur ſubjectum aliquod diſponibile: ergo verificabitur, quòd non ſit ex aliquo præſuppoſito, quod diſponi poſſit, ſicque erit creatio.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. ant. abſque eo, quòd ſupponatur aliquod ſubjectum diſponibile, diſpoſitione ſe tenente ſive ex parte rei productæ, ſive ex parte modi producendi, concedo, præcisè ex parte rei productæ, ſubdiſtinguo tum in ſe, tum in alio, concedo, præcisè in ſe ipſo, nego ant. & conſequentiam. Optima igitur eſt D. Thomæ ratio, quia creatio, cùm ſit ex nihilo nullam debet ſupponere diſpoſitionem ſive ex parte rei productæ, ſive ex parte modi producendi. Si autem creatura aſſumeretur ut inſtrumentum ad creationem, licèt non ſupponeret aliquod ſubjectum diſponibile in ſe, ſupponeret tamen aliquod diſponibile in alio; quatenus per hoc, quòd ejus actio modificaretur actione Dei, iſta operaretur aliquo modo ex aliquo præſuppoſito ſubjecto; quia cauſa prima operando cum cauſa ſecunda, illi ſe accommodat. Ea de re quemadmodum actio illa creaturæ deberet eſſe ex præſuppoſito ſubjecto, ceu finita actio, ita actio Dei deberet eſſe ex præſuppoſito ſubjecto.

7. Arg. 2. ad idem. Non pauca ſunt inſtrumenta, quæ nullam habent propriam actionem præviam: ergo hæc non eſt de ratione eſſentiali inſtrumenti. Prob ant. 1. Humanitas Chriſti concurrit inſtrumentaliter phyſicè ad producendam in nobis gratiam, & tamen nullam habet actionem præviam. Secundò. Corpus Eliſæi per contactum corporis ſuſcitavit Juvenem extinctum; & tamen nullam actionem propriam præviam habuit: Tertiò. Paſſio Chriſti eſt cauſa inſtrumentalis noſtræ juſtificationis, ejuſque reſurrectio noſtræ reſurrectionis, judice D. Th. 3 p. q 56. art. 1. ſed paſſio, & reſurrectio Chriſti Domini nullam habent actionem præviam, cùm ſint præteritæ: ergo non pauca ſunt &c.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. nego ant Humanitas quippe Chriſti habet omnes ſuas operationes interiores Animæ, præcipuè actus voluntatis, per quos diſpoſitivè, & præviè ad noſtram juſtificationem operatur.

Ad 2. pariter nego ant. Propriam ſiquidem operationem habuit corpus illud Eliſæi, nimirum impulſum ſuipſius ſuper illud cadaver, vel mediis ſuis qualitatibus, videlicet humido, vel calido, actiones humefactivas, vel calefactivas.

Ad 3. diſt. maj. paſſio, & reſurrectio Chriſti in recto, nego, ut connotata, concedo maj. & omiſſa min. nego conſequen-

ſequentiam. Quando ſiquidem dicitur, quòd Chriſti paſſio eſt cauſa juſtificationis noſtræ, & reſurrectio Chriſti eſt cauſa inſtrumentalis reſurrectionis noſtræ, ſumitur paſſio, & reſurrectio Chriſti, non in recto, ſed de connotato; & facit ſenſum, quòd humanitas Chriſti, ut connotans ſuam paſſionem, & reſurrectionem eſt talis cauſa inſtrumentalis; Humanitas autem, ut diximus, ſuas habet proprias operationes.

Dices. Actiones aſſignatæ in præfatis inſtrumentis ſunt naturales, effectus verò ſunt ſupernaturales; ergo nulla ibi extat actio propria.

Reſp. Actiones illas, ceu naturales attingere tales effectus ſupernaturales, non ut ſupernaturales ſunt, ſed ſecundùm rationes magis univerſales. Vel dico, quòd illæ actiones nihil ex parte effectus producunt, ſed duntaxat diſpoſitivè ex parte modi operandi, modo nuper prædeclarato.

Dices. Ignis Inferni torquet Dæmones; ſed talis ignis nullam habet propriam operationem attingentem Dæmones ſecundùm ullam rationem: ergo &c. Min. conſtat. Quandoquidem Dæmones ſecundùm omnem rationem ſunt ſpirituales; ſed actio materialis, ut eſt actio ignis, non attingit effectum ſpiritualem: ergo &c.

Reſp. primitèr ex dicendis in Meth. q. 13. art. 2. §. 3. ad 2. arg. ſub num. 6. ſub finem, eſſe inſtrumentum duntaxat impropriè ipſum ignem. Præterea nego min. Ad prob. dico, quòd Dæmones licèt ſecundùm omnem rationem implicitam ſint ſpirituales, non tamen quò ad omnem rationem implicitam, puta ſecundùm rationem creaturæ &c. aliter omnis creatura eſſet ſpiritualis. Undè ſecundùm hanc rationem poſſunt terminare diſpoſitivè materialem actionem propriam ignis.

Deinde ex nuper dictis reſponderi poteſt, actionem ignis non producere aliquid in ipſis Dæmonibus, ſed operari præviè diſpoſitivè ex parte modi duntaxat operandi; quatenus nimirum ignis elicit actionem modificabilem ab actione principalis agentis, media qua ſpirituali modificatione poteſt ſpiritualem rem attingere. Alia ſolutio videri poteſt apud Salmant. p. 2. in tract. de vitiis, & peccatis q. 87. diſp. 18. ubi agunt de pœna reatus Dæmonum num. 44. & num. 46. ubi, actionem propriam præviam ignis aſſignant. Sed noſtrum non eſt pro nunc tam magnam provinciam aſſumere.

8. Arg. 3. contra 2. p. Inſtrumentum per actionem propriam diſpoſitivè operatur ad effectum; ſed Deus non dependet à diſpoſitionibus: ergo poteſt à Deo aſſumi aliquod inſtrumentum nullam habens actionem propriam.

Reſp. diſt. min. non dependet à diſpoſitionibus abſolutè, concedo, ex ſuppoſitione, nego min. & conſequentiam. Deus quemadmodum non dependet à creatura in operando abſolutè; tamen ex ſuppoſitione, quòd velit ſimul operari cum creatura, ita dependet à creatura, quòd ſine illa operari nequit: ita quamvis abſolutè non dependeat à diſpoſitionibus; ex ſuppoſitione tamen, quòd velit operari mediis inſtrumentis, ſic ab eis dependet, quòd nequit abſque diſpoſitionibus medio inſtrumento operari.

Contra. Deus nec ex ſuppoſitione dependet à prævia diſpoſitione inſtrumenti: ergo ſolutio deficit. Prob. ant. Deus etiam ex ſuppoſitione, quòd velit operari mediis inſtrumentis, adhuc uno, non minùs ac alio poteſt uti ad effectum quemcunque: ergo &c.

Conf. fundamento prælaudati in m. ſ. Poteſt à Deo conferri virtus faciendi miracula, & cauſandi gratiam eo modo quo eadem virtus confertur Sacramentis, alicui ſubjecto nullam habenti virtutem activam, & operationem propriam; ſed in tali eventu hujuſmodi ſubjectum ageret ut inſtrumentalis cauſa ſine actione propria: ergo non eſt de eſſentia inſtrumenti habere actionem propriam præviam. Min. videtur certa. Nam in tali caſu hujuſmodi ſubjectum ageret, cùm haberet actum primum agendi, nimirum virtutem principalis agentis, adeoque poſſet quoque actum ſecundum habere; ſed non ut cauſa principalis: ergo ut cauſa inſtrumentalis.

Prima autem maj. prob. Tum quia ad virtutem faciendi miracula, & conferendi gratiam non eſt creatura elevabilis, niſi mediante potentia obedientiali; ſed potentia obedientialis non eſt magis in creatura operante, quàm in non operante propriis meritis, quia non magis primo, quàm ſecundo modo eſt ens creatum: ergo poteſt à Deo conferri virtus faciendi miracula, & cauſandi gratiam ſubjecto non habenti virtutem activam, & operationem propriam.

Tum quia ut elevetur intellectus mediante lumine gloriæ ad viſionem beatam excedentem propriam virtutem naturalem non requiritur, quòd habeat propriam actionem: ergo etiam ut elevetur aliquod ens naturale &c.

Denique. Sicut in creatura intellectuali adeſt potentia obedientialis ad recipiendam gratiam, ita in inſtrumento adeſt potentia, ut aſſumatur ad agendum; ſed licèt adultis reapſe, & connaturaliter juxta curſum ordinarium non conferatur gratia, niſi ſe diſponant per actum dilectionis Dei; hoc tamen non eſt de eſſentia gratiæ, ut certum eſt in infantibus baptizatis; ergo etiam licèt connaturaliter, & juxta potentiam ordinariam &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. non minùs poteſt uti uno, quàm alio tanquam inſtrumento impropriè dicto, concedo, propriè, nego ant. & conſequentiam. Poteſt equidem à Deo non minùs una, quàm alia creatura aſſumi ad effectus producendos, tametſi non habeat propriam actionem V. G. calamus ad ferrum contundendum, ad lignum ſcindendum &c. ad quæ nullam calamus actionem habet propriam; item malleus, ſerra &c. ad ſcribendum. Attamen tunc hujuſmodi res non erunt propriè inſtrumenta, ſed erunt quædam purè media, & ſubjecta deferentia ejus virtutem.

Contra ex præfato Nupero. Inſtrumentum non conſtituitur in ratione talis per propriam virtutem, & actionem, benè verò per virtutem, & actionem participatam ab agente principali: ergo tametſi illam non habeat poteſt eſſe inſtrumentum propriè dictum, & non purum deferens virtutem. Ant. prob. Reſpectu propriæ actionis eſt cauſa principalis, non verò inſtrumentalis: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. non conſtituitur adæquatè per propriam virtutem, & actionem, concedo, non conſtituitur inadæquatè, nego ant. & conſequentiam. Inſtrumentum igitur non conſtituitur adæquatè per ſuam propriam actionem, & virtutem; ſed conſtituitur & per ſuam virtutem, ac operationem præviam, & etiam per virtutem, & actionem participatam à cauſa principali. Undè altera ex his deficiente non ſalvatur inſtrumenti eſſentia. Ex his

Ad Conf. data maj. nego min. quò ad p. p. & dico, quòd tunc hujuſmodi res nullam habens actionem præviam propriè non operaretur ut cauſa inſtrumentalis. Ad prob. dico, quòd propriè nec operaretur nec ut cauſa inſtrumentalis, quia ad iſtam prærequiritur actio prævia (ut probavimus) nec ut cauſa principalis ullo modo. Ad impugnationem annexam dico, quòd haberet actum primum, non in ratione actus primi, ſed duntaxat ut quoddam accidens eſt, ideſt haberet in ſe virtutem principalis agentis, non ut virtus eſt, ſed quoddam accidens in ipſo ſubſtentatum, & deiatum.

Ad probationes verò majoris quantùm poſſent urgere contra hactenus dicta, Reſp. quòd creatura eſt elevabilis ut inſtrumentum ad recipiendam virtutem faciendi miracula mediante ſola potentia obedientiali in recto; non tamen in obliquo, quia hujuſmodi potentia obedientialis eſſentialiter connotat propriam ipſius inſtrumenti actionem.

Ad 2. dico, quòd Intellectus in viſionem beatificam licèt non habeat propriam actionem proximè, habet tamen radicaliter. Quare autem non habeat actionem proximè; hoc ideo eſt, quia elevatur per modum principii, non purè inſtrumentalis, ſed principalis, ſecùs viſio beatifica non eſſet operatio vitalis.

Ad ultimam diſt. maj. cæteris paribus, nego, ſecùs, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia, quòd gratia non conferatur adultis, niſi per dilectionis actum ſeſe diſponant, non provenit ex eſſentiali, imò nec ex connaturali exigentia ſiva ipſius gratiæ, ſive ſubjecti recipientis, ſed ex voluntate Dei, qui ſic ſtatuit, ne gratia conferatur adultis, niſi ſeſe diſponant. Vel ad ſummum intervenit exigentia quædam moralis. Cæterùm, quòd inſtrumentum diſpoſitivè operetur per propriam actionem provenit ab exigentia, tum connaturali inſtrumenti, ut vel ipſi adverſarii fatentur; tum ab exigentia eſſentiali; ut fusè §. præcedenti 2. num. 4. in fine, & num. 5.

APPENDIX.

Quænam ſit cauſalitas cauſæ efficientis.

1. EX dictis lib. 1. art. 1. & ibidem art. 2. conſtare poteſt, cauſalitatem cauſæ materialis, ſeu materiæ, eſſe actualem formæ receptionem, hoc eſt actualem unionem ad formam; & cauſalitatem cauſæ formalis, ideſt formæ, eſſe actualem informationem, ſive communicationem, & unionem ad materiam; ſi conſiderentur materia, & forma ut ſunt cauſæ ad invicem: ſi verò conſiderentur ut ſunt cauſa compoſiti, earum cauſalitas eſt actualis mutua traditio, nimirum unio utriuſque, ſive materia, & forma collectivè, ideſt ſimul ſumptæ, & unitæ. Videatur locis citatis. Supereſt igitur difficultas de cauſalitate cauſæ efficientis.

Circa quam Univerſi conveniunt, cauſalitatem Cauſæ efficientis eſſe actualem operationem in concreto, ideſt actu operari, & agere, ſolumque diſcrepant in modo. Nam aliqui dicunt, eſſe actionem ut reſpicientem, & dicentem ordinem ad agens. Alii dicunt, eſſe actionem ut dicentem ordinem ad paſſum: Imò Suarez dicit, cauſalitatem cauſæ efficientis eſſe dependentiam effectus à cauſa.

2. Dico igitur, quòd cauſalitas cauſæ efficientis eſt operatio, ut dimanans ab agente. Ratio eſt, quia cauſalitas eſt ratio formalis, qua cauſa conſtituitur in actu ſecundo cauſans, ſicut cauſativitas, ideſt virtus ad cauſandum, eſt id, quo cauſa conſtituitur potens cauſare, videlicet cauſans in actu primo; ſed id, per quod cauſa efficiens eſt in actu ſecundo, cauſans, & operans eſt operatio ut ab ipſa cauſa dimanans: ergo actio, ut ab agente dimanans, eſt cauſalitas cauſæ efficientis.

Qua ex re infertur, cauſalitatem cauſæ efficientis non eſſe dependentiam effectus à cauſa; quia cùm conſtituat in actu ſecundo operantem ipſam cauſam agentem, ſeu ipſum agens, debet eſſe aliquid ſe tenens ſaltem dimanativè ex parte agentis.

Infertur etiam, non poſſe eſſe relationem aliquam; quia actio, & paſſio, non ſunt relatio, ſed ſunt relationis fundamentum. Ut namque in Logica vidimus, inter relationis fundamenta ſupputatur actio, & paſſio. Verum eſt tamen, quòd conſecutivè importatur etiam relatio ad effectum tanquam ad quid conſecutum ad actionem, ut ad fundamentum.

3. Si objicias cum Suarez, quòd poſita dependentia effectus à cauſa intelligitur ipſa cauſa in actu ſecundo operans: ergo hujuſmodi dependentia erit cauſalitas cauſæ efficientis.

Reſp. diſt. ant. Intelligitur ipſa cauſa in actu ſecundo operans præſuppoſitivè, concedo, formaliter, nego ant. & conſequentiam. Poſita ſiquidem dependentia effectus à cauſa, intelligitur cauſa operans, non formaliter, quaſi quòd illa dependentia ſit ratio formalis conſtituendi cauſam in actu ſecundo operantem, ſed præſuppoſitivè; quia nimirum præſupponitur cauſa operans media operatione tanquam ratione formali, & cauſalitate.

Vel aliter cum Cavino diſt. ant. intelligitur operans, intelligitur, inquam à poſteriori, concedo, à priori, nego ant. & conſequentiam. Coincidit diſtinctio hæc cum prima diſtinctione.

QUÆSTIUNCULA.

De Caſu, Fortuna, & Fato,

1. CAſus etymologicè dicitur à *cadendo*, eò, quòd illa, quæ caſu eveniunt, ab ordinario rerum ordine cadunt. Fortuna dici videtur à verbo Fero; eò quòd fortuitè evenire nihil aliud ſit, quàm præter intentum ferri. Fatum dictum eſt à fando, ideſt à dicendo; eò, quòd Gentes Fatum pro aliquo dicto ab Oraculis, & non infrequenter pro ipſi Oraculis, & Diis acceptum habebant. Eapropter Virgilius: *oblitus fatorum Italas ne capeſſeret oras*. Et omnes pertinent ad genus cauſæ efficientis.

2. Caſus definitur ſic: *Cauſa per accidens efficiens eorum, quæ non ex propoſito fiunt propter finem, raròque contingunt.*

Fortuna definitur ſic: *eſt Cauſa efficiens per accidens, in his, quæ ſecundùm propoſitum fiunt propter finem, raròque contingunt.*

Fatum definitur ſic: *eſt Ordo cauſarum naturalium ad effectus divinitùs proviſos.*

Pro notione, adnoto cum Soto, quòd bifariam cauſa per accidens accipi poteſt. Primò quatenus conjungitur cum cauſa per ſe, ſicut Muſicus dicitur efficere ſtatuam per accidens; quia Muſica eſt conjuncta cum Arte Statuaria in ipſo. Secundò quatenus attingit effectum, qui non intenditur, ut cùm foſſio eſt cauſa inventionis Teſauri. Et hoc ſecundo modo ſumitur ly *cauſa per accidens* in definitione Caſus, & Fortunæ. Dicitur verò in definitione Caſus *non ex propoſito fiunt*, In definitione verò Fortunæ *ſecundùm propoſitum fiunt*; quia Caſus invenitur etiam in his, quæ non liberè agunt; Fortuna verò duntaxat in his, quæ liberè, ſeu ex electione agunt.

Denique in Caſus, & Fortunæ definitione ponitur ly *propter finem*; quia Caſus, & Fortuna non inveniuntur, niſi in his, quæ operantur propter finem.

3. Ex his deducitur, quòd Cauſa per accidens latiùs patet, quàm Caſus, & Fortuna, ut conſtat accipiendo Cauſam per accidens primo modo recenſito in præcedenti Notando. Similiter latiùs patet caſus, quàm Fortuna, quia caſus reperitur etiam in ratione carentibus ut liquet in Fulmine, quod ex ſe labendo deorſum interdum caſualiter percutit Hominem; non tamen Fortuna, quæ locum non habet, niſi in rationalibus liberè agentibus cum cognitione, & electione finis. Undè Ariſt. lib. 2. moral. *Ubi minùs de intellectu, ibi magis de fortuna*, ideſt quò minùs aliquid eſt intentum, eò magis fortuitum.

4. Conſtat etiam Fortunam hic ſumi, non ſicut apud Vulgum pro effectu fortuito, ratione cujus interdum quis fortunatus appellatur propter effectum proſperè evenientem. Non, inquam, ſed ſumi pro ipſa cauſa per accidens &c.

5. Conſtat denique Caſum, & Fortunam modo prædeclarato inveniri à parte rei, contra quoſdam, qui omnia neceſſariò evenire putabant. Non tamen invenitur in Cœlis (ut falsò Democritus arbitratus eſt) quia, inquit Ariſtoteles, non in omnibus rebus inferioribus reperitur caſus, & fortuna, cùm conſtet, quòd Oliva V. G. nonniſi Olivam producit: ergo non invenitur in Cœlis, quæ his omnibus perfectiores ſunt, ceu illi, qui de Divino plùs habent.

6. Fatum dicitur ordo cauſarum. Non quia Fatum ſit pura relatio pro formali (uti Cavinus ſentire videtur) alioquin non benè definiretur per ordinem ad effectum, cùm relatio non ſit de genere effectivi: Eò vel maximè, quòd ille ordo verſatur inter cauſas naturales, non verò inter cauſam, & effectum. Dicitur itaque *ordo cauſarum* &c. quia importat cauſas ſecundas operantes debita ſubordinatione V. G. importat cauſam particularem ſubordinatam univerſali, & minùs univerſalem ſubordinatam univerſaliori. Undè Fatum hic definitur per ſuum connotatum, nimirum importandu tales cauſas connotantes talem ordinem, & ſubordinationem.

Dicitur *in ordine ad effectus à Deo præviſos* ad ſignificandum, quòd effectus fatales ſunt quidem Hominibus ignoti; ſicut etiam effectus caſuales, & fortuiti; non tamen Deo ſunt abſconditi. Quapropter reſpectu Dei non extat Caſus, nec Fortuna, nec Fatum; ſed duntaxat reſpectu Noſtri. In Deo autem omnia iſta vocantur Providentia.

Ex hactenus dictis eluteſcit, in quo Fatum conveniat cum Caſu, & Fortuna, & in quo ab eis differat. Nam convenit cum illis, in hoc, quòd ejus effectus ſunt nobis ignoti; differt verò in hoc, quod Caſus, & Fortuna ſunt cauſa per accidens; Fatum autem eſt cauſa per ſe.

Perſpicuum igitur fit, quomodo à Fidelibus intelligatur Fatum. Non enim habetur pro aliqua neceſſitate illata à Superis (ut falsò plerique Veterum fuerunt in ſententia, juxta illud Virgilii *Te tua fata trahunt ne cœpta relinquere poſſis*) ſed pro influxu cauſarum ſuperiorum, quæ nullam tamen habent neceſſitatem inferre. Quamvis namque ſic Deus diſponat effectus, quòd infallibiliter iſti erunt; ſic tamen diſponit, ordinatque cauſas accidentales, & liberas, ut accidentali, ac libero modo tales operentur effectus, ut lib. 7. agendo de phyſica præmotione fuſiùs dicetur. Similiter quamquam cauſæ ſecundæ univerſales habeant qualitates aliquas influere, per quas ad certos actus Hominem faciunt propenſum; tamen hujuſcemodi inclinationes poſſunt per voluntatem coerceri. Quapropter licèt

Chole-

Cholericus ſuapte natura ſit iracundus, & ad ſtudia inclinatus; Flegmaticus verò diſſidioſus, atque indocilis, præcipuè in litteris: Recta nihilominus educatio vitioſis cunctis proclivitatibus prævalere poterit. Et de hoc iterum aliqua lib. 5. de Gener. & Corrupt. q. 3.

Hinc levitatis erit certam Aſtronomis præſtare fidem. Si namque (inquit Soto apud Ortiz) nil aliud nobis prænunciarent, quàm eventus aliquos in generali, ad quos ſidera noſtræ nativitatis nos pronos faciunt, tollerabiliores utique eſſent. Sed de hoc meritò reprehenduntur, & quòd ad particularia plùs æquo deſcendant; & ſummam ſuis arrogent prænoſticis certitudinem.

De his omnibus videri poteſt Arnù curioſè pertractans.

QUÆSTIO TERTIA.

De Cauſa Finali.

NOn paucis prætermiſſis Finis acceptionibus, quæ rem ad hanc noſtram minimè faciunt, ut pura pro complemento alicujus rei, aut pro alicujus deſitione &c. Acceptus pro cauſa Finali Finis communiter cum Ariſt. definitur, quòd *id ſit, cujus gratia aliquid ſit*, hoc eſt cujus amore agens aliquid operatur.

Diviſio autem ejus in multiplices abit. Alius namque eſt finis *qui* ille nimirum, qui intenditur. Alius finis *Cui*, ille videlicet, cui aliquid intenditur. Alius finis *quo*, nempe finis conſecutio, quæ eſt actio ipſa; qua finem conſequimur. In præhabita definitione definitur duntaxat finis *qui*, dictus etiam *finis cujus gratia*. Rurſus iſte duplex eſt. Unus eſt finis acquirendus, ſeu obtinendus; & alter eſt finis operandus. V. G. effectus Cauſæ eſt finis cauſæ operandus; Deus verò dicitur finis ab Homine per beatitudinem obtinendus. Ulteriùs finis alius eſt ultimus, qui nimirum ad alium non ordinatur; & alius non ultimus, qui ſcilicet ad alium ordinatur; & propriè non habet rationem finis, ſed medii. Inſuper Finis alius eſt primarius, qui nempe de primariò, ac ratione ſui intenditur. Alius ſecundarius, qui videlicet de ſecundariò intenditur, & ratione alterius. Denique alius eſt adæquatus; qui nimirum ſe ſolo eſt potens movere. Alius inadæquatus, qui nempe non eſt potens movere, niſi in alterius conſortio.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam ſit ratio formalis finalizandi in Fine.

§. I.

1. EX dictis quæſtiuncula 4. poſita ante primam hujus libri quæſtionem perſpicuum eſt, Cauſam ut ſic dici univocè de Efficienti, & Finali. Propterea Finis tametſi dicatur cauſa metaphorica, non tamen ſic dicitur, quia habeat cauſare, & influere purè apparenter, & ſimilitudinariè, cùm potiùs finis ſit perfectior cæteris cunctis cauſis, ceu ille, à quo cæteræ omnes in operando dependent. Dicitur ergo cauſa metaphorica, quia movet ſolummodo alliciendo, ſeu affectivè, non verò efficiendo, ſeu effectivè. Verùm quia finis non cauſat, niſi ut cognitus, juxta illud *nil volitum quin præcognitum* ſaltem naturaliter loquendo. Cognitum inquam vel ab eo, qui tendit ad finem, ut in his, quæ cognitione pollent; vel ab Auctore naturæ, ut in his, quæ cognitione carent, indigentque proinde moveri à Deo authore naturæ. Idcircò dubium emergit, num ratio formalis alliciendi voluntatem ſit cognitio ſeu apprehenſio finis, an verò ejuſdem finis bonitas. Pro cujus reſolutione

Prænotandum, quòd duplex ratio formalis conſiderari poteſt. Una dicitur ratio formalis *quæ*; alia ratio formalis *ſub qua*: eo proportionali quodam modo, quo color eſt ratio formalis *quæ*, lux verò eſt ratio formalis *ſub qua* potentiæ viſivæ.

Dubio procul eſt, apprehenſionem non eſſe rationem formalem *quæ*. Ratio enim formalis *quæ* eſt, in qua quieſcit deſiderium, & motus voluntatis. Palam eſt autem, quòd deſiderium Avari quieſcit, non in apprehenſione divitiarum, ſed in ipſis divitiis. Difficultas igitur eſt, num ipſa apprehenſio ſit ratio formalis, qua finis finalizat, an verò pura conditio. Circa quod

2. Duplex extat ſententia. Prima profitetur apprehenſionem eſſe rationem formalem ſub quâ. Hanc tuentur plerique veteres Thomiſtæ, ut Soncinas, Martinez, Medina, Franciſcus della Cruz apud Ortiz. Horum nonnulli dicunt, ſolam apprehenſionem eſſe rationem formalem *qua*: Alii verò aſſerunt, rationem formalem *quæ* eſſe conflatum ex apprehenſione, ac bonitate.

Secunda, quæ jam communis apud Thomiſtas evaſit, defendit, ſolam bonitatem eſſe rationem formalem *ſub qua*: apprehenſionem verò eſſe puram conditionem neceſſariò, & eſſentialiter requiſitam.

§. II.

CONCLUSIO.

Ratio formalis ſub qua *Finis eſt bonitas; apprehenſio verò eſt conditio neceſſariò requiſita.*

3. PRob. ratiocinio ſimul, & authoritate D. Th. pluribus in locis, præſertim verò q. 15. de verit. ubi docet, diverſitatem apprehenſionum per accidens ſe habere ad variandos appetitus, niſi conjungatur diverſitati apprehenſorum. Et p. 2. q. 67 art. 6 ad 2. ubi *Reſpondetur*, inquit, *apprehenſionem non eſſe objectum Charitatis, & ideò non obſtat cognitionum diverſitas identitati illius*. Tum verò ſic. Sed ſi apprehenſio, ſeu cognitio eſſet ratio formalis *ſub qua* ipſe finis movet appetitum, jam ſecundùm ejus diverſitatem per ſe haberetur diverſitas appetitus: ergo apprehenſio non eſt ratio formalis *ſub qua* finis. Ex his

Prob. Concluſio cum communi ſic. Si apprehenſio, ſeu cognitio eſſet ratio formalis, *ſub qua* finis movet voluntatem ſequeretur, quòd juxta diverſitatem apprehenſionum diverſificaretur habitus, & actus voluntatis; ſed hoc eſt falſum: ergo apprehenſio non eſt ratio formalis *ſub qua* finalizandi. Maj. patens eſt, quia ratio formalis, ſub qua objectum attingitur ab aliqua potentia, vel ab aliquo habitu, eſt ratio ſpecificativa, adeoque eſt diſtinctiva illius, ut apparet inductivè in omnibus potentiis, & habitibus ſive ſcientiarum, ſive virtutum. Min. prob. Diverſa eſt cognitio Patriæ, ac cognitio viæ (una ſiquidem eſt cognitio fidei, & alia eſt cognitio clara per lumen gloriæ) ſed nihilominùs idem eſt habitus charitatis in Patria, & in via, judice D. Th. loco nuper citato, & juxta Divum Paulum 1. Corinth. 13. ubi *Charitas*, inquit, *nunquam excidit*, quod verum non eſſet, niſi Charitas, quæ eſt in via perſeveraret in Patria: ergo falſum eſt, quòd juxta diverſitatem cognitionum diverſificentur habitus, & actus voluntatis.

Dices cum Medina, quòd non ſola apprehenſio, ſed conflatum ex apprehenſione, & bonitate eſt ratio formalis, *ſub qua* finis. Undè cùm in via, & in Patria ſit eadem bonitas, nimirum bonitas Divina, quæ eſt objectum Charitatis: idcircò tametſi diverſa ſit cognitio non diverſificatur Charitatis habitus. Sed

Contra. Non ſtat diverſitas rationis formalis *ſub qua* ſine diverſitate rationis formalis *quæ*, ſed in Patria, & in via eſt diverſa cognitio; & tamen eſt eadem, ratio formalis *quæ*, nimirum eadem bonitas; ergo dicendum eſt, quòd cognitio nec ſimul cum bonitate queat eſſe ratio formalis *ſub qua*. Maj. videtur clara. Nam cum ratio formalis *ſub qua* ſit id, ratione cujus attingitur ratio *quæ*, debent inter ſe proportionari. Undè (ut inquit Lerma) ſi ſemel cognitio eſſet ratio formalis *ſub qua*, cùm ſit diverſa cognitio viæ, & Patriæ; etiam bonitas ipſa Divina eſſet diverſa formaliter in ratione objecti, licèt eſſet eadem materialiter: adeoque diverſificarent charitatis habitum. Sicut verum, & bonum licèt ſint enti activè idem, ſcilicet identificata in eodem ente; ſunt tamen diverſa formaliter in ratione objecti: idcircò idem ens ſub ratione veri ſpectat ad intellectum, & ſub ratione boni ad voluntatem.

Qua ex re apparet, quòd D. Th. in præadductis locis non tantùm intendit, quòd apprehenſio ſe ſola non ſit formalis *ſub qua*, ſed neque ſimul cum bonitate. Nec ſolùm à ratione formali *qua* apprehenſionem excludere intendit, verùm etiam à ratione formali *ſub qua*; quia non ſolùm ratio formalis *quæ*, ſed etiam ratio formalis *ſub qua* eſt ſpecificativa; adeoque diverſificativa potentiarum, & habituum, ut inductivè planum eſt: ergo ſi S. D. dicit, ex diverſitate apprehenſionum non diverſificari habitum Charitatis, excludit apprehenſionem etiam à ratione formali *ſub qua*.

4. Prob. 2. Si Apprehenſio eſſet ratio formalis *ſub qua* Finis, deberet eſſe propria ſolius finis; ſed hoc à verò procul eſt: ergo apprehenſio non eſt ratio formalis *ſub qua* Finis. Maj. fit evidens à paritate rationum formalium cæterarum rerum. Ratio namque formalis *ſub qua* objecti ſonori, nimirum ſonus, eſt proprius illius objecti ſonori ſpecificantis potentiam auditivam: ratio formalis *ſub qua* objecti odoriferi, nimirum odor eſt propria ſolius objecti odoriferi ſpecificantis olfactum; ſimiliter ratio formalis ſub qua diaphani, nimirum lux eſt propria ſolius diaphani, cùm nihil ſit lucidum, quòd diaphanum aliquo modo non ſit, ſaltem in exteriori ſuperficie, ut dicemus lib. 2. de Anima q. 5. agendo de objecto potentiæ viſivæ: ergo pariter &c. Min. quoque de ſe dubitari non permittit, cùm eſſe cognitum, & apprehenſum conveniat non ſolùm Fini, verùm etiam mediis.

De primo igitur ad ultimum dicatur, quòd bonitas eſt ratio formalis *ſub qua*, ſimul & *quæ* ipſius Finis. Quod non eſt impoſſibile; eo modo, quo impoſſibile non eſt, quòd eadem lux ſit ratio formalis *ſub qua* aliud videtur, & ſimul eſt ratio formalis quæ videtur, cùm inviſibilis ipſa lux non ſit.

5. Prob. Denique cum Jo. S. Th. Lerma, & Ortiz, & aliis. Ratio formalis *ſub qua* debet pertinere ad eandem lineam, ad quam pertinet ratio formalis *quæ*; ſed apprehenſio non pertinet ad eandem lineam, ad quam pertinet bonitas, quia iſta eſt de linea appetibilis, illa verò de linea intellectivi: ergo nequit apprehenſio eſſe ratio formalis, ſub qua Finis.

Dum rationem iſtam cuidam Ingenioſo Nupero objicerem, reſpondit, quòd apprehenſio licèt non ſit de linea appetibilis ut *quod*; eſt tamen de linea appetibilis *ut quo*, quatenus eſt id, quo aliud appetitur. Sed

Contra. Reſponſum iſtud eſt petitio principii. Quod probo. Nam dicere, quòd eſt appetibilis ut *quo* eſt dicere, quòd ſit appetibilis ut ratio formalis *ſub qua*; ſed hoc eſt, quod diſputatur in præſenti an ſcilicet apprehenſio poſſit eſſe appetibilis ut ratio *formalis ſub qua*, quod idem eſt, ac dicere, an poſſit eſſe ratio formalis ſub qua finis appetitur; ergo data reſponſio eſt petitio principii. Maj. patet, quia ratio formalis *ſub qua* nihil aliud eſt, quàm id quo, ſeu quàm ratio *quo*. Undè idem eſt quærere an ſit ratio formalis *ſub qua* appetibilitatis, & an ſit appetibilis *ut quo*.

Quòd verò apprehenſio ſit conditio neceſſariò requiſita liquet ex dictis, quoniam nil volitum quin præcognitum, præcipuè naturaliter loquendo.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. Ratio formalis *ſub qua* Finis movet voluntatem eſt apprehenſio; ſed non eſt major ratio de objecto voluntatis, ac cæterarum potentiarum: ergo univerſaliter ratio formalis, *ſub qua* Finis finalizat eſt apprehenſio. Prob. maj. Illa eſt ratio formalis, *ſub qua* Finis movet voluntatem, qua finis conſtituitur in ratione objecti voluntatis; ſed hoc eſt ſola apprehenſio: ergo &c. Maj. liquet. Siquidem finis movet objectivè. Min. prob. Objectum voluntatis eſt bonum rationale ut tale; ſed bonum rationale ut tale conſtituit per apprehenſionem: ergo &c. Maj. non indiget probatione. Siquidem voluntas eſt potentia rationalis, & nuncupatur appetitus rationalis, cùm ſit potentia Animæ rationalis ut rationalis. Min. oſtenditur. Bonum ſiquidem rationale idem eſt, ac bonum rationis, ideſt cognitionis, ſive bonum intellectum, ſeu intelligibile; ergo in ratione talis conſtituitur per cognitionem, qua aliquid formaliter denominatur cognitum, vel intellectum.

Reſp. nego min. Ad prob. nego iterum min. Ad prob diſt. maj. eſt bonum rationale rationalitate objectiva, concedo, formali, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Itaque ſicut intentio, & intentionale dupliciter ſumi poteſt. Primò pro intentione objectiva, & pro intentionali objectivo. Secundò pro intentione formali, nimirum pro ipſo intellectus actu ad objectum terminato. Ita ratio ſumi dupliciter poteſt. Primò formaliter pro ipſo actu rationis attingente bonum voluntatis. Secundò objectivè pro ipſa re attingibili per rationis actum. Voluntatis igitur objectum eſt bonum rationale, ſumpto rationali hoc duntaxat ſecundo modo, quod conſtituitur, non per cognitionem, loquendo præcipuè de cognitione formali, ſed per intrinſecam bonitatem attingibilem per rationis actum, & idcircò rationalem appellatam.

Quacare infero, quòd bonum intelligibile non conſtituitur formaliter in eſſe boni intelligibilis per apprehenſionem formalem, quæ ſupponit, & non conſtituit objectum intelligibile; ſed ad ſummum per apprehenſionem objectivam, quæ eſt ipſum objectum. Difficultas autem procedit de apprehenſione formali, quam dicimus, eſſe puram conditionem, non verò rationem formalem *ſub qua*.

7. Arg. 2. Objectum voluntatis debet eſſe immateriale, cùm & ipſa voluntas immaterialis ſit; ſed objectum per apprehenſionem conſtituitur immateriale: ergo objectum voluntatis, quod eſt Finis conſtituitur tanquam per rationem formalem ſub qua per apprehenſionem.

Conſ. Nam quia objectum non eſt intelligibile, & ſcibile, niſi ſit abſtractum, ideò abſtractio eſt ratio formalis *ſub qua* objecti ſcibilis, & intelligibilis: ergo pariter quia Finis non eſt amabilis, niſi ut cognitus; idcircò ratio formalis ejus *ſub qua* erit cognitio.

Reſp. ad arg. diſt. maj. debet eſſe immateriale immaterialitate radicali paſſiva, concedo, immaterialitate formali, & activa, ſubdiſtinguo tanquam ratione formali, nego tanquam conditione, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam.

Idem dico ad Conſ. diſtinguendo ant. abſtractio paſſiva eſt ratio formalis objecti ſcibilis, & intelligibilis, concedo, abſtractio formalis & activa, nego ant. & conſequentiam. Ut namque dicebamus in Logica Syntag. quinto, quod fuit ad libros Poſteriorum q. 3. quæ fuit de Scientia art. 1. §. 3. num. 8. ad 3. arg. ratio Formalis *ſub qua* objectum aliquod eſt ſcibile, non eſt abſtractio, & immaterialitas activa, quæ eſt ipſe actus intellectus abſtrahentis, ſed eſt immaterialitas, & abſtractio objectiva, & paſſiva ſe tenens ex parte objecti abſtracti, & immaterializati. Sic etiam dicimus, quòd voluntatis objectum eſt equidem immateriale; ratio tamen formalis *ſub qua* attingitur à voluntate, eſt immaterialitas paſſiva, non verò activa, quæ eſt ipſa apprehenſio, & cognitio. Undè retorquetur argumentum. Nam abſtractio activa non eſt ratio formalis *ſub qua*, ſed pura conditio objecti ſcibilis, & intelligibilis: ergo pariter apprehenſio non eſt ratio formalis, ſed eſt duntaxat conditio reſpectu Finis.

Contra. Objectum voluntatis ex conceſſis debet eſſe immateriale; ſed plerumque ſola apprehenſio eſt immaterialis, nullatenus verò objectum, ut palam eſt in ſanitate, quæ eſt finis intentus ab ægroto: ergo tunc nulla poteſt eſſe in objecto ratio formalis movendi voluntatem, niſi apprehenſio.

Reſp. ultra reſponſa Cavini, & aliorum, præſertim in m. ſ. data maj. diſt. min. nullatenus verò objectum in eſſe rei, concedo, in eſſe intentionali, nego min. & conſequentiam. Quamvis namque plerumque in eſſe rei objectum ſit materiale; tamen in eſſe intentionali habet eſſe immateriale. Per eſſe tamen intentionale non intelligimus eſſe cognitum, ſed ſumimus prout habet eſſe repræſentatum in ſpecie intelligibili. Bonitas autem objecti ut repræſentata in ſpecie intelligibili eſt ratio formalis terminandi actum intellectus immediatè: & etiam eſt ratio formalis terminandi actum voluntatis mediante bonitatis applicatione, ideſt propoſitione facta per intellectus apprehenſionem. Eapropter nunquam apprehenſio eſt ratio formalis movendi voluntatem.

Addo, quòd argumentum nimis probat. Siquidem probat, bonitatem finis non ſolùm non eſſe rationem formalem *ſub qua*, ſed neque eſſe rationem formalem *quæ*; quia non minùs unam, quàm aliam opus eſt immaterialem eſſe.

Contra. Sola immaterialitas apprehenſionis eſt ratio formalis, *ſub qua* voluntas amat finem: ergo &c. Prob. ant. Voluntas non amat objectum, niſi ut apprehenſum, & cognitum: ergo ſola immaterialitas apprehenſionis &c. Ant. eſt certum. Conſequentia prob. Sicut Fides nihil credit, niſi ut revelatum, ita voluntas nihil amat, niſi ut cognitum; ſed Divina revelatio juxta pleroſque Thomiſtarum eſt ratio formalis *ſub qua* Fidei: ergo pariter ſi voluntas nihil amat, niſi ut apprehenſum, & cognitio, jam ſola immaterialitas apprehenſionis erit ratio formalis, ſub qua voluntas amat finem. Maj. patet; utraque ſiquidem eſt cœca.

Reſp.

Reſp. nego ant. ſi ly *ut* reduplicet ſolam conditionem (plerùmque namque particula *ut* ſolam Conditionem reduplicat, ut cùm dicitur, quod ignis non comburit, niſi ut applicatus, hoc eſt approximatus) & nego conſequentiam. Ad prob. nego ly *ſicut* ſi omnimodam dicat paritatem. Diſparitas autem eſt, quia revelatio ſe habet veluti lux, illuminans potentiam; vel ſaltem quòad aliqua gerit lucis vices; quoniam quemadmodum eſt manifeſtativa, & revelatio eſt manifeſtativa objecti revelati, licèt obſcurè. Quod autem eſt lux, vel lucis vices ſupplet, eſt ratio formalis potentiæ intellectivæ, ac reſpectu ejus habitus. Apprehenſio autem non ſe habet ut lux reſpectu voluntatis. Ratio eſt, quia voluntas nullatenus eſt de linea cognoſcitivi, benè verò intellectus, etiam ut informatus habitu Fidei, qui prout ſic licèt ſit expers lucis propriè dictæ, ceu incapax cognitionis claræ, Fidei repugnantis; tamen eſt capax alicujus gerentis vicem lucis intellectualis ſaltem quantùm ad aliqua, nimirum quantùm ad certitudinem.

Contra. Non minùs Finis movet ut cognitus, quàm idea cauſet ut cognita; ſed cognitio eſt ratio formalis *ſub qua* effectus pendet ab idea: ergo pariter apprehenſio, ſeu cognitio eſt ratio formalis *ſub qua* Voluntas movetur à Fine.

Reſp. nego ly *non minùs* ſi plenam intendat paritatem. Diſparitas eſt, quia idea non habet eſſe, niſi cognitum. Idea enim pro formali nihil aliud eſt, quàm conceptus mentis. Cæterùm Finis non habet præciſè eſſe cognitum, ſed ulteriùs, imò & pro formali ſuam bonitatem dicit.

8. Arg. 3. Diverſitas apprehenſionis cauſat diverſitatem appetitus: ergo apprehenſio eſt ratio formalis movendi appetitum. Prob. ant. Eatenus appetitus rationalis diſtinguitur à ſenſitivo, quatenus rationalis verſatur circa bonum cognitum, cognitione intellectiva; ſenſitivus verò circa bonum cognitum, cognitione ſenſitiva: Similiter uterque appetitus, elicitus nimirùm, & rationalis intantum diſtinguitur ab innato; quia iſte non tendit in bonum cognitum, benè verò ille: ergo &c.

Conſ. Juxta diverſitatem apprehenſionis diverſificantur ſpecie actus appetitus: ergo &c. Prob. ant. Objectum ſi ut præſens apprehendatur, ſpecificat actum complacentiæ; ſi ut abſens, ſpecificat actum deſiderii. Item Deus clarè viſus in Patria ſpecificat amorem neceſſarium, ut obſcurè viſus in via ſpecificat amorem liberum. Amor autem liber probabili in ſententia eſſentialiter à neceſſario diſtinguitur.

Reſp. ad arg. nego ant. formaliter loquendo. Ad prob. diſt. ant. ly *eatenus* dicente rationem à priori, nego, à poſteriori, concedo ant. & nego conſequentiam. Ratio ergo à priori, quare potentia volitiva diſtinguatur à ſenſitiva non eſt, quia illa feratur in bonum, ut cognitum cognitione intellectiva; & iſta in bonum ut cognitum cognitione ſenſitiva; ſed quia voluntas, utpote potentia magis immaterialis, & elevata ſupra materiam, modo univerſaliori, quàm potentia ſenſitiva, attingit ſuum objectum. Similiter potentiæ ſenſitivæ non diſtinguuntur inter ſe per attingentiam boni diverſimodè cogniti (cùm earum aliquæ nullatenus ſint cognoſcitivæ, uti ſunt omnes ſenſus exteriores præter viſum) ſed quia verſantur circa diverſum formaliter bonum.

Tandem ratio à priori diſtinctiva appetitus eliciti ab appetitu innato non eſt quia primus, ſecùs verò ſecundus, ſit cognoſcitivus; ſed quia appetitus innatus non eſt propriè appetitus, quia nun extat in lapide potentia aliqua, quæ propriè dici queat appetitiva eliciens aliquem actum. Undè videbimus in 2. lib. de Anima q. 1. art. 2. §. 3. ad 1. ſuſtinendo, vitam conſiſtere in hoc, quòd eſt poſſe ſe movere, quòd tendentia gravis ad centrum reſultat in illo per modum cujuſdam proprietatis ſublato impedimento; non verò propriè ad centrum activè ſe mover.

Inſt. Nonnunquam appetitus rationalis, & ſenſitivus, feruntur circa idem objectum: ergo tunc diſtingui nequeunt, niſi per cognitionis diverſitatem.

Reſp. diſt. ant. circa objectum idem materialiter, concedo, idem formaliter, nego ant. & conſequentiam. Quamquam ſiquidem hujuſmodi appetitus non infrequenter ferantur circa objectum, quod eſt idem materialiter; feruntur tamen ſub diverſa ratione formali bonitatis; quia appetitus rationalis, nimirum voluntas, attingit ſuum objectum ſub univerſaliori ratione, quàm appetitus ſenſitivus.

Ad Conf. diſt. ant. diverſificarentur per ſe, nego, per accidens, concedo ant. & nego conſequentiam. Verum eſt igitur, quòd diverſus eſt actus terminatus ad objectum apprehenſum ut præſens, ac ille, qui terminatur ad objectum ut abſens. Attamen talium actuum diverſitas, non per ſe, ſed duntaxat per accidens cauſatur ex diverſitate apprehenſionis, quatenus nimirum applicat bonitatem objecti ſub diverſo ſtatu. Cujus ſignum evidens eſt, quòd ſi voluntati proponeretur, quòd objectum apprehenſum ut præſens, eſſet abſens (uti non rarò eſſe contingit) ſolumque eſſet præſens in apprehenſione, non haberet circa illud actum complacentiæ.

Idem ad 2. prob. dico, quòd nimirum diverſitas amoris habetur, non per ſe, ſed per accidens ex diverſa cognitione, quatenus ſcilicet cognitio clara proponit Deum ut ſummum bonum poſſeſſum; ſecùs verò obſcura. Diſtinctio noſtræ hujus ſolutionis eſt D. Thomæ locis à nobis relatis ſupra §. præcedenti 2. num. 3.

Dices. Potentiæ diverſificantur per ſua objecta per ſe, & formaliter; ſed appetitus diverſificantur per diverſitatem apprehenſionis tanquam per objecta: ergo diverſitas apprehenſionis cauſat per ſe, & formaliter diverſitatem appetitus. Min. docetur à D. Th. p. p. q. 80. ubi *hujuſmodi*, inquit, *potentiæ diſtinguuntur ſecundùm differentiam apprehenſorum, ſicut ſecundùm propria objecta*.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. ant. apprehenſione importata de connotato, concedo, in recto, nego ant. & conſequentiam. Et in hoc ſenſu loquitur S. Th. Cujus ſignum eſt, quòd S. D. non dixit, diſtingui ſecundùm differentiam apprehenſionum, ſed ſecundùm differentiam *apprehenſorum*, ut innueret, id, quod formaliter, & in recto importatur, eſſe objectum, ejuſque bonitatem apprehenſam; apprehenſionem verò importari ut conditionem eſſentialiter connotatam, & requiſitam.

9. Arg. 3. Voluntas interdum movetur ab objecto, nullam habente bonitatem, ſolamque habente malitiam, ut liquet in eo, qui ex pura malitia delinquit: ergo tunc ratio formalis movendi voluntatem erit ſola apprehenſio: adeoque &c.

Reſp. diſt. ant. nullam habente bonitatem, nec formaliter, nec apparenter, nego, realiter, formaliter, tranſeat ant. & nego conſequentiam. Suppono namque, malum, ut malum, non poſſe eſſe objectum actus proſecutivi voluntatis (quicquid in oppoſitum dicant nonnulli cum Scoto) quia nemo intendens ad malum ſibi operatur. Ea ex re, qui ex pura malitia peccat tendit in peccatum, non ſecundùm rationem mali, ſed prout rationem aliquam boni ſaltem apparentem induit; puta ſaltem dicit exercitium propriæ libertatis.

Nec bonitas iſta apparens eſt bonitas ficta. Non, inquam, ſed eſt realis; falsò tamen applicata objecto, ſecùs nequiret realiter voluntatem movere, illamve ad ſe trahere, ut etiam in Logica diximus, ſuſtinendo voluntatem non efficere ens rationis.

Nec iterum ejus bonitatis realitas habetur ab apprehenſione; ſed ſola realis, & falſa bonitatis applicatio ab apprehenſione habetur.

Dices. Potentia libera eſt ad oppoſita; ſed voluntas eſt potentia libera: ergo ferri poteſt & ad bonum ſub ratione boni, & ad malum ſub ratione mali.

Reſp. diſt. maj. eſt ad oppoſita eodem modo, nego, diverſo modo, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Voluntas ſiquidem verſatur circa bonum proſecutivè, & circa malum averſivè: adeoque malum eſt ratio removendi potiùs, quàm movendi, & attrahendi ad ſe voluntatem, quæ proſecutivè ſemper fertur ad objectum, prout boni rationem aliquam ſuperinduit.

Adde, quòd in peccaminoſo objecto, licèt nulla ſit bonitas moralis, adeſt tamen bonitas phyſica, quæ ſufficiens eſt ad voluntatem attrahendam. Et ſanè hoc argumentum probat, bonitatem nec eſſe rationem formalem, *quæ*; cùm dicat, ſecluſa omni bonitate, poſſe objectum appeti.

10. Arg. 4. & ultimò. Si apprehenſio eſſet pura conditio, ſequeretur, poſſe à Deo ſuppleri; ſed hoc eſt inter erronea, præcipuè Thomiſticè loquendo: ergo apprehenſio non eſt pura conditio. Maj. evincitur. Etenim, quia approximatio eſt pura conditio in igne ad comburendum, poteſt à Deo ſuppleri, & per abſolutam Dei potentiam poteſt ignis non approximatus comburere.

Reſp. cum communi diſt. maj. ſi eſſet conditio purè connaturaliter requiſita, concedo, eſſentialiter requiſita, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Conſtat ſiquidem quòd exiſtentia cauſæ efficientis non eſt ratio formalis cauſandi, ſed eſt duntaxat conditio requiſita; & tamen etiam à Deo inſupplebilis eſt.

Quare autem approximatio ignis ſit conditio tantummodo connaturaliter requiſita ad comburendum; apprehenſio verò ſit conditio eſſentialiter requiſita; Hoc ideo eſt, quia apprehenſio eſt exiſtentia Finis in eſſe intentionali, in qua linea habet finis cauſare. Approximatio autem ignis non eſt exiſtentia ejus in eſſe phyſico. Palam eſt autem, quòd exiſtentiæ rei ad cauſandum eſt omnino inſupplebilis.

11. Poſſet aliud objici arg. probans contra ultimam ratiocinationem noſtram procedentem ex eo, quòd apprehenſio eſt diverſæ lineæ à Fine. Verùm hoc ſolutum videri poteſt apud Ortiz, & Lermam; quoniam tanta in prolixitate mihi ipſe diſpliceo.

12. Colligitur ex dictis pro alterius objectionis ſolutione, quòd ſi amor voluntatis dicitur eſſe à Verbo; ſicut & in Divinis Spiritus ſanctus, qui eſt amor procedit etiam à Verbo. Hoc valet in linea effectiva, non in linea finalizativa; quia amor procedendo à Verbo procedit effectivè, non verò objectivè.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quænam ſit Finis Cauſalitas.

§. I.

1. ANteacto in articulo vidimus, per quid Finis conſtituatur in actu primo operans, nimirum per ſui bonitatem, quæ bonitas cognita eſt ratio formalis finalizandi in actu primo proximo; Inſpecta verò ſecundùm ſe eſt ratio formalis finalizandi in actu primo remoto. Emergit modò difficultas, per quid conſtituatur in actu ſecundo, & in exercitio finalizans, ideſt quæ ſit ejus cauſalitas.

2. Ut verò in hac controverſia, in qua (ut ita loquar) plures ſunt ſententiæ quàm capita, quantùm poſſibile fuerit in dicendi modis referendis procedamus.

Præmitto 1. ac præmittendo reprobo modum dicendi Patris Lerma, dicentis, cauſalitatem finis eſſe quid medium inter voluntatem, & finem, quod medium vocat ſympathiam. Authorem ſiquidem iſtum exponere adhuc manet, per quid exerceatur hujuſmodi ſympathia. Si namque exerceri dicat quadam media ſympathica qualitate, in eorum incidit ſententiam, qui dicunt, cauſalitatem Finis eſſe qualitatem voluntati ab ipſo fine impreſſam. Quam ſententiam ipſe rejicit, & nos infra abjiciemus.

3. Præmitto 2. & præmittendo improbo modum dicendi Patris Ortiz, qui cùm videat, diverſos eſſe actus voluntatis, circa Finem, nimirum ſimplicem finis amorem, intentionem finis, mediorumque electionem; idcircò dicit, cauſalitatem Finis reſpectu intentionis eſſe ſimplicem amorem; & cauſalitatem Finis reſpectu electionis eſſe intentionem; quoniam voluntas ſimplici amore cauſat intentionem, & media intentione electionem. Quem dicendi modum non approbo, quia ex hoc ſequeretur, quòd Finis una, eademque finalizatione plures haberet cauſalitates; ſed hoc eſt falſum, & impoſſibile: ergo hic dicendi modus locum habere nequit. Min. eſt evidens. Quandoquidem Finis pro qualibet vice pro qua finalizat habet unicam finalizationem: ſicut cauſa efficiens pro qualibet vice, pro qua efficit, unicam duntaxat habet efficientiam, ideſt actionem, cùm nequeat plures ſimul habere actiones. Inſuper (& fortiùs) quia actualis finalizatio eſt ipſa finis cauſalitas; adeoque implicat, unicam eſſe finalizationem, ſi plures ſint cauſalitates. Maj. verò oſtenditur. Nam exerceret cauſalitatem, quæ eſt ſimplex amor reſpectu intentionis; & cauſalitatem, quæ eſſet intentio reſpectu electionis.

4. Præmitto 3. ac præmittendo improbo opinionem Bellarmini, & Cabero, qui dicunt, cauſalitatem Finis eſſe quandam qualitatem impreſſam voluntati à Fine. Qui modus dicendi eſt omnium debiliſſimus, quia Finis, ut Finis nequit ullo modo habere rationem cauſæ efficientis; ſed ſi cauſalitas Finis eſſet dicta qualitas, jam reſpectu hujus qualitatis ſe haberet Finis ut cauſa efficiens: ergo modus hic dicendi nullatenus eſt admittendus. Maj. eſt certa. Min. prob. Nam qualitas illa deberet habere cauſam aliquam efficientem (ab aliquo namque eſſet producta) ſed non eſt excogitabilis alia, niſi Finis: ergo &c.

5. Præmitto 4. ac præmittendo improbo opinionem quorundam, dicentium, cauſalitatem Finis eſſe propoſitionem bonitatis. Quandoquidem iſti procul ſunt à veritate. Finis ſiquidem debet intrinſecè immutare voluntatem, ſecùs iſta remaneret intrinſecè indifferens, ſicut antea: ergo non ſufficit bonitatis propoſitio; quæ propoſitio eſt extrinſeca.

6. Ad tres igitur reducuntur ſententiæ. Prima profitetur, cauſalitatem Finis eſſe actionem agentis; ſub diverſa tamen ratione. Quatenus enim eſt ab agente, ideſt ſub ratione egreſſionis ab agente eſt cauſalitas agentis; quatenus verò eſt à fine, ideſt reduplicativè ut eſt ad finem eſt cauſalitas Finis. Ita Suarez, Ruvio, & alii non pauci in m. ſ. cujuſdam non infrequenter à nobis memorati eximii.

Secunda ſententia autumat, cauſalitatem Finis, eſſe amorem, quo appetitus tendit in finem, ideſt amorem activum, qui ut eſt effectivè à voluntate eſt cauſalitas voluntatis; ut verò dependet à Fine eſt cauſalitas Finis. Quæ dependentia à Fine nil aliud eſt, quàm eſſe propter Finem. Sic Gregorius Martinez, Complut. Mancæ, & noviſſimè Guerinois. Et hæc ſententia ad primam reducitur.

Tertia ſententia communior apud Thomiſtas, ut videre eſt apud Jo: de S. Th. Goudin, Arnù, & Cavinum, eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO.

Cauſalitas Finis non eſt actio agentis; nec amor activus, ideſt ex parte voluntatis inſpectus: ſed eſt amor paſſive ſumptus; ideſt ipſum appeti, & amari, ſe tenens ex parte ipſius Finis.

7. ANtequam probetur concluſio, ſciendum, quòd amari, & appeti dupliciter ſumi poteſt. Primò ut eſt quædam denominatio extrinſeca ab appetitu derivata; ſicut eſſe viſum eſt denominatio extrinſeca proveniens à potentia viſiva. Secundò pro quodam pondere, quo Finis immutat, & attrahit voluntatem: quo pondere voluntas redditur ponderoſa, & propendens, juxta illud Auguſtini vulgatum: *pondus meum amor meus, eo feror quocunque feror*. Appeti igitur, & amari ſumitur ſecundo modo, non verò primo. Quo ſuppoſito

8. Prob. 1. concluſio quò ad p. & a. 1. Una, eademque realiter cauſalitas unius cauſæ extrinſecæ nequit eſſe cauſalitas alterius; ſed actio agentis eſt cauſalitas cauſæ efficientis; ergo nequit eſſe cauſalitas Finis. Maj. (quam negant plerique in m. ſ. dicentes, ſufficere diſtinctionem virtualem, ita, quòd ſecundùm unam rationem poſſit eſſe cauſalitas unius, & ſecundùm aliam cauſalitas alterius) ſic probo. Cauſæ realiter diſtinctæ non minùs exigunt cauſalitates diſtinctas quàm exigant virtutes agendi diſtinctas, cùm cauſalitas nil aliud ſit, quàm exercitium virtutis operativæ; ſed una, & eadem realiter virtus unius cauſæ nequit eſſe virtus alterius; ergo pariter una, & eadem realiter cauſalitas nequit eſſe cauſalitas duarum cauſarum realiter diſtinctarum. Prob. min. Si virtus unius cauſæ poſſet eſſe virtus alterius cauſæ etiam diverſi generis, ſequeretur eundem numero effectum poſſe etiam naturaliter produci à pluribus cauſis totalibus etiam ejuſdem generis; ſed hoc eſt prorſus impoſſibile ſaltem naturaliter, imò & ſupernaturaliter Thomiſticè ſaltem loquendo: ergo &c Prob. min. Si diverſi generis cauſæ poſſent eandem numerò habere virtutem, multò magis cauſæ ejuſdem generis; ſed ad producendum eundem numero effectum, ſufficit, eandem numero habere virtutem: ergo &c.

Reſpondet prælaudatus Noperus in autographo, rationem hanc probare duntaxat de cauſis non ſubordinatis, ſecùs verò de cauſis ſubordinatis. Sed

Contra. Tum quia nec in cauſis ſubordinatis creatis poteſt virtus unius eſſe virtus alterius cauſæ, cùm nec à pluribus cauſis ſubordinatis creatis poſſit idem numero formaliter effectus produci. Tum quia non minùs cauſa materialis, & formalis ſubordinantur cauſæ efficienti, quàm efficiens

ciens

ciens cauſa ſubordinetur cauſæ finali ; ſed hoc non obſtante cauſalitas materiæ & formæ nec eſt, nec eſſe poteſt cauſalitas cauſæ efficientis : ergo pariter ea ſubordinatione non obſtante nequibit cauſalitas cauſæ efficientis eſſe cauſalitas Finis. Paritas videtur ineluctabilis. Ideo namque cauſa efficiens ſubordinatur Fini, quia Finis movet, licèt ſolùm motione ſuæ lineæ, nimirum affectivè, cauſam efficientem ad agendum ; ſed etiam Cauſa efficiens movet materiam, & formam, licèt motione ſuæ lineæ, nimirum effectivè : ergo &c.

9. Eadem propter motiva exploditur à Finis cauſalitate etiam Amor, & appetitus ſe tenens ex parte potentiæ appetitivæ. Quandoquidem hujuſmodi amor eſt cauſalitas voluntatis, & appetitus, ſe habentis reſpectu ejuſdem amoris ut cauſa efficiens.

Et adde, quòd motio, & cauſalitas Finis dicitur metaphorica; actio autem agentis eſt cauſalitas ſimpliciter talis.

Superadde, quòd Cauſalitas Finis antecedit actionem agentis. Ideo enim agit, quia ſupponitur motum à Fine.

10. Quòad 3. eſt D. Th. quæſt. 22. de verit. art. 2. ubi *ſicut*, inquit, *influere cauſæ efficientis eſt agere, ita influere cauſæ finalis eſt appeti, & deſiderari.*

Reſpondet Lerma, S. Th. loqui de appeti, & deſiderari ſumpto terminativè, hoc eſt pro termino.

Alii verò cum prælaudato in m. ſ. quòd S. Th. loquitur de amore in fieri, & de cauſalitate inadæquata Finis.

At quis non videat, quòd ſic interpretari eſt commento textum vitiare? Siquidem S. D. dicit, quòd appeti, & deſiderari eſt influere cauſæ finalis, ſicut agere eſt influere cauſæ efficientis; ſed agere, ſeu actio eſt, non tantùm terminativè, aut in fieri, ſed formaliter, & in facto eſſe cauſalitas adæquata cauſæ efficientis : ergo de Angelici mente, appeti & deſiderari, non tantùm terminativè, aut in fieri; ſed formaliter, & in facto eſſe inſpectum erit adæquata ipſius Finis cauſalitas.

11. Prob. ratione. Illud eſt Finis Cauſalitas, quod in exercitio movet, & attrahit voluntatem; ſed id, per quod in exercitio voluntatem ad ſe trahit, eſt actu appeti, & amari : ergo iſtud actu appeti, & amari erit Finis cauſalitas. Maj. probatione non indiget, quoniam in hoc ſtat motio Finis. Prob. Min. Id, per quod Finis voluntatem movet, & ad ſe trahit, correſpondet ei, per quod voluntas movetur, & trahitur à Fine, cùm movere, & moveri, trahere, & trahi ſint correlativa; ſed id, per quod voluntas movetur, & trahitur à Fine eſt illius amor : ergo id, per quod Finis movet, & trahit, eſt appeti, & deſiderari.

12. Prob. ultimò. Cauſalitas Finis eſt actualis finalizatio; ſed actualis finalizatio Finis eſt appeti, & amari : ergo iſtud erit Cauſalitas Finis. Prob. min. Actualis finalizatio eſt exercitium virtutis finalizativæ; ſed exercitium virtutis finalizativæ eſt actu appeti, & amari : ergo &c. Maj. ex terminis conſtat. Min. prob. Virtus finalizativa in actu primo eſt ejuſdem Finis bonitas ut amabilis; ſed amabilitatis, & appetibilitatis exercitium eſt actu appeti, & amari : ergo &c. Maj. (quæ negatur à prælaudato in autographo, dicente, Finem conſtitui, non per bonitatem amabilem, ſed per hoc, quod ſit id propter quod aliquid fit, ſicut Cauſa efficiens conſtituitur per hoc, quòd ſit id, à quo aliquid fit.) Prob. quia (ut præacto articulo viſum eſt cum propemodum univerſis Thomiſtis, quibus præfatus Nuperus ſubſcribit) ratio formalis Finis eſt bonitas; ſed non eſt bonitas ſecundùm ſe : ergo ut amabilis.

Quòd ſi Finis dicitur *id, cujus gratia aliquid fit*, ideſt propter quod aliquid fit. Si, inquam, ſic definitur, optimum pro nobis eſt. Facit namque ſenſum definitio illa, quòd Finis ſit id, cujus amore aliquod fit : ergo ſemper amor erit cauſalitas ejus.

§. III.

Adverſantium argumenta ſolvuntur.

13. ARg. 1. contra p. p. ex præcitato in m. ſ. Operatio ſicut eſt ab agente, ita eſt propter finem; ſed quatenus eſt ab agente eſt cauſalitas agentis : ergo quatenus eſt propter finem erit cauſalitas Finis.

Reſp. nego ly *ſicut* ſi plenam paritatem dicat. Diſparitas in eo ſiſtit, quòd actio egreditur ab agente ratione ſui, ut ad veram requiritur cauſalitatem, & non tantùm ratione alterius. Propter finem autem eſt, non ratione ſui, ſed ratione amoris, quo movetur agens ad operandum.

14. Arg. 2. Contra eandem p. & 2. p. Cauſalitas Finis eſt eadem cum cauſalitate voluntatis. Sed cauſalitas voluntatis eſt amor activè : ergo cauſalitas finis erit amor activè. Prob. ant. ex Complut. Cauſalitas Finis eſt id, quo Finis movet voluntatem, & cauſalitas voluntatis eſt id, quo voluntas movetur; ſed idem eſt actus, quo Finis movet voluntatem, & quo voluntas movetur : ergo &c. Prob. maj. à pari. Quemadmodum proprium eſt voluntatis trahi ab objecto, ita proprium eſt intellectus trahere ad ſe objectum; ſed idem eſt actus, quo intellectus trahit ad ſe objectum, & quo objectum trahitur ab intellectu : ergo pariter &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. nego min. cujus oppoſitum perſpicuum extat ex dictis §. præcedenti 2. num. 8. ad ejus prob. aſſignatur diſparitas in eo ſita, quòd plùs requiritur ad rationem Finis, quàm ad rationem objecti. Ratio eſt quia objectum intellectus cùm parum objecti munus exerceat, exercet duntaxat munus cauſæ formalis extrinſecæ, ad cujus genus attinet objectum. At Finis cùm ſit Finis, ſimul & objectum, duplex munus exercet, nimirum & cauſæ formalis extrinſecæ. in ratione objecti, & rationem cauſæ finalis in ratione Finis : idcircò plùs ad iſtum, quàm ad illud requiritur.

Deinde alia diſparitas eſt, quia objectum non trahitur liberè ab intellectu, benè verò voluntas trahitur liberè à Fine : idcircò aliquid plùs ad iſtam quàm ad illud requiritur. Sed

Adde, poſſe negari, quòd ſit idem actus, quo intellectus trahitur ab objectum, & quo objectum trahitur. Nam propriè objectum in eſſe intentionali immittitur ab ipſo objecto in eſſe rei ad ſenſus, & à ſenſibus externis immittitur ad internos, & ab iſtis ad intellectum. Undè propriè actus, quo trahitur eſt activa immiſſio, ideſt actus immittentis, & ex parte objecti eſt paſſio, ſeu paſſiva immiſſio. Undè retorquetur argumentum.

Contra oppugnando noſtram rationem num. 8. poſitam. Quemadmodum objectum eſt quidam actus extrinſecus potentiæ, ita cauſalitas eſt quidam actus intrinſecus; ſed hoc non obſtante unum, & idem realiter, ſolumque virtualiter multiplex objectum ſufficit ad ſpecificandas potentias realiter diſtinctas : ergo pariter una eademque formaliter, ſolùmque multiplex virtualiter cauſalitas ſufficiet ad actuandum voluntatem, & finem, duaſque cauſas, nimirum efficientem & finalem. Maj. non patitur exceptionem, cùm imò objectum habeat perfectiùs actuare, ceu illud, quod eſt ſpecificativum, quàm cauſalitas, ceu illa, quæ ſpecificativa non eſt.

Reſp. omiſſa maj. (etiam enim cauſalitas eſt ſpecificativa, & nonnunquam intrinſecè; cùm potentiæ & virtutes ſpecificentur per actus, & cauſalitas ſit actus ſecundus, hoc eſt exercitium potentiæ) & conceſſa min. concedo etiam conſequentiam quantùm eſt ex hoc capite. At obſtaculum eſt ex alio capite; quia nimirum (ut præcitato num. 8. vidimus) nequit eſſe eadem cauſalitas, niſi ſit eadem virtus cauſativa; quia cauſalitas eſt exercitium virtutis cauſativæ à qua limitatur tanquam à ſua cauſa efficienti. At objectum non limitatur à potentia, cujus eſt objectum, cùm ab ea nullatenus cauſetur.

Quare autem nequeat eadem virtus cauſativa conſtituere duas cauſas in actu primo cauſantes, hoc eſt potentes cauſare, benè verò idem realiter objectum duas ſpecificare potentias; hoc ideo eſt, quia objectum cùm non recipiatur in potentia, ab iſta non limitatur ut à ſui ſubjecto. At virtus proximè activa recipitur in agente radicali, ab eoque limitatur ut à ſui ſubjecto.

Non me præterit, quòd etiam objectum media ſui ſpecie recipitur in potentia. At hoc modo loquendo non enervatur, ſed potius roboratur concluſio noſtra; quia una, eademque ſpecies nequit in duplici potentia recipi.

Quod ipſe dixi de virtute cauſativa, nonnulli dicunt de ipſa, actione, nimirum recipi in agente &c. At hoc non cohæret cum dicendis infra lib. 3. ubi defenſabimus, actionem, quæ eſt cauſalitas cauſæ efficientis, eſſe ſubjectivè, non in agente, ſed in ſolo paſſo.

15. Arg. 3. contra ult. p. Non ſtat cauſalitas cauſæ ſine effectu cauſato; ſed poſito amore Finis non ſemper habetur effectus Finis : ergo amor non eſt cauſalitas Finis. Min. experientia fit evidens, cùm plerumque habeatur ſimplex amor Finis ſine eo, quod cauſa efficiens operetur. Maj.

verò prob. à ſæpè citato Juniori. Nam non ſtat virtus cauſativa ſine effectu cauſabili: ergo pariter non ſtabit cauſalitas ſine effectu cauſato.

Reſp. diſt. maj. ſine effectu primario, concedo, ſine effectu ſecundario, ſubdiſtinguo, ſi adſint omnia requiſita, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. non ſemper habetur effectus primarius Finis, nego, ſecundarius, ſubdiſtinguo, ſi non adſint omnia requiſita, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Primarius ſiquidem effectus Finis eſt amor illius, qui nunquam deficit poſita cauſalitate Finis. Eatenus autem non infrequenter deſunt cæteri effectus, quatenus præſtò non ſunt requiſita omnia.

Contra. Eadem eſt cauſalitas Finis reſpectu effectus primarii, & ſecundarii: ergo nequit ſtare cauſalitas Finis, niſi adſint omnes effectus etiam ſecundarii. Ant. eruitur ex his, quæ §. præcedenti cum Ortia diximus, nimirum quòd Finis non habet ſimul plures cauſalitates.

Reſp. diſt. ant. eadem eodem modo, nego, diverſo modo, concedo ant. & nego conſequentiam. Unam equidem, eandemque cauſalitatem exercet Finis reſpectu univerſorum ſuorum effectuum; diverſo tamen modo. Quandoquidem reſpectu primi effectus, uti eſt amor elicitus à voluntate, exercet de primariò; reſpectu verò cæterorum effectuum exercet de ſecundariò. Et quia (uti ſæpè ſæpiùs contingit) ſtat optimè forma ſine ſecundario effectu: idcircò etiam ſtare poteſt cauſalitas Finis ſine eo, quod ponantur ſecundi effectus Finis.

Contra. Idem nequit eſſe effectus, & cauſalitas; ſed ex dictis amor eſt effectus Finis: ergo eſſe nequit ejus cauſalitas.

Conf. Priùs eſt cauſalitas Finis, quàm amor Finis: ergo amor non eſt cauſalitas Finis. Prob. ant. Priùs eſt, quòd Finis moveat voluntatem, ad ſui amorem, quàm quòd ametur: ergo &c.

Reſp. omiſſa maj. diſt. min. amor activè elicitus à voluntate, concedo, permiſſivè inſpectus, ſubdiſtinguo, prout eſt quædam paſſio à voluntaris amore activo relicta, concedo, ut eſt ipſum pondus immutans voluntatem, nego min. & conſequentiam. Uti jam ſupra diximus, iterum, atque iterum dicimus, quòd bifariam amor Finis ſumi poteſt. Primò ut eſt actus ipſius voluntatis amantis. Secundò ut eſt ipſum appeti. Et hoc ſecundo modo adhuc dupliciter. Primò ſecundùm quod eſt denominatio quædam amati derivata à voluntate amante. Secundò pro ipſo pondere Finis, quo finis immutat voluntatem, eamque ponderoſam facit. Primo igitur, & ſecundo modo ſumptus amor eſt effectus, neutiquam verò cauſalitas Finis. Poſtremo autem modo acceptus eſt cauſalitas.

Dixi *omiſſa maj.* quoniam Jo: à S. Th. tenet, quòd idem, ſecundùm diverſam rationem poſſit eſſe cauſalitas ſimul, & Finis.

Ad conf. jam ex mox dictis ſatis ſuperque eruitur reſponſio. Quamvis namque amor primo, & ſecundo modo acceptus ſit cauſalitate Finis poſterior; poſtremo tamen modo ſumptus eſt illa eadem cauſalitas.

Ubi adnotandum, quòd amor primo, & ſecundo modo acceptus realiter diſtinguitur ab eodem amore ultimo illo modo ſumpto; quicquid in oppoſitum dicant nonnulli. Secùs namque conveniremus cum illis, qui eandem eſſe cauſalitatem Finis, & cauſalitatem voluntatis ſentiunt.

Qua ex re agnoſcere quiſquis non detrectet, quòd Finis cauſalitas non eſt mera denominatio extrinſeca. Quamquam enim amari, & appeti inſpectum ut paſſio quædam per Voluntatis amorem illata, ſit quædam extrinſeca denominatio, ſicuti denominatio viſi eſt pura extrinſeca denominatio: ſecùs tamen acceptum ut eſt pondus quoddam Ipſius Finis modo prædeclarato.

16 Arg. 4. Cauſa omnis extrinſeca à ſua realiter diſtinguitur cauſalitate, ut lib. 1. q. 4. art. 1. §. 3 ad 1. arg. dicebamus; ſed amari, & appeti non diſtinguitur realiter ab ipſo Fine: ergo amari, & appeti non eſt cauſalitas Finis. Min. videtur negari non poſſe à nobis, qui dicimus, quòd Finis non movet media qualitate aliqua voluntati impreſſa.

Reſponderi primùm poſſet: Majorem veram eſſe de omni Cauſa extrinſeca, agente per phyſicum influxum, uti eſt cauſa efficiens. Sicque intendebamus nos ubi ſupra.

Deinde omiſſa maj. nego min. ad cujus prob. dico, quòd illud appeti, & amari eſt quidem realiter à Fine diſtinctum; non tamen eſt qualitas aliqua impreſſa voluntati, ſed eſt Ipſius Finis pondus.

Dices. Illud appeti, & amari, ſeu pondus illud, ſi eſt quid realiter à Fine diſtinctum, debet habere cauſam efficientem, à qua producatur; ſed non aliam, niſi ipſum Finem: ergo eadem militat difficultas, ac de qualitate voluntati impreſſa, quam ſupra reſpuebamus §. 1. num. 4.

Reſp. quòd cauſatur à Fine, non per veram efficientiam, ſed per dimanationem quandam, & reſultantiam; quæ dimanatio ſolùm reductivè ad genus cauſæ efficientis ſpectat. Non eſt autem inconveniens, idem pertinere reductivè ad duplex genus cauſæ reductivè, cùm, ut infra dicemus, Idea, & exemplar ſpectent ad genus cauſæ formalis, & reductivè etiam ad genus cauſæ efficientis. At qualitatem illam deberet Finis cauſare per veram efficientiam. Ratio eſt quia hujuſmodi qualitas eſt quid phyſicum de prædicamento qualitatis extra ipſum finem, nimiram in voluntate impreſſum. Pondus autem illud tametſi & in voluntatem derivetur, quo voluntas redditur ponderoſa, nihilominùs non opus habet per veram efficientiam produci: eò quia eſt quid realiter diſtinctum, & ſuperadditum (ut inquit Jo: de S. Th.) prout ly *realiter* contraponitur ad rationis, non prout contraponitur ad intentionale. Eſt igitur aliquid reale purè intentionale, realiter purè intentionaliter ſuper ſuperadditum. Hanc diſtinctionem purè intentionalem accuratiùs explicabo contra Godoy in lib. 2. de Anima quæſt. 6. quæ erit de ſpeciebus intentionalibus art. 3. §. 3. ad primum argum.

17. Colligi ex hactenus dictis non difficulter poterit, quinam ſint effectus Finis. Quandoquidem effectus omnes cauſæ efficientis ſunt effectus Finis. Ratio clarè id ſuadet; quoniam effectus Finis ſunt illi omnes, qui fiunt gratia Finis, id eſt propter finem; ſed omnes effectus cauſæ efficientis ſunt propter finem, cùm omne agens agat propter finem, ut art. ſequenti conſtabit: ergo omnes effectus cauſæ efficientis ſunt effectus Cauſæ Finalis. Hoc autem intellige in diverſo genere cauſæ. Ac memento, quòd diximus, primum Finis effectum, eſſe amorem ſui ipſius, cæteros verò eſſe effectus ſecundos.

Quomodo autem Cauſa efficiens, & Finalis eoſdem omnino effectus habere queant, non verò eandem cauſalitatem. Hoc ideo eſt, quia effectus non eſt terminus intrinſecus Cauſæ, neque ejus perfectivus. Cauſalitas autem Cauſæ eſt terminus intrinſecus cauſæ, illiuſque perfectivus. Nequit autem unus terminus creatus intrinſecus terminare, ſaltem primariò, duo realiter diſtincta. Palam namque eſt, quòd una, eademque exiſtentia nequit de primariò plures eſſentias terminare. Cauſa autem Efficiens, & Finalis ſunt duæ cauſæ primariò intentæ à natura exigentes terminos primarios.

ARTICULUS TERTIUS.

Quibus competat agere propter finem, & quomodo.

§. I.

1. DUplicis generis ſunt agentia. Quædam namque ſunt nulla cognitione prædicta, ut elementa, plantæ, corpora cœleſtia &c. alia ſunt cognoſcentia. Et iſta adhuc ſunt in duplici genere. Quædam ſiquidem pollent cognitione intellectuali, ut Homines, & Angeli, & præ omnibus Deus ipſe. Alia autem duntaxat ſenſitiva cognitione gaudent, ut Belvæ. De omnibus his controvertitur apud Scriptores.

2. Prima deliramentis plena ſententis fuit Democriti, Empedoclis, Leucippi, & longè poſt, Epicuri, qui ceu illi, qui Divinam etiam providentiam de medio tollebant, denegabant, res naturales cognitionis expertes agere propter finem quoquomodo, nimirum etiam executivè, ut ab alio motas ſive actualiter, ſive habitualiter: atque malitioſè potiùs, quàm inſcienter docebant, cuncta in Univerſo fieri fortuito quodam, ac temerario atomorum congreſſu.

Hos omnes reprehendunt communiter Philoſophi, unum ſi demas Carteſium, qui etſi auſus non ſit iiſdem terminis eundem profiteri errorem, nimirum, quòd Mundus fortuito quodam atomorum concurſu ſit conditus; nihilominùs mutatis verbis, ſi non quantùm ad reapſe, ſaltem quantùm ad de poſſibili in idem coincidit, cùm ſuo in opere de Principiis 3. p. num. 47. profligata omni cauſa finali quæſt. 1. num. 28. contendit, potuiſſe Mundum cœca quadam motus

tus neceſſitate ad hanc; quam modo obtinet adeo excellentem ſtructuram pervenire.

Quò ad Beſtias duæ ſunt extremæ ſententiæ inter ſe pugnantes, & duæ mediæ. Una quæ rationem Brutis tribuit, diſcurſum, & libertatem. Hanc profeſſi ſunt poſt Plutarchum & Porphyrium Manichæi, ut dicemus lib. 2. de Anima q. 2. art. 1. §. 1. licèt ex diverſo motivo, ac Porphyrius lib. 3. de abſtinentia, de cujus Porphyrii doctrina videre eſt Guerinois hic §. 4. qui, cum Goudin, Porphyrium, & ejus aſſeclas Pecudum Patronos appellat. Alia ex diametro oppoſita denegat Brutis non tantùm omnem rationem, ſed & omnem ſenſum, ac vitam prorſus, volens, eſſe automata quædam, ſive quaſdam machinas veluti horologia ſecretis elateriis agitatas. Hanc docet Carteſius, qui cernens, corpuſcula ſua nequaquam vitæ, ſenſus, cognitioniſque ſenſitivæ principium eſſe poſſe (ut ex dictis à nobis lib. 1. q. 1. art. unico ſit manifeſtum) maluit vitam, & ſenſum Brutis adimere, quàm Animas, & formas concedere. Huic ſubſcripſere nonnulli alii Nuperi, inter quos P. Ignatius Gaſton Pardiez, quadam ſua in opella gallico in idiomate edita.

Superſunt aliæ duæ mediæ. Una concedit, Bruta agere propter finem formaliter, licèt imperfectè admodum, eiſque dat rationem aliquam, & libertatem, imperfectam tamen. Hanc tuentur Arriaga, & Pontius, ac noviſſimè Philoſophia vetus, & nova Joannis Baptiſtæ du Hamel in ſua Ethica. Alia autem dicit. Bruta operari quidem propter finem, ideſt cum Finis apprehenſione, ſeu cognitione finis, ſed tamen duntaxat materialiter, quatenus tametſi apprehendant Finem hoc eſt bonum; non tamen apprehendunt illum formaliter ut talem; quia non cognoſcunt proportionem mediorum cum fine, ita quòd & ſi media conducentia ad finem amplectuntur, moventur ab Intelligentia non errante ut plerique tenent; vel quia illam proportionem apprehendunt per quendam materialem, non verò formalem diſcurſum, & ratiocinationem, ut nonnulli alii ſe explicare videntur. Undè iſti videntur concedere rationem aliquam licèt ſolùm materialem, non verò formalem etiam imperfectam.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Agentia omni cognitione etiam ſenſitiva deſtituta agunt propter finem, ſaltem executivè. Ubi & Divina Providentia vindicatur.

3. QUòd non operentur propter finem, niſi executivè, hoc eſt paſſivè, quatenus à Deo ut naturæ authore, & rectore moventur, ex ſe palam eſt, cum omni prorſus cognitione careant, qua ſe dirigant: adeoque ab infallibili Intelligentia moventur. Si non ſemper actualiter, ſaltem habitualiter, quatenus V.G. gravi dedit naturam tendentem deorſum, & ſimilia: loquendo tamen de movere directè, & præſcindendo à motu tum ſimultativo, qui dicitur concurſus ſimultaneus; tum purè applicativo, qui dicitur concurſus prævius. De quibus lib. 7. q. 2. Ubi crediderim in hujuſcemodi rebus, quòd potiùs naturæ author dicatur in eis, & mediis eis agere propter finem, quàm quòd ipſæ res agant propter finem, cùm toto rigore, & tota ſermonis proprietate loquendo; cùm agi potiùs quàm agere eas videatur dicendum. Undè & appetitum earum utpote non elicitum, ſed innatum non eſſe propriè, ſed habitualem inclinationem eis à naturæ authore impreſſam, vidimus art. 1. §. 3. num 8. ad 3. arg.

4. Quòd verò propter finem talium agentium actiones, ſeu motus ſint jam contra Divinæ providentiæ hoſtes, caſui univerſa adſcribentes, Prob. ratiocinio Ariſtotelis. Quandoquidem quæ fortuitò omninò, ac temerè eveniunt, raro accidunt, ut de monſtris, aliiſque palam eſt, variiſque ſemper modis, vel ut plurimum eveniunt; ſed non ſic opera naturæ, quinimo plerumque uniformiter eveniunt, nimirum Ficulnea V. G. nonniſi ficus profert, Cœli eodem ſemper modo in gyrum aguntur: non ergo caſualiter evenire dicendum eſt, ſed ad finem à Deo præſtitutum agere.

Non me præterit, Epicureos reſpondere, quòd omnia iſta quondam infrequenter eveniebant, ſicut non pauca modo raro eveniunt, ut monſtra. At cùm iſta rerum Symmetria lateret inter alias poſſibiles, diuturno corpuſculorum fluxu emerſiſſe, eamque etiam nunc durare.

Aſt nec me fugit, eos non tam divinando, ſed & deſipiendo id dicere. Siquidem res jugiter in pejus ruere debuiſſent ac deteriores fieri caſu corpuſcula verſante. Eò vel maximè, quòd diſpoſitiones ineptæ utpote faciliores proclviores ſunt ad eveniendum.

Ecquid enim aliud eſſet Mundus ſine ſupremi Rectoris gubernio, niſi Currus caſu veluti equo ſine Auriga raptatus? niſi Navis procelloſo in mare deſtituta Nauclero? aut veluti Homo deficiente ductore ignotas Orbis plagas luſtrans?

Per quod evertitur illud, quod dicebatur de illa cæca motus neceſſitate Carteſiana; quòd nimirum res deteriores jugiter eveniſſent; & Mundus foret veluti currus raptatus equis cæco dirigente Auriga mentis, & corporis oculis capto &c.

5. Prob. deinde. Meliora ſunt quæ naturâ, quam quæ Arte elaborantur, cùm ars imitetur naturam; ſed palam eſt, Artem opera ſua non temerè, & ſine Artificis ratione perficere; ergo cur non potiori jure de natura id dicere debemus.

Conf. Si quis horologium aliquod inſpiciens, nonne ſtatim inferat, aliquem dari ejus machinulæ authorem? aut ſi quis neminem videns, ſed duntaxat proximo in cubiculo optimè citharam pulſari audiens nonne ſtatim agnoſceret optimum ibi adeſſe citharædum. Sic quis videns Univerſum tam eleganter, ac artificiosè diſpoſitum, optimum non agnoſcat Opificem?

Denum ſi carens mente natura, & atomorum concurſus adeo valuit, ut nullius induſtria hæc efficeret, meritò quærimus, cur facere Cœlum potuerit, domum non potuerit?

6. Levia quædam argumenta, quæ Divinæ Providentiæ infenſi objiciunt, videri poſſunt ſoluta apud Goudin ultima ſua in editione à pag. 42. uſque ad 47. hic. Sed monendum cenſeo fugiendam eſſe levitatem eorum, qui mulierculaarum more ea, quæ nimis miſeri volunt, hæc facilè credunt, ne ſimilis quis fiat Sacerdoti illi, cujus meminit Melchior Cano de Locis Theologicis lib 11. cap. 2. in 2. lege, ſeu regula, dicens, ei perſuaſiſſimum fuiſſe, nihil omninò falſum eſſe, quod ſemel typis datum fuiſſet. Hoc dixi quò ad quoſdam pueros ex terra caſu ortos.

Sunt autem alia argumenta, quæ apud neminem ſoluta comperi, & hic ſolvere propoſui.

Opponunt igitur Epicurei, quòd ſi extaret Univerſi Proviſor ac Rector, ſanè non adeo inæqualis bonorum diſtributio foret, ut uni totum, alteri nihil detur. Quòd injuſtitiam non modicam redolere videtur. Item meliori certè modo ſe haberet cum juſtis, ac præmio dignis, qui plerumque miſerè coguntur vivere, ac cùm impiis, qui ſic proſperè vivere permittuntur: imò neque ita foret, uti evenire videmus, quòd non magis illi, ac iſti proſperentur; quaſi nihil pluris faciat pretioſa metalia, quàm vile ferrum. Quod cæcitatem ſapit.

Reſp. cuncta iſta, quæ Providentiæ infenſi objiciunt, eidem nihil obeſſe, benè verò ejus notioni prodeſſe. Quandoquidem Hierarchicus ordo ſic expoſtulat, ſine quo monſtruoſus eſſet Orbis, ſicut monſtruoſum eſſet humanum corpus, ſi omnes, ac ſingulæ ejus partes æquales forent, nec earum aliæ aliis inſervirent. Hinc palam eſt, quòd in Republica, etſi omnes vellent Equites eſſe; at Princeps, qui publicum intendit, vult inter ſubditos & plebejos.

Ad id, quod ſubditur dicatur, ſic loquentes eos eſſe, qui etſi Scotomiæ morbo laborent; attamen non ripæ trans torrentem, ſed ruentibus undis obtutu hærent; quoniam non attendunt ad ſupplicia impiis, & ad præmia juſtis in alia vita reſervata. De quo 3. de Anima probando Animæ rationalis immortalitatem. Idque agnovit & Seneca, cùm illa in verba Stoicus hic erupit. *Paternum habet Deus adverſus bonos viros animum, & illos, quos fortiùs amat, operibus, laboribus, ac damnis exagitat, ut veriùs colligant robur.* In lib. de Provid.

Deinde non advertunt, quòd ſi Deus vellet criminatores omnes punire, Orbem vel in deſertum quoddam ampliſſimum, vel in prorſus vaſtatam regionem, vel in Xenodochium commutare opus foret, ferè innumera criminatorum præ multitudine. Si autem neminem puniret, debito timore Mundus careret. Item ſi hac in vita juſtis omnibus præmia largiretur, occaſionem, motivumque præberet,

Deo

Digitized by Google

Deo ſerviendi ob temporalem retributionem, vel ſervilem duntaxat ob timorem.

Uno verbo dicam, quòd de Providentia dubitare eſt adhubitare num in meridie ſit dies.

§. III.

Bruta operantur cum cognitione Finis, adeoque & meliùs, ac alia agentia naturalia propter finem agunt.

7. Colligitur ex illo Iſaiæ 1. *Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepè Domini ſui*. Jerem. 8. *Milvus in Cœlo cognovit tempus ſuum*. Job. 39. *Equum audire buccinam, & contemnere pavorem &c.*

Nec in tuto eris, ſi dixeris; Scripturam Vulgi captui ſe accomodare. Non, inquam. Tum quia S. Aug. dicit verba Scripturæ eſſe in ſenſu litterali accipienda, quoties nullum ſequitur inconveniens. Tum quia aliter eadem facilitate quando Scriptura tribuit Hominibus cognitionem, dicere quis poſſet, quòd ſe accommodat Vulgi captui.

8. Prob. ratiocinio. Quandoquidem hoc pertinet ad perfectionem, & pulchritudinem Univerſi, quòd quemadmodum extant res creatæ, aliæ cognoſcentes cognitione purè intellectiva, ut Angeli; aliæ cognoſcentes cognitione intellectiva, & etiam ſenſitiva, uti Homines, qui ultra intellectivam potentiam, & ſenſitivam habent; ita quoque extent aliæ, quæ ſint cognoſcentes cognitione purè ſenſitiva. Res autem iſtæ nequeunt aliæ excogitari, niſi Bruta ipſa.

Conſ. Homo eſt quid medium inter Angelos, & Bruta: ergo ſicut unum extremum, à quo exceditur, cognoſcit cognitione purè intellectiva, ſic aliud extremum, ſuper quod elevatur, erit cognoſcens cognitione purè ſenſitiva.

Urg. Ad pulchritudinem, & perfectionem Univerſi extant aliqua viventia vita purè intellectiva, uti Angeli; alia viventia vita intellectiva, ſimul, & ſenſitiva & vegetativa, uti Homines; ergo pariter ob eandem perfectionem, & pulchritudinem exigitur, quòd extent aliqua viventia vita ſenſitiva ſimul, & vegetativa; & alia viventia vita purè vegetativa, uti Plantæ: adeoque extat in Brutis cognitio ſenſitiva, qua finem apprehendere queant, ut propter illum agant.

9. Prob. deinde. Docilitas propria cognoſcentium eſt; ſed ſic eſt, quòd Bruta ſunt quodammodo docilia: ergo Bruta pollent ſenſitiva cognitione: Maj. eſt certa. Min. etiam conſtat, præſertim de Canibus, qui & flagris, & pane ad quampiures exercendas operationes inducuntur, & quandam diſciplinam latè ſaltem dictam capiunt.

Et ſanè quicunque obſervabit, quæ in dies tum intra, tum extra domeſticos parietes à Cane, à Similis, ſele &c. fiunt, agnoſcet, errorem, & non opinionem ſententiam oppoſitam eſſe.

Pro ulteriori veritatis hujus robore facient ea, quæ infra §. 5. in favorem Porphyrii adducentur; & quæ nos ſolvemus. Siquidem etſi inde non aliquis diſcurſus formalis, aut formalis actus inferatur, ſaltem cognitio aliqua ſenſitiva deducitur.

10. Objicies ex Pardiez, ubi ſupra num. 14. Eatenus per nos admittenda eſt ſenſitiva cognitio in Brutis, quatenus videbimus operationes eorum, quæ prævia ex cognitione videntur elicitæ; ſed optimè ſtare poteſt, quòd hujuſcemodi operationes non ſint ex cognitione: ergo nullum eſt motivum admittendi in Brutis cognitionem ſenſitivam, qua finem apprehendant, ut propter illum operentur. Min. prob à ſimili. Plures in Homine extant operationes, quæ nulla ex cognitione proveniunt, etſi videantur cognitionem præexigere: ergo pariter & in Brutis evenire id poterit. Ant. explicatur. Puer, aut rudis, aut etiam inſanus Homo quomodo ſcit, quod pondus diſtans à centro, quod brachium extenſum ſuſtinere valeat totum corporis pondus, quando ruina imminet ad aliam partem. Quod centrum gravitatis ſemper debeat eſſe in equilibrio ſuper illum pedem ſuper quem fiui manemus; ſed regulæ iſtæ omnes ſervantur etiam à pueris, & rudibus, imò, & inſania, non minùs, ac ab excellentioribus Philoſophis cùm labaſcunt: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. dicimus, quòd ea omnia eſtò neſciat ſignatè, formaliter, ac reflexè, quaſi nimirum cognoſcat, ſe id cognoſcere, & ſcire; ſcit tamen exercitè, directè, & virtualiter, quatenus naturali lumine innoteſcit, ſe debere ab illa retrahere parte, ad quam labaſcit.

Dices ex Carteſianis. Interdum iſti motus ita ſubitò fiunt, ut nulla poſſit præire cognitio. Item cum cadendo palmas vultui apponimus, cùm ictum in caput directum brachio excipimus; Similiter cùm loquimur, cùm comedimus, cum citharam pulſamus, qua ratione ad id membra ſint aptanda; quæ ſi adverteremus interdum præpediremus.

Reſp. primodùm, iſta omnia cognoſci cognitione habituali formali, & virtualiter actuali. Vel cum Goudin, quòd iſta omnia fiunt ex aliqua imaginationis apprehenſione, ſed ita ſubita, ut imperceptibilis ſit. Etiam namque cognitio ſenſitiva cùm ſit motus intentionalis, non verò phyſicus poteſt in inſtanti fieri.

Undè advertit Guerinois, quòd hujuſmodi operationes ſi fiant modo humano ab ipſo Homine, ſemper intervenit aliquis rationis actus; ſi verò non fiant modo humano ab eodem Homine (alia enim eſt actio Hominis, alia actio humana) adhuc ſemper intervenit aliqua ſaltem phantaſiæ, ſive imaginativæ, vel etiam æſtimativæ, ſeu cogitativæ potentiæ cognitio.

Videatur idem Guerinois, non tantùm hic, ſed & præcipuè in lib. 3 de Anima quæſt. 3. art 10.

Neque mirum ſit, extare iſtam ſubitam, & imperceptibilem cognitionem. Non; inquam, ſicut nec mirum eſt, quòd extet ſubita, & imperceptibilis actuum multiplicatio, tum in intellectu, tum in voluntate; inquit idem Goudin. In intellectu quidem ſimplex apprehenſio, diſcurſus, judicium, conſilium, imperium &c. In voluntate etiam volitio, ſeu ſimplex complacentia, intentio finis, electio mediorum, uſus, fruitio &c. Qui tamen vel in Hominibus prudentiſſimis ita ſubitò, ac ſine mora ſibi ſuccedunt, imò inobſervabilibus diſcriminibus miſcentur, ut eorum ordo, ac diſtinctio via agnoſci vel ab ipſo operante queat.

Ad id autem, quod ſubditur, nimirum, quòd interdum ſi adverteremus præpediremus, Reſp. veram eſſe, ſi adverteremus ſemper advertentia intellectiva, vel reflexa.

11. Objicit deinde Pardiez, quòd ſi ex apparentia cognitionis in operationibus Brutorum arguere volumus eis ineſſe cognitionem ſenſitivam; quoque arguere in eis rationem deberemus; quoniam non pauca videntur ratione prædita, ut de Pſittaco, Simia, Pica, & Cane &c. apparet.

Reſp. primitùs, ex dicendis lib. 2. de Anima q. 2. art. 2. verum id eſſe niſi haberemus aliud motivum id denegandi; quia nimirum Brutorum operationes fiunt dependenter ab organo corporeo, ut fuſiùs dicetur ibi explicando triplicem modum elevationis ſupra materiam in operando, ut triplex vitæ genus ſtabiliatur.

Deinde Reſp. cum præfato Goudin, quòd illa rationis ſigna in Brutis levia ſunt; quia tametſi in quibuſdam cum ratione procedere videantur, in infinitis aliis contra rationem peccant. Sed de his in §§. ſequentibus.

Et nota (ut fiat ſatis importunitati Patris Pardiez ubi ſupra num. 51. & 55.) quòd cognitio, quam in Brutis ponimus, eſt purè ſenſitiva, ad quam, non ſequitur diſcurſus ſaltem formalis; non verò intellectiva, ad quam ſequitur diſcurſus. Undè non ſequitur, Bruta eſſe diſcurſiva ſaltem formaliter; ultraquamquod nonnulli eis concedunt rationem aliquam imperfectam, ut §. 1. vidimus.

Quare autem ſit purè ſenſitiva; ratio eſt aſſignata tum à priori, quia nimirum fit dependenter ab organo corporeo; cognitio autem intellectiva fit independenter ab organo corporeo, ut lib. 3. de Anima, probando Animæ rationalis immortalitatem videbimus. Tum à poſter. quia nempe in pluribus aliis à ratione deficiunt.

Et poteſt argumentum in Adverſarios retorqueri. Siquidem in Brutis, quæ rationalia non ſunt, inditia rationis ſunt valde levia: ergo quoque ſi non eſſent ſenſitiva, ſigna ſenſus in eis eſſent valde levia; ſed ſigna ſenſus in Brutis ſunt magna, atque maxima, non verò levia: ergo fatendum, eſſe ſenſu prædita; ſecùs etiam cum tot, tantiſque ſignis rationis, quæ in Homine apparent, poſſemus negare, Hominem eſſe rationalem.

Eapropter moneo ſupradictam Pardiez, qui dicit, noſtram ſententiam valde periculoſam, nimirum obnoxiam periculo dicendi, etiam Bruta eſſe rationalia, ex eo, quòd ſigna aliqua in eis rationis appareant. Moneo, inquam, ut caveat, ne longè periculoſior ſit ejus ſententia, videlicet

cum

cum periculo, quod quemadmodùm in Brutis noo obſtantibus tot, tantiſque ſignis ſenſus, negat ſenſum; ſic non obſtantibus in Homine tot, tantiſque ſignis rationalitatis deneget & ipſi rationalitatem.

§. IV.

Bruta omni prorſus ratione formali, & diſcurſu formali careat.

12. HAbetur ex Petri 2. ubi pecora irrationabilia dicuntur, *velut irrationalia pecora ferantur*.

Prob. argumento, quo adverſus Manichæos utebatur Auguſtinus. Nam ſi Bruta eſſent ratione prædita ſequeretur, quòd occidendo quis aliquid ex eis V.G. Bovem, Agnum, ovem, Gallinam &c committeret homicidium, ſed hoc nihil abſurdius: ergo Bruta non ſunt ratione prædita. Prob. Maj. Nam ſi Bos, Agnus &c eſſent ratione prædita, jam quis necando Bovem, Ovem, aut aliud ſimile perimeret Hominem; ſed occidere Hominem eſt homicidium: ergo &c. Prob min. Qui animal interimit rationale, occidit Hominem; ſed ſi Bos, Ovis &c. eſſent ratione pollentes jam eſſent animal rationale! ergo &c. Præmiſſæ probatione non indigent. Non Maj. quia Homo eſt animal rationale, nec min. Ideo enim Homo eſt animal rationale, quia eſt ratione præditus.

Nec dicere juvat, quod eſto omnis Homo ſit animal rationale, non tamen è contra omne animal rationale eſt Homo. Non, inquam. Nam (ut liquet ex Summulis, ubi diximus definitionem & definitum dici ad convertentiam) conſtitutivum, & conſtitutum dicuntur ad convertentiam. Conſtitutivum autem Hominis eſt eſſe animal rationale.

Conf. Nam ſi Beſtiæ forent ratione præditæ, jam proculdubio eſſent Anima rationali dotatæ, ſicque capaces & ipſæ forent beatitudine æterna ſupernaturali gaudere per claram Dei viſionem, ejuſque fruitione, cùm nonniſi ratione Animæ rationalis capacitatem iſtam præſeferant homines.

Urg. Conſtitutivum unius nequit alteri à conſtituto convenire; ſed rationalitas eſt differentia conſtitutiva hominis: ergo nequit Brutis convenire. Niſi dicere quis cum Pythagoreis voluerit, ejuſdem ſpeciei eſſe Homines, & Bruta, eandemque in Brutis, ac Hominibus eſſe animam, ſola domicilii ſtructura animas eorum diverſificari. Quo in caſu qui ſic loqueretur non eſſet audiendus magis, ac Jumentum, ceu ille, qui ejuſdem cum Aſino ſpeciei ſeſe fateretur.

Nec valet dicere, rationalitatem Brutorum eſſe valde imperfectiorem rationalitate Hominum.

Non, inquam, Tum quia ex hoc duntaxat ſequitur, ea eſſe Homines valde imperfectiores. Nam cùm Homo ſit animal rationale eo modo, quo aliquid eſt animal rationale, eſt Homo: ergo quod eſt animal rationale imperfectum, erit Homo imperfectus. Tum quia ſi ſemel Brutis conceditur aliqua modica ratio, ac levis libertas formalis non video, cur eis negari poſſit peccare poſſe ſaltem venialiter, ſeu peccato levi. Item poſſe mereri. Vide 2. de Anima q. 2. art. 1. §. 1. ſub num 2.

13. Demum poſſet probari ratione, qua §. præcedenti num. 8. probavimus, bonum, & pulchritudinem univerſi expoſcere, quòd extent cognoſcentia cognitione purè ſenſitiva. Hæc enim eſſe nequeunt, niſi Bruta.

14. Objicies contra hoc. Supremum infimi attingit infimum ſupremi; ſed Bruta ſunt quid immediatè infra Hominem: ergo attingunt infimum rationis ejuſdem, adeoque aliqua ſaltem infima, hoc eſt imperfectiſſima ratione pollent.

Reſp. primitèr, quòd infimum in Homine non eſt ratio; ſed eſt ſenſus, & vegetabilitas; adeoque ſolùm ſequitur, quòd hoc, nempe ſenſitivum capiant Bruta, & quòd ſenſitivum, quod eſt inter Hominis inferiora prædicata, ſit ſupremum in Brutis.

Deinde dico, veram eſſe majorem ſtando intra rationem formalem infimi, non verò ſe extendendo ultra, & pertingendo ad rationem formalem, differentialem ſuperioris ſpecificativam, uti eſt rationalitas in Homine.

15. Objic. 2. quædam ferè miranda Brutorum geſta, in quibus prudentia, magnanimitas in nunnullis, induſtria, aſtutia in aliis; quæ omnia videri apud Goudin, & Guerinois poſſunt hic.

Reſp. ex D. Th. p. 2. q. 1. art. 2. ad 3. In his omnibus, in quibus ars, & virtus apparet moveri directivè ab Intelligentia, non errante, nimirum à Deo authore naturæ, ſi non ſemper actualiter formaliter (quod adeo difficilè creditu nonnullis videtur) ſaltem habitualiter formaliter, & actualiter virtualiter quodam naturæ inſtinctu eis in æſtimativa indito; ſed tamen cùm finem apprehendant & ipſa non tantùm executivè, & paſſivè, ſicut naturalia, ſed aliqualiter activè ſe movent, non tamen directivè; ſed purè elicitivè.

Contra inſtari Poſſet. Nam eadem facilitate de Homine dici poſſet, moveri à Deo authore naturæ. Undè ſicut quia in Homine videmus tot rationis indicia, infertur, eſſe rationalem, ita & idem de Brutis dicendum.

Si reſpondeas, diſcrimen eſſe, quòd operationes Brutorum ſiunt dependenter ab organo corporeo.

Contra eſt, quia hoc verum eſt duntaxat de operationibus ſenſuum, ſicut & in Homine.

Si iterum dicas, quòd in nobis non tantum ab externis actibus, ſed & intra nos experimur.

Contra. Quis novit num, & Bruta intra ſe idem experiantur? Ecquis unquam noſtrum intima cordis penetravit eorum?

Reſp. bene ibi. Ad 1. Oppugnationem dicatur, conſtare evidenter quòd Brutorum actiones non ſunt, niſi actiones ſenſuum, adeoque dependentes ab organo corporeo; quia non ſunt, niſi circa ſingularia, non verò circa univerſalia, ſecùs & ſcientias, nimirum Metaphyſicam, Philoſophiam, Logicam &c. quæ ſunt de univerſalibus, valerent capeſſere, ſaltem inter ſe Bruta cum Brutis diſcurrendo (ſi non ab Hominibus) eò quod dicunt Adverſarii Bruta ſeſe invicem alloqui proprio in idiomate, licèt nos non intelligamus, ſicut nec plurium nationum linguas ſcimus. Homo autem & ad univerſalia pertingit abſtractivè ab omni ſingulari abſtrahendo.

Ad 2. Reſp. quòd hoc ipſo, quòd experimur, nos eſſe rationales per legitimam conſequentiam infertur, Bruta rationalia eſſe nullatenus poſſe; quoniam Homo conſtitutivum aliquod differentiale à cæteris omnibus habere debet, & diſtinctivum, quod niſi ipſa rationalitas aſſignari poteſt, adeoque convenire alteri ab Homine nullatenus valet.

Et ſanè ſi ex talibus operationibus argui deberet rationalitas in Brutis, jam non tantùm minus perfecta, ſed & perfectior, ac in Homine concedi opus eſſet, cùm in nonnullis & Homines excedant.

§. V.

Bruta agant propter Finem elicitivè, non tamen directivè formaliter.

16. QUò ad p. p. conſtat ex dictis §. 3. ubi vidimus, Bruta, eſſe cognoſcentia, adeoque elicere operationem propter finem apprehenſum; & etiam ex dictis §. & numero præcedenti ad 2.

Quò ad 2. verò infertur ex dictis §. præcedenti. Quandoquidem ad operandum directivè formaliter requiritur ratiocinatio formalis, ſicut ad directionem materialem requiritur quædam ratiocinatio ſaltem materialis.

17. Dixi autem *directivè formaliter*, quia directivè materialiter non dubitarem concedere, quòd Bruta ſic operentur propter finem. Undè & in eis concederem diſcurſum quendam duntaxat materialem, quem in Logica Syntag. 2. art. 5 §. 3. ad 3. arg num. 9 & ad conſ 5. argumenti num. 10. non denegavimus Phantaſiæ ſecundùm ſe circa ſingularia, modo ibi ſub num. 10. explicato. Sic videtur apparere in cane qui ſæpiùs flagris affectus ab hero ob actionem aliquam in aliquo tempore vel loco, ceſſat in poſterum ab ea.

Ubi, ut dixi loco ex Logica citato, eſtò faciat illationem aliquam, non tamen cognoſcit vim illationis in ratione talis, ſed duntaxat cognoſcit ipſum inferens, & ipſum illatum, non verò vim illationis, imò nec ipſam illationem. Cognitio autem inferentis & illati eſt ipſamet illatio, ſed non cognita; benè tamen eſt ſufficiens ad dirigendum materialiter propter quandam ſaltem materialem colligationem, quæ tunc intervenit inter inferens & illatum. Non cognita, inquam, nec etiam virtualiter; quia ſenſus

Digitized by Google

etiam interius nullatenus etiam virtualiter eſt ſupra ſuos actus reflexivus, ut dicetur 2. de Anima q.5. art.2. §. 3. concl.2. in fine illius. §.

Undè non indè ſequitur, quòd agant propter finem formaliter, nec etiam imperfectè. Tum quia ad hoc requireretur aliqua directio formalis ſaltem imperfecta, & diſcurſus aliquis formalis ſaltem imperfectus; adeoque ratiocinatio aliqua formalis ſaltem imperfecta.

Et per hæc aliquæ conciliari poſſunt ſententiæ, ac ſolvi inſtantiæ, quæ utrinque objici conſueverunt.

Cum quo tamen adhuc ſtat, quòd Bruta dicantur moveri à Deo directivè formaliter, ſaltem habitualiter modo præ-declarato; quia ipſa ſe ſe movent directivè duntaxat materialiter. Undè directivè formaliter aguntur à Deo ut naturæ authore, cujus directione, Bruta ita aguntur operosè, ut interdum in nonnullis actibus excedere Homines comperiantur. Eò vel maximè, quòd Bruta ſolis ſenſuum functionibus vacant; idcircò magis pollent.

APPENDIX.

Num natura producendo monſtra operetur à caſu vel potiùs fiat ab ea intenta, ita quòd etiam ea efficiendo dicatur agere propter finem, & quomodo.

1. MOnſtrum definitur ex Ariſt. lib.4. de Gener. cap.4. Et hic 2. Phyſ. cap 8. tex 82. quòd ſit *naturalis defectus à recta, & ſolita ſecundùm ſpeciem diſpoſitione degenerans*. Qui defectus contingere poteſt non tantùm per materialem defectum, ut ſi naſcatur Homo cum unica manu vel alio membro deſtitutus, ut Vitembergiæ Saxoniæ Urbe Homo acephalus, hoc eſt ſine capite quondam natus fertur, verùm etiam per exceſſum, ut ſi naſcatur cum tribus manibus vel capite multiplici, ut quondam Forolivii Homo ſeptem habens capita: Et inſuper contingere poteſt variato partium ſitu, ut ſi naſcatur Homo habens os, aut oculos in pectore: ulteriùs per figuram ſpeciei diverſæ, ut ſi naſcatur Homo cum capite Canis.

2. Pro dubii ſolutione Noto cum Javello hic, quòd aliquid poteſt eſſe intentum à natura tripliciter. Primò poteſt eſſe intentum prima intentione. Et hoc eſt illud, quod terminat actionem agentis, ſecundùm quod agens ſimpliciter appetebat appetitu ſive innato, ſive animali, ſive rationali; ut locus deorſum eſt intentus primaria intentione à gravi deſcendente, inventio cibi ab animali faméſcente, & Scientia ab addiſcente. Et circa tale primò intentum nullo modo contingit eſſe caſum aut fortunam. Secundò poteſt eſſe intentum ſecunda intentione; & eſt illud, quod ſecundariò terminat actionem agentis, ſicut lucrum apud verum Medicum. Nam primò intendit ſanitatem infirmo, deinde lucrum. Et circa hoc intentum ſecundarium poteſt eſſe caſus V.G. Si Medicus intenderet duntaxat, & præcisè ſanitatem infirmo, & nullatenus lucrum, nec ſuper illud cogitaret; & tamen accidat, quòd ſanato infirmo detur ſibi lucrum præter omnem intentionem ſuam, tunc lucrum erit ei caſuale.

Tertiò poteſt eſſe intentum tertia intentione; & eſt illud, quod tertiò terminat actionem agentis præter intentionem primam, & ſecundam V. G. Agens intendebat primò *A* & non potuit producere *A*, ſecundò intendebat *B* eo quod non poterat producere *A*, & iterum ex quo non potuit producere *B*, tertiò intendebat *C*, quod tamen priùs non intendebat, ſed duntaxat, ne vana ſit actio ſua, ultimò intendit, & producit *C*, quod quidem eſt caſuale reſpectu *A*, & *B*, quoniam eſt præter primam, & ſecundam intentionem; poteſt tamen dici intentum tertia intentione, quæ pro fine tunc habet monſtra illa. Hoc ſuppoſito

3. Dicimus cum eodem Javello, quòd Monſtra non ſunt primò intenta; quia omne agens intendit primò, quod eſt ſibi ſimile, ut Maſculus maſculum: nec ſunt ſecundariò intenta, quoniam agens ſecunda intentione intendit producere ſibi ſimile in ſpecie ſub convenienti diſpoſitione partium, figuræ, & ſitus, & magnitudinis, licèt declinet à perfectione generantis, ut eſt. Fæmina, quæ comparativè ad marem primò intentum dicitur animal occaſionatum, & quaſi caſuale ex eo, quòd ſemen non eſt perfectè decoctum, ut inquit S. Th. p. p. q.92. art.1. ad 1. & q.99. art.2. ad 1. & 2. & q.9. de verit. art.9. ad 9. aliis in locis, quæ citat tab. berg. 2. *Fæmina* eſtque ſolùm de ſecundaria intentione naturæ ſaltem particularis, quæ intendit ſibi ſimile etiam in integra perfectione, licèt ſit de primaria intentione naturæ veluti communis, quæ intendit conſervationem in ſucceſſione propagativa, quæ ſine Fæmina haberi nequaquam poſſet, ut inquit idem S. Th. ubi ſupra.

Sunt igitur tertia intentione intenta ipſa monſtra, quatenus agens cum nolit fruſtrari actionem ſuam, ſi non poteſt producere marem, aut fæminam cum debita diſpoſitione, producit monſtrum.

Qua ex re apparet, quomodo etiam iſta producendo natura dicatur agere propter finem, nimirum propter finem tertia intentione intentum.

Et ſic dicendum, quòd naturæ effectus non eſt penitus caſualis, cùm ſemper natura agat propter finem. Et per hoc ſolvitur objectio Maſtrii hic 2. Phyſ. in diſp 7. art.2. vel quòd eſt caſualis reſpectu primæ & ſecundæ intentionis. Vel reſponderi ei poteſt reſponſio Ruvii de lapide, qui cadendo percutit Petrum tranſeuntem. Quod reſponſum oppugnat, ſed non expugnat Maſtrius num. 221. ut legenti conſpicuum fiet.

Sunt & alii fines, de quibus videri poteſt Gondin, ac Guerinois, & interdum etiam Divina diſpoſitione in Hominibus in pœnam parentum, propter peccata illicitis copulis commiſſa, vel propter alias culpas.

4 Si petas quænam ſint cauſæ, ex quibus monſtra eveniunt.

Reſp. cum eodem Javello ex B. Alb. M. 2. Phyſ. tract. 3. in cap. 3. quatuor eſſe cauſas generales. Prima eſt paucitas materiæ. Secunda eſt ſuperabundantia materiæ. Tertia eſt qualitas activa, vel paſſiva. Quarta eſt malitia continentis intrinſeci, vel extrinſeci.

Singula omnia (inquit idem Javellus) reſolutè declarat idem Magn. Albertus, quæ pertractando opus eſſet non pauca inhoneſta producere; idcircò omittimus, & quiſque ex ſe poterit ea apud eundem Albertum videre.

His omnibus addi poteſt vis imaginandi Parentum, & præſertim Matris. Vide Guerinois

QUÆSTIUNCULA.

De Cauſa Ideali, & Exemplari.

NOtione quatuor cauſarum generum habita, modò nos manet veſtigare, ad quamnam ex eis ſpectet Idea, & exemplar. Undè

SCISCITABERIS.

Ad quod Cauſæ genus pertineat Idea, & Exemplar?

1. IDea in hunc definitur modum: *eſt forma objecta intellectui intra ipſum exiſtens, ad quam reſpiciens artifex operatur*. Dicitur *Forma* per quandam ſimilitudinem ad formam naturalem; quia ſicut iſta conſtituit corpus in ſpecie determinata in linea naturali, ita Idea conſtituit illud in ſpecie determinata in linea intentionali. Dicitur *objecta* ideſt propoſita, quia Idea eſt id, quod Artifici proponitur ut imitandum in ſuo effectu. Undè Idea non ſe habet ſicut habitus, & ſpecies impreſſa, ſed potiùs ut verbum, & ſpecies expreſſa, in qua Artifex contemplatur ſuum artefactum.

Dicitur *exiſtens intra intellectum*, Tum ad differentiam cæterarum formarum naturalium, quæ exiſtunt in ipſis rebus intrinſecè; idea verò licèt intrinſecè inhæreat intellectui, non tamen rebus exiſtentibus extra intellectum: Tum ad differentiam Exemplaris, quod extra intellectum exiſtit.

Dicitur demum *ad quam reſpiciens Artifex operatur*, ad denotandum, quòd idea eſt regula operationis directiva. Quapropter, ut aliquid rationem ideæ habeat opus eſt, quòd effectus ſit factus cum intentione illud imitandi. Quòd ſi à caſu ſit factus ſimilis illi, rationem ideæ non obtinet.

Ex quibus conſpicitur definitionis Exemplaris nitor. Eſt namque definitio Exemplaris eadem, ac Ideæ definitio, ſublatis illis particulis *intra intellectum exiſtens*. Eapropter Principis V. G. imago in tabula expreſſa; quam quia imitatur formando aliam ejuſdem imaginem ejuſdem Principis, dicitur Exemplar. His ſuppoſitis

2. Reſp.

2. Reſp. ad quæſitum, quòd Idea reduci poteſt ad genus cauſæ, tum formalis extrinſecæ, tum efficientis, & finalis.

Prob. quò ad p.p. Ratio formalis determinandi aliquod ad determinatam ſpeciem eſt cauſa formalis, ut palam eſt in formis naturalibus; ſed Idea eſt ratio formalis, cur effectus ideatus eſt in ſpecie determinata; cùm idcirco ideatum habeat tale eſſe, quia eſt factum juxta ideam: ergo Idea ſpectat ad genus cauſæ formalis; non intrinſecæ, quoniam, ut diximus, non eſt intrinſeca rebus: ergo extrinſecæ.

Prob. quò ad 2. p. Forma intrinſeca, per quam agens operatur ad aſſimilandum ſibi effectum in forma, pertinet ad genus cauſæ efficientis, ut perſpicuum eſt in omnibus formis conſtitutivis cauſarum efficientium; ſed Idea eſt intrinſeca agenti, cùm ſit intra intellectum; & per illam agens agit, ac producit effectum ſimilem ideæ: ergo Idea ſpectat ad genus cauſæ efficientis.

Demum quò ad 3. p. prob. Siquidem bonum alicujus eſt finis illius; ſed Idea eſt bonum effectus ideati: ergo reſpectu illius habet rationem Finis. Min. pateſcit. Quandoquidem effectus ideatus eatenus dicitur bonus, id eſt benè diſpoſitus, & perfectus quatenus eſt conformis Ideæ: ergo &c.

3. Si objicias, quòd Idea importat duntaxat rationem imitabilitatis paſſivæ: ergo nequit eſſe cauſa effectiva.

Reſp. diſt. ant. Idea purè objectivè inſpecta, concedo, informativè, & conſtitutivè accepta, nego ant. & conſequentiam. Hoc namque modo eſt forma conſtituens, & movens Artificem, ad operandum, eſtque illius directiva.

Qua ex re pateſcit, Ideam eſſe veram cauſam phyſicam, ut docet S. Th. p. p. q. 44. art. 3. quia movet agens ad phyſicè operandum.

4. Nec eſt impoſſibile, in eodem copulari rationem cauſæ formalis extrinſecæ, & cauſæ efficientis reſpectu ejuſdem. Non, inquam. Liquet enim, quòd objecta mediante ſui ſpecie effectivè cum potentiis concurrunt ad cognitionem, & rurſus ut illarum terminus ſunt, obtinent rationem cauſæ formalis extrinſecæ.

5. Circa verò Exemplar dici poteſt, quòd reducitur ad genus cauſæ formalis extrinſecæ, & finalis; neutiquam verò efficientis, cùm ſit extrinſecum agenti: Niſi ad ſummum ſumatur ut in intellectu eſt per ſui ſpeciem, quo pacto rationem potiùs habet Ideæ.

QUÆSTIO QUARTA.

De Cauſarum Congreſſu.

DUplex Cauſarum poteſt eſſe congreſſus. Unus in productione ſuorum effectuum. Alter in invicem quid habendo. Unicus impræſentiarum de primo habendus eſt articulus; aliqua poſtremò de ſecundo per appendiculam quandam dicturi.

ARTICULUS UNICUS.

Poſſint ne duæ Cauſæ totales adæquatæ ejuſdem generis, & ordinis effectum numero eundem producere.

§. I.

1. OMnia & ſingula perpendenda ſunt tituli verba. Dubitatio namque duntaxat viget quò ad cauſas totales; quoniam de partialibus cauſis loquendo indubitatum eſt, plures concurrere poſſe ad ejuſdem productionem effectus, eò quòd in unam coaleſcunt cauſam totalem, ac per modum unius concurrunt. Item quò ad cauſas tantùm ejuſdem generis. Quandoquidem palam eſt, ad eundem effectum concurrere ſimul diverſi generis cauſas, nimirum efficientem, materialem, formalem, & finalem. Tandem quò ad cauſas ſolummodò ejuſdem ordinis creati, non verò comprehendendo cauſam primam, nempe Deum, quem abs dubio eſt, poſſe ſe ſolo creaturarum effectus agere.

Animadvertendum inſuper cum Nupero quodam in m. ſ. quòd cauſa totalis & adæquata ſumi dupliciter poteſt. Primò extenſivè, quatenus ad omne extenditur, & ambit omne quodcumque poteſt effectum producere. Et hoc modo inconfeſſo apud univerſos eſt, quòd nequeunt plures cauſæ totales eundem numero effectum cauſare, ſecùs eſſet, & non eſſet adæquata; videlicet eſſet, ut ſupponitur, & non eſſet; quia aliud relinqueret, à quo poſſet effectus produci. Alio modo intenſivè, prout idem, ac ſufficiens, quatenus nimirum habet totum id, quod ſufficit, & requiritur ad productionem effectus. Et de cauſa hoc ſecundo modo eſt lis. Et quatuor circumferuntur ſententiæ.

2. Prima ſententia conſentit, id eſſe poſſibile etiam naturaliter. Iſta non alios, niſi Ocham cum Nominalibus apud Maſium habet Patronos.

Secunda annuit, ſaltem ſupernaturaliter eſſe poſſibile. Hanc tuentur Suarez, & ferè communiter PP Societatis.

Tertia tenet, quòd licèt ſimul nequeat idem numero effectus à pluribus totalibus cauſis produci, ſeu nequeant tales cauſæ effectum comproducere; benè tamen diviſivè, quatenus ſcilicet effectus ab hac numero cauſa productus poterat ab alia produci; ſi id Deus ſtatuiſſet.

Quarta negat univerſaliter tùm diviſivè tum ſimul. Stant pro iſta univerſi Thomiſtæ, ſi paucos demas, nimirum Martinez de Prado, cui favere videtur Cajetanus apud Cavinum.

§. II.

CONCLUSIO.

Nec per abſolutam Dei potentiam poteſt idem numero effectus à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis ejuſdem generis, & ordinis produci, ſive ſimul, ſive ſuccedaneè.

3. QUò ad p. p. habetur ex D. Th. p. p. q. 52. art. 3. ubi *reſpondeo*, inquit, *quòd duo Angeli non ſunt ſimul in eodem loco: Et ratio eſt quia impoſſibile eſt, quòd duæ cauſæ completæ ſint immediatæ unius & ejuſdem rei.* Quò ad 2. quoque habetur ex eodem D. Th. hauſta quodl. 3. art. 25. ubi docet, quòd impoſſibile eſt eundem filium naſci, ſive ſit alius Pater, ſive ſit alia mater: ſicut non eſt idem numero ſigillum, ſive ſit alia cera, ſive ſit aliud corpus ſigilli, ex cujus impreſſione cera ſigillatur.

4. Prob. 2. ratiocinio militante tum pro diviſivè, cùm pro ſimul. Si duæ cauſæ totales, & adæquatæ ejuſdem ordinis poſſent eundem numero effectum producere eſſent duæ, & non eſſent duæ; ſed iſta ſunt contradictoria: ergo contradictionem implicat, duas cauſas totales adæquatas eundem numero effectum producere; adeoque cùm id, quod contradictionem involvit, nec abſoluta Dei attenta potentia fieri queat, jam &c. Prob maj. Eſſent duæ, ut ſupponitur; & non eſſent duæ, quod prob. Cauſæ habentes eandem operativam virtutem ſunt una in ratione cauſæ; ſed ſi duæ cauſæ totales poſſent eundem numero effectum producere, haberent virtutem eandem: ergo una eſſent, & non duæ præſertim in ſententia plerumque Adverſariorum, quod talis virtus non diſtinguatur realiter ab entitate cauſæ. Utraque præmiſſa eſt probanda. Et primitèr prob. maj. Cauſa conſtituitur in ratione cauſæ per ſui virtutem operativam, & cauſativam, cùm eatenus unum poſſit aliud cauſare, quatenus habet virtutem ad illud producendum; qua ratione Deus poteſt infinitos producere effectus inquantum infinitam habet virtutem: ergo juxta unitatem, vel multiplicitatem virtutis cauſativæ habetur unitas cauſæ, vel multiplicitas; adeoque quotieſcunque aliqua eandem habent cauſativam virtutem, ſunt unum in ratione cauſæ. Deinde prob min. Ad hoc, ut duæ cauſæ poſſent eundem numero effectum producere, opus eſſet, quòd una eandem numero alterius cauſæ virtutem contineret: ergo ſi duæ cauſæ poſſent eundem numero effectum producere haberent eandem numero virtutem. Prob. ant. Ideo namque Deus poteſt omnes effectus creaturarum producere, quia in ſe continet virtutem, & perfectionem omnium cauſarum creaturarum, vel etiam ipſas numero creaturas: ergo ideo talis cauſa poterit alterius effectum producere, quia illius continet virtutem; ac per conſequens ad hoc, ut duæ cauſæ totales poſſent eundem numero effectum, opus eſſet, quòd una virtutem contineret alterius.

Reſpondebat mihi quidam ex Minoritis, quos de Obſervantia vocant, quòd contineret virtualiter alterius virtutem. Sed

Contra. Tum quia virtutem contineri virtualiter eſt terminorum ludus, ſicut ſi diceretur potentiam contineri potentialiter, oculum videre oculariter &c. ergo perperam ſic reſpondetur. Tum quia Deus continens in ſe eminenter virtutem cauſarum ſecundarum, continet eminenter in ſe etiam ipſas cauſas ſecundas: ergo pariter ſi una cauſa ejuſdem ordinis poſſet continere virtualiter virtutem aliarum cauſarum ejuſdem ordinis, poſſet quoque continere virtualiter alias cauſas, imò, quantùm eſt de ſe infinitas, ſi adeſſent, cùm non ſit major ratio de una, quàm de alia; ſicque eſſet infinita in ratione cauſæ; quod nemo excipiet, ſecùs eſſet omnipotens, ſicque eſſet Deus. Tum demum quia extaret virtuale ſupra virtuale. Cùm enim effectus contineretur virtualiter in ipſa virtute, jam ſi virtus contineretur ſolùm virtualiter in cauſa, jam daretur virtualiter ad virtualiter; quod eſt perridiculum, ſicut ſi diceretur, quòd Sol, qui eſt virtualiter calidus continet virtualiter calorem, & quòd continet virtualiter virtutem cauſativam caloris. Nam Sol eſtò non ſit formaliter calidus, habet tamen formaliter illam virtutem, ſeu vim, qua poteſt in aliis formalem efficere calorem, & inſuper daretur proceſſus in infinitum, ſicut ſi ad unum *quo* daretur aliud *quo* V. G. Si lux indigeret alia luce, qua videretur; ſic etiam ſi virtuale indigeret alio virtuali, ideſt continens virtuale, indigeret alio continente virtuali.

Ex quibus ulteriùs deduco, quòd ſi una cauſa totalis poſſet producere effectum alterius, eſſet infinita. Ratio jam obiter fuit indigitata; quia nimirum ſi una cauſa poſſet producere effectum alterius, nulla eſſet major ratio cur non poſſet producere effectum cujuſcunque alterius cauſæ, quæ extaret, imò & infinitatum, ſi iſtæ extarent: ergo contineret in ſe infinitam virtutem, adeoque infinita foret.

Et inde ſubinfertur, quòd neque cauſæ univerſales creatæ, puta Sol, Cœlum &c. poſſint ſe ſolis producere effectus cauſarum ſecundarum ſublunarium; quia nec cauſæ univerſales ſunt infinitæ.

Neque tamen dum cum ſublunaribus concurrunt ad iſtorum effectus dicendæ ſunt cauſæ partiales (aliter nulla extaret cauſa totalis) ſed totales in ſua linea. Pro quo

Adnoto ex D. Th. 3. contra Gentes cap. 65. & 66. quòd dupliciter ſtat, plures cauſas ad eundem concurrere effectum. Primò ita, quòd attingant effectum ſecundùm eandem rationem, uti ſunt duo Homines, geſtantes idem pondus, puta eandem trabem. Et tunc cauſæ illæ ſunt partiales. Alio modo ita, quòd quælibet effectum ſecundùm diverſam rationem attingat. Sicut cùm Homo gignitur, ad Hominis geneſim, & productionem ſub ratione entis abſolutè concurrit Deus; ad illius productionem ſub ratione viventis concurrit Intelligentia; ſub ratione corporis, ſubſtantiæ Hominis &c. abſolutè Cœlum, Sol &c. Ubi per ly *abſolutè* non intendo corpus ut ſic, ſubſtantiam ut ſic, & in communi extenſivè, cùm non extet in ſingularibus; ſed intendo totam corporis naturam totalitate duntaxat intenſiva, ſeu gradum corporis, & ſubſtantiæ ut contractum per differentiam, virtualiter tamen diſtinctum à differentiis contrahentibus, vel excluſivè, ut in non tranſcendentibus, nimirum corpore, ſubſtantia &c. Hominis contracti ad talem Hominem; vel virtualiter duntaxat quò ad explicitum, ut in tranſcendentibus, nimirum in ente; Homo autem generans Hominem concurrit ad illius productionem ſub ratione differentiali, tum talis ſeriei, ut dicetur §. ſequenti 3. ad p. arg. num 6 & num 9. ad 4. arg. talis entis, talis corporis, talis ſubſtantiæ &c. quò ad differentiam individualem, non quidem ſecundùm ſe, ſed in concreto, ratione cujus dicitur attingere totum *ut quod*, imò & ipſam eſſentiam reduplicativè ut differentia individuali affectam. Et unaquæque in ſua linea dicitur cauſa totalis, non quia attingat totum, & totaliter effectum; ſed quia totaliter attingit ſecundùm rationem illam. Undè ad eundem realiter effectum concurrunt plures cauſæ totales. Ad eundem inquam materialiter, non verò formaliter eundem; quia ad illum concurrunt ſecundùm diverſam rationem.

5. Prob. 2. ratiocinio communi. Si idem numero effectus poſſet à duabis cauſis totalibus, & adæquatis produci, penderet, & non penderet ab utraque in ſuo eſſe; ſed hoc iterum involvit contradictionem: ergo impoſſibile etiam ſupernaturaliter eſt, eundem effectum produci à duabus cauſis totalibus, & adæquatis &c. Maj. quò ad p. p. eſt ſupponenda, quia omnis effectus pendet in ſuo eſſe à cauſa, à qua habet, vel poteſt habere illud. Quò ad 2. prob. Quod poteſt ſine aliquo haberi non importat dependentiam ab illo in ſui acquiſitione; ſed tunc effectus producibilis à duabus cauſis poſſet ſine altera illarum eſſe: ergo &c. Maj. quam negare videtur Suarez, eſt meridiana luce clarior, & rurſus oſtenditur. Ideo Deus dicitur independens à creaturis, quia poteſt ſine illis omnibus conſiſtere; ergo &c

Conf. Eo caſu effectus, vel dependeret ab utraque determinatè: & hoc non, quia poſſet ſine altera eſſe. Vel indeterminatè, eo modo, quo viſio dicitur pendere ab oculo indeterminatè ſive dexter ſit, ſive ſiniſter, ſive uterque: At neque dici hoc poteſt, quia eo modo effectus à cauſa pendet, quo modo ab illo producitur; ſed producitur à ſua cauſa determinatè, quia habet eſſe determinatum: ergo pendet determinatè. Undè poteſt quidem viſio abſolutè inſpecta pendere ab oculo indeterminatè; hæc tamen viſio determinata numero pendet ab hoc oculo, vel ab utroque per modum unius determinatè.

Quod ratiocinium convincit, non modò de ſimul, verùm etiam de ſucceſſivè. Eapropter minùs benè illa utuntur Scotiſtæ pro prima parte, dicendo, non militare contra ipſos. Diſparitas enim Maſtrii, & aliorum talis eſt; quia nimirum (inquit ipſe) effectus connectitur cum ſua cauſa creata, non abſolutè, ſed duntaxat ex ſuppoſitione, quòd non ſit ab alia productus. Unde effectus priùs ac eſſet productus ab iſta, poterat produci ab alia; ſecùs verò ſuppoſito, quòd ſit productus, vel producatur ab una.

Hæc autem evaſio parvo præcluditur negotio. Siquidem ſi ſemel cauſa aliqua poterat producere effectum aliquem antequam eſſet ab alia productus, jam poteſt etiam poſtquam eſt ab iſta productus: ergo dependet à tali cauſa non minùs in ſuppoſitione, quòd ſit à tali cauſa productus, ac ſi productus non eſſet. Prob. ant. Eatenus cauſa poteſt effectum producere, quatenus eſt ad illius productionem proportionata; ſed non minùs in ſecundo, ac in primo caſu eſt proportionata: ergo ſi ſemel &c. Prob. min. Per hoc namque, quòd ille effectus eſſet productus ab una non mutatur illa alia, à qua produci potuiſſet, cùm nihil per hoc ipſi adveniat, nihilque ab ea auferatur.

Dices fortaſſis, quòd cauſa illa quantùm eſt de ſe poſſet talem effectum jam productum producere; adeſt tamen repugnantia ex parte ipſius effectus, qui cùm ſit jam ab una productus, non eſt ab alia producibilis. Sed

Contra. Quouſque effectus continetur in virtute cauſæ dicitur ab illa producibilis; ſed quouſque cauſa continet in ſui virtute effectum, iſte continetur in ejus virtute: ergo cùm aliàs cauſa illa ſi priùs continebat in ſui virtute talem effectum, contineat etiam poſtquam eſt ab alia productus, eò quòd, ut dictum eſt, ipſa non mutatur per hoc, quòd talis effectus ſit ab alia productus, jam non ſolùm cauſa eſſet potens producere, verùm etiam effectus eſſet potens produci, ſeu producibilis. Maj. videtur conſtans. Siquidem effectus dum extra Cauſæ virtutem emittitur dicitur produci: ergo pariter dum adhuc continetur intra cauſæ virtutem ut emiſſibilis dicetur ab illa producibilis. Min. quoque. Siquidem continere, & contineri ſunt correlativa, ſicut agens, & patiens, adeoque non ſtat, continere ſine contento. Unde poteſt diſcurſus iſte eſſe alia pro concluſione noſtra ratiocinatio.

Deinde ſic directè contra reſponſum illud argumentor ex dictis. Eo modo effectus dependet à ſua cauſa, quo ab illa habet eſſe; ſed à quacunque ex illis cauſis effectus produceretur haberet ſuum eſſe abſolutè, & non tantùm eſſe conditionatè: ergo dependet ab illis abſolutè.

§. III.

Adverſantium argumenta ſolvuntur.

6. ARg. 1. contra utramque partem. Unus, atque idem ignis poteſt producere omnem ignem, unus, idemque Homo omnem Hominem etiam ab alio productum, aut producibilem, & ſic de aliis: ergo unus, atque idem numero effectus poteſt produci à pluribus cauſis totalibus adæquatis, ejuſdem generis, & ordinis, tum ſimul, tum ſucceſſivè. Prob. ant. Ignis V. G. producens ignem, producit illum ſub ratione ignis: ergo poteſt producere omnem ignem. Conſequentia ſequitur. Tum quia omnes ignes participant rationem ignis: ergo ſi &c. Tum à pari. Ideo namque, Thomiſticè loquendo, Deus poteſt producere omne

omne ens, quia attingit ſuos effectus ſub ratione entis: ergo pariter ſi ignis producens ignem attingit illam ſub ratione ignis poteſt &c. Ant. autem ſuadetur. Non enim producit ſub ratione talis ignis tantùm numero, ſecùs duntaxat talem numero ignem producere poſſet, ſicut è contra ſi producit ſub ratione communi ignis poteſt omnem producere ignem. Quod tamen palam eſt eſſe falſum, cùm conſtet, eundem numero ignem plures producere ignes, & univerſaliter unam cauſam plures producere effectus.

Reſp. cum communi nego ant. Ad prob diſt. ant. ſub ratione ignis ut ſic, nego, ſub ratione ignis talis ſeriei, concedo ant. & nego conſequentiam. Cuicunque ſiquidem cauſæ correſpondet determinata ſeries effectuum: idcircò unaquæque cauſa attingit ſuum effectum prout eſt intra talem ſeriem. Eapropter ignis *A* dum producit ignem *B* nec attingit illum ſub ratione ignis abſolutè, & ut ſic, nec tantùm ſub ratione talis numero ignis, ſed ſub ratione ignis talis ſeriei; ac proinde non ſequitur, quòd producere queat omnem ignem, nec quòd illum duntaxat numero ignem producere poſſit; ſed duntaxat, quòd potens ſit producere illos ignes, qui in tali ſerie continentur.

Contra. Ignis producens alium ignem attingit illum ſub ratione ignis talis ſeriei: ergo etiam ſub ratione ignis ut ſic. Prob. conſequentia. Ideo attingit ſub ratione ignis talis ſeriei, quia continetur in tali ſerie; ſed etiam continetur intra rationem ignis ut ſic: ergo ſi &c. Min. dubio caret, cùm inferiora omnia participare habeant ſui rationem communem ut ſic.

Reſpondeo concedo ant. & nego conſequentiam, ad cujus prob. diſt. maj. præciſè quia continetur in tali ſerie, nego, & quia aliunde talis ſeries continetur in ejus virtute, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Verum itaque eſt, quòd ignis, producens alium ignem attingit illum, quia continetur in tali ſerie; ly tamen *quia* non dicit plenam rationem. Adæquata autem ratio eſt, quia talis ſeries continetur in ejus virtute. Non autem continetur in ejus virtute communis ratio ignis ut ſic, cùm ejus virtus coarctata ſit.

Contra. Effectus debet contineri in ſua cauſa ſecundùm omnem rationem, ſecundùm quam eſt producibilis; ſed ignis ille, qui producitur eſt producibilis etiam ſub ratione ignis ut ſic: ergo continetur in virtute ignis producentis etiam ſub ratione ignis ut ſic. Maj. pateſcit. Min. verò prob. eodem modo, ac nuper. Ideo eſt producibilis ſub ratione ignis talis ſeriei, quia continetur in tali ſerie, ſive quia participat talem ſeriem; ſed etiam participat rationem ignis ut ſic: ergo &c.

Reſpondeo diſt. maj. ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam eſt producibilis à tali cauſa, concedo, ab alia nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Equidem ignis, qui producitur eſt producibilis etiam ſub ratione ignis abſolutè, & ut ſic modo prædeclarato §. præcedenti 2. ſub numeri 4. finem, tamen ſub tali ratione eſt producibilis ab illo igne, ſed ab alia cauſa ſuperiori.

Contra 1. Ignis, qui producitur ſub ratione ignis ut ſic, non producitur ab igne ut ſic, Tum quia iſte in re non extat, Tum quia actiones ſunt ſingularium; nec ab alia cauſa univerſali, quia illa non eſt ignis, ſecùs eadem eſſet ratio: ergo ſub illa univerſali ratione producitur à tali igne.

Secundò ex Poncio. Terminus formalis virtutis talis ignis producentis vel eſt ignis in ratione ignis, ideſt ſecundùm rationem ſpecificam, vel eſt ignis talis ſeriei. Si primum, ſequitur, quòd poſſit attingere omnem ignem. Si ſecundum, ſequitur, quòd virtus talis ignis ſpecie diſtinguatur à virtute alterius ignis; eò quòd virtutes diſtinguuntur per diverſos terminos formales, à quibus ſpecificantur. Hoc autem quis annuat?

Reſpondeo ad 1. conceſſo antecedenti quò ad p. p. nego illud quo ad 2. ad cujus prob. annexam diſt. ant. non eſt ignis formaliter, concedo, eminenter nego ant. & conſequentiam. Illa namque cauſa ceu ſuperior eſt eminenter ignis. Recolantur dicta §. præcedenti 2. ſub finem num. 4.

Nec inde ſequitur, quòd cauſa illa univerſalis poſſit producere omnem effectum talis ſpeciei ſe ſola. Non, inquam, ſed duntaxat concurrente cauſa particulari ſecundùm rationem particularem; quia eſt eminenter ignis ſolummodo quò ad rationem univerſalem ignis, ſicut eſt cauſa univerſalis, ideſt cum omnibus concurrens. Cauſa autem particularis concurrere nequit dum effectus eſt ab alia particulari cauſa producibilis, ut oſtenſum eſt. De quo iterum in lib. de Cœlo q. 1. art. 4 ad 1.

Ad 2. Reſp. quòd terminus formalis nec eſt ſolus ignis in ſpecie, nec ſolùm in tali ſerie ſeorſim; ſed utroque modo ſimul, nimirum eſt ſpecies ignis in tali ſerie. Ob idque nec ſequitur, quòd poſſit attingere omnem ignem, nec quòd ejus virtus ſpecie diſtinguatur ab alia.

7. Arg. 2. Contra p. p argumento uſitatiori. Si duo luminoſa ut quatuor applicentur eidem diaphano, quod ſit capax lucis duntaxat ut quatuor cum eadem approximatione (quod ſaltem ſupernaturaliter eſſe poteſt per hoc, quod eodem in loco penetrentur) tunc idem corpus illuminabitur duplici lumine totali, & adæquato: ergo idem effectus poteſt ſimul provenire à duplici cauſa totali, & adæquata. Prob. ant. Tunc utrumque illud luminoſum produceret lumen ut quatuor; ſed utrumque lumen ut quatuor eſt ſufficiens ad illuminandum diaphanum, quod ſit capax lucis tantùm ut quatuor: ergo &c. Maj. eniteſcit, quoniam luminoſum ut quatuor eſt ſufficiens cauſa luminis ut quatuor.

Dicere autem cum nonnullis, quòd eo in caſu neutrum illuminaret, & unum impediret aliud, eſt omninò falſum, Sicut namque ignis debitè approximatus neceſſariò combureret, ita luminoſum approximatum rei illuminabili neceſſariò illuminat. Aliter igitur

Reſp. nego ant. Ad prob. nego maj. ad cujus prob. diſt. ant. eſt cauſa ſufficiens in actu primo, concedo, in actu ſecundo, ſubdiſtinguo, niſi attemperetur ejus virtus, concedo, ſecùs, nego ant. & conſequentiam. Quamquam de ſe duo illa luminoſa ſint cauſa ſufficiens luminis ut quatuor; tamen adducto in caſu temperaretur virtus eorum, & agerent ut duo luminoſa partialia, & ut duæ partiales conflantes unam cauſam totalem; quia unum aliud impediret, ne totam ſuam effunderet lucem. Eo modo, quo quando duo portant unam trabem, ad quam geſtandam uterque ſeorſim ſufficeret, temperatur eorum virtus, & operantur per modum cauſæ partialis.

Contra. Duæ cauſæ totales efficientes nequeunt in invicem temperare ſuam virtutem ſe ſe impediendo, & agere per modum cauſæ partialis, conflando unam cauſam totalem: ergo reſponſio nulla. Prob ant. Duarum cauſarum formalium totalium nequit temperari virtus, ita ut agant per modum cauſæ partialis conflando unam cauſam formalem totalem: ergo pariter &c. Ant. à nullo ex Thomiſtis eſt negabile, ſecùs poſſent duæ formæ totales eſſe in eadem materia, & reſpectu ejuſdem dari poſſent duo ſpecificativa totalia per modum unius, puta reſpectu ſubſtantiæ eſſe, & operari.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas non infrequenter fuit alibi inſinuata, quia nimirum cauſa formalis agit per ſuam entitatem, idcircò ejus virtus nequit temperari. Cæterùm cùm efficiens cauſa non per ſui entitatem, ſed per virtutem à ſe emiſſam agat, fit inde, quod temperari ejus virtus queat, nimirum agendo interdum ſecundùm totam ſui virtutem, totumque ſui conatum; interdum verò non; loquendo etiam de cauſa non libera, quatenus ab alia impeditur.

Dices 1. In ſententia probabili, aſſerente, totum diſtingui realiter à partibus ſimul ſumptis, & unitis, cauſæ intrinſecæ, nimirum materialis, & formalis non per communicationem propriæ entitatis agunt.

Dices 2. Vel utrumque luminoſum ageret in actu ſecundo ut quatuor, vel ut duo. Non ut duo, ſecùs non poſſent producere lumen intenſum ut quatuor; quia Thomiſticè loquendo duo luminoſa, ut duo non æquivalent intenſivè luminoſo ut quatuor: ergo quodlibet ageret ut cauſa in actu ſecundo ſufficiens producere ſe ſola effectum luminis ut quatuor, adeoque ut totalia. Prob. conſequentia. Ad producendum lumen ut quatuor ſufficit virtus illuminativa ut quatuor.

Reſp. ad 1. quod illius ſententiæ patroni diſtinguunt de effectu *quo*, & de effectu *qui*. Vide ibi §. 2.

Reſp. ad 2. quòd utrumque ageret ut duo; quicquid dicant plerique Noſtrates in m. ſ. Ad oppugn. nego antecedentis ſuppoſitum. Siquidem ſupponit, quòd illa duo luminoſa, quorum utrumque illuminaret ut duo, producerent lumen intenſum ut quatuor. Quod tamen eſt falſum. Producerent enim duntaxat lumen ſufficiens tantùm ad illuminandum extenſivè ſpatium illud, quod eſt capax lucis intenſæ ut quatuor. Tunc ſiquidem lumen illud eſtò totum illud diaphanum illuminaret, non tamen adeò perfectè illuminaret, ac ſi eſſet unicum duntaxat luminoſum ut quatuor, cujus virtus ceu unita fortior evaderet.

Deinde, nego, quòd luminoſa illa ut duo nequeant æquivalere luminoſo ut quatuor; & ſimiliter nego, quòd ſic loqui non ſit Thomiſticè loqui; imò ſic loqui eſt verè Thomiſticè loqui, ut videbimus tum lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 7. art. p. §. 3. ſub finem num 9. ad 1. arg. Tum in Metaphyſ. q. 12. art. 6. §. 3. num. 7. ad 2. arg. ſub finem illius numeri.

8. Arg. 3. variis paritatibus, ac exemplis. Et primò. Una, eademque relatio poteſt reſpicere plures terminos; ſicut etiam unicus terminus poteſt reſpici à pluribus numero relationibus, ergo pariter &c.

Secundò. Una, atque eadem potentia viſiva poteſt extendi ad plura, & omnia objecta viſibilia: ergo pariter &c.

Tertiò. Una, eademque natura humana poteſt à pluribus, imò, & omnibus ſimul perſonis Divinis terminari juxta Thomiſtica placita: ergo &c.

Quartò. Poſſunt plures cauſæ inſtrumentales ſimul concurrere ad eundem numero effectum, ut palam eſt in Corpore Chriſti, quod unum numero conſecratur à pluribus Sacerdotibus.

Conſ experimento contra 2. p. in cauſa Finali. Eadem una deambulatio poteſt eſſe propter duos fines, quorum quilibet eſt ſufficiens movere ad deambulandum V. G. & propter ſanitatem, & propter animi levamen; ſicut etiam poteſt pergere ad plateam, & propter negotium, & propter rumores excipiendos.

Conſ. ulteriùs. Tum quia plures cauſæ principales morales poſſunt concurrere ad eundem numero effectum moralem. Quod probatur. Siquidem quælibet operatio Chriſti Domini à primo ſuæ conceptionis inſtanti uſque ad mortem, ceu infiniti valoris ſimpliciter adæquatè merebatur præmium infinitum; ſed præmium eſt moralis effectus meriti: ergo &c. Tum quia eadem omiſſio V. G. auditionis ſacri poteſt eſſe à pluribus cauſis, puta ab actu ludi, vel ſtudii: ergo &c.

Denique Poteſt idem deſtrui à pluribus: ergo & produci. Similiter planum eſt, quòd idem eſt numero Cadaver, ſive à fulmine, ſive à gladio &c. animal perimatur: ergo idem effectus poteſt eſſe à pluribus cauſis totalibus &c.

Reſp. ad 1. & 2. primò quòd dum una relatio plures reſpicit terminos, una potentia plura objecta &c. tunc termini illi licèt in actu primo ſint adæquati; tamen in actu ſecundo terminant duntaxat partialiter. Idem dico de objectis.

Verùm quia poteſt urgere de cauſalitate ſucceſſiva; eò quòd una relatio poteſt ſucceſſivè plures inſpicere terminos: idcircò aliter

Reſp. cum communi, nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas in eo ſiſtit, quòd relatio non dat eſſe termino, nec accipit eſſe à termino, cùm duntaxat ſit ad terminum. Similiter potentia viſiva non dat intrinſecè eſſe objecto; quia eſſe viſum eſt pura denominatio extrinſeca.

Contra. Tum quia relatio in probabili noſtratum ſententia ſpecificatur à termino, ſicut & potentia viſiva ab objecto. Tum quia eadem implicantia, quæ ſupra §. 2. num. 5. afferebatur militat & hic; quia nimirum dependeret, & non dependeret: puta relatio dependeret à termino, quia ſpecificaretur ab illo, & non dependeret, quia poſſet eſſe eo deficiente V. G. cùm Pater unum ſolummodo filium habet, relatio Paternitatis pendet ab ipſo filio, cùm alius non adſit; adveniente verò poſtmodum ſecundo filio perſeverat eadem ralatio tametſi primus moriatur: ergo vel ratio noſtra eſt inepta, vel & à nobis eſt ſolvenda.

Reſp. ad 1. ex eo, quòd ſpecificetur relatio à termino non aliud ſequi, niſi quòd habeat eſſe ſecundùm rationem ſpecificam à termino; neutiquam verò ſecundùm rationem numericam; quia eſſe numericum habet à fundamento, cùm omnia accidentia in noſtra ſchola individuentur à ſubjecto. Idcircò non infertur, quòd idem numero effectus poſſit eſſe à duplici cauſa. Idem de potentia viſiva dico.

Ad 2. primitùs poſſet retorqueri argumentum in Adverſarios, in quorum ſententia aſſumptum eſt falſum. Dein nego ant. & oſtendo, non eſſe eandem implicantiam. Quandoquidem relatio non dependet per ſe, & directè ſecundùm eſſe numericum à termino, ſed duntaxat ſecundùm eſſe ſpecificum, quod cùm ſit magis univerſale poteſt indifferenter à quolibet termino intra talem ſpeciem dependere. Verùm eſt tamen, quòd deficiente omni termino deficit eſſe numericum relationis; non tamen per ſe, & directè; ſed duntaxat indirectè, quatenus deficit eſſe ſpecificum, quod cum eſſe numerico eſt identificatum. Undè tantùm ſequitur, non dependere directè, & dependere indirectè; ubi non eſt contradictio, ſed æquivalentia propoſitionum. Idem dic de potentia viſiva, & aliis. Cæterùm effectus dependet à cauſa ſecundùm eſſe numericum.

Ad illam 3. prob. in argumento, ex dictis lib. 1. q. 3. art. ult. §. 3. ad 4. arg. Reſp. quòd illæ tres perſonæ Divinæ terminarent ſecundùm diverſam rationem, dando illi diverſum eſſe communicatum. Eapropter natura humana non dependeret ab illis ſecundùm eandem, benè verò ſecundùm diverſam rationem, nimirum ſecundùm eſſe Patris à Paternitate, ſecundùm eſſe Filii à Filiatione, & ſecundùm eſſe ſpiratum à Spiritu Sancto.

Ad 4. Reſp. dupliciter juxta diverſas ſententias. Et primò juxta primam, ac communiorem omiſſo ant. nego conſequentiam. Diſcrimen autem eſt, quia omnes cauſæ inſtrumentales agunt per virtutem, non propriam, ſed unius, ejuſdemque cauſæ principalis: Idcircò concurrunt per modum unius. Et licèt in qualibet cauſa materialiter multiplicetur virtus, formaliter tamen eſt una, quia eſt unius, ejuſdemque cauſæ principalis.

Secundò juxta ſententiam Aravli, Ortiz, ac aliorum, nego ant. Ad prob. annexam dico, quod vel loquimur de pluribus Sacerdotibus ſimul in diverſis Altaribus diverſas conſecrantibus hoſtias. Et tunc dico, equidem diverſas eſſe cauſas inſtrumentales totales; nego tamen eſſe idem numero Corpus Chriſti formaliter. Licèt namque ſit idem numero entitativè; non tamen eſt idem numero formaliter; quia corpus, quod fit per conſecrationem eſt Corpus Chriſti, non ſecundùm ſe, ſed ut habet modum eſſendi Sacramentalem: Idcircò non eſt idem omnibus modis. Hi tamen modi eſſendi Sacramentales non ſunt Corpori Chriſti intrinſeci (ſecùs eadem eſſet implicantia de hujuſmodi pluribus modis totalibus, ac de pluribus cauſis totalibus) ſed extrinſeci, ut iterum dicemus in Meth. q. 12. art. 6. §. 3. num. 9. ad conſ. 4. arg. Vel loquimur de pluribus Sacerdotibus eandem ſimul conſecrantibus hoſtiam, ut contingit in illis, qui dum ab Epiſcopo Sacerdotio initiantur, ſimul celebrant. Et tunc dico, quòd illi omnes licèt in actu primo ſint cauſæ totales; tamen in actu ſecundo operantur ut cauſæ partiales, eo modo, quo de duobus luminoſis diximus.

Ad primam experientiam primæ confirmationis Reſp. quòd omnes illi fines eſtò in actu primo ſint adæquati; tamen ſimultaneè accepti in exercitio partialiter finalizant; ſicut de duobus luminoſis fuit jam dictum.

Dices contra hoc. Dato, quòd omnes illi fines ſimul ſumpti ſint partiales; tamen ſeorſim ſumpti, & ſucceſſivè ſunt adæquati reſpectu ejuſdem: ergo ſaltem diviſivè poteſt idem effectus eſſe à duplici cauſa totali. Prob. ant. Nam caſum ponamus, quòd perrecturus ſit quis Romam ad obtinendum beneficium, vel ad plenarias indulgentias conſequendas. Item perrecturus ſit quis ad plateam ob viſendum amicum, vel ut novitates excipiat. Tum verò ſic. Ex his altero deficiente, & altero permanente adhuc Romam, aut plateam peteret: ergo idem acceſſus ad plateam vel Urbem poteſt eſſe adæquatè propter utrumque finem ſeorſim.

Reſp. nego ant. Ad prob. dato ant. diſt. conſequens: idem acceſſus materialiter idem, concedo, formaliter idem, nego ant. & conſequentiam. Acceſſus namque ad plateam vel Urbem non eſt effectus Finis, niſi ut volitus per actum voluntatis. Et quia in eo caſu eſſet diverſus actus voluntatis propter diverſos fines; idcircò acceſſus ille eſſet diverſus formaliter in eſſe effectus.

Nec inde ſequitur, quòd idem acceſſus formaliter idem poſſit eſſe à duobus actibus adæquatis voluntatis Non, inquam, quia eſſet ab illis duntaxat ſecundùm diverſam rationem, nimirum prout à voluntate ordinaretur ad diverſos fines.

Ad primum experimentum ſecundæ confirmationis Reſp. quòd omnes illæ operationes meruerunt tale præmium ſub diverſo titulo, adeoque ſecundùm diverſam rationem. Deinde cum aliis Reſp quòd omnes Chriſti Domini operationes quantùm ad valorem meritorium ſe habent per modum unius. Tum quia ſunt dignificatæ ab una, eademque Perſona Verbi, ut forma dignificante: Tum quia, ceu infinitæ, una continet aliam quo ad tale meritum.

Ad 2. Reſp. nego conſequentiam & paritatem. Diſparitas

tas eſt, quia ludus, aut ſtudium ſunt cauſa, non per ſe influens in omiſſionem facti; ſed per accidens, & per modum cujuſdam impedimenti.

Adult. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen eſt luce clarius; quoniam plùs requiritur ad conſtruendum, quàm ad deſtruendum. Undè quemadmodum poteſt aliquid deſtrui ab eo, à quo produci nequit, ita & à pluribus deſtrui, nullatenus verò à pluribus produci poteſt.

Add, quod ſubditur Reſp. quòd cauſa principalis productiva Cadaveris non eſt fulmen, nec gladius &c. ſed Cœlum, vel elementum prædominans.

Obſervandum etiam quòd omnia vel ab Adverſariis ipſis ſolvi debent. Iſti namque licèt dicant, ſupernaturaliter poſſe eundem numero effectum à pluribus cauſis totalibus &c. produci, negant tamen, id eſse poſſibile naturaliter. Cuncta autem dicta probant, id eſse poſſibile naturaliter, imò faciliter, imò reapſe ſic evenire, ut conſideranti cuique innoteſcet.

9. Arg. 4. probando, eundem effectum poſſe produci à pluribus cauſis totalibus &c. diviſivè. Natura, ſive ſpecies Leonis V. G. eſt virtus productiva cujuslibet Leonis; ſed in quolibet ſingulari Leone ſalvatur tota ſpecies Leonis: ergo & virtus cujuſcunque Leonis productiva; adeoque idem numero Leo, qui ab aliquo ex Leonibus producitur, poſſet ab alio produci, ſi non eſſet ab alio productus.

Reſp. data maj. diſt. min. ſalvatur ſpecies Leonis determinata per differentiam individualem, concedo, ſecùs, nego min. & conſequentiam. In quolibet ſiquidem individuo natura ſpecifica eſt determinata, & numericè multiplicata per differentiam individualem, per quam limitatur, ne poſſit agere in totam ſpeciem, ſed duntaxat intra determinatam ſphæram, & ſeriem.

Contra ex Suarez. Differentia individualis, ſi limitaret potentiam in ordine ad effectum, limitaret etiam ad talem numero effectum; ſed hoc eſt falſum, cùm una numero cauſa poſſit plures numero effectus producere: ergo nec limitat ad determinatam ſeriem. Prob. maj. nam differentia ſpecifica quia, determinat rationem genericam in ordine ad effectum, idcircò ita determinat ad talem ſpecie effectum, ut nequeat effectus alterius ſpeciei producere: ergo pariter differentia individualis ſi limitaret potentiam, & rationem ſpecificam &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. maj. quia differentia ſpecifica determinat ut ratio agendi, concedo, quia præcisè determinat, nego maj. & omiſſa min. (quæ poſſet negari, cùm cauſæ æquivocæ poſſint effectus ſpecie diverſos producere) nego conſequentiam. Diſparitas eſt; quia differentia ſpecifica, cùm ſit ratio conſtitutiva, determinat ut ratio agendi; idcircò non ſinit, cauſam exire limites ſuæ ſpeciei. Differentia autem individualis cùm non ſit ratio conſtitutiva, ſed ſit potiùs ultima clauſula prædicatorum eſſentialium, non determinat, ut ratio agendi. Imò poteſt argumentum retorqueri. Si namque cauſa in ſpecie nequit exire limites ſuæ ſpeciei; pariter hæc numero cauſa nequibit ſuæ ſphæræ, ac ſeriei exire.

Quare autem una cauſa poſſit producere plures numero effectus, & nequeat idem numero effectus produci à pluribus cauſis? Ratio eſt duplex, Tum quia effectus individuatur ſaltem extrinſecè à cauſa, à qua habet eſſe, non verò è contra. Tum quia cauſa, utpote ſuperior, ſuo effectu poteſt illum excedere; nequaquam verò effectus ſuam cauſam excedere valet. Sed

Contra hoc. Effectus non individuatur à ſua cauſa: ergo non coarctatur ad talem numero cauſam, adeoque à pluribus poterit dependere. Ant. prob. Tum quia cauſa efficiens eſt extrinſeca effectui. Tum quia principium individuationis in ſubſtantiis materialibus eſt materia prima, Thomiſticis hærendo principiis.

Reſp. diſt. ant. effectus non individuatur à ſua cauſa extrinſeca intrinſecè & conſtitutivè, concedo, non individuatur ab illa effectivè aut motivè, nego ant. & conſequentiam. Effectus ſiquidem eſtò non individuetur intrinſecè conſtitutivè à cauſa efficienti, & finali, quia iſtæ non ſunt partes illius conſtitutivæ, ſicuti ſunt materia, à qua individuatur intrinſecè conſtitutivè radicaliter, & forma, à qua individuatur intrinſecè conſtitutivè proximè, ut in metaphyſica q. 1 a. exponetur; tamen individuatur effectivè à cauſa efficienti, & motivè à cauſa finali, quæ eſt illa, quæ movet cauſam efficientem ad agendum. Undè ſicuti, quia individuatur conſtitutivè per materiam, & formam nequit per plures materias conſtitui, nec per plures formas: ita quia individuatur effectivè à cauſa efficienti, & motivè à cauſa finali, nequibit à pluribus effici, aut finalizari.

Dices cum Maſtrio. Dependentia effectus ab hac numero cauſa, vel eſt illi eſſentialis, vel non. Si non; ergo poteſt ab alia dependere. Si ſic: ergo neque à Deo poſſet produci, quia quod eſt de eſſentia alicujus nec per Dei potentiam poteſt ſuppleri.

Reſp. ultra ſolutionem, quam pleriquе in m. ſ. habent, quod eſt eſſentialis, non abſolutè, ſed comparativè ad cauſam creatam. Nec hoc mirum eſſe debet. Quemadmodum enim non poſſe creari eſt eſſentiale cuique enti, non abſolutè, aut comparativè ad cauſam primam, ſed duntaxat comparativè ad cauſam ſecundam, ſive creatam, cui creatio competere nequit; ita non poſſe dependere ab alia cauſa eſt eſſentiale effectui, non abſolutè, nec comparativè ad cauſam primam, ſed duntaxat comparativè ad aliam cauſam creatam. Reſponſum aliud videri poteſt apud Guerinois hic §. 2. ad 2.

Petes cum Pontio. Hic numero effectus, vel nequit dependere ab alia numero cauſa, quia ſit ſpecie diſtinctus, vel quia ſit diſtinctus numero. Primum eſt falſum, ſecundum non obſtat, quia una cauſa numero poteſt plures producere effectus: ergo nullum eſt obvians incommodum.

Reſp. rationem non eſſe quia ſit diſtinctus ſpecie, nec quia ſit diſtinctus præcisè numero, ſed quia eſt diſtinctus numero, & rurſus quia eſt diſtinctus ſerie. Ob idque obſervandum, quòd equidem poteſt una numero cauſa producere plures, imò Syncategorematicè infinitos effectus intra ſuam ſphæram, & ſeriem; quia in illa ſphæra, & ſerie quolibet producto alius ſemper uſque in infinitum eſt producibilis; nunquam tamen poteſt exire ſuam ſphæram, & ſeriem.

Hoc verò, quod ex Complut. & aliis hauſtum eſt, patitur inſtantiam, quia prout ſic cauſa illa foret infinita, per virtutem productivam infinitorum effectuum, cùm nec à Deo poſſint infinita produci, niſi Syncategorematicè.

Nihilominùs eſt omnino ſuſtinendum. Pro quo adnoto, quòd tunc duntaxat cauſa eſt infinita, quando quantùm eſt de ſe poteſt producere effectum infinitum, vel effectus infinitos in actu, ſi iſti eſſent poſſibiles in actu categorematicè uti eſt Deus. Quando autem tantummodo poteſt producere infinita in potentia, & Syncategorematicè, non verò in actu, & categorematicè, tametſi in actu, & categorematicè eſſent poſſibilia; tunc cauſa non evadit infinita. Et ſic eſt cauſa omnis creata.

10. Arg. 5. & ultimò. Iterum pluribus paritatibus. Primò ens creatum non minùs ſpecificè, quàm numericè ſive individualiter eſt limitatum; ſed poteſt unum ſpecificè ens creatum continere eminenter ſpecificam perfectionem alterius à ſe ſpecie diſtincti, ſicut in luce eminenter continetur calor, & in Anima rationali continentur perfectiones formarum inferiorum: ergo etiam non obſtante limitatione individuali unum ens creatum poteſt continere eminenter perfectionem individualem alterius.

Secundò. Non magis effectus dependet à ſua cauſa, quàm corpus locatum à loco; ſed poteſt idem corpus ſucceſſivè ſaltem eſſe in pluribus locis, imò & ſimul duo corpora in eodem loco ſupernaturaliter; ergo pariter &c.

Tertiò. Effectus productus ab una cauſa poteſt ab alia conſervari: ergo etiam produci. Eò vel maximè, quòd conſervatio eſt continuata productio.

Quartò. Effectus ab una cauſa productus poteſt ab alia intendi, V. G. calor remiſſus productus ab uno calore poteſt fieri intenſus per alium: ergo & effectus ab una cauſa productus poteſt ab alia produci.

Reſp. ad primam, quòd poſſet negari min. Siquidem Arriù vult, calorem Solis productum per lucem à Sole eſſe, non ejuſdem, ſed diverſæ ſpeciei à calore ignis, cùm habeat operationes ſpecie diverſas, quatenus primus eſt vivificativus, ſecundus verò uſtivus, & mortificativus. Similiter Anima rationalis (ut diximus in Logica Syntag 1. quòd fuit de prodromis art. 3. §. 3. ſub n. 10 ad 3. arg.) continet formas inferiores, non ſecundùm rationem ſpecificam atomam, ſed duntaxat ſecundùm ſubalternam, & modo quodam eminenti.

Deinde cum aliis, qui admittunt utrumque calorem eſſe

ejuſdem

ejuſdem ſpeciei, ſolumque differre penes magis, & minùs perfectum, ac virtuoſum; Reſp. (ultra reſponſum, quod pleſique in m. ſ. habent) aſſignando diſparitatem, quia nimitum ea eo, quòd una cauſa contineat, & poſſit producere effectum alterius ſpeciei, non ſequitur, quòd ſit infinita; benè verò ex eo, quod contineat, & poſſit producere effectum alterius numero cauſæ. Ratio autem eſt, quia in primo caſu cauſa non continet effectum ſecundùm ultimam rationem, ſecundùm quam eſt extra ſuam ſphæram; quia ratio ultima eſt ratio individualis; ratio autem individualis non eſt extra ſuam ſpeciem. Cæterùm ſi una cauſa contineret effectum alterius numero cauſæ, contineret ſecundùm rationem individualem, ſecundùm quam eſt extra ſuam ſphæram: Idcircò foret infinita, quia contineret illum ſecundùm quod eſt extra ſuam ſphæram.

Adde, quòd unitas ſpecifica effectus, ceu unitas duntaxat fundamentalis, non verò formalis, nequit inferre infinitudinem, ad quam (utpote actum purum, requiritur unitas formalis. At unitas numerica eſt formalis, & realis à parte rei.

Reſp. ad 2. nego ant. Siquidem locatum, non per ſe, ſed duntaxat per accidens dependent à loco determinato, cùm locus non præcontineat in ſe virtualiter locatum pro priori ad illius locationem. Effectus autem perſe dependet à ſua cauſa; quia antequam producatur, virtualiter in illa præcontinetur.

Ad id, quod ſubditur de duobus corporibus, quæ eodem in loco ſimul eſſe queunt, dico, quòd tunc corpora illa in eſſe repletivi loci eſſent unum tantummodo; quia uni illorum vel adimeretur vel extenſio in ordine ad locum juxta Scotiſtas, vel contactus ſecundùm extremitates tolleretur, ut Thomiſtis placet, ratione cujus contactus corpus replet locum.

Ad 3. Reſp. cum communi diſt. ant. poteſt ab alia conſervari per accidens, concedo, perſe, nego ant. & conſequentiam. Conſervationis beneficium, quod effectus ab una cauſa productus poteſt ab alia ſuſcipere, non eſt, niſi quò ad conſervationem per accidens ſibi tribuendam, quæ nil aliud eſt, quàm remotio, & depulſio contrariorum; V.G. calor productus ab uno igne poteſt conſervari ab alio removente frigus; non verò quò ad conſervationem per ſe talem, quæ ſola eſt continuata productio.

Ad ult. dato ant. diſtinguo conſequens. Idem effectus entitativè idem, concedo, formaliter idem, nego conſequentiam. Itaque intenſio caloris V. G. vel eſt modus ſeu gradus realiter ſuperadditus, juxta non paucos, vel ſaltem virtualiter diſtinctus ab ipſo calore, ſicut nos dicemus lib. 1. de Gener. & Corrup. q 4 art. 1. & 2. Idcircò ſemper ſecundùm diverſam rationem actio productiva, & intenſiva terminatur ad eundem calorem. Ex quo duntaxat ſequitur, quòd ſecundùm diverſam rationem poſſit idem effectus à pluribus cauſis produci. Quod non inficiamur, ut palam fit ex dictis ſub finem numeri 4.

11. Ex his deducas, quòd neque per duplicem actionem totalem ejuſdem cauſæ poteſt idem numerò effectus produci. Etenim ſecunda noſtra ratio num 5. poſita convincit etiam de actione totali, cùm actio ſit exercitium cauſæ efficientis.

Colligas etiam, quàm benè cohæreat hujus reſolutio difficultatis, cum ea, quam lib. 1. ſtabilivimus, nimirum non poſſe duplicem formam eidem materiæ hærere.

Quare verò queat eadem materia eſſe ſub pluribus formis ſucceſſivè, non verò idem effectus à pluribus cauſis nec etiam ſucceſſivè. Hoc ideo eſt. Tum quia (in mea ſententia, nullum actum materiæ dante) materia non eſt una poſitivè nullamve ex ſe poſitivam unitatem habet etiam metaphyſicam, imò in omnium Thomiſtarum ſententia nullam unitatem ſaltem phyſicam. Tum quia unaquæque forma dat diverſum eſſe materiæ. Undè ſemper eſt diverſus effectus communicatus materiæ; alioquin etiam naturaliter, imò & reapſe, ac juxta curſum ordinarium idem effectus à pluribus cauſis totalibus produceretur; ſicut hoc pacto materia prima eſt ſub pluribus formis totalibus.

Collige tandem, quare plures cauſæ partiales non exigunt diverſos effectus partiales; quia nimirum ſe habent per modum unius in operando.

Notandum verò, quòd duplex eſt cauſa partialis. Una dicitur partialis partialitate cauſæ, ut V. G. duo luminoſa ut duo producentia lumen ut quatuor, duo portantes idem pondus, trahentes eandem navim &c. Alia partialis partialitate effectus; quæ tamen abſolutè eſt totalis, ſicut ſe habent cauſæ ſuperiores, & inferiores, dum ſimul ſecundùm diverſam rationem concurrunt ad eundem effectum, ut dicebamus num. 4. ſub finem.

12. Supereſt quoddam excutere ſcrupulum, quod ſpecie Religionis nonnulli injicere tentant; nimirum hac noſtra ex ſententia ſequi, quòd quis non teneatur gratias referre Deo, qui eſſe eum fecit ex Patre Fideli, eò quia nec per abſolutam Dei potentiam poſſibile erat alio ex Patre naſci. Quod ſcrupulum ſanè nonniſi ſcrupulum eſt, ac faciliimè evaneſcit. Quandoquidem eſtò non fuerit donum Dei, me V. G. naſci ex illo Patre, qui fuit Catholicus; donum tamen gratuitum Dei fuit, me naſci ex Patre Catholico, quatenus donum gratuitum Dei fuit, quòd Pater ille ex quo originem traxi fuerit Catholicus, & non infidelis, qui me poſſet in infidelitate enutrire. Undè hinc gratias Deo.

APPENDIX.

Nam Cauſæ poſſint eſſe in invicem Cauſæ.

1. EXploratum apud omnes eſt, cauſas ejuſdem generis ſaltem infimi, non poſſe eſſe ad invicem cauſæ, quia (ut inquit Jo: à S Th.) diverſæ conditiones deſiderantur ad cauſandum, & diverſæ ad cauſari. Si autem ejuſdem generis infimi cauſæ eſſent ad invicem cauſæ, ſequeretur, quòd idem haberet eaſdem conditiones ut cauſans, & ut cauſatum, adeoque cauſa efficiens cùm ut cauſet debeat eſſe exiſtens, ſic etiam ut fieret, ac cauſaretur deberet eſſe exiſtens. Quod quàm falſum ſit indè conſpicuum eſt, quòd fieri ſit tranſitus de non eſſe ad eſſe.

Verum eſt tamen, quòd non rarò cauſæ ejuſdem generis poſſunt ad invicem exercere cauſalitatem diverſi generis; nimirum extare poſſunt duæ cauſæ efficientes, quarum una ſit cauſa alterius in genere cauſæ efficientis, & illa exerceat reſpectu ejuſdem munus cauſæ materialis, vel formalis, vel finalis, eſtò comparativè ad aliud ſit cauſa efficiens.

2. Dico itaque, quòd cauſæ in diverſo genere cauſæ poſſunt eſſe invicem Cauſæ.

Eſt contra Caberum, & etiam contra Suarez, & nonnullos etiam ex Scotiſtis. Iſti enim authores loquendo de cauſis, quarum utraque phyſicè agit, negant, poſſe eſſe ad invicem cauſas, ſolumque concedunt, quando cauſa aliqua intentionaliter operatur, ut V. G. efficiens, & finalis.

Pro nobis tamen ſtat S. Th. cujus verba videri poſſunt apud Jo: à S. Th.

3. Ratio etiam pro nobis ſtat, & quidem efficax. Quandoquidem materia eſt cauſa formæ eam ſuſtentando; & forma eſt cauſæ materiæ, dando illi eſſe determinatum. Non quidem, quòd det materiæ eſſe materiæ (ut tollatur Patris Suarez æquivocus) ſed quia dat illi eſſe in ſpecie determinata: ergo poſſunt cauſæ eſſe ad invicem cauſæ in diverſo genere cauſæ. Ant. contra nonnullos fit manifeſtum. Et primò quò ad p. p. ex dictis ſupra lib præcedenti primo q. 3. art. 3. ubi probavimus, formas educi de potentia materiæ. Quòad 2. etiam ex dictis eodem lib 1 q 2. art. 4 ubi probavimus, materiam non poſſe exiſtere ſine forma; non ita, quòd forma ſit pura conditio ſine qua non, ut eſt calor reſpectu ignis, qui proinde nequit naturaliter ſine calore in ſummo exiſtere (ſicuti mihi quondam reſpondebat quidam ex Minoritis, quos de Obſervantia vocant) ſed ut ratio formalis, quia ſe habet ut ratio conſtituens materiam in ſpecie determinata; calor autem non eſt ille, qui conſtituit ignem in ſpecie, cùm ſit proprietas conſequens ad ſpeciem, ideſt ad eſſentiam. Idcircò ratiocinium, quo eodem art. 4. § 2. utebamur, fuit, quia ſi materia exiſteret abſque omni forma eſſet in determinato genere, & non in determinata ſpecie. Quod implicat.

Similiter. Finis eſt cauſa cauſæ efficientis, quia agens non operatur, niſi ut motum à Fine. Omne enim agens agit propter finem, ut vidimus q. præcedenti art. 3 Et rurſus cauſa efficiens producit effectivè nonnunquam ipſum finem: ergo &c.

Totum hoc illuſtratur pulcherrimo exemplo D. Thomæ. Ingreſſus ſiquidem venti V. G. eſt cauſa efficiens aperitionis feneſtræ; & rurſus aperitio feneſtræ eſt cauſa materialis ingreſſus venti, quia eſt receptiva illius. Niſi enim flaret ventus ingrediens non aperiretur tunc feneſtra, & niſi aperiretur feneſtra non ingrederetur ventus.

4. Obji-

4. Objicies 1. Si cauſæ poſſent etiam in diverſo genere eſſe in invicem cauſæ, ſequeretur, quòd idem eſſet notius, ſimul & ignotius; ſed hoc eſt implicatorium: ergo impoſſibile prorſus eſt, cauſas eſſe ad invicem cauſas etiam in diverſo genere cauſæ. Prob. Maj. Cauſa eſt notior effectu: ergo ſi cauſæ eſſent ad invicem cauſæ, jam idem eſſet notius quatenùs cauſa, & ſimul eſſet ignotius quatenus effectus.

Reſp. quòd ſequeretur, idem eſſe notius ſimul & ignotius ſecundùm diverſam rationem. In quo nulla eſt implicantia, nulluſque vitioſus committitur circulus.

5. Objic. 2. Si cauſæ eſſent ad invicem cauſæ, jam idem eſſet cauſa ſui ipſius; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c. Prob. maj. Quandoquidem quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati: ergo ſi aliquod poſſet eſſe cauſa ſuæ cauſæ, eſſet cauſa ſui ipſius.

Reſp. nego maj. Ad prob. dico, axioma illud eſſe intelligendum quotieſcunque aliquod eſt cauſa cauſæ in eo eodem genere, in quo illa cauſa cauſat cauſatum; non verò quando eſt in diverſo genere cauſæ. Et ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd ſunt in diverſo genere cauſæ, cauſant, non ſecundùm eundem, ſed ſecundùm diverſum cauſandi modum.

Sed de hoc fuſius lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 3.

LIBER TERTIUS
PHYSICORUM
DE MOTU
De Actione, Paſſione, ac de Infinito.

NOn infrequenter dictum à nobis fuit, motum eſſe primam proprietatem, quam Philoſophia demonſtrat de natura, ſive ente naturali, quod eſt ejus formale objectum. Idcircò peractis, quæ de natura agenda erant in antegreſſo libro 2. Modò in hoc 3. libro de Motu pertractandum nos manet.

Quoniam verò motum comitatur actio, & paſſio; & omnes conſequuntur ad ſubjectum finitum, vel infinitum: Idcirco & de his omnibus ſermonem habebimus per tres quæſtiones. Prima erit de Motu; Secunda de Actione, & Paſſione; Et Tertia de Infinito.

QUÆSTIO PRIMA.

De Motu.

EXtare Motum in rebus, præſertim ex motu locali eſt palam, de quo in lib. de Cœlo, ultra alios motus alterationis, augmentationis &c. de quibus in 1. lib. de Gener. & Corrupt. q. 2. & 3.

In quo autem quidditas ejus ſita ſit, quæque ſit ejus definitio, ſtabiliri nequit, niſi priùs difficultas de diſtinctione ejus præſertim à ſubjecto mobili exentiatur.

ARTICULUS UNICUS.

Num, & quomodo à ſubjecto mobili, à termino, & ab actione, ac paſſione Motus diſtinguatur.

§. I.

1. QUondam de diſtinctione Motus à termino, atque ab actione, & paſſione duntaxat diſputabatur apud Philoſophos. Modò in gratiam Atomiſtarum, qui formas omnes, non tantùm ſubſtantiales, ſed & accidentales reſpuunt, dubium emergit de diſtinctione motus etiam ab ipſo ſubjecto mobili.

§. II.

CONCLUSIO.

Motus diſtinguitur realiter à ſubjecto; à termino tum à quo, tum ad quem; ac ab actione, & paſſione.

2. PRob. 1. quòd ad p. p. Nullum majus ſignum realis diſtinctionis, quàm realis ſeparatio; ſed motus, & ſubjectum mobile poſſunt invicem ſeparari: ergo realiſſimè diſtinguuntur. Maj. eſt clara. Min. itidem. Idem namque mobile non ſemper movetur, nec ſemper quieſcit, adeoque motus erit accidens prædicamentale, ceu illud, quod poteſt adeſſe, & abeſſe abſque ſubjecti corruptione.

Reſpondet Saguens, non ſufficere, quòd unum poſſit ſeparari ab alio, ut ſit ab illo realiter diſtinctum, ſed requiri, quòd unum poſſit ab alio ſeparatum exiſtere.

Sed contra. Primitèr Saguens confundit connexionem cum identitate. Etenim ut unum nequeat ſine alio exiſtere ſat eſt, quòd ſit cum illo connexum, & ab eo in ſuo eſſe dependens, tametſi non ſit realiter cùm eo identificatum. Deinde ſive poſſit exiſtere ſive non, quis non videat, quòd ſeparatio qualiſcunque illa ſit plus eſt quàm diſtinctio? quomodocunque igitur ſint ſeparabilia realiter, erunt à fortiori diſtincta realiter.

3. Prob. 2. quòd ad eandem p. Et quoniam Atomiſtæ ludunt exemplis, & experientiis, adducitur experimentum ex Grangævo. Niſi motus foret entitas quædam diſtincta realiter à mobili, V. G. à lapide, qui ſunda projicitur, lapis ille non moveretur per eam viam, qua reapſe pergit, ſed ſtatim ac evaſiſſet de ſunda illicò perpendiculariter caderet deorſum: ergo &c. Prob ſequela. Secluſa entitate illa, quæ vocari ſolet motus, aut impetus, nihil in eo lapide eſſet, niſi innata ſui gravitas; ſed iſta compellit deorſum: ergo &c.

Ut eludas reſponſum Joannis Saguens ſcito, quòd motus eſt de linea tranſeuntis, & durat aliqualiter magis, & minùs, ſecundùm quòd fortius, vel debilius imprimitur, & poſtea perit, ac deſinit ceſſando. Undè non eſt ad rem Joannis Saguens reſponſum ſitum in puris verbis. Lege Grangævum.

4. Prob. 3. quòd ad eandem p. ratiocinatione, qua in Logica probavimus, quantitatem diſtingui realiter à re quanta. Nequit idem eſſe à ſe ipſo diverſum; ſed ſi motus identificaretur cum ſubjecto mobili jam idem eſſet diverſum à ſe ipſo: ergo motus non identificatur cum ſubjecto mobili. Prob min. Quandoquidem idem poteſt ſucceſſivè moveri motibus diverſis, imò & interdum oppoſitis.

Nec reſpondere juvat cum Saguens, quòd ſic diverſificari eſt diverſificari duntaxat extrinſecè, non verò intrinſecè.

Non, inquam. Nam eatenus ſic diverſificatur, quatenus diverſis agitur motibus; ſed id, quod movetur non eſt aliquid extrinſecum connotatum, vel aliquod extrinſecè afficiens, benè verò ipſa entitas intrinſeca rei mobilis: ergo diverſificatur intrinſecè res ipſa mobilis, ſive ſubjectum mobile diverſificatione accidentali, adeoque per aliquod accidens ſuperadditum.

5. Prob 4. quò ad 1. p. ſimul & 2. p. Motus dividi ſolet in tardum, & velocem; ſed nec ſubjectum, nec terminus *à quo*, nec terminus *ad quem*, dividuntur in tardum, & velocem: ergo nullum ex his eſt idem realiter cum motu.

Conſ. 1. Motus eſt de linea ſucceſſivi, ſubjectum verò, terminus *à quo*, & terminus *ad quem* ſunt de linea permanentis.

Secundò. Specialiter de termino *à quo*, & termino *ad quem*. Siquidem motus eſt via, ſive tendentia à termino *à quo* ad terminum; ſed via, & terminus, non ſunt realiter idem, ſecùs dum quis eſt in via, eſſet etiam in termino; ergo motus realiter diſtinguitur ab utroque termino.

6. Verum eſt tamen, quòd non diſtinctione reali entitativa à quolibet prædictorum diſtinguitur, ſed diſtinctione reali duntaxat modali; quia motus, ceu, quid viale, & incompletum non eſt entitas, ſed eſt modus; qua ratione collocatur in poſtprædicamentis; adeoque nequit motus diſtingui diſtinctione reali entitativa, quæ verſatur inter duas entitates, ſed duntaxat diſtinctione reali modali, quæ verſatur inter rem, & modum.

A ſubjecto quidem diſtinctione reali modali poſitiva, quia afficit ſubjectum; Ab utroque termino verò diſtinctione reali modali negativa, quatenus, cùm non ſit entitas, nequit diſtingui diſtinctione reali entitativa; & aliàs eſt aliquis modus, qui eſt neuter ex terminis, ſed tamen neutrum ex illis afficit: eo pacto, quo V.G. ſeſſio Petri diſtinguitur realiter a Paulo, non diſtinctione reali entitativa, quia eſt modus, & non entitas; nec diſtinguitur diſtinctione modali poſitiva (quia ſeſſio Petri non eſt modus Pauli, id eſt afficiens Paulum) ſed negativa. Per quod quædam ſolvitur objectio.

7. Prob. quò ad 3. p. Tum quia motus eſt per reſpectum ad formam vel terminum acquirendum, paſſio verò in ordine ad agens, & actio in ordine ad paſſum: ergo iſta omnia ſunt inter ſe diverſa. Tum quia poteſt ſtare actio, & paſſio tametſi non ampliùs ſtet motus; quoniam conſervatio eſt actio continuata, non tamen motus, quia aer poſt illuminationem non dicitur ampliùs in potentia ad lumen, ad quod habet moveri. Tum quia actio, & paſſio, utpote directè in prædicamento collocatæ, ſunt quid completum; motus verò eſt quid incompletum, idcircò ſpectat ad poſtprædicamentum. Tum demum quia in ſententia Adverſariorum, volentium, quòd actio ſit in agente, ſunt in diverſis ſubjectis.

Sed de hoc magis quæſt. ſequenti, ubi contra Atomitas videbimus, actionem non eſſe motum localem.

8. Ex his poteſt conſtare reſolutio alterius dubii, quod à nonnullis proponi hic ſolet. Num ſcilicet actio, & paſſio realiter diſtinguantur. Quibus adde, quòd actio eſt id, quo producitur paſſio, & iſta eſt terminus illius, ſicut agens eſt id, quod producit paſſum, vel aliquid in paſſo, & iſtud eſt terminus illius; Inter producens autem & productum realis extat diſtinctio, ſicut & inter terminum, ac rem terminandam cùm nihil poſſit producere ſeipſum, aut ſeipſum terminare.

§. III.

Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.

9. ARg. 1. contra p. p. probando, motum non diſtingui realiter à ſubjecto, ſive re mobili. Motus V.G. localis nil aliud eſt, quàm tranſitus localis; ſed tranſitus localis nullam importat realem mutationem, ſed duntaxat extrinſecam relationem, quam ad diverſa dicit, quæ percurrit ſucceſſivè loca: ergo motus non dicit aliquod realiter ſuperadditum ſubjecto ſive rei mobili.

Conſ. primò. Nullam ſubit mutationem currus per hoc, quod equis trahatur, ſicut nec equi trahentes. Item nullam mutationem navis, quæ defertur, aut pellitur, ſicut nec aquæ quibus eſt delata.

Secundò. Nullam entitatem acquirit, aut deperdit digitus per hoc, quòd inflectitur, nullamque deperdit per hoc, quòd ad priſtinum reſtituitur ſtatum; quia talis digiti inflexio nil aliud eſt, quàm ejus partes taliter diſpoſitæ. Spacium currum occupantes: ergo &c.

Reſp. ad arg. & conſ. quòd multa quidem dicit, nihil tamen probat. Omnia ſupponit quamquam non ſupponenda, verba, ac verba congerit, ſed verba ſunt multa, ac nimia; probationes verò nullæ. Undè ad arg. primitùs, nego maj. Nam debet aſſignari per quid fiat iſte tranſitus, & dicimus, fieri per motum, ut ſatis conſtat ex dictis in 2. noſtra probatione 3. Sicut V.G. calefieri eſt fieri calidum V.G. ab igne; ſed aſſignatur per quid fiat calidum, nimirum per calorem. Deinde nego etiam min. Iſte namque tranſitus, ſi ſumatur ut *quo* eſt ipſe motus, quo fit tranſitus, ſi verò ſumatur *ut quod* eſt res tranſiens ſimul cum ipſo tranſitu, ſive cum ipſo motu.

Ad 1. Conſ. nego, nullam intervenire mutationem accidentalem, ut ſatis conſtat ex dictis in noſtra 3. probatione 4.

Ad 2. etiam, nego, nihil acquiri, & deperdi propter eandem rationem.

10. Arg. 2. ex eodem Saguens. Motus, quem Ariſtotelici contendunt eſſe formam accidentalem productam, inhærentem ſuo ſubjecto, id eſt mobili, & ab eo diſtinctum, vel eſt entitas quædam ſimplex, aut compoſita, atqui neutrum propugnari poteſt: ergo &c. Prob. min. Et primò quò ad p. p. Non eſt ſimplex, quia ſic non poſſet afficere, & informare totum illud mobile, quod movetur, V.G. rotam integram diviſibilem. Secundò quo ad 2. p. Tum quia ſic dimenſiones mobilis augerentur, quod eſt contra experientiam. Tum quia nulla apparet cauſa, quæ intra reconditiorem ſinum mobilis poſſit eas partes motu producere. Tum etiam, quia omnes ejuſdem mobilis, uti rotæ partes, ſimul incipiunt, ac deſinunt moveri; non videtur autem ſufficere unum inſtans ad productionem tot partium. Tum denique quia motus mobilis ſingulis inſtantibus movetur; neque enim aliud eſt, quàm mutatio localis ſucceſſiva continua: undè ſi motus eſſet entitas materialis compoſita ex partibus, quot ſunt in mobili, ſequeretur, ſingulis inſtantibus renovandas eſſe partes illius entitatis compoſitæ. Quæ omnia propugnari non poſſunt, niſi gratis, & chimæricè.

Conſ. Entitatula iſta, quam nos motum appellamus, vel eſt per ſeipſam mobilis abſque alio ſuperaddito, vel non. Si non, ergo dabitur proceſſus in infinitum. Si ſic; cur ergo & ipſum mobile abſque tot ambagibus non poterit per ſeipſum abſque aliquo ſuperaddito moveri.

Reſp. ad arg. quòd etiam hæc objectio poterat omitti. Undè nego min. quò ad 2. p. & dico in rebus corporeis, & quanlis eſſe entitatem ex ſuis partibus integrantibus compoſitam. Ad 1. prob. diſt. ant. partes mobilis augerentur ſi ſecum ferret diſtinctam quantitatem, concedo, ſecùs, nego. Ut enim diximus in Logica, probando, quantitatem realiter diſtingui à ſubſtantia, accidentia non habent quantitatem diſtinctam à quantitate ſui ſubjecti, ſed eadem quantitate quantificantur accidentia *ut quo*, & ſubjectum *ut quod*, eamque retinent accidentia Euchariſtica pereunte ſubjecto, ut ibidem vidimus.

Ad 2. nego ant. Talis enim cauſa eſt ipſum movens.

Ad 3. nego ant. Licèt enim citiſſimè una poſt aliam incipiat, & deſinat moveri, non tamen omnes ſimul deſinunt moveri: Vel dicatur, quòd licèt deſinant ſimul in eodem inſtanti *in quo*, & temporis, non tamen in eodem inſtanti *à quo*, & naturæ. Et ſanè hoc argumentum probat nec ipſam rotam eſſe ex partibus compoſitam, cum omnes ſimul incipiant, aut deſinant moveri.

Reſp. Ad ult. quòd ſi variatur motus tunc varientur, & partes. Et quod hoc ſit inconveniens debebat Saguens probare, non verò deficiente probatione appellare chimæricum. Si verò ſit ſuper eandem lineam eſt idem motus continuatus, idcircò non producuntur de novo partes ejus.

Reſp. quòd eſt per ſeipſam mobilis *ut quo*, non verò *ut quod*; quia mobile *ut quod* eſt ſolum ſubjectum. Id autem, quod ſe habet *ut quo* non indiget alio *quo*. Sicut reliqua corpora indigent luce, qua videantur, lux autem non indiget alia luce, qua videatur.

11. Arg. 3. ex eodem. Si motus diſtingueretur realiter à re mobili, ſequeretur, quòd etiam in re incorporea diſtingueretur, ſicque res ſpiritualis non eſſet ſimplex, ſed compoſita ex ſua ſubſtantia, & motu.

Conſ. Siquidem ſequeretur, nec divinitùs poſſe aliquid moveri ſine hac entitate accidentali ſuperaddita.

Reſp. ad arg. quod præ cæteris infirmum cum ſua conſ. poterat potiori jure omitti. Quandoquidem, concedo totum. Res enim ſpiritualis creata licèt non ſit compoſita ex materia, & forma; eſt tamen compoſita ex ſubjecto, & accidenti, puta ex principio operativo, & operatione; ex mobi-

mobili, & motu; ex ſubſtantia, & ſubſiſtentia; ex eſſentia, & exiſtentia; nec enim Angelus in ulla linea eſt actus purus.

Ad Conſ. concedo totum. Sicut nec Divinitùs fieri poteſt, quòd aliquid ſit lucidum ſine luce, quantum ſine quantitate; aliter eſſet, & non eſſet lucidum; eſſet, & non eſſet quantum. Eſſet enim, ut ſupponitur; & non eſſet quia non haberet lucem, quæ eſt ratio conſtitutiva lucidi; non haberet quantitatem, quæ eſt ratio formalis conſtitutiva quanti. Sic etiam ſi aliquid moveretur ſine motu, moveretur, & non moveretur. Moveretur enim ut ſupponitur; & non moveretur, quia careret motu, qui eſt ratio formalis conſtitutiva moti. Quæ omnia ſunt contradictoria.

12. Nonnulla alia argumenta, & quidem levia, probantia, motum non diſtingui realiter à termino *à quo*, & *ad quem*, videri poſſunt ſoluta apud Maſtrium in Phyſ. diſp. 15. quæſt 3.

De actione verò, & paſſione lege Goudin, & alios.

PERCONTABERIS.

Quænam ſit definitio motus, & num conveniat mutationi inſtantaneæ, motibuſque intentionalibus.

1. PRima quæſiti pars reſolvitur ex his, quæ habet Philoſophus in hoc libro cap. 2. Ex ejus namque doctrina ibi deducitur, atque formatur definitio motus ſic: *Motus eſt actus entis in potentia, ſecundùm quòd in potentia.*

Illuſtratur definitio. Dicitur *actus* quæ particula generis locum obtinet, & ratione illius convenit motus cum cæteris formis. Dicitur *entis in potentia ſecundùm quod in potentia*. Ubi particula reduplicans tenet locum differentiæ. Quamvis namque omnes formæ ſint actus entis in potentia, nimirum alicujus dicentis potentiam ad ipſam formam; non tamen ſunt actus entis in potentia eo modo, quo eſt motus. Siquidem motus eſt actus imperfectus, incompletus, & vialis, qui relinquit ſubjectum in potentia, non quidem in potentia ad ſeipſum, ideſt ad motum, ſed in potentia ad terminum acquirendum. Undè motus conſtituit ſubjectum ſuum partim in actu, & partim in potentia.

Neque talis definitio poteſt dici diminuta, non obſtante, quòd per illam non explicetur habitudo ad terminum, quam eſſentialiter importat ipſe motus. Non, inquam. Quandoquidem hujuſmodi habitudo involvitur in illis dictionibus *ſecundùm quòd in potentia* in quibus deſignatur, motum eſſe actum imperfectum, ducentem ad actum perfectum, nimirum ad terminum.

Notandum verò, quòd ly *in potentia* intelligitur per modum actualis viæ, & tendentiæ. Qua ratione forma Embrionis, licèt relinquat in potentia ad formas perfectiores; non tamen motus rationem obtinet, ſed eſt terminus per motum acquiſitus. Similiter calor V. G. ut duo licèt relinquat in potentia ad calorem perfectiorem; non tamen eſt motus, quia non eſt via ad perfectiorem calorem, ſed etiam ipſe calor, ut duo, eſt terminus per motum, & actionem calefactivam acquiſitus.

Et per hæc ſolvuntur objectiones nonnullæ contra prædeclaratam definitionem.

2. Quò ad 2. quæſiti partem dico, definitionem convenire, non ſolùm motui ſucceſſivo, verùm etiam mutationi inſtantaneæ.

Ratio eſt, quoniam mutatio inſtantanea, ita actuat materiam, quòd relinquat ipſam in potentia ad ulteriorem actum, nimirum ad formam: ergo etiam ipſa eſt *actus entis in potentia, ut in potentia*. Prob. ant. Licèt in eodem inſtanti reali ſit mutatio unà cum forma; tamen ipſa mutatio intranſitivè non eſt conſtitutiva materiæ in actu perfecto, ſecùs mutatio eſſet ipſa forma: ergo quantùm eſt de ſe relinquit adhuc in potentia.

3. Objicies. Inſtantanea mutatio non relinquit ſubjectum in potentia: ergo ipſi non convenit definitio motus. Prob. ant. Si mutatio inſtantanea relinqueret ſubjectum in potentia ad formam, ſimul eſſent forma, & privatio; ſed hoc propugnari minimè poteſt: ergo &c. Prob. maj. Eodem in inſtanti, in quo fit mutatio habetur forma, ſecùs inſtantanea non eſſet mutatio: ergo ſi &c.

Reſp. diſt. ant non relinquit in potentia formaliter, concedo, virtualiter, nego ant. ad cujus prob. dico, ſequelam majoris fore veram, ſi relinqueret in potentia formaliter.

Itaque mutatio inſtantanea relinquit ſubjectum in potentia virtualiter, quia habet virtutem ita (imò perfectiùs) movendi ad terminum, ac ſi relinqueret in potentia formaliter.

Objic. deinde. Mutatio non eſt actus imperfectus: ergo nullatenus poteſt comprehendi in definitione motus, qui eſt eſſentialiter actus imperfectus. Prob. ant. Si mutatio eſſet actus imperfectus, ſequeretur, quòd cùm mutatio ſit in eodem inſtanti reali cum forma, eſſent ſimul actus imperfectus, & perfectus; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. eſſent ſimul actus imperfectus, & actus perfectus æquali modo, nego, primus per modum receſſus, & alter per modum acceſſus, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Siquidem ſicut lib. 1. q. 5. art. unico §. 14. num. 32 diximus, eſſe in eodem inſtanti ſimul in materia privationem, & formam; privationem tamen per modum receſſus, ita & dicimus, poſſe eſſe ſimul actum imperfectum mutationis, & ipſam formam. Quia tamen eſt duntaxat tranſeunter, idcircò adeſt ſolùm in tranſitu, ſive in tranſire, & recedere, forma verò in accedendo.

Eadem ſolutio adhiberi poterat, & poteſt ad primam objectionem.

4 Quò ad 3. quæſiti partem, dico quòd definitio illa non convenit motui intentionali. Prob. Intentionalis mutatio non eſt ex ſui ratione formali actus imperfectus per modum viæ ad perfectum: ergo illi non convenit definitio motus. Prob ant. Mutatio intentionalis, ceu actus immanens perficit ſubjectum, ſiſtendo in ipſo; & plerumque nullum habet terminum intrinſecum, ut palam eſt tum in viſione oculari, tum in viſione intellectuali beatifica, quæ (Thomiſticè loquendo) nullum producit verbum: ergo mutatio intentionalis ex ſui ratione formali non eſt actus imperfectus per modum viæ, & tendentiæ ad terminum.

5. Objicies. Mutationes intentionales ſpectant ad objectum Philoſophiæ, ut vel nos 2. Phyſ. non longè à principio dicebamus, probando, etiam Animam rationalem eſſe naturam; ſed objectum Philoſophiæ eſt motus: ergo ſub motu phyſico, etiam intentionales motus continentur, adeo & ipſis competit definitio motus.

Reſp. diſt. maj. ſpectant minùs principaliter, concedo, æquè principaliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Equidem mutationes intentionales ſpectant & ipſæ ad objectum formale primarium Philoſophiæ, minùs tamen principaliter. Eo modo, quo diximus, in Logicæ prodromis art. 6. ad objectum formale Logicæ pertinere magis principaliter demonſtrationem, & minùs principaliter etiam cætera entia rationis directiva operationum intellectus, puta propoſitiones, terminos &c. Ut namque perſæpè diximus, objectum formale primarium dividitur in magis principale, & minùs principale. In data autem definitione definitur duntaxat objectum principalitatis ipſius Philoſophiæ, nimirum motus ſtrictè dictus, neutiquam verò mutationes intentionales, puta viſio, &c. quæ obtinent rationem motus naturalis, & phyſici, minùs tamen principaliter.

APPENDIX.

De Motu Elaterio, & Sympathico.

1. MOtus Elaterius eſt, quo corpus aliquod elaſticum ſe reſtituit poſtquam preſſum, aut extenſum fuit V. G. arcus flexus, ſtatim ac corda obducta cedit, ſe reſtituit, lignumque viride curvatum vaſtatim amota vi ſponte erigitur.

2. Carteſius talem motum dicit fieri vi materiæ ſubtilis, quæ tunc intrat poros illius corporis magis dilatatos in parte convexa, & contendit, violenter egredi per alios anguſtiores poros in parte concava ejuſdem corporis elaſtici.

Quod Carteſius dicit de materia illa ſubtili, quam ſatis 1. Phyſ. abjecimus, nos dicere poſſumus de aere. Miſcet tamen Carteſius quaſdam incohærentias, quæ videri poſſunt apud Goudin hic §. 4.

3. Pro ulteriore reſolutione ſupponendum eſt cum du Hamel tom. 4. tract. 2. cap. 5. quòd corpus elaſticum debet habere partes mediocriter rigidas; quæ mediocris rigiditas ab ejus forma tanquam proprietas præſtatur.

Igitur dicit du Hamel, & cum eo Goudin, motum elaſticum fieri per hoc, quòd aer compreſſus per illum motum,

quo corpus illud elaſticum fuit flexum, conatur ſe dilatare. Et quòd aer preſſus contendat ſe dilatare illuſtrant pluribus exemplis & palam eſt in veſſica aere plena, quæ ſi manu prematur, ſtatimatque amota fuerit manus, ſe dilatat.

4. Quò ad motum Sympathicum, & Antipathicum, Carteſius dicit, etiam vi materiæ ſubtilis fieri, cujus partes quædam ſtriatæ, ſeu ad initar cochleæ exeuntes ab uno corpore ſubeant poros alterius, & circa eum gyrantes impellant ad aliud, vel repellant ab alio.

Sed præterquam quod has fabulas abjecimus 1. Phyſ. non eſt perceptibile (ut inquit Goudin hic §. 5.) quomodo materia adeo ſubtilis poſſit impellere corpora adeo gravia, uti ſunt ferrum, magnes &c.

5. Nonnulli alii Atomiſtæ dicunt, fieri per quaſdam atomos, quæ à poris unius corporis exeuntes, ac alterius corporis poros ſubeuntes, illud trahunt. Sic quondam præſertim P. Franciſcus Caro loquebatur.

Sed iſti nihil explicant, quia eos manet explicare, quomodo atomi illæ ſic trahant.

6. Peripatetici plerique dicunt, fieri per productionem cujuſdam qualitatis, quæ habet ex ſui natura unum in aliud inclinare; ſicut videmus, quòd habitus virtuoſi ad virtutes, vitioſi ad actus vitioſos, & ſcientifici ad actus ſcientificos intellectum inclinare; licèt non cum tanta vehementia, ceu qualitates non adeo mechanicæ.

Goudin dicit, eſſe quaſdam naturæ inclinationes ex ſe tendentes: Sicut eſt illa, qua gravia tendunt ad centrum. De quo videri poteſt Goudin §. 5. hic, præcipuè de vi magnetica.

Nonnulla alia de motu dicentur libro Quinto.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Actione, & Paſſione.

PRÆLOQUIUM.

1. Actio, cùm, ut ſupra dictum eſt, quatenus ab agente dimanat, ſit cauſalitas cauſæ efficientis deberet definiri ſic: *eſt actus activi, ut activum eſt*; è contra Paſſio *eſt actus paſſivi, ut paſſivum eſt*.

Antequam ulteriùs procedamus ſtatuendum brevitès eſt contra univerſos Atomiſtas, actionem non eſſe ſitam in puro motu locali. Quod

Prob. 1. ex dictis q. & art. præcedenti §. 2. num. 7.

2. Prob. 2. Niſi actio diſtingueretur realiter à motu locali, cùm nec motum velint Atomiſtæ diſtingui realiter à mobili, ſequeretur, creaturam eſſe actum purum in linea operandi, ſicut Deus, identificando ſibi ultimam actualitatem in tali linea: Sicuti hac ratione lib. 1. q. 5 art. 1. §. 2. probavimus, exiſtentiam in creatis diſtingui realiter ab eſſentia.

Conſ. Agens de ſe eſt indifferens intrinſecè ad agendum, vel non agendum: ergo debet per aliquod intrinſecum, quod aliud eſſe nequit, niſi actio. Et hac ratione in Metaphyſica probabimus, eſſe admittendos modos.

Urg. Agens creatum, ſi eſſet ſua operatio, & operans per ſuam eſſentiam, ſequeretur, quòd eſſet ſemper in actu ſecundo operans, ſicut anima, quæ eſt per ſuam eſſentiam vivens vita ſubſtantiali eſt ſemper in actu ſecundo vivens vita ſubſtantiali. De quo iterum lib. 2. de Anima q. 3. art. 2. probando, quòd potentiæ Animæ diſtinguantur realiter ab Anima §. 2. in prima probatione; Et iterum ibi, ubi ad 1. conſ. 5. arg. videbimus, quomodo verificetur, quòd Deus, qui eſt ſua operatio ſit ſemper in actu ſecundo operans.

3. Prob. 3. Si actio eſſet motus localis, ſequeretur, quòd paſſio ei correſpondens eſſet vel hoc, quod eſt quieſcere, vel hoc, quod eſt eſſe terminum motus localis; ſed neutrum dici poteſt: ergo actio non conſiſtit in motu locali. Min. quò ad p. p. eluceſcit. Siquidem multa quieſcunt, quæ nihil patiuntur. Quò ad 2. verò prob. Quandoquidem cùm agens agendo repatiatur, ut conſtat, & ex profeſſo lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 7. art. 2. cum omnibus Philoſophis, non ſolùm Peripateticis, verùm etiam Galeno, Hipocrate &c. ut ibi videbimus; & per conſequens paſſum cùm aliqualiter reagat, deberet & ipſum verſus agens aliqualiter moveri. Quod experientia reſpuit.

Conſ. Nonnulla localiter immota agunt. V. G. Magnes localiter immotus attrahit ferrum in genere cauſæ ſaltem finalis, trahendo per ſuum pondus, & allicientiam. Quod & in pleriſque aliis rebus perſpicuum eſt.

Urg. Si idem eſſet actio, ac motus localis, ſequeretur, quòd interrogando quempiam, *quid agat*. Deberemus interrogare *quò moveatur, & quò pergat*.

Remanet igitur cum Peripateticis dicendum, quòd actio ſit unum ex generibus accidentium.

4. Objicitur contra ex Saguens in Logica, ad probandum, quod actio non ſit aliquod ſpeciale genus entis ſic. Si actio eſſet aliquod peculiare ens, eſſet aliquid productum; ſed nequit eſſe quid productum: ergo nequit eſſe aliquod peculiare ens. Prob. min. Si eſſet quid productum, deberet eſſe productum per aliam actionem, & iſta per aliam, & ſic in infinitum.

Conſ. Ideo juxta Peripateticos admittitur iſta actio, ut tollatur indifferentia agentis; ſed ad hoc non requiritur: ergo &c. Prob min. Agens eſt indifferens etiam ad ipſam actionem, non minùs, quàm ad effectum; ſed ut tollatur indifferentia ad actionem non requiritur alia actio, ſecùs daretur proceſſus in infinitum: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eſſet quid productum *ut quod*, concedo, *ut quo*, nego ſmaj. & min. Ad prob. dicatur, maj. fore veram, ſi eſſet quid productum *ut quod*. Eſt autem quid productum duntaxat *ut quo*, quia eſt id, quo aliquid producitur. Unum autem *quo* non indiget alio *quo*; Sicut lux quia eſt id, quo cætera videntur, non alia indiget luce media qua videatur: Quicquid modò ſit num lux ſit qualitas, vel corpuſcula? Ex quo

Ad Conſ. Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. eſt indifferens ad actionem, ut ad id *quo*, concedo, ut ad id *quod*, ſicut eſt indifferens ad effectum, nego. Unum autem *quo* non indiget alio *quo*.

Alia argumenta Joannis Saguens, ceu nullius momenti, & ſoluta q. præcedenti art. unico §. 3. omitto; quia non negant Peripatetici, in Angelis compoſitionem ex agente, & actione, ſicut nec ex ſubjecto, & qualitate; ſed duntaxat negant compoſitionem ex materia prima, & forma ſubſtantiali. In ſolo autem Deo dicunt, quòd nullum habet locum vel ex ſubjecto, & accidenti, cùm undequaque Deus ſit actus purus, ac infinitus.

Adde ad Conſ. quòd indifferentia extrinſeca agentis tum ad actionem, tum ad effectum ſemovetur per præmotionem phyſicam Thomiſticam, quam ſtabiliemus 7. Phyſicorum: Intrinſeca verò adimitur per ipſam actionem ab intrinſeco egredientem.

ARTICULUS UNICUS.

Num actio tranſiens ſit ſubjectivè in Agente, vel in paſſo.

§. I.

1. POnitur in titulo ly *tranſiens*. Quandoquidem actio (omiſſis aliis diviſionibus, quæ videri poſſunt apud Ortiz) dividitur in Tranſeuntem, & in Immanentem. Actio immanens eſt quæ manet in agente, & eſt ad perficiendum ipſum V. G. intellectio manet in intellectu, ipſum perficiendo, non verò ordinatur ad perficiendum aliquid extrinſecum. Actio autem tranſiens è contra eſt, quæ ordinatur ad perficiendum paſſum; qua ratione tranſiens nuncupatur.

Planum eſt, actionem immanentem, ceu quæ extra ſubjectum non fertur, eſſe in illo, à quo dimanat. Item certum eſt, actionem Divinam, utpote cum ipſo activo principio identificatam, in eo ſiſtere; qua ratione ad ſummum poteſt eſſe virtualiter tranſiens, non verò formaliter. Difficultas igitur emergit de actione creata tranſeunte.

2. Qua in re diviſi ſunt tùm Noſtrates, tum Exteri; quorum Sententiæ reduci ad tres poſſunt.

Prima abſolutè vait, actionem tranſeuntem eſſe ſubjectivè in Agente. Hanc tenent Cajet. p. p. q. 25. art. 1. Nazarius ibidem, Zumel, Ripa, Torres, Ortiz hic, Cavinus, & alii. Eandem ſententiam ſequitur Scotus cum ſuis.

Secunda diſtinguit duplicem veluti partialem actionem, quarum unam vocitat actionem agentem, alteram actionem actam. Primam dicit, ſubjectari in agente, ſecundam verò in paſſo. Quam ſententiam aliis verbis ſolent etiam explicare

plicare dicendo, actionem tranſeuntem inchoativè ſubjectari in agente, conſumativè in paſſo. Hanc tuetur præſertim J... à S. Th. & plerique Provinciæ noſtræ autographo Emin. Ferrari.

Tertia denique defendit, actionem tranſeuntem ſubjectari in paſſo. Hanc propugnant communiùs Thomiſtæ, nimirum Capreolus, Soto, Soncinas, Javellus, Hervæus, Ferrarienſis, Complutenſes, Goudin, Lerma, Para, & noviſſimè Guerinois. Hanc eandem amplexantur PP. Societatis; Cum hac tamen differentia, quòd iſti ducuntur ex adverſo, ac falſo motivo; quia nimirum putant, actionem nil aliud eſſe, quam dependentiam effectus à cauſa, eoſque fusè refellit Cavinus videndus.

§. II.

CONCLUSIO.

Actio tranſiens ſubjectatur, non in agente, benè verò in paſſo.

3. CONcluſio noſtra luculenter docetur à S. Th. hic 3. Phyl. lect. 5. ubi *non eſt inconveniens*, inquit, *actum unius eſſe in altero*: Undè *idem actus eſt hujuſmodi, id eſt agentis ut à quo; & tamen eſt in patiente, ut reſpectu in eo: eſſet tamen inconveniens, ſi actus unius eodem modo eſſet in alio*. Quod exemplo Doctrinæ illuſtrat, quæ in ratione doctrinæ eſt actus magiſtri, in ratione verò diſciplinæ eſt actus diſcipuli. Quam doctrinam tradidit occaſione, qua exponebat verba Ariſtotelis ibi tex. 20. quæ talia ſunt: *neque actum alterius in altero eſſe inconveniens eſt: eſt enim doctia actus docentis: in quodam enim, & non deciſus, ſed hujus in hoc*.

Reſpondent Adverſarii, quòd S. Th. loquitur de actione, non metaphyſicè, hoc eſt eſſentialiter accepta, ſed ſumpta concomitanter, & conſequenter, ſive conſumativè. Vel quòd loquitur de actione acta, ſeu effecta, non verò de actione agente. Sed

Contra inſto. Actio eſſentialiter, & metaphyſicè inſpecta, ſive actio agens duo importat, nimirum unum, ut actio eſt, nempe eſſe ab agente, & aliud ut accidens eſt, videlicet recipi in ſubjecto; ſed S. Th. palam docet, actionem ſub primo conceptu eſſe actum agentis, & ſub ſecundo conceptu actum patientis: ergo actio etiam agens eſſentialiter, & metaphyſicè ſumpta eſt ab agente, & inhæſivè recipitur in paſſo.

4. Prob. modò, explodendo illum dicendi modum ſecundæ ſententiæ, admittentis duplicem actionem, cui acquieſcere nunquam potui. Hujuſmodi actio acta, ſi extaret, deberet aliquam exercere actualitatem; ſed reſpectu nullius poteſt exercere actualitatem: ergo eſt impoſſibilis aliqua actio acta. Maj. eſt certa, ſecùs fruſtra admitteretur. Min. prob. Si talis actio poſſet exercere aliquam actualitatem, maximè iſta eſſet actualitas agentis, vel actualitas paſſi; neutrum propugnari poteſt: ergo &c. Min. quò ad a. p. eniteſcit, Tum quia actio eſt actus activi, non verò paſſivi, ſicut è contra paſſio ut talis eſt actus paſſivi. Tum quia nequit excogitari denominatio, quam tribueret ipſi paſſo. Non enim tribueret denominationem agentis, quia hæc repugnat paſſo, nec denominationem paſſi, quia hanc habet à paſſione; nec denominationem egredientis ab agente; quoniam vel eſt egreſſio activa. Et hæc non, Tum quia iſta eſt propria agentis; Tum quia egreſſio activa eſt ipſa agens actio; Vel eſt egreſſio paſſiva. Et hæc eſt paſſio, ſicut egreſſio activa eſt actio. Tandem nec præciſè patiens denominaret affectum tali actione, ut mihi quondam tyrone quodam à Lectore fuit reſponſum. Non, inquam, quia hoc facit ut accidens eſt, non verò ut actio eſt.

Quò ad primam verò partem, in qua major adeſt difficultas, nimirum quod nequit eſſe actualitas agentis Prob. eodem modo; quia non eſt excogitabilis denominatio, quam tribueret agenti ipſum actuando. Nam ſi quid exerceret reſpectu illius, maximè deberet illud denominare, & conſtituere in actu ſecundo agens; ſed hoc nequit ipſi agenti tribuere: ergo nequit eſſe actualitas agentis. Min. (præterquamquòd videtur clara ex eo, quòd agens ſufficienter denominatur agens per actionem, quam ipſi agentem vocitant) Prob. Per ipſos eſt actio acta: ergo nequit dare denominationem agentis: Eatenus namque actio agens conſtituit principium in actu ſecundo agens, quia eſt actio agens: ergo illa quia eſt actio acta nequit denominare, & conſtituere in actu ſecundo agens, ſed potiùs actum; quod rationem indicat paſſi.

Dices fortaſſe, quòd actio eſt actualitas non intrinſeca, ſed extrinſeca, perficiens extrinſecè agens; ad differentiam actionis agentis, quæ eſt cauſalitas agentis intrinſeca. Vel quòd actio acta eſt actualitas agentis, non inchoativè, ſed conſumativè, & conſequenter.

Contra tamen inſurgo. Eo modo, quo eſt illius cauſalitas debet ipſum denominare, & conſtituere: ergo ſi eſt actualitas extrinſeca, vel duntaxat conſumativè ipſius agentis, debebit denominare, & conſtituere agens extrinſecè, & conſumativè; ſed neque hoc modo poteſt conſtituere principium in acto ſecundo agens: ergo nullo modo eſt actualitas agentis. Prob. Min. Ideo actio agens conſtituit illud in actu ſecundo agens intrinſecè, & inchoativè, quia hoc modo eſt actio agens: ergo actio acta nequit conſtituere principium in actu ſecundo agens, etiam extrinſecè, & conſumativè; quia neque extrinſecè, & conſumativè eſt actio agens, cùm ſit duntaxat actio acta, ut vel adverſa pars obteſtatur.

Ex his refelli poteſt dicendi modus aliorum, aſſeverantium, actionem inchoativè eſſe in agente, & conſumativè in paſſo. Quandoquidem per ly *inchoativè* vel intelligunt dimanativè, quatenus ab agente dimanat. Et hoc modo à nobis quoque conceditur. Vel intelligunt *inhæſivè*. Et tum peto, Vel eſt una numero actio. Et hoc eſt prorſus impoſſibile, ſecùs idem numero accidens poſſet etiam naturaliter eſſe in duplici ſubjecto. Quod apud omnes naturaliter, apud Thomiſtas verò etiam ſupernaturaliter, impoſſibile habetur. Vel eſt duplex actio, una nimirum agens, & altera acta, ſive effecta. Et hæc jam ſupra eſt rejecta.

5. Probo modò directè concluſionem. Si actio tranſiens non eſſet ſubjectivè in paſſo, maneret ſubjectivè in ipſo agente; ſed hoc eſt abs vero: ergo actio tranſiens eſt ſubjectivè in paſſo. Maj. eſt evidens. Min. probo. Actio tranſiens exit extra ipſum agens; ergo non manet in ipſo agente. Probo ant. Niſi actio tranſiens egrederetur extra ipſum agens, ſequeretur, quòd actio cauſæ principalis non egrederetur extra cauſam principalem; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Maj. videtur nota. Min. prob. Inſtrumentum agit per actionem cauſæ principalis: ergo actio cauſæ principalis tranſadigit ad agens inſtrumentale. Ant. quod mihi quondam negabatur à Lectore quodam tyrone, innoteſcit ex dictis lib. 2. q. 2. art. 2. ubi vidimus, inſtrumentum ex propriis non habere, niſi actionem propriam præviam, & videndum eſt ibi §. 1. & ſequentibus; imò in ſententia probabili Thomiſtarum poteſt, iſtam non habere, ſaltem ſupernaturaliter: ergo tunc vel operaretur per nullam operationem (quod implicat) vel deberet operari per actionem cauſæ principalis; ergo inſtrumentum agit per actionem cauſæ principalis.

Quo ex ratiocinio infero, de ratione actionis tranſeuntis eſſe, quod ſubjectetur in paſſo; quia actio non minùs perficit, & denominat agens principale, quàm inſtrumentale: ergo ſi non manet intrinſecè in agente principali, neque in inſtrumentali manebit; adeoque ſubjectatur in ſolo paſſo.

Confirmo. Si actio tranſiens ſubjectaretur in agente, ſequeretur, idem numero accidens ſubjectari in duplici ſubjecto; ſed hoc ſaltem naturaliter apud omnes, imò etiam ſupernaturaliter apud Thomiſtas, eſt impoſſibile: ergo actio tranſiens non ſubjectatur in agente. Prob. maj. Agens principale, & agens inſtrumentale (loquendo de inſtrumento propriè dicto) ſunt ſubjecta realiter diſtincta; ſed (ut nuper vidimus) actio principalis agentis eſt etiam in inſtrumentali agente; ergo ſi &c.

6. Prob deinde communi ratiocinio. Actio tranſiens eſt in eodem ſubjecto, in quo eſt motus; ſed motus eſt inhæſivè in ipſo mobili, cujus eſt actus: ergo actio tranſiens eſt inhæſivè in paſſo. Prob. maj. Actio tranſiens eſt inſeparabilis à motu; ergo &c. Prob. ant. Tum quia motus, non entitativè, ſed duntaxat modaliter diſtinguitur ab actione, cùm motus ſit modus. Tum quia motus eſt via, & tendentia ad terminum, ut dictum eſt ſupra explicando definitionem motus; ſed actio tranſiens importat inſeparabiliter viam, & tendentiam, ſecùs tranſiens non eſſet: ergo &c.

Reſpondent Adverſarii, negando, quòd actio tranſiens ſit à moto inſeparabilis. Dicunt enim, actionem eſſe priorem, & antecedentem ad motum, loquendo de actione agente. Sed

Contra. Siquidem jam id probatum eſt, nec noſtras ſolvunt illius maj. probationes.

Ulteriùs inſtò ſic. Aliquid plùs debet habere actio tranſiens, quàm actio immanens; ſed actiones immanentes ſunt inſeparabiles à motu inſtantaneo intentionali: ergo multò minùs actio tranſiens erit ſeparabilis à motu phyſico.

Nec obeſt, quòd actio Dei non ſit ubi eſt motus, quando effectus ad extra producit. Non, inquam, obeſt; quia actio Dei eſt formaliter immanens, & duntaxat virtualiter tranſiens.

§. III.

Solvantur Adverſantium argumenta.

7. ARg. 1. Agens actuatur intrinſecè per actionem tranſeuntem: ergo actio tranſiens eſt ſubjectivè in Agente. Prob. ant. Per actionem tranſeuntem agens reducitur de potentia ad actum: ergo &c. Ant. prob. Agens eſt in potentia ad operandum, & fit in actu ſecundo operans per actionem, quæ eſt ejus cauſalitas: ergo &c.

Conſ. Potentia operativa operatur ut intrinſecè potentialis: ergo ut intrinſecè perfectibilis, & actuabilis per actionem; adeoque per eam intrinſecè actuatur agens.

Reſp. cum communi nego ant. Ad prob. diſtinguo ant. reducitur de potentia activa ad actum, concedo, de potentia paſſiva, nego ant. & conſequentiam. Tunc actus debet eſſe potentiæ intrinſecus, quando potentia eſt paſſiva, & receptiva. Sic forma eſt intrinſeca materiæ, exiſtentia eſſentiæ, ſubſiſtentia ſubſtantiæ &c. quia materia eſt potentia formæ, eſſentia exiſtentiæ, ſubſtantia ſubſiſtentiæ receptiva. Agens autem eſt in potentia duntaxat activa; idcircò dum de potentia ad actum reducitur, non cogitur, in ſe intrinſecè recipere actionem.

Ad Conſ. eodem modo diſt. ant. ut intrinſecè potentialis potentialitate activa, concedo, potentialitate paſſiva, nego ant. & conſequentiam. Reſponſum ex dictis eniteſcit.

Contra. Actus intrinſecè actuat ſubjectum, quod denominat; ſed dum actio reducit agens de potentia ad actum, denominat ipſum agens; ergo ſive ſit potentia activa, ſive paſſiva, intrinſecè actuatur per actionem.

Reſp. diſt. maj. quod denominat intrinſecè, concedo, quod denominat extrinſecè, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Actio ſiquidem, non intrinſecè, ſed duntaxat extrinſecè denominat agens, à quo dimanat. Hæc namque eſt differentia inter actionem immanentem, & tranſeuntem, quòd iſta perficit intrinſecè, & denominat ſubjectum à quo elicitur; illa verò extrinſecè tantummodo perficit, ac denominat.

Contra. Agens per actionem eſt intrinſecè, & non modò extrinſecè in actu ſecundo agens: ergo actuatur, & denominatur intrinſecè, & non ſolùm extrinſecè ab actione, cùm non ſit alius actus intrinſecus excogitabilis. Ant. eſt liquidum. Tum quia agens dum actu operatur non eſt intrinſecè in potentia; Tum quia eſt intrinſecè, & non tantùm extrinſecè agens.

Reſp. diſt. ant. eſt intrinſecè in actu operativo, concedo, informativo, nego ant. & conſequentiam. Sicut namque potentia agentis eſt duntaxat in potentia activa, non verò paſſiva: ita illius actus ſecundus eſt actus illius, non informativus, ſed operativus. Ob idque non eſt neceſsè, quòd intrinſecè actuet, ſed duntaxat, quòd ab intrinſecis dimanet. Et hac ratione agens dicitur intrinſecè operans, non quia actio ſit illi intrinſecè inhæſivè, & ſubjectivè; ſed quia eſt intrinſeca dimanativè, nimirum dimanat ab intrinſecis illius.

Contra ex Clariſſimo illo ex noſtris in m. ſ. Actio, quæ eſt in paſſo eſt complementum, & perfectio duntaxat extrinſeca agentis; ergo dabitur etiam complementum, & perfectio intrinſeca, nimirum actio agens, intrinſecè illud perficiens.

Reſp. nego conſequentiam. Hoc namque, nimirum eſſe perfectionem, & complementum intrinſecum ſui principii activi, eſt duntaxat de ratione actionis immanentis. Imò ex eo, quod objiciens admittit in paſſo actionem actam ut perfectionem extrinſecam principii activi, ſequitur, non eſſe admittendam aliam actionem, quæ ſit perfectio intrinſeca, ſecùs eſſet ſuperfluum illud complementum extrinſecum; quia, quod habet intrinſecè ſuum complementum, non indiget complemento extrinſeco.

Dices. Forma denominans aliquid extrinſecè, debet aliud denominare intrinſecè, V. G. viſio denominans extrinſecè parietem viſum, denominat intrinſecè potentiam: ergo ſi actio denominaret duntaxat extrinſecè ipſum agens, deberet denominare intrinſecè aliquid aliud; at hoc nequit eſſe ipſum paſſum, quia non eſt aſſignabilis denominatio, quam ipſi tribueret: ergo non purè extrinſecè denominat principium activum.

Reſp. quòd actio illa intrinſecè denominat paſſum. Denominatio verò, quam ipſi tribuit, non eſt denominatio agentis, quæ paſſo repugnat; nec denominatio paſſi; quia hanc habet per paſſionem; ſed eſt denominatio ſuſtentantis actionem; quia actio non eſt in illo, niſi ut accidens, & ſecundùm eſſe *in*.

Qua ex re apparet diverſus modus, quo actio eſt actus agentis, ac paſſi. Agentis enim eſt actus *à quo*, patientis verò eſt actus ut *in quo*.

Si autem petas, in quo ſubjectetur actio ſecundùm eſſe *ab*; dico, ſecundùm hanc rationem nullum habere inhæſionis ſubjectum: hæc enim habet duntaxat ſecundùm eſſe *in* ſecundùm autem eſſe *ab* importat tantùm principium dimanationis.

Nec ſcrupulum aliquod inde ſuboriatur, quòd nos ſupra lib. 2 q. 3. art. 2. §. 3 tum ad inſtantiam primi argumenti, tum ſub finem articuli dixerimus, cauſalitatem debere eſſe intrinſecam cauſæ.

Non, inquam, quia ad hoc ſufficit, quòd ſaltem uni cauſæ, nimirum finali cauſalitas ſit intrinſeca. Quandoquidem id dicebamus, ut ſalvaremus, cauſalitatem Cauſæ efficientis non eſſe cauſalitatem cauſæ finalis. Quod optimè ſalvatur tametſi cauſalitas efficientis ſit illi extrinſeca, dummodo ſaltem cauſalitas Finis, videlicet ipſum amari, & appeti, ſit intrinſeca ipſi Fini. Adde, quòd actio eſt intrinſeca agenti, ſaltem dimanativè. Si autem cauſalitas cauſæ efficientis eſſet cauſalitas Cauſæ finalis, jam cauſalitas nullo modo eſſet intrinſeca Fini.

8. Arg. 2. Agens dicit intrinſecam relationem prædicamentalem agentis ad paſſum: ergo aliqua actio debet eſſe intrinſeca agenti. Conſequentia eſt exacta, quia fundamentum talis relationis eſt actio; ſed fundamentum debet eſſe intrinſecum ſubjecto, in quo eſt intrinſecè relatio: ergo ſi &c.

Conſ. ex prælaudato in m. ſ. Relativa mutua habent mutuam inter ſe dependentiam intrinſecam; ſed non eſt aſſignabile aliud, per quod agens intrinſecè dependeat à paſſo, niſi actio intrinſeca: ergo actio eſt intrinſeca agenti.

Reſp. ad arg. dato ant. nego conſequentiam, vel diſt. conſequens debet eſſe intrinſeca ſubjectivè inhæſivè, nego, dimanativè, concedo conſequentiam.

Inſt. Relatio eſt agenti intrinſeca inhæſivè: ergo etiam illius fundamentum debet eſſe intrinſecum inhæſivè; ſed actio eſt fundamentum relationis agentis ad paſſum: ergo eſt intrinſeca agenti, non tantùm dimanativè, verùm etiam inhæſivè.

Reſp. concedo ant. & nego conſequentiam, ac nego min. ſubſumptam. Dico namque, quòd fundamentum talis relationis non eſt actio, ſed eſt quidam modus, ſive modificatio quædam, relicta in ipſo agente, quæ eſt illi intrinſeca inhæſivè; & ob hoc præciſè relinquitur, ut nimirum ſit relationis fundamentum. Qui modus dici poteſt actio concomitanter, quia eſt per actionem relictus.

Quare autem fundamentum relationis paſſi ad agens ſit ipſa paſſio, non verò aliquis modus; hoc ideo eſt, quia paſſio manet in ipſo paſſo abſque ulla repugnantia; imò ex neceſſitate, quia non eſt tranſiens.

Dices. Reſpectu iſtius modi agens ſe habent paſſivè, nimirum receptivè: ergo eſſet agens ſimul, & patiens.

Reſp. diſt. conſequens reſpectu ejuſdem, nego, reſpectu diverſorum, concedo conſequentiam. Eſt itaque agens, & patiens reſpectu diverſorum, nimirum eſt agens reſpectu actionis, & patiens reſpectu illius modi. Quod nullum eſt incommodum.

Ad Conſ. nego min. ſubſumptam. Siquidem agens eſt intrinſecè dependens à paſſo in eſſe relati per relationem, quam dicit ad illud, vel ratione illius modi relicti.

Cætera argumenta, quæ habent Jo: à S. Th. ejuſque aſſe-

clæ

clæ, ad probandum, dari actionem actam, tendunt ad hoc, ut probent, extare aliquam in paſſo actionem. Id autem nos non negamus, ſed negamus eſſe actionem aliquam actam.

9 Arg. 3. Actio tranſiens ſufficienter diſtinguitur ab immanenti, tametſi maneat in agente: ergo non eſt de ratione actionis tranſeuntis, ut ab immanente diſtinctæ ſubjectari in paſſo. Prob. ant. tripliciter. Primò. Potentia tranſeunter operans ſufficienter diſtinguitur à potentia immanenter operante, tametſi maneat in agente: ergo pariter &c. Secundò. Non minùs relatio ordinatur ad extrinſecum, quàm ordinetur actio tranſiens ad extrinſecum; ſed relatio manet in eo, à quo dimanat: ergo pariter &c. Tertiò demum. Etiam actio Divina tendit ad extrinſecum, operando ad extra; & tamen eſt intrinſeca ipſi Deo: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas autem ex terminis argumenti eniteſcit. Potentia ſiquidem licèt ſit tranſeunter operans, non tamen eſt in ſe tranſiens, ſed eſt permanens; idcircò ut diſtinguatur à potentia immanenter operante, ſufficit, quòd mittat ſuam operationem, non verò requiritur, quòd ipſa tranſeat ad extra. Cæterùm actio eſt non ſolùm tranſeunter operans, verùm etiam formaliter tranſiens, cùm nos de actione tranſeunte loquamur.

Idem dico ad 2. nimirum, quia relatio non eſt tranſiens. Imò retorqueo argumentum. Quandoquidem ſicut relatio dicit eſſe ad aliud, ita actio ab alio; ſed relatio eſt ſubjectivè in eo, quod eſt ad aliud: ergo actio eſt ſubjectivè in eo, quod eſt ab alio; ſed paſſum, non verò agens eſt id, quod eſt ab alio: ergo actio eſt ſubjectivè in paſſo.

Ad 3. patet ex dictis §. præcedenti, quia nimirum actio Dei eſt, non formaliter, ſed duntaxat virtualiter tranſiens.

Nec contra hoc urget levis quædam inſtantia ejuſdem objicientis, quam proinde ceu parvi momenti omitto.

10. Arg. 4. ex D. Th. qui 2. contra Gentes cap. 35. & in 2. ſcent. diſt. 4. quæſt. 1. art. 4. ad 1. ait, actionem, & paſſionem non poſſe eſſe idem numero accidens; quia actio eſt in agente, & paſſio in patiente: ergo de mente S. Thomæ actio ſubjectatur in agente.

Reſp. in his, & aliis locis S. Th. loqui de actione immanente. Et præſertim in adductis locis loquitur de actione morali crucifigentium Chriſtum. Id ex eo patet, quòd intendebat ſalvare, actionem crucifigentium Chriſtum eſſe malam, & paſſionem Chriſti bonam. Undè loquebatur de actione morali.

Nec obſtat, quòd ibi loqueretur de actione inferente paſſionem. Non, inquam, quia loquitur de actione inferente paſſionem, non formaliter, ſed imperativè; nimirum de actu voluntatis imperantis, & volentis talem actum inferentem paſſionem. Quandoquidem in unoquoque noſtrum voluntas eſt illa, quæ etiam in nobis imperat actus exteriores.

11. Colligitur ex dictis pro ſolutione alterius levis objectionis, fundatæ in mutatione agentis, quòd Agens, licèt per actionem mutetur, tranſeundo de potentia ad actum; non tamen per hoc debet eſſe ſubjectum actionis. Non, inquam, quia, ut diximus, mutatur duntaxat activè, non paſſivè, tranſeundo de potentia, non paſſiva, ſed activa, ad actum, non informativum, ſed operativum.

QUÆSTIO TERTIA.

De Infinito.

INfinitum ſumi tripliciter poteſt. Primò negativè, & per defectum, ſicut punctum dicitur infinitum negativè, eo quod habens eſſe minimum haud capax eſt, ut terminetur. Hoc etiam modo materia prima, juxta dicta lib. 2. quæſt. 2. art. 2. & 2. dicitur infinitè ſimplex negativè per defectum, quatenus ita eſt potentialis, ut illi repugnet conſtare ex aliquo actu. Secundò privativè, pro eo, quod non eſt terminatum; non tamen illi repugnat terminari: Sicut eſt linea concepta pró priori ad eſſe terminatam per puncta. Tertiò poſitivè. Et hoc modo dupliciter. Primò pro eo, quod eſt infinitum ſecundùm eſſentiam in omni genere, & eſt actus undique purus, ut eſt Deus. Secundò pro, eo quod eſt infinitum in generè determinato, puta ſecundùm quantitatem, aut ſecundùm qualitatem &c.

Infinitum univerſaliter ſumptum definitur in concreto, eſſe *illud, quod terminis caret*, ſicque infinitudo in abſtracto ſolet explicari per hoc, quòd ſit carentia termini. Specialis tamen definitio traditur etiam de infinito ſecundùm quantitatem ab Ariſt. cap. 3. quæ talis eſt: *Infinitum eſt illud, cujus ſecundùm quantitatem accipientibus ſemper aliquid accipere eſt extra.* Et ſit ſenſus, quòd data qualibet parte, ſemper eſt dabilis alia, & alia, nunquam ad ultimam deveniendo. De hoc itaque infinito ſecundùm quantitatem, ſicut etiam de infinito ſecundùm qualitatem præſens procedit quæſtio. Et quia duplex eſt quantitas, continua nimirum, & diſcreta; idcircò duplex in hac quæſtione inſtituetur articulus. Primus de poſſibilitate, vel impoſſibilitate infiniti ſecundùm extenſionem, ſive magnitudinem, & ſecundùm intenſionem. Secundus de eodem ſecundùm multitudinem.

ARTICULUS PRIMUS.

Num ſit poſſibile Infinitum ſecundùm magnitudinem, vel ſecundùm intenſionem.

§. I.

1. PRæconſiderandum, quòd Infinitum ſecundùm quantitatem, vel qualitatem dupliciter ſumi poteſt. Primò ſyncategorematicè. Secundò categorematicè. Infinitum ſyncategorematicè eſt infinitum in potentia. Infinitum categorematicè eſt infinitum in actu. Sicuti namque in Summulis dictum eſt, quod terminus categorematicus eſt, qui ſe ſolo ſignificat; ſyncategorematicus verò, qui non ſignificat, niſi in conſortio alterius: Ita infinitum categorematicum eſt, quod ex eo, quod ex ſe habet in actu eſt infinitum; ſyncategorematicum verò eſt, quod non eſt, ſed eſſet infinitum, ſi eſſent ſimul in actu omnia, quæ ſunt ſucceſſivè poſſibilia intra ſuam ſpeciem, & lineam. Exploratum apud omnes eſt, extare infinitum ſyncategorematicum, ideſt in potentia. Ea propter difficultas emergit de categorematico, hoc eſt in actu.

Advertendum eſt autem, quòd ly *infinitum in potentia* duplicem dare poteſt ſenſum. Unum ita, quòd infinitum in potentia idem ſit, ac infinitum poſſibile eſſe aliquando in actu. Et hoc modo non ſumitur ly *in potentia*, ſive ſyncategorematicè. Alium, ita quòd aliquid ita ſucceſſivè poſſit fieri majus, ut ſemper ſit poſſibile eſſe majus, abſque eò, quòd unquam deveniatur ad maximum, ultra quod non ſit poſſibile majus, V. G. producta quacunque creatura perfecta, & magna, ſemper eſt poſſibilis alia perfectior, & major uſque in infinitum, id eſt nunquam deveniendo ad aliquam ita excellentem, ut excellentior poſſibilis non ſit. Similiter in quantitate diſcreta, dato quocunque numero, ſive quacunque multitudine, ſemper eſt poſſibilis major; nunquam tamen ponendo ſimul in actu totum illud, quod eſt poſſibile. Et in hoc ſenſu admittimus à parte rei infinitum in potentia, ſive ſyncategorematicè.

2. Quo ad infiniti categorematici poſſibilitatem partem affirmativam tenent Vaſquez, Hurtado, Arriaga, Pereira & alii, loquendo in ordine ad potentiam Dei abſolutam. Imò Carteſius admittit infinitum reapſe, cùm teneat, mundum eſſe actu infinitum cum Epicuro. De quo §. 3. num. 9. dicetur. Negativam autem tuentur omnes Thomiſtæ, & Scotiſtæ, ac nonnulli ex Societate, ut Toletus, Ruvius, Conimbricenſes, & noviſſimè P. Semery.

§. II.

CONCLUSIO.

Contradictione laborat Infinitum in actu ſecundùm magnitudinem, vel intenſionem.

3. UNum ex ratiocinis D. Thomæ p. p. q. 7. art. 3. talis eſt. Si extaret corpus aliquod infinitæ magnitudinis eſſet, & non eſſet mobile; ſed hoc implicat contradictionem: ergo implicat contradictionem, extare corpus infinitum ſecundùm magnitudinem. Prob Maj. Eſſet mobile, quoniam eſſet corpus naturale phyſicum ſenſibile; idcircò quemadmodum ſpiritualia, nimirum Angeli ſunt eſſentialiter immobilia motu phyſico; ita omne corpus ſen-

ſibile

ſibile debet eſſe mobile eſſentialiter motu phyſico. Non eſſet autem mobile, ut probatur. Quandoquidem ſi foret mobile, maximè vel motu recto, vel motu circulari; ſed propugnari neutrum poteſt; ergo non eſſet mobile. Min. prob. 1. quò ad p. p. Tunc aliquid movetur motu recto, quando eſt extra ſuum locum; ſed ſi extaret corpus infinitæ magnitudinis, nequiret eſſe extra ſuum locum, quia ceu infinitum, occuparet omnem locum: ergo non eſſet mobile motu recto. Quò ad a. etiam p. prob. Motus circularis fit per hoc, quod una pars corporis translocetur ad locum, in quo fuit alia pars; ſed una pars corporis infinitæ magnitudinis nequit transferri ad locum, in quo fuit alia pars: ergo non eſſet mobile motu circulari. Maj. eſt nota. Min. verò fit nota. Siquidem duæ lineæ protractæ à centro, quantò longiùs protrahuntur à centro, tantò longiùs diſtant ab invicem; ergo ſi corpus foret infinitum, lineæ dilatent ad invicem in infinitum; ergo nunquam una pars poſſet pervenire ad locum, in quo fuit pars alia; quia infinitum eſt impertranſibile.

Quæ tamen ratiocinatio duntaxat intendit probare impoſſibilitatem corporis infiniti ſecundùm triplicem dimenſionem, nimirum ſecundùm longitudinem, latitudinem, ſimul & profunditatem. Si enim eſſet infinitum ſolùm ſecundùm longitudinem, poſſet moveri ſecundùm latitudinem; vel ſi eſſet infinitum tantùm ſecundùm latitudinem, poſſet moveri ſecundùm longitudinem.

Nec dicere valet, quòd corpus illud eſſet mobile motu ſaltem alterationis, licèt non motu locali; vel quòd ab intrinſeco, & radicaliter eſſet mobile motu etiam locali, & non niſi ab extrinſeco impediretur; ut palam eſt de terra, & de Empyreo, quæ ſunt immobilia corpora.

Non, inquam, valet. Siquidem corpus illud, ceu infinitum, eſſet perfectiſſimum: ergo ſi foret mobile aliquo motu, deberet eſſe mobile motu locali, qui cæteris motibus eſt perfectior. Item impediretur, non tantùm ab extrinſeco, verùm etiam ab intrinſeco; quia de ratione intrinſeca quantitatis infinitæ, ut infinitæ eſt replere omnem locum: ergo ab intrinſecis quantitatis infinitæ proveniret impedimentum mobilitatis de uno loco ad alium.

Qua ex re conſtat, ratiocinium S. Thomæ convincere impoſſibilitatem non ſolùm naturalem, verùm etiam ſupernaturalem. Corporis infinitè extenſi. Quod enim contradictionem involvit, nec ſupernaturaliter eſt poſſibile.

Nec eſt verum, quod dicitur de Empyreo, & terra, nimirum eſſe immobilia. Vidimus namque lib. a. quæſtiuncula prima § 4. in num. 14 quomodo Empyreum, ſicut & terra ſint mobilia. Undè nulla eſt neceſſitas dicendi cum Jo: à S. Thom ratiocinationem S. Thomæ probare duntaxat de impoſſibilitate naturali, & de corporibus, quæ à nobis videntur. Imò ſi quæ objiciuntur eſſent vera, jam D. Thomæ ratio nihil probaret etiam quantùm ad naturaliter, & reapſe, cùm reapſe aſſignarentur hujuſmodi corpora immobilia.

Ad aliam, & quidem luculentam formam Patres Complutenſ. reducunt præfatam S. Thomæ ratiocinationem. Videantur ipſi.

4. Prob. a. alia ratiocinatione D. Thomę, convincente inter Peripateticos de quacunque extenſione. Si extaret quantitas infinita, eſſet, & non eſſet accidens; ſed hoc contradictionem ſonat: ergo nec per abſolutam Dei potentiam extare poteſt quantitas infinita. Maj. quò ad p. p. ſi nolit eam ſupponere Adverſarius, uti ſupponenda foret, cùm quantitas ſit unum ex novem generibus accidentium, tunc eò efficacior erit noſtra ratio; quia tunc ſi ſubſtantia, ſive corpus eſt finitum, finita quoque ſunt ea, quæ cum illo identificantur. Quò ad 2. verò prob. Omne accidens eſt eſſentialiter receptibile in aliquo ſubjecto, & ab illo dimanans per modum proprietatis; ſed illa quantitas infinita in nullo ſubjecto eſſet receptibilis, nec ullius corporis eſſet proprietas; ergo non eſſet accidens. Maj. innoteſcit. Min. prob. Quantitas infinita nequit recipi in aliquo ſubjecto, & corpore finito, aut eſſe iſtius proprietas, aut cum illo identificari; ſed omne corpus eſt eſſentialiter finitum: ergo illa quantitas infinita in nullo ſubjecto eſſet receptibilis, nec ullius corporis poſſet eſſe proprietas, aut cum eo identificari. Min. eſt certa; quoniam omne corpus conſtat ex determinata forma ſubſtantiali per quam conſtituitur in ſpecie, ſecùs eſſet in determinato genere, & non in determinata ſpecie, nimirum eſſet in genere determinato corporis, & non eſſet in ſpecie determinata; quia careret determinata forma, per quam in ſpecie determinata conſtitueretur. Maj. prob. Tum quia omne accidens habet radicem in ſubjecto, & ab ipſo dimanat, & cauſatur; ſed nullum infinitum poteſt radicari, & cauſari ab aliquo finito, quia nullus effectus poteſt eſſe excellentior ſua cauſa: ergo &c. Tum quia proprietas debet cum ſubjecto proportionari: ergo nequit quantitas infinita eſſe proprietas ſubjecti finiti.

5. Quo epicheremate etiam oſtenditur impoſſibilitas alicujus infiniti ſecundùm intenſionem. Quandoquidem qualitas eſt accidens, & alicujus corporis proprietas. Undè cùm (ut probatum eſt) non ſit poſſibile ſubjectum, vel corpus infinitum, nec eſt poſſibilis qualitas infinita, hoc eſt infinitè intenſa.

Ad hanc ratiocinationem variè reſpondent Adverſarii, quorum ſolutiones refutatæ manebunt §. ſequenti num. 9. ſolvendo primum argumentum.

6. Tertium ratiocinium, quod inſinuat S. Th. loco ſupra citato ex p. p. ad a. talis eſt. Implicatorium eſt, aliquod ſingulare eſſe in genere determinato, & non eſſe in ſpecie determinata; ſed ſi extaret magnitudo infinita eſſet in genere determinato, & non in ſpecie determinata: ergo implicatoria eſt quantitas infinitè extenſa, ſive magnitudo infinita. Maj. conſtans eſt. Siquidem ſecùs eſſet, & non eſſet in genere determinato. Eſſet, ut ſupponitur; & non eſſet, quia inter gradum genericum, & individualem mediat eſſentialiter differentia ſpecifica. Sicut enim abſolutè loquendo intermedia prædicata mediant inter ſuperius, & inferius ita prædicata eſſentialia (de quorum ſanè numero eſt differentia ſpecifica eſſentialis, & non accidentalis) ſi mediant, jam eſſentialiter mediant inter prædicata ſuperiora, & inferiora.

Quòd ſi nonnulli etiam ex Thomiſtis admittunt individua generica immediatè contrahere genus, loquuntur duntaxat Logicè, non verò realiter, ut videre eſt, quod diximus in Logica Syntag. 3. in appendice poſita in fine quæſtionis ſecundæ, quæ fuit de genere.

Min. quò ad p. p eſt nota. Siquidem eſſet in genere quantitatis. Quò ad a. prob. Quandoquidem ſpecies quantitatis continuæ habetur ex diverſa terminatione quantitatis, ex qua diverſa reſultat figura; ſed quantitas infinita foret interminabilis, adeoque infigurabilis: ergo non eſſet in ſpecie determinata. Min. eſt clara. Maj. eſt clarior. Differentiæ ſiquidem quantitatis ſaltem in ratione menſuræ ſunt bicubitum, tricubitum, & ſimilia.

Conſ. Adverſarii arguunt, omnem quantitatem debere eſſe ſaltem radicaliter figuratam; eò quòd figura eſt proprietas quantitatis, nec poteſt ſtare etiam ſupernaturaliter eſſentia ſine ſua proprietate ſaltem radicaliter, quia radix proprietatum eſt eſſentia; ſed quantitas infinita, ſi extaret, nec radicaliter eſſet figurata: ergo cùm quantitas illa, eſtò infinita, ſupponatur habitura eſſentiam quantitatis, jam repugnabit quantitas infinita. Prob. min. Figura reſultat ex terminatione quantitatis; ſed quantitas illa, ceu infinita, eſſet interminabilis: ergo &c.

Addo, quòd omnis quantitas debet eſſe formata, & figurata formaliter; quia (ut inquit S. Th. quodl. 9. & 1 a.) Deus agit per intellectum, & Verbum, quod eſt formativum omnium: Undè oportet, quod omnia, quæ agit ſint formata. Ex quo S. D. probat, infinitum repugnare ex modo, quo Deus agit.

7. Ratiocinatur alia pro noſtro placito producitur à noſtro Martinez in hanc formam. Si extaret corpus infinitæ magnitudinis ſequeretur, quòd aliquid eſſet, & non eſſet infinitum; ſed hoc aperta contradictione ut impoſſibile damnatur: ergo impoſſibile eſt, aliquid extare infinitum actu ſecundùm magnitudinem. Sequela maj. prob. Principium infallibile Geometriæ eſt, quòd duæ lineæ rectæ ductæ ab eodem puncto, quò plus ab eo protrahuntur, eò plus diſtant inter ſe: ergo ſi in corpore infinito protraherentur in infinitum duæ lineæ infinitæ, iſtæ infinitè diſtarent inter ſe; ſed hujuſmodi diſtantia, quæ eſſet inter illas duas lineas eſſet, & non eſſet infinita: ergo &c. Min. ſubſumpta prob. Illa diſtantia eſſet infinita, ut ſupponitur, cùm lineæ in infinitum protractæ diſtarent in infinitum inter ſe. Quod verò non eſſet infinita probatur. Repugnat infinitum claudi terminis; ſed diſtantia illa clauderetur inter illos duos terminos, nimirum inter duas lineas: ergo non eſſet infinita.

Dices cum Arriaga, quòd eſtò repugnet, infinitum claudi ter-

Digitized by Google

di terminis finitè diſtantibus; non tamen repugnat claudi terminis infinitè diſtantibus. Sed

Contra inſto. Solutio hæc, cùm (ut ipſe fatetur) ſit contra ſenſum Philoſophorum omnium, eſt quoque contra veritatem. Deinde reſponſum hoc eſt petitio principii: ergo inſufficiens. Prob. ant. Arriaga dicit, quòd termini illi forent infinitè diſtantes; ſed hoc eſt petere principium: ergo &c. Prob. Min. Ideo namque termini illi, ſive illæ lineæ forent infinitè diſtantes, quia illa diſtantia foret infinita; ſed hoc eſt, quod nos probamus, nimirum illam diſtantiam fore infinitam, ut ſupponitur, & non fore infinitam, quia terminis clauderetur, finiretur ibi ubi clauderetur: ergo &c.

P. Jo: Saguens, ut ab hoc argumento ſe expediret, ſi poſſet, inſtituit articulum, in quo ex profeſſo quærit *nam infinitum poſſit claudi terminis*. Et affirmativè reſolvit, ac probat; quia ſi daretur infinitum ſecundùm multitudinem, unum eſſet majus alio, V. G. ſi darentur infiniti Homines, plures eſſent capilli, quàm oculi, plures oculi, quàm capita &c.

Verùm hoc non eſt ad rem. Siquidem tunc non eſſet claudi terminis, ſed eſſet unum excedi ab alio exceſſu indeterminato, ut etiam nos dicemus in fine hujus quæſtionis. At ſi infinita illa diſtantia clauderetur terminis determinatis, nimirum illis duabus lineis, quæ utpote duntaxat duæ eſſent determinatæ. Eò vel maximè, quòd eſſet dependens à loco, modo, quo dicemus in Appendice poſt art. ſequentem ad objectionem num. 2.

Addè, quòd nonnulli id negant, dicentes, unam hanc ex rationibus eſſe, quibus impoſſibile eſt infinitum in actu. Undè ad exempla adducta dicunt, quòd eſſet unum majus alio repugnanter, id eſt, eſſet, & non eſſet; quia, ut dictum eſt, eſſent plures capilli, quàm oculi, & plures oculi quàm capita; & non eſſet, quia ubi ab alio excederetur, ibi finiretur, adeoque non ampliùs eſſet infinitum; ſicque eſſet, & non eſſet infinitum in actu, quòd eſt implicatorium: ideircò, & implicatorium eſt infinitum in actu.

Primæ duæ ratiocinationes probant de quantitate, ut in ſubjecto; duæ verò ultimæ probant de ipſa quantitate ſecundùm ſe ſive mathematicè inſpecta.

8. Tandem ſic probo. Repugnat aliquid, quod non ſit Deus, eſſe infinitum in cauſando, id eſt repugnat cauſa creata infinitæ virtutis, aliter poſſet, quantùm eſt de ſe omnia poſſibilia producere in actu; ſicque eſſet omnipotens, atque adeo eſſet Deus; ergo pariter idem eſt dicendum de infinito in alia quacunque linea, cùm de ſe creatura non minùs in una, quàm in alia linea ſit creatura.

§. III.

Argumenta Adverſariorum, & ſolutiones.

9. QUamquam Sapientiæ ra. Omnia in pondere, & menſura facta eſſe dicantur; Carteſius Epicuro potiùs, quam ſacris oraculis adhærere voluit, dicens, Mundum eſſe infinitum; quia ſpatia imaginaria ſunt actu infinita, cùm ex his quolibet repleto, poſſit aliud & aliud in infinitum uſque repleri, aliter quibuſdam creatis ad quædam replenda, non poſſent alia à Deo creari; & ſunt aliàs omnia illa ſpatia imaginaria quæ extra mundum imaginamur, quia non alia ſpatia imaginaria ſunt poſſibilia, niſi quæ ſunt de ſe imaginabilia. Quòd verò ſint realia prob. Tum quia nos realiter ea imaginamur; Tum quia ſunt replebilia realiter.

Reſp. dato, & non conceſſo, quòd ſpatia illa imaginaria ſint infinita in actu, negando, quòd ſint realia. Ad prob. dico, ex eo, quòd nos ea realiter imaginamur, ſolum ſequi, quòd ſint realia extrinſecè terminativè, non verò intrinſecè ſubjectivè: ſicut in Logica diximus de ente rationis, quod proinde poteſt per realem cognitionem cognoſci.

Ad 2. Prob. quam ipſe formavi, dico, falſum eſſe, quòd poſſint realiter repleri, cùm non ſint loca aliqua vacua ut falsò imaginatur Carteſius. Dicuntur autem ad modum quendam imaginandi poſſe à Deo repleri, quatenus extra hunc mundum (ubi nos imaginamur ſpatia imaginaria) creare poteſt Deus ſpatia realia ſive corpora aliqua ambientia, non quidem omnia ſimul poſſibilia creando, ſed ſucceſſivè, eaque poſtea replere.

Sanè antequam Deus crearet hunc mundum, tunc ubi eſt mundus, non erant, niſi ſpatia imaginaria, & quidem hoc modo replebilia; & tamen tunc non aderant ſpatia poſitiva realia, alioquin fuiſſent aliqua ſpatia realia poſitiva antequam Deus ſpatia ulla realia creaſſet.

Quod ſi adverſarii velint, eſſe duntaxat, quid reale negativum, ſive realem negationem, ut ſe declarat Saguens infra agendo de loco, vel quid privativum. Tunc id non inficiamur, ut videbimus infra lib. ſequenti 4. q. 2. in præambulis quæſito 4. His igitur omiſſis

10. Arg. 1. pro poſſibilitate infiniti in actu ſecundùm magnitudinem, oppugnando rationem D. Thomæ ſecundo loco, nimirum num. 4. adductam. Ideo per D. Thomam extare nequit quantitas infinitè extenſa, quia omnis quantitas eſt accidens, & proprietas alicujus ſubjecti, ſive corporis finiti; ſed nulla eſt repugnantia, quòd quantitas ſit infinita, & corpus, ſive ſubjectum ſit finitum: ergo corruit D. Thomæ ratio, adeoque &c. Prob. min. Nam ex eo, quod ſubjectum ſit finitum, duntaxat ſequitur, quòd quantitas nequeat eſſe infinita ſecundùm eſſe ſpecificum; non verò impeditur eſſe infinita ſecundùm extenſionem: ergo tametſi ſubjectum ſit finitum poterit quantitas eſſe infinitè extenſa. Prob. ant. Quantitas ſequitur ad ſubjectum ſecundùm eſſe ſpecificum: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego ant. quò ad 2. p. ad cujus prob. diſt. ant. ſequitur ad ſubjectum ſecundùm eſſe ſpecificum adæquatè quo ad ea etiam, quæ ad eſſe ſpecificum conſequuntur, concedo, præcisè ſecundùm eſſe ſpecificum, nego ant. & conſequentiam. Quantitas itaque conſequitur ad ſubjectum, non ſolùm ſecundùm eſſe ſpecificum, verùm etiam ſecundùm extenſionem; quia conſequitur ad ſubjectum, ut eſt illius perfectio, & proprietas; eſt autem proprietas, & perfectio ſubjecti, non tantùm ſecundùm eſſe ſpecificum, verùm etiam ſecundùm extenſionem; quia perficit ſubjectum, illius partes extendendo.

Addo, quòd ſi extaret quantitas infinita, non eſſet finita, nec etiam ſecundùm eſse ſpecificum; quia ut num. 6. probavimus, non eſset in ſpecie determinata.

Contra. Quantitas ſequitur ad ſubjectum ſecundùm ſuum eſse ſpecificum duntaxat, non verò ſecundùm extenſionem: ergo corruit data ſolutio. Prob. ant. Quantitas non commenſuratur cum ſubjecto ſecundùm extenſionem ſuam: ergo ſecundùm iſtam non conſequitur ad ſubjectum. Prob. ant. extat ſubjectum, quod habet eſse etiam ſyncategorematicè finitum; & tamen ejus quantitas eſt ſaltem ſyncategorematicè infinita: ergo &c. Ant. ſit notum in igne, qui habet eſsentiam ſyncategorematicè finitam, cùm eſsentiæ ſint in indiviſibili, ſicut numerus; & tamen ejus quantitas eſt ſyncategorematicè infinita; quia ignis poteſt ſemper magis, ac magis uſque in infinitum augeri: ergo &c.

Conf. Ignis eſt augmentabilis in infinitum: ergo ejus quantitas poteſt eſse infinita.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. diſt. ant. quò ad p. p. datur ſubjectum, quod habet eſſe &c. metaphyſicum ſyncategorematicè finitum, concedo, phyſicum, nego ant. & conſequentiam. Equidem ignis ſecundùm ſui prædicata eſſentialia metaphyſicalia habet eſſe indiviſibile; quia eſſentia indiviſibilis eſt: Tamen ſecundùm eſſe phyſicum non eſt indiviſibile; quia, ad differentiam viventium, cùm augeatur, non per intus ſumptionem, ſed per appoſitionem, & juxtapoſitionem materiæ externæ: idcircò eſt hoc modo infinitum ſyncategorematicè. Undè quantitas ejus eſt illi proportionata, tametſi ſit ſyncategorematicè infinita.

Ad Conf. diſt. ant. ignis eſt augmentabilis in infinitum ſyncategorematicè, concedo, categorematicè, nego ant. & conſequentiam. Ex quo duntaxat ſequitur, quòd ejus quantitas ſit infinita ſyncategorematicè, nequaquam verò categorematicè.

Contra primò. Ideo ſecundùm nos dari nequit corpus aliquod, ſeu ſubjectum quantitatis infinitè magnum, quia habet determinatam formam, per quam conſtituitur in ſpecie, & eſſe determinato; ſed ignis tametſi habeat determinatam formam, adhuc non habet determinatam augmentabilitatem: ergo ſimiliter tametſi habeat determinatam formam, adhuc poterit habere quantitatem non determinatam, adeoque poterit eſſe ſubjectum quantitatis etiam categorematicè infinitæ.

Secundò. A ſubjecto ſyncategorematicè infinito poteſt ſaltem ſupernaturaliter dimanare quantitas infinita categorematicè: ergo quamvis naturaliter nequeat quantitas ignis eſſe categorematicè infinita; benè tamen ſupernaturaliter.

Prob. ant. Non minùs diſtat ſupernaturale à naturali; quàm categorematicè infinitum à ſyncategorematicè tantùm infinito; ſed poteſt principium naturale ſaltem ſupernaturaliter elicere aliquod ſupernaturale, ut palam eſt in Anima, eliciente actus meritorios vitæ æternæ, & in intellectu Beati eliciente actus viſionis ſupernaturalis: ergo pariter à ſubjecto &c.

Reſp. ad 1. diſt. maj. ſumendo ſubjectum in ordine ad quantitatem, quæ provenit ab illius intrinſecis. concedo, reſpectu quantitatis ab extrinſeco advenientis, nego maj. & diſtinguo min. non habet determinatam augmentabilitatem, factam per quantitatem ab intrinſecis provenientem, nego, ab extrinſecis provenientem, concedo min. & nego conſequentiam. Itaque ibi locuti nos ſumus de quantitate per modum proprietatis; adeoque dimanantis à ſubjecto. Ignis autem augetur per quantitatem, non ab intrinſeco ipſius, ſed ab extrinſeco per appoſitionem novæ candefactibilis rei provenientem, ut fuſiùs dicam lib. 2. de Anima q. 5. art. 2. ad ultimam 4. argumenti.

Neque verò poteſt illi opponi quantitas infinita proveniens ab extrinſeco. Non, inquam. Siquidem (ut in Metaphyſica quæſt. 12. dicetur) accidens individuatur à ſubjecto, adeoque neceſſariò petit ſubjectum proprium, à quo individuetur, adeoque à quo dimanet. Ac per conſequens tametſi non dimanaret ab intrinſecis illius, cui extrinſecùs apponeretur; deberet tamen ſemper dimanare ab intrinſecis alteriùs ſubjecti, à quo fuiſſet phyſicè extracta. Quod pariter eſſet eſſentialiter finitum, ceu illud, quod haberet determinatam formam, uti §. præcedenti num. 4. dicebamus.

Reſp. ad 2. nego ant. Ad prob. primiret, nego ly *non minùs* ſi omnimodam paritatem intendat. Diſparitatem autem vidimus ſupra lib. 2. q. 2. art. 1. quia nimirum finitum, & infinitum ſunt diverſi ordinis, & diſtant in infinitum; naturale verò, & ſupernaturale ſunt quidem diverſi generis; tamen ſunt ejuſdem ordinis finiti. Idcircò major eſt improportio inter finitum, & infinitum, quàm inter naturale, & ſupernaturale.

Deinde omiſſa maj. diſtinguo min. principium naturale relictum in ſuo eſſe naturali, nego, ut ſupernaturalizatum, concedo min. & nego conſequentiam. Et retorqueo argumentum. Intellectus ut eliciat actum viſionis beatificæ debet ſupernaturalizari per lumen gloriæ; & Anima ut eliciat actus meritorios debet ſupernaturalizari media gratia; ergo pariter ut aliquod ſubjectum efficeret tali dimanatione quantitatem infinitam deberet infinitari. Cùm igitur ſupponamus, quodliber ſubjectum eſſentialiter conſtitui per formam phyſicam in ſpecie determinata etiam phyſica, adeoque non poſſe infinitari: Idcircò non eſt poſſibile, ab ipſo emanare quantitatem categorematicè infinitam.

Alia ſolutio data fuit ſupra lib. 2. q. 2. art. 1. §. 3. num. 11. ſub finem illius numeri ad 1. arg.

Adverſus primam ſolutionem datam ad hanc 2. dices. Quod etiam ſpirituale, & materiale ſunt ejuſdem ordinis finiti; & tamen non minùs, imò magis diſtant quàm finitum, & infinitum; cùm poſſit potentia finita, nimirum intellectus creatus elevari ad videndum Deum infinitum, non verò potentia corporea, puta oculus corporeus ad videndum ſpirituale.

Verùm difficultatis bujus non eſt hic locus, ſed in Theologicis p. p. perveſtigando *num oculus corporeus poſſit elevari ad videndum Deum*. Ubi oſtenditur, quòd ſpirituale licèt magis diſtet in eſſe intentionali, non tamen in eſſe entitativo, id eſt magis diſtet in ordine intentionali, non tamen in ordine entitativo.

Vide aliud argumentum contra præfatam rationem ſolutum infra lib. 6. in quæſtiuncula ſecunda.

51. Arg. 2. Deus habet potentiam infinitam: ergo poteſt producere quantitatem infinitam.

Conſ. Si Deus operaretur ut cauſa naturalis, & ex neceſſitate, produceret effectum infinitum: ergo & idem facere poteſt agendo liberè. Ant. manifeſtatur. Quandoquidem cauſa naturaliter operans, operatur ſecundùm totam ſui virtutem, ut palam eſt in omnibus cauſis naturalibus; ſed Deus habet virtutem infinitam: ergo ſi &c.

Reſp. primitùs, ex hoc ſequi, quòd poſſit produci alius Deus, quia Deus ſicut habet potentiam infinitam, ita habet potentiam Divinam. Deinde ex alibi non infrequenter dictis diſt. conſequens, niſi adeſſet repugnantia ex parte termini, concedo, ſecùs, nego conſequentiam. Mirum eſt quoties diximus, quòd quando aliquid implicat contradictionem, dicitur impoſſibile, non quia Deus, quantùm eſt de ſe non poſſit omnia facere, cùm ſit omnipotens; ſed quia eſt repugnanti ex parte facti. Quæ namque contradictionem involvunt ponunt per affirmationem, ſimul & deſtruunt per negationem ſe ipſa.

Idem dico ad Conſ. nego namque, quòd ſi Deus operaretur ut cauſa naturalis produceret effectum infinitum. Et quando dicitur, quòd cauſa naturalis agit ſecundùm totam ſui virtutem, dico, id eſſe verum, quando non adeſt repugnantia ex parte effectus.

Contra. Corpus infinitæ magnitudinis eſt poſſibile: ergo nec ex parte termini, ſive ex parte facti repugnat quantitas infinita. Prob. Ant. Intra collectionem corporum poſſibilium extat corpus aliquod excedens in magnitudine cætera cuncta corpora, quod non exceditur ab alio, id eſt, quo majus non eſt poſſibile; ſed hoc erit infinitum: ergo &c. Prob. maj. primò. Intra collectionem rerum productarum deveniendum eſt ad aliquod producens omnia, & non productum ab alio producente creato: ergo pariter intra collectionem corporum poſſibilium deveniendum eſt ad aliquod excedens omnia &c. ſecundò. Si non eſſet devenire ad aliquod corpus non exceſſum, & excedens, jam omnia corpora eſſent exceſſa ab alio: & tunc quæritur, vel eſſent exceſſa ab alio contento in ipſis; & ſic idem excederet ſe ipſum, vel duo mutuo ſe excederent, quod eſt impoſſibile. Vel eſſent exceſſa ab alio corpore non contento intra collectionem. Et hoc inſania eſt, nimirum, quòd ſit corpus, & quòd ſit extra collectionem omnium corporum.

Conſ. Deus poteſt producere creaturam ſummè perfectam, qua perfectior poſſibilis non ſit; ſed iſta foret infinita: ergo poſſibile eſt infinitum. Prob. maj. Deus poteſt producere creaturam ſummè perfectam, quam poteſt; ſed iſta eſſet ita perfecta, ut ea perfectior poſſibilis ulla non eſſet: ergo &c. Maj innoteſcit ex terminis. Eſt namque propoſitio identica dicere, quòd poſſit producere creaturam, quam poteſt, ac quòd Deus poſſit producere creaturam ſummè perfectam, quam poteſt; quia illi creaturæ, quam poſſet producere, non daret niſi perfectionem, quam illi dare poſſet.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. nego maj. ad 1. prob. nego iterum maj. ad cujus prob. dato ant. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt evidens quoniam ſi in linea productionis non eſſet devenire ad aliquod primum producens improductum extaret infinitum in actu in cauſis; quia cùm res omnes actu productæ habeant eſſe in actu, etiam cauſa deberet eſſe in actu; Imò (ut inquit Ariſt. hic lib 7.) nulla res eſſet producta; quia nunquam omnes cauſæ alicujus rei eſſent in actu, cùm non eſſet devenire ad ultimam in actu. Ad hoc autem, ut res aliqua in actu producatur, debent omnes ejus cauſæ eſſe in actu. Cæterum ex eò, quòd intra collectionem corporum poſſibilium non ſit devenire ad aliquod corpus excedens non exceſſum, duntaxat ſequitur, extare infinitum in potentia, ſive Syncategorematicè; quia hujuſmodi corpora ſunt tantùm in potentia. In quo nullum eſt prorſus incommodum.

Ad 2. prob. Reſp. quòd omnia corpora illa ſunt exceſſa ab aliquo, contento intra collectionem; ſumpto tamen vagè, & indeterminatè. Cùm enim collectio corporum poſſibilium ſit infinita, & corpora in ipſa collectione contenta ſint in numero infinito, non eſt determinatè numerabile aliquod primum, nec ultimum. Undè quodlibet corpus collectionis eſt exceſſum ab alio; indeterminatè tamen, ac vagè, adeoque nuſquam eſt pervenire ad aliquod primum, vel ultimum determinatè, quod ſit excedens non exceſſum. Nec ſequitur, idem excedere ſe ipſum, vel duo mutuò ſe excedere determinatè, ſed duntaxat indeterminatè, & exceſſu innominabili modo, quo dicemus in appendice poſt articulum 2. num. 2.

Dices. Omnia illa corpora habent ſuum eſſe poſſibile determinatum: ergo ſunt exceſſa ab aliquo determinatè. Patet ant. ſecùs nullum ex his poſſet creari cum eſſe determinato. Conſequentia verò prob. Si haberent eſſe indeterminatè poſſibile, excederentur ab alio determinatè: ergo ſi haberent eſſe poſſibile determinatum excederentur ab aliquo determinatè.

Reſpondeo diſt. ant. habent ſuum eſſe determinatum, ſi accipiatur quodlibet ex illis comparativè ad aliud determinatum, concedo, ſi ſumatur comparativè ad totam collectionem,

ctionem, nego ant. & conſequentiam. Si igitur ſingula illorum corporum ſic ſumantur, quòd unum comparetur ad aliud determinatum, habent eſſe determinatum, & excedantur ab alio determinatè. Secùs autem ſi ſumantur relatè ad totam collectionem. Et quia nunquam queunt omnia, & ſingula determinari, cùm ſint infinita: Idcircò nuſquam contingit, quòd omnia ſint exceſſa ab alio determinatè.

Alia ad hoc arg. adhiberi poſſet ſolutio, quam fusè perſequitur clariſſimus quidam ex noſtris in m. ſ. Omiſſam tamen illam facio, utpote non parùm caliginoſam, & confuſaneam.

Ad conſ. Reſp. per jam dicta diſt. ant. poteſt potentia non mutua, concedo, potentia mutua, nego ant. & conſequentiam. Iterato, dico, quòd quantùm eſt de ſe Deus producere poteſt creaturam ſummè perfectam, qua perfectior poſſibilis non ſit, adeoque infinitam. Verùm quia ex parte creaturæ non adeſt potentia, benè verò repugnantia; ut adeo perfecta evadat; quoniam infinitudo repugnat ex parte creaturæ, ut ſatis ſuperque dictum eſt: idcircò nunquam eſt poſſibilis creatura ita perfecta, qua alia, atque alia uſque in infinitum perfectior poſſibilis non ſit. Per quod patet ad Antecedentis probationem.

12. Arg. 3. contra ultimam noſtram ratiocinationem. Non eſt contra infiniti rationem claudi terminis: ergo corruit ultimum noſtrum ratiocinium. Ant. multipliciter probat Arriaga. Primò. Inter Deum, & nihil mediant infinitæ creaturæ poſſibiles.

Secundò. Inter Hominem, & lapidem dantur infinitæ ſpecies animalium poſſibiles, inæquales in perfectione, inferiores Homine, & perfectiores lapide.

Tertiò. Inter duo puncta terminativa mediant infinitæ partes proportionales continui: ergo &c. Denique. Ponamus V. G. virgam infinitè longam Orientem verſus, & finitam verſus Occidentem. Hæc virga habebit punctum determinatum verſus Occidentem. Si poſtea dividatur in duas, tunc habebit punctum determinatum etiam verſus Orientem, nimirum illud punctum quod amiſit unionem continuativam cum alia parte diviſa. Quod punctum optimè eſt à Deo aſſignabile. Igitur infinita illa virga habebit duo puncta determinata inter quæ claudatur, proindeque non erit contra rationem infiniti claudi terminis.

Conſ. Implicantia ratiocinationis noſtræ militat quoque de infinito imaginario; ſed extat ſpatium imaginarium infinitum ſupra Cœlum Empyreum: ergo ratiocinatio noſtra deficiens eſt. Maj. prob. ſicut namque inter duas lineas reales infinitas in infinitum protractas mediaret diſtantia realis infinita; ita inter lineas imaginarias in infinitum protractas illo in ſpatio imaginario infinito clauderetur infinita diſtantia imaginaria: ergo &c. Min. verò conſtat. Reapſe namque ſupra Empyreum imaginamur ſpatium, cujus non imaginamur finem.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad 1. prob. Ortiz dicit, creaturas illas poſſibiles eſſe infinitas duntaxat ſyncategorematicè. At hoc falſum eſt. Siquidem ſi omnes creaturæ poſſibiles exiſterent in re, eſſent infinitæ categorematicè: ergo ut actu poſſibiles ſunt infinitæ categorematicè categoremate poſſibilitatis. Aliter ergo.

Diſtinguo ant. mediant propriè, nego, impropriè, concedo ant. & nego conſequentiam. Itaque (omiſſis reſponſionibus prælaudati Junioris) ut aliquid dicatur propriè mediare, & claudi inter aliquos debet cum eis habere eundem ſtatum. Creaturæ autem poſſibiles habent ſtatum poſſibilitatis; Deus verò ſtatum exiſtentiæ: Idcircò creaturæ poſſibiles, non propriè, ſed duntaxat impropriè mediant inter Deum, & nihil.

Idem dico ad 2. prob.

Ad 3. prob. patebit ſuo loco, agendo de continuo, quòd partes continui non ſunt infinitæ categorematicè.

Ad Conſ. (omiſſa ejuſdem reſponſione) ultra dicta num. 9. tranſeat maj. & diſtinguo min. ſpatium infinitum poſitivè, nego, negativè, quatenus non imaginamur poſitivè, concedo. Vel aliter diſtinguo eandem min. extat ſpatium imaginarium infinitum ad modum finiti, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Verum eſt igitur, quod mens noſtra imaginatur ſupra Empyreum ſpatium quoddam infinitum replebile per alios Orbes, quos Deus creare poſſet uſque in infinitum. Quia tamen nos etiam ipſum infinitum concipimus ad modum finiti, ſicut Deum ipſum infinitum ad modum rei finitæ concipimus. Idcircò ſolùm ſequitur, diſtantiam imaginariam infinitam, ut conceptam ad modum finitæ claudi terminis. Quod nullum eſt incommodum.

Ad ultimam prob. in argumento adductam Reſp. negando, quòd in caſu, quo illa virga divideretur, haberet punctum determinatum ultimum; quia tunc virga illa foret infinita; infinitum autem ex remotione finiti non fit finitum. Eapropter dico, quòd poſſet quidem à Deo determinari illud punctum; hoc tamen nunquam eſſet ultimum; quia in infinito non eſt invenire ultimum. Imò hoc eſt unum ex inconvenientibus, quæ ponderat Soto apud Ortiz in infinito, nimirum quòd poſſent ab ipſo aliqua auferri; & ſemper remanere, ac ſupereſſe infinita. Sicque palam fit imbecillitas præfati argumenti ex dicta virga deſumpti, in quo exultantem quondam audivi Neotericum quendam qui fortaſſis non noverat, eſſe apud Thomiſtas uſitatum.

13. Arg. 4. Quoties unum oppoſitorum eſt poſſibile, & aliud poſſibile eſt; ſed eſt poſſibile, imò extat corpus finitum in actu: ergo & corpus infinitum in actu eſt poſſibile.

Conſ. Extat infinitum in linea morali, ſicuti merita Chriſti ſunt valoris ſimpliciter infiniti, & peccatum mortale eſt ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ: ergo pariter extare poterit infinitum phyſicum.

Reſp. ad arg. primodùm probare, quòd etiam naturaliter poſſit extare infinitum in actu, quemadmodum finitum in actu extat naturaliter. Deinde in forma poſſet abſolutè negari maj. Palam namque eſt, quòd extat ſummum bonum, etiam phyſicum, uti eſt Deus; & tamen non eſt poſſibile ſummum malum, ſaltem phyſicum. Ulteriùs diſt. maj. quando illa oppoſita ſe habent ut differentiæ diviſivæ generis, concedo (ut ſunt album, & nigrum reſpectu coloris ut ſic, rationale, & irrationale reſpectu animalis, &c.) ſecùs nego maj. & data min. nego conſequentiam. Infinitum autem, ſi extaret non eſſet differentia ſpecifica diviſiva corporis quanti ut ſic; quia, ut vidimus, non eſſet in ſpecie determinata.

Dices. Philoſophus docet, quòd finitum, & infinitum ſunt proprietates quantitatis; ſed non tantùm differentiæ diviſivæ, verùm etiam proprietates ſunt poſſibiles ubi eſt poſſibilis eſſentia: ergo &c. Eò vel maximè, quòd idem Philoſophus docet, lineam infinitam poſſe poni in prædicamento quantitatis.

Reſp. Philoſophum loqui de infinito ſyncategorematico, vel loqui in hypoteſi, quod extaret infinitum. Et hoc modo dicit, lineam infinitam poſſe poni in prædicamento quantitatis, in ſuppoſitione nimirum, quòd extaret.

Ad Conſ. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia de infinito in eſſe moris non urgent implicantiæ illæ, quæ urgent de infinito in eſſe phyſico; Tum quia ſe tenet duntaxat penes prudentum exiſtimationem pro formali in quo ſtat infinitudo, ut dicemus in Ethica quæſt. 4. art. 2. in §. 1. num. 2. Tum quia (ut inquit prælaudatus in m. ſ.) valor meritorius operum Chriſti, & gravitas offenſæ conſequuntur ad formam, non finitam, ſed infinitam in eſſe moris; nimirum valor infinitus operationum Chriſti ad dignitatem infinitam Perſonæ Divinæ, dignificantis naturam: Et ſimiliter peccati gravitas ad dignitatem Perſonæ offenſæ, quæ eſt infinita: gravitas enim offenſæ creſcit juxta perſonæ, quæ offenditur, dignitatem.

14. Aliud arg. adducit, & ſolvit Cavinus hic primo loco contra noſtram primam rationem. Verùm quia facilis eſt ſolutionis, & poteſt in omnibus materiis fieri: Idcircò illud omitto.

Objectio alia poſſet fieri ab authoritate D. Thomæ, qui Quodl. 12. art. 3. inquit, non implicare infinitum in quantitate.

Verùm facilè ſolvitur, dicendo, ipſum loqui de infinito ſyncategorematicè: Vel intendere, quòd non implicet contradictionem ut quantitas eſt, ſed ut eſt quantitas in ſpecie; Quod etiam docet loco ſupra citato ex p. p.

15. Colligo ex dictis, quòd omnes objectiones pro infinito ſecundùm magnitudinem, probant etiam (ſi quid probant) eſſe naturaliter poſſibile infinitum in actu. Hanc autem poſſibilitatem naturalem vel Adverſarii ipſi reſpuunt. Si unum demas nimirum Arriagam, de quo art. ſequenti §. 1. num. 1. & ſimiliter Carteſium cum Epicuro infinitum in actu ſomulantem.

16. Circa infinitum in qualitate, ſive intenſione nulla occurrunt argumenta alicujus momenti; ſed duntaxat

quædam adducuntur, quæ videntur infinitè intenſa, ut Gratia Chriſti, & alia.

Verùm nos dicimus, quòd gratia Chriſti quamquam ita ſit intenſa, ut de lege ordinaria nequeat ulteriùs augeri; de potentia tamen abſoluta potuit augeri. adeoque in ea locum non habet intenſio infinita in actu. Idem dico de lumine gloriæ Animæ Chriſti, qui eliò in nonnullorum ſententia infinita actu videat in Verbo; non tamen ſequitur, quòd ejus lumen ſit infinitum actu. Non, inquam, quia videt illa, non per unum actum, ſed per plures actus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num ſit poſſibile Infinitum ſecundùm multitudinem.

§. I.

1. ESſe poſſibilem etiam naturaliter multitudinem actuum infinitam unicè affirmat Arriaga, ab univerſis Philoſophis in hoc improbatus, & meritò. Quandoquidem nequit naturaliter extare aliquid, quod in rerum natura ſit omnino ſuperfluum; cùm à ſuperfluis natura abhorreat; ſed ſi extaret infinitum in actu, ſive ſecundùm magnitudinem, ſive ſecundùm multitudinem, ſive ſecundùm intenſionem, eſſet prorſus fruſtianeum; cùm ad nihil deſerviret, imò aliis eſſet impedimento: ergo non eſt naturaliter poſſibile.

Supernaturaliter autem eſſe poſſibile infinitum in actu ſecundùm multitudinem affirmant illi omnes, qui ſupra docebant poſſibilitatem infiniti ſecundùm magnitudinem. Negant autem vel in ordine ad potentiam Dei abſolutam univerſi Thomiſtæ, & plures Scotiſtæ contra nonnullos alios Scotiſtas, ut Caberum, & alios.

§. II.

CONCLUSIO.

Contradictionem redolet Infinitum in actu ſecundùm multitudinem.

2. PRobant nonnulli, inter quos noviſſimè Guerinois, quia ſi extaret infinitum in actu ſecundùm multitudinem exhauriretur Divina omnipotentia.

Verùm enim verò ratio iſta vim habere nequit; quia Deus cognoſcit infinita: ergo vel exhauritur per hoc Divina cognitio, vel non. Si non, ergo neque exhauritur Divina omnipotentia per hoc, quòd infinita producat. Si ſic, ergo quemadmodum non eſt inconveniens, exhauriri ab aliquo infinito Divinam cognitionem; ita neque inconveniens erit ab aliquo infinito Divinam exhauriri omnipotentiam. Hac igitur, aliiſque minùs efficacibus ratiociniis prætermiſſis.

3. Prob. 1. ratione D. Th. p. p. q. 7. art. 4. qua & ſupra probavimus, repugnare infinitum ſecundùm magnitudinem. Implicat aliquod ſingulare eſſe in genere determinato, & non eſſe in ſpecie determinata; ſed ſi extaret multitudo infinita in actu eſſet in genere determinato, & non in ſpecie determinata: ergo implicat contradictionem infinitum in actu ſecundùm multitudinem. Maj. innoteſcit ex dictis art. præcedenti, ex quibus facilè redarguetur Hurtadus, dicens, quòd quamquam multitudo finita debeat eſſe in ſpecie determinata, ſecùs verò multitudo infinita. Redarguetur, inquam. Siquidem multitudo infinita, ſi extaret, cùm eſſet talis numero (non enim exiſtunt, niſi ſingularia) multitudo in genere quantitatis, deberet quoque habere ſpeciem determinatam, medianem inter gradum genericum, & ſpecificum. Min. prob. Eſſet in genere determinato quantitatis; & non eſſet in ſpecie determinata, ut probatur. Quandoquidem multitudo eſt numerus prædicamentalis, cùm ſit quantitas diſcreta; ſed ſpecies numeri ſumitur ab ultima unitate, cùm numerus definiatur, quòd ſit *multitudo numerata per unum*, & de ſe conſtans eſt: ergo cùm in illa multitudine infinita non eſſet aſſignabilis ultima unitas, quia in infinito non extat primum, nec ultimum, jam non eſſet in ſpecie determinata.

Reſpondebis 1. cum Vaſquez, quòd ſpecies numeri, & multitudinis non datur à parte rei, quia numerus habet eſſe duntaxat in Intellectu.

Mirum ſanè, Authorem iſtum non conſideraſſe, quòd duplex extat numerus, nimirum numerus numerans, qui eſt actus intellectus; & numerus numeratus, qui eſt à parte rei, per dictam definitionem declaratus, ut in Logica vidimus.

Attamen ſic refellitur opinio iſta. Nam multitudo realis debet formari ex unitatibus realibus, conſtantibus realem numerum. Inſuper (ut quidam ex Noſtris clariſſimus arguit) objectum ſcientiæ realis perfectioris ut eſt Arithmetica, & non imperfectioris, ac miniſterialis ut eſt Logica, debet eſſe aliquid reale; quia illa debet habere objectum perfectius, ac iſta; ſed numerus eſt objectum Arithmeticæ; ergo debet eſſe aliquid reale.

Reſpondebis 2. ex Conimbricenſibus, quòd licèt ſpecies multitudinis finitæ ſumatur ab ultima unitate; ſecùs tamen ſpecies multitudinis infinitæ. Sed

Contra. Tum quia (ut benè Complut.) hæc ſolutio videtur ponere numerum, qui non ſit numerus, nimirum innumerabilem. Tum quia deberet aſſignari à quo multitudo illa infinita haberet ſuam ſpeciem. Si enim dicatur, habere ab ipſa infinitudine, contra eſt. Quandoquidem quemadmodum finitudo eſt propria multitudinis finitæ, ita infinitudo eſſet propria multitudinis infinitæ; ſed finitudo nequit dare ſpeciem, ſaltem atomam multitudini finitæ, ſecùs omnes multitudines finitæ eſſent ejuſdem ſpeciei Infimæ: ergo pariter nec infinitudo poteſt dare ſpeciem ſaltem Infimam multitudini infinitæ.

§. III.

Argumenta Adverſariorum cum eorum ſolutionibus.

4. ARg. 1. A Deo produci poteſt quicquid ipſe cognoſcit per ſuam ſcientiam practicam; ſed per ſuam ſcientiam practicam cognoſcit multitudinem infinitam: ergo multitudo in actu infinita poteſt à Deo produci. Maj. eſt certa, quoniam ſcientia Dei practica eſt factiva rerum. Min. prob. Siquidem Deus per ſcientiam practicam actu cognoſcit omnes cognitiones, quas habiturus eſt quilibet ex Beatis per totam æternitatem; ſed iſtæ ſunt infinitæ futuræ: ergo &c.

Reſp. cum communi diſt. maj. eo modo, quo per ſcientiam practicam cognoſcit, illud eſſe producibile, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. cognoſcit multitudinem infinitam, ut producibilem ſucceſſivè, concedo, ut producibilem totam ſimul, nego min. & conſequentiam. Quemadmodum enim Deus ſimul cognoſcit omnes partes motus, & temporis; & tamen nequeunt partes motus, & temporis eſſe ſimul, etiam abſoluta Dei attenta potentia, cùm ſint eſſentialiter quid ſucceſſivum; ita eſtò cognoſcat ſimul multitudinem infinitam; hæc tamen tota ſimul produci nequaquam poteſt, ſed ſucceſſivè propter tot illas implicantias §. præcedenti 2. à nobis adductas, ſolumque ut producibilis ſucceſſivè cognoſcitur à Deo per ſcientiam practicam.

Contra. Multitudo actu infinita eſt producibilis ſimul: ergo: reſponſum nullum. Prob. ant. Non ſolùm quia ut, inquit Saguens, multitudo illa conſtat ex rebus poſſibilibus, verùm etiam (ſtando in jam propoſito argumento) unumquodque eſt producibile eo modo, quo per ſcientiam practicam à Deo eſt cognoſcibile: ſed multitudo actu infinita eſt cognoſcibilis ſimul, imò ſimul cognoſcitur à Deo per ſcientiam practicam; ergo &c. Maj. prob. ut ſupra, quia nimirum ſcientia practica Dei eſt rerum factiva.

Conf. Omnes cogitationes Beatorum modò ſunt ſimul futuræ, ſicut omnes creaturæ poſſibiles modò ſunt ſimul poſſibiles; quia modò ſunt omnes in ſtatu poſſibilitatis; ergo & ſunt ſimul producibiles.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad 1. prob. diſt. ant. conſtat ex rebus poſſibilibus diviſivè, concedo, poſſibilibus collectivè, nego. Solutio conſtabit ex dicendis hic ad Conſ. hujus arg.

Ad 2. prob. diſt. maj. eo modo, quo eſt cognoſcibile ex parte rei cognitæ; concedo, ex parte tantùm modi cognoſcendi, nego maj. & diſtinguo min. eſt cognoſcibilis ſimul, ſimultate ſe tenente ex parte modi cognoſcendi tantùm, concedo, ſimultate ſe tenente etiam ex parte rei cognitæ, nego min. & conſequentiam. Grandis itaque error (inquit Jo: à S. Th.) committitur iſto in arguendi modo;

quia

Google

quia ſemper arguitur à modo cognoſcendi ad modum rei cognitæ. Deus itaque cognoſcit ſimul multitudinem infinitam, non quaſi quòd cognoſcat, extare ſimul, vel eſſe poſſibilem ſimul, ſed quatenus totam multitudinem illam cognoſcit, non per plures actus ſucceſſivos ſuæ cognitionis, ſed per unum tantùm. Tamen eo actu cognoſcit illam multitudinem ut duntaxat ſucceſſivè poſſibilem. Et ſanè argumentum hoc probat quoque, partes temporis futuras eſſe poſſibiles ſimul, quia ſunt à Deo cognoſcibiles ſimul.

Ad Conſ. diſt. ant. ſunt ſimul futuræ, & ſimul poſſibiles ſimultate futuritionis, & potentiæ, concedo, futuritione, & potentia ſimultatis, nego ant. & conſequentiam. Duplicem reddere poteſt ſenſum illud ant. Primum, ita, quòd omnes cogitationes Beatorum futuræ per totam æternitatem futuram ſit eſſe ſimul, & omnes creaturas poſſibiles habere potentiam, ſive capacitatem, ut ſimul ſint. Secundum, ita, quòd cogitationes illæ, quæ ſunt futuræ ſint ſimul in futuritionis ſtatu; & omnes creaturæ poſſibiles ſimul ſint poſſibilitatis in ſtatu. Secundus eſt verus; primus verò falſus.

Contra. Modus cognoſcendi conformari debet modo rei cognitæ, ſecùs ille modus cognoſcendi nonniſi fictitius foret: ergo ſi multitudo infinita eſt cognoſcibilis ſimul à Deo ſimultate ſe tenente ex parte modi cognoſcendi, eſt quoque cognoſcibilis ſimul, ſimultate ſe tenente ex parte rei cognitæ.

Conſ. Eadem repugnantia, quæ affertur ad probandum, non poſſe multitudinem infinitam eſſe ſimul in re, probat itidem, non poſſe eſſe ſimul cognitam: ergo ſi hoc non obſtante poteſt eſſe ſimul cognita, poterit etiam eſſe ſimul producta. Prob. ant. Ideo poſſibile non eſt, produci multitudinem actu infinitam, quia non eſſet in ſpecie determinata; ſed hoc idem militat etiam de multitudine infinita ſimul cognita: ergo &c. Prob. min. Ideo multitudo infinita in re exiſtens non eſſet in ſpecie determinata, quia careret ultima unitate; ſed etiam ut cognita careret ultima unitate, ſecùs non eſſet infinita: ergo &c.

Reſp. ad arg. diſt. maj. modus cognoſcendi debet conformari modo rei cognitæ, ad hunc ſenſum, ut nihil cognoſcere debeat, quod in re cognita non ſit, concedo, debet conformari &c. ad hunc ſenſum, quòd itidem habere debeant eſſendi modum, nego ant. & conſequentiam. Ad hoc ſiquidem, ut cognoſcendi modus fictitius non ſit, ſat eſt, quòd nihil concipiatur, quod ipſi non conveniat. Neutiquam verò requiritur, quod modus cognoſcendi habeat eſſe eodem modo, ac ipſa res cognita, ſecùs Deus non poſſet cognoſcere modo ſpirituali res materiales nec modo infinito res finitas, nec ſimul partes temporis ſucceſſivas.

Ad Conſ. nego ant. Ad prob. nego min. ad cujus prob. nego ſuppoſitum Minoris. Supponit enim argumentum, quòd illa multitudo infinita ut cognita eſſet una tantùm multitudo. Quod eſt falſum. Eſſent enim plures multitudines, & numero, & ſpecie diſtinctæ per ordinem ad diverſas unitates, ſecundùm quas ſunt poſſibiles à parte rei. Sicut namque res poſſibiles ſunt in ſpecie determinata, in qua poſſunt eſſe in re, & ad quam dicunt ordinem; ita quoque dicimus, quòd cùm multitudo illa infinita cognita à Deo dicat potentiam ad eſſe per diverſas collectiones, ac unitates; idcircò eſſent diverſæ ſpecies multitudinis.

Qua ex re etiam apparet, quòd creaturæ poſſibiles, quamquam ſint infinitæ; non tamen conſtituunt unam duntaxat multitudinem, ſed plures conſtituunt ſpecie multitudines ſecundùm diverſas collectiones, ſecundùm quas poſſunt eſſe in re.

Dices. Si multitudo infinita exiſteret à parte rei, eſſet una duntaxat multitudo infinita phyſicè; per unicam exiſtentiam phyſicam: ergo pariter ſi eſt ſimul cognita, erit una duntaxat in eſſe intentionali per unicam exiſtentiam intentionalem.

Conſ. Etiam dicere quis poſſet, quòd infinita multitudo ſi actu exiſteret in re, non eſſet una tantùm, benè verò eſſent plures ſpecie multitudines per diverſas collectiones.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens, erit una in eſſe intentionali, unitate ſe tenente ex parte modi cognoſcendi, concedo, ex parte rei cognitæ, nego conſequentiam. Solùm namque ex parte modi cognoſcendi eſt una, quatenus eſt unicus actus, quo à Deo cognoſcitur: ſicut res materialis cognita à Deo dicitur ſpiritualis ex parte modi cognoſcendi, quatenus actus & modus cognoſcendi Divinus eſt ſpiritualis. Non enim res ſunt in mente Divina, ut ſunt in noſtra per proprias ſpecies.

Ad Conſ. Diſparitas eſt vel lippis oculis clara. Eatenus namque in ea multitudine ut cognita importantur diverſæ ſpecies multitudinis, quatenus connotant, & dicunt ordinem ad eſſe ſub diverſis unitatibus, ſucceſſivè tamen ponendis. Quia tamen in caſu, quo ſimul tota exiſteret multitudo infinita, plures illæ unitates, ac collectiones nec eſſent ſucceſſivè, nec connotarent, eſſe ſucceſſivè, ſed omnes ſimul eſſent: Idcircò unica foret multitudo, nullam habens ſpeciem. In cognitione autem Divina, quamquam ſimul omnes ſint, ſicut etiam in ſtatu poſſibilitatis; tamen connotant modum aliquem ſucceſſivum, ſaltem eſſendi à parte rei. Ob idque per ordinem ad illum diverſas ſumere poſſunt ſpecies.

Nec eſt verum, quòd etiam multitudo ſyncategorematicè infinita careat ultima unitate. Non, inquam. Eſtò ſiquidem careat ultima unitate in potentia; non tamen caret ultima unitate in actu.

5. Arg. 2. Thomiſticè loquendo, omnia futura phyſica ſunt phyſicè præſentia in æternitate; ſed iſta ſunt infinita: ergo extat multitudo infinita in actu.

Reſp. diſt. maj. tanquam in menſura propria, nego, tanquam in menſura aliena, concedo maj. & data min. nego conſequentiam. Repugnat ergo infinita multitudo in menſura propria, de qua noſtra evincit ſupra ſ. 2. ratiocinatio; non autem repugnat in Dei menſura æternitatis, ambiente omne tempus; ſicut nec pugnat in ſtatu poſſibilitatis. Hoc etiam pacto docemus in noſtra Schola, partes omnes temporis eſſe ſimul in æternitate; nec tamen dicimus, poſſe eſſe ſimul in menſura propria temporis.

Contra. Eadem militat ratio de multitudine infinita in menſura aliena: ergo vel utrobique, vel nullibi valet. Prob. ant. Multitudo infinita etiam in menſura æternitatis non eſſet in ſpecie determinata, quia careret ultima unitate.

Ad hoc jam ex nuper dictis conſtat, quod nimirum tametſi multitudo illa per modum unius ſignificetur, nihilominùs ſunt plures multitudines in ſpecie per ordinem ad diverſas unitates, & collectiones, ſub quibus ſunt ſucceſſivè poſſibiles. Quod non eſſet, ſi tota ſimul extaret actu in menſura propria; quia tunc nullam connotaret ſucceſſionem, ut diximus.

6. Arg. 3. Mundus potuit eſſe ab æterno, imò juxta Ariſtotelis mentem fuit ab æterno; ſed hoc admiſſo fuiſſent infinitæ generationes humanæ, imò Deus potuiſſet in qualibet die unum creare Angelum: ergo cùm infiniti fuiſſent dies, jam fuiſſet infinita Angelorum, animarumque multitudo infinita.

Reſp. quòd mundus (ut infra dicemus) potuit eſſe ab æterno quò ad omnia, dempta generatione humana. Item quòd Philoſophus tametſi ſenſerit, mundum ab æterno fuiſſe; tamen hoc putavit, non quò ad humanam generationem, ſed duntaxat quo ad cætera entia.

Ad id, quod ſubditur, potuiſſe nimirum eum in eventu qualibet die unum produci Angelum; & ſub aliis terminis proponi conſuevit dicendo, quod quolibet in unius horæ inſtanti poteſt Deus unum creare Angelum, adeoque cùm unius horæ inſtantia ſint infinita, etiam infiniti extarent Angeli. Ad hoc inquam negandum omnino eſt aſſumptum, cujus nuſquam Adverſarius efficaces producet probationes, ſicut nos efficaces adducemus rationes negationis, nimirum repugnantiam infinitæ multitudinis adductas ſ. præcedenti 2.

7. Solet etiam probari multitudinis infinitæ poſſibilitas ex partibus infinitis continui. Verùm ad hoc, quod non tantùm de poſſibili, ſed & reapſe probaret, ſi quid probaret, extare multitudinem infinitam, dicemus infra lib. 6. agendo de continuo, quomodo ejus partes non ſint actu infinitæ.

Aliud poſſet argumentum opponi de infinitis privationibus, quæ ſimul ſunt in eadem materia. Verùm ad hoc pateſcit ex dictis lib. 1. quæſt. 2. ſub finem, quæſtiunculæ cujuſdam *de privatione*, ubi probavimus in materia extare, non plures, ſed unam duntaxat privationem pro omnibus formis. Rurſus hoc etiam dato adhuc ampla eſt diſparitas. Siquidem negationes, & privationes non ſunt directè in genere determinato, nec in ſpecie determinata, ſed duntaxat reductivè; reducuntur etenim ad genus, & ſpeciem formarum illarum, quas privant.

8. Quædam ſupereſt S. Thomæ authoritas, qui opuſc. 27.

Syri Univerſa Phil. Tom. II.

inquit, non eſſe adhuc demonſtratum, quòd Deus non poſſit facere infinita actu.

At de facili Reſp. S. Th. vel intendere, quòd talis repugnantia ſe teneat, non ex parte Dei, ſed duntaxat ex parte facti. Vel ſi intendit ex parte facti non ſe teneat, dicendum eſt ſolummodò velle, quòd à nemine ad ea uſque tempora fuerit demonſtrata repugnantia infiniti; quam tamen poſtea ipſe demonſtravit ratione ſupra à nobis §. præcedenti 2. adducta.

APPENDIX.

Num in caſu, quo extaret Infinitum in actu, unum infinitum foret majus alio.

1. JAm de hoc nonnulla diximus hic art. 2. §. 2. num. 7. ſub finem. Nihilominùs

Reſp. communiùs cum Thomiſtis affirmativè. Et fit notum cùm in rebus materialibus, V. G. in Hominibus, in quibus, ſi eſſent infiniti, plures eſſent oculi, quàm capita, plures digiti quàm oculi, & his omnibus plures eſſent capilli: Tum in ſpiritualibus, V. G. in Angelis, in quibus, ſi extarent infiniti, plures eſſent potentiæ quam Angeli, & plures operationes quàm potentiæ, cùm quilibet Angelus duas ſaltem habeat potentias, nimirum intellectum, & voluntatem, & quælibet potentia multiplices operationes: ergo ſi extaret infinitum in actu, unum poſſet excedere aliud.

Complura videri alia poſſunt exempla apud PP. Salmat. in Theologicis 3. p. agendo de infinitudine peccati §. 7. num. 84 de quibus, Deo dante, & nos ibi ad 6. arg.

Dicere autem, quòd tunc unum infinitum excederetur ab alio, non in ratione infiniti; ſed duntaxat materialiter. Hoc, inquam, dicere, eſt reducere dubium ad ſolam quæſtionem de voce, quid nimirum ſit exceſſus formaliter in ratione infiniti. Inſuper in exemplis adductis unum excederet aliud in ratione multitudinis; ſed in ratione multitudinis eſſet infinita formaliter: ergo unum excederet aliud in ratione formaliter infiniti.

2. Objicies. Si unum infinitum excederetur ab alio, non ampliùs eſſet infinitum: ergo pugnat in terminis dicere, quòd in caſu, quo daretur infinitum poſſet unum ab alio excedi. Prob. ant. Eo ipſo, quòd aliquod exceditur, jam finitur, & terminatur ubi ab alio exceditur: ergo ſi &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. eo ipſo, quòd exceditur exceſſu determinato, concedo, indeterminato, nego ant. & conſequentiam. Cùm etenim in multitudine infinita non ſit invenire determinatè ultimum; inde eſt, quòd quando una multitudo infinita excederetur ab alia, excederetur exceſſu duntaxat indeterminato. Undè nuſquam haberetur determinatè illud, in quo finiretur, & terminaretur.

Qua ex re infero id, quòd jam dixi art. 1. §. 2. num. 7. nimirum, quòd in quantitate continua ſecundùm partes unum infinitum in actu nequiret excedi ab alio; quia iſta cùm dependeat à loco deberet ad infinitum pertingere locum, ſecùs infinita non foret. Undè ſi una ab alia excederetur non pertingeret ad totum, adeoque nec ad infinitum ſpatium, ſicque excederetur exceſſu determinato, & evaderet finita.

Et animadverte, quòd cùm numerus infinitus aliam excedens, aut ab alio exceſſus, habeat partes innominabiles ratione ſuæ infinitudinis, nequit proinde nominari in quantis, vel quoties unum excederetur ab alio.

Et hoc benè notetur, quia deſervit ad declarandum infra lib. 6. qualiter eſtò quodlibet continuum ſit diviſibile in infinitum, adhuc verificetur, quòd totum ſit majus ſua parte, habeatque plures partes quam ſua pars diviſibilis itidem in infinitum; quia in majori continuo extare poſſunt pluries infinities infinitæ partes proportionales modo innominabili; adeoque ſin eo, quòd nominemus, quomodo illud totum aſſet excedens infinitas alias partes.

Alii denique reſpondent dato ant. diſt. conſequens, pugnat in terminis, quòd unum infinitum excedatur ab alio non repugnanter, concedo, quòd excedatur repugnanter, nego conſequentiam. Excederetur enim, & non excederetur. Excederetur, ut jam probatum eſt, & non excederetur, quia repugnat infinitum excedi. Quæ ſunt contradictoria: Idcircò implicat contradictionem, dari infinitum in actu.

LIBER QUARTUS
PHYSICORUM
DE LOCO, ET TEMPORE.

INter cunctos motus potiorem obtinet locum motus localis. Idcircò poſtquam in antegreſſo libro habita eſt notio motus, hic cum Philoſopho animum adjicimus ad tractatum de Loco, dependenter à quo motus localis fit. Item & de tempore, quia tempore menſuratur motus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Ubi.

QUanquam *Ubi* ſit Loco poſterius, & reſultet ex eo, quod ponitur in loco aliquo, tamen ut quæ minùs de ſe agenda præbent præmittamus, priùs de *Ubi*, quàm de loco diſſerimus.

Ubi jam diximus in Logica non eſſe idem, ac locum, qui eſt ſuperficies ultima locantis, intrinſeca inhæſivè ipſi locanti, V. G. Vaſi aquam ambienti, & continenti; quia *Ubi* eſt intrinſecum ipſi locato, cui per motum intrinſecum acquiritur, undè *Ubi* ſolet à nonnullis appellari locus intrinſecus, & definitur *Ubi* circumſcriptivum (de quo ſolo hic ſermo eſt) à Complut. ſic: *Ubi eſt accidens reſultans in re locata ex eo, quod à loco continetur, medio quo accidente quaſi coæquatur, & proportionatur loco.* In qua definitione (ut occurratur calumniæ Joannis Saguens) non eſt intelligendum, quòd *Ubi* reſultet poſtquam completè, & in facto eſſe continetur à loco, ſecùs ſuperfluum foret iſtud *Ubi* medio quo à loco locatum continetur, ſed dum continetur à loco initiativè, & in fieri, ut medio illo poſtea locatum contineatur completè, & in facto eſſe à loco.

ARTICULUS UNICUS.

Num Ubi *diſtinguatur realiter à re abicunta.*

§. I.

1. EX præmiſſa doctrina notum extat, quòd nomine ubicationis venit forma illa, à qua Socrates V. G. habet eſſe hic potiùs quàm alibi. Et de hac emergit difficultas, num diſtinguatur realiter ab eodem Socrate, & loco cui eſt præſens.

Quam difficultatem omiſſam facere conſtitueram, quoniam abundè reſolutam fecerant tum Scotiſtæ, tum Thomiſtæ,

Digitized by Google

miſtæ, tum Neoterici communiter adverſus Nominales, quorum Philoſophia & ipſa jam obſolera extat; præſertim quò ad hanc materiam; adeo ut P. Arriaga dixerit, ſententiam, tenentem *ubi* eſſe formam accidentalem realiter diſtinctam, non minùs ac ſunt ſapor, color, & albedo &c. eſſe omnium quotquot ex Societate impreſſerunt, uno ſortè, vel altero dempto; in autographis verò ferè ab omnibus defendi.

Verùm quia P. Saguens tom. 2. diſp. 6. art. 3. propter hoc adeo in Peripateticos invehitur, ut quamvis ejus error non ſit contra omnes Peripateticos, cùm & Nominales ſeſe Peripateticos profiteantur, nihilominùs titulus ab eo ſic inſcribitur *Art. 3. De Ubicatione locali adverſus Peripateticos*: Quo ſuum in Peripateticos ſeileum indicare voluit Cor; Nec tamen aliquid novi habet, quod à Nominalibus dictum non fuerit, & à Philoſophis refutatum; ſolumque prout de more convicia quædam addere benignè dignatur in rationum ſupplementum. Ideo his neglectis iterum, & dimiſſis

§. II.

CONCLUSIO.

Ubi diſtinguitur realiter à re Ubicata, ejuſque loco.

2. PRob 1. ratiocinio communi. Nullum majus ſignum realis diſtinctionis, quàm realis ſeparatio; ſed *Ubi* eſt ſeparabile, & reapſe ſeparatur à quovis ubicato, & loco, ſaltem diviſivè, ac ſucceſſivè, licèt non collectivè, & ſimul: ergo *Ubi* eſt realiter diſtinctum à re locata, & loco. Prob. min. Siquidem (uti diximus) per *Ubi* intelligimus id, per quod V. G. Titius habet eſſe ita hic, quòd non alibi; ſed hoc eſt ſeparabile, & ſeparatur modo jam dicto à re ubicata, & loco: ergo &c. Prob. min. Poteſt eſſe Titius in rerum natura, & etiam hæc ſuperficies, ſive ſpatium, & quòd Titius non ſit hic ſive in hoc loco: ergo &c.

Reſpondet Saguens dupliciter 1. quod etiam ſequeretur eſſe entitates ſuperadditas, hoc, quòd eſt eſſe ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ſuperius, vel inferius, viſum, vel non viſum &c. quia ſeparari queunt. Secundò quòd licèt poſſit ſeparari ab illis ſeorſim ſumptis, non tamen ab illis conjunctì ſumptis.

Sed contra. Primitus retorquetur argumentum, quia ſi quis modo ponatur ad dexteram, modo ad ſiniſtram, &c. per tranſlocationem ejus, quod ita ponitur eſt quid realiter ſuperadditum & diverſa ubi, utpote quid ſeparabile, licèt non ſit quid ſuperadditum ſi fiat per tranſlationem alterius extrinſeci, cui ſit à dextris, vel à ſiniſtris &c. quia tunc ſeparatio ubicationis ſit in illo extrinſeco, & in alio non eſt, niſi denominatio extrinſeca: ergo pariter hoc, quod eſt, Titium eſſe modò hic, modò alibi, ſe transferendo, erit quid realiter ſuperadditum.

Viſio autem & videri nullatenus eſt ad rem; quia ceu actio vitalis non facit aliquam mutationem in re viſa, uti fit per diverſam ubicationem, transferendo rem ubicatam.

Deinde contra ſecundam, quæ eſt mera, ac mera petitio principii. Nam eſſe non conjunctim eſt idem, ac eſſe ſeparatum, quia ſeparari eſt ſejungi, adeoque ſicut quæ ſunt ſeparabilia ſunt diſtincta realiter, ita, quæ ſunt disjungibilia ſunt realiter diſtincta: ergo ſi per Saguens poſſunt eſſe, quia ſiut conjunctim, in quo caſu dicit Saguens, poſſe ſeparari, jam ſunt realiſſimè diſtincta.

Alia adhiberi poſſet ſolutio, nimirum, quòd ut aliqua duo ſint realiter diſtincta requiritur, poſſe ita ſeparari, quòd poſſint ambo realiter ſeparata exiſtere. *Ubi* autem Titii nequit ſeparatum à Titio exiſtere.

Pro quo reſponſo refellendo videndum eſt, quod dixi in Logica probando, relationem diſtingui realiter à fundamento, & lib. præcedenti 3. q. 2. art. 2. §. 2. num 2.

3. Pro. 2. niſi *Ubi* eſſet quid poſitivum ſuperadditum, ſequeretur, quòd præſentia Titii huic loco non eſſet niſi in diſtantia, ſive negatio diſtantiæ ab hoc loco ut Nominales ajunt; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min. Nova privatio, ſeu negatio non advenit, niſi per ſemotionem alicujus poſitivi, ſicut V. G. tenebræ, quæ ſunt privatio non advenıunt, niſi per lucis ſemotionem.

Conſ. etenim negari nequit, quod dum de novo ſit præſens huic loco de novo adveniat illa negatio diſtantiæ, quia priùs non aderat illa negatio diſtantiæ cùm eſſet diſtans. Sed iſta eſt quid poſitivum: ergo quid poſitivum de novo advenit. Prob. min. Negatio negationis eſt affirmatio, & quid ponit, cùm duæ negationes affirment; ſed illa negatio eſt negatio negationis, nimirum negatio diſtantiæ, quæ diſtantia eſt quædam negatio, videlicet negatio præſentiæ: ergo &c.

4. Prob. 3. Per motum localem debet acquiri aliquid de novo poſitivum intrinſecum ipſi mobili, ſed hoc intrinſecum, quod acquiritur, non eſt aliud aſſignabile, niſi *Ubi*: ergo *Ubi* eſt aliquid poſitivum intrinſecum realiter ſuperadditum. Min. certa videtur, quia ſuperficies corporis ambientis, & ſpatium eſt aliquid extrinſecum ut §. 1. viſum eſt. Maj. verò prob. à pari. Per motum augmentationis acquiritur aliquid de novo poſitivum realiter ſuperadditum, nimirum partes: ergo à pari &c.

Quæ ratio valet, non tantùm contra Nominales, verùm etiam & adverſus Atomiſtas; quoniam nec ipſi negare poſſunt, in augmentatione aliquid de novo acquiri realiter ſuperadditum, nimirum novas atomos.

Quare autem per motum alterationis acquiratur aliquid duntaxat virtualiter, non verò realiter ſuperadditum per Thomiſtas, patet ex dictis in Logica tract. 4. q. 5. art. 4. ad 4. arg. & iterum ibi tract. 5. q. 3. art. 2. §. 3. in fine ſub num. 21. Et inſuper diſparitas alia aſſignabitur lib 1. de Gener. & Corrup. q. 5. art. 1. §. 3. ad 3. arg. num. 9. quia nimirum inteuſio fit in eadem parte ſubjecti, non verò extenſio: ſicut nec motus localis fit in eadem parte ſpatii. Et tandem diſparitas alia aſſignabitur ibidem q 6. art. unico §. 7. ad 5. arg. ſub num. 25.

Aliæ rationes videantur apud Jo: de Lugo diſp. 5. de Sacram. Euch. ſect. 4. ubi fusè contra Coninch. diſputat.

§. III.

Adverſariorum argumenta, & ſolutiones.

5. ARg. 1. argumento, quod ex Nominalibus, ut Gregorio, & aliis, hauſit Saguens, qui tamen eos non nominat. Ad conſtituendam hoc in loco rem hanc, duntaxat requiritur, quòd pertinet ad conceptum rei in loco; atqui ad conceptum rei in loco non pertinet accidentalis ubicatio illa ſuperaddita: ergo &c. Maj. conſtat, quia loquimur de rebus conformiter ad conceptum de illis prævium. Min. prob. Ad conceptum rei in loco ſufficit concipere rem ſub ſuperficie ambiente: ergo &c. Prob. ant. ſicut ſe habet locus ad hoc, quòd eſt ambire, ita ſe habet locatum ad hoc, quod eſt ambiri; ad conceptum autem loci non pertinet, niſi hoc, quod eſt ambire: ergo ad conceptum locati non pertinet ſimiliter, niſi id, quod eſt ambiri. Et certè ad reponendos in arca nummos nemo hactenu de ubicatione Peripatetica cogitavit. a

Conſ. Si ad conſtituendam rem in loco opus eſt ubicatione diſtincta, aut hæc ubicatio requiritur ex parte loci, aut ex parte rei locatæ, aut ex parte utriuſque; atqui nullum ex his tribus admitti poteſt: ergo &c. Prob. min. Et primò quò ad p. p. quoniam ex parte loci ſola deſideratur ſuperficies ad ambiendum idonea, quæ ab ubicatione non pendet. Secundò quò ad 2. p. Ex parte rei locandæ ut fiat locata, tamùm indiget ambiri. Tertiò demum quò ad 3. p. nimirum non requiri ex parte utriuſque. Etenim ſi locus per ſe poteſt ambire, & res poteſt ambiri, quotieſcumque locus rem ambit, per ſe ambit; & quotieſcumque res ambitur, per ſe ambitur; alioquin falſum eſſet, aut locum potuiſſe per ſe ambire, aut rem potuiſſe per ſe ambiri: ergo &c.

Urger. Siquidem quando res conſtituitur in loco, ex re, & loco veluti unitis fit quoddam unum; de quo proinde diſcurrendum eſt, ſicut de aliis compoſitis, de quibus dictum eſt ſuo loco, ea non diſtingui à partibus ſuis componentibus ſimul ſumptis; eædem enim rationes generatim probant: ergo id, quod eſt rem eſſe in loco, nihil importat diſtinctum à re, & loco ſimul ſumptis.

Adde, quòd ſicut ad collocandam materiam, & formam in compoſito naturali non requiritur unio ſuperaddita, ita nec ad collocandam rem in loco debet requiri ubicatio ſuperaddita.

Reſp. ad arg. nego min. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. nego min. Dicimus namque, quòd per unam, eandemque

actio

actionem agentis producitur, Tum *Ubi* paſſivum ex parte rei locatæ, & motæ; Tum *Ubi* veluti activum ex parte loci producitur concomitanter. Undè diximus num. 2. eſſe ſeparabile, & à loco, & à locato. Per quod patet ad Conſ. negatur namque min. quò ad p. & 2. p. & ad probationes negatur ant. quod improbatum reliquit Saguens.

Ad id, quo urget dato ant. nego conſequentiam. Nam ſolùm ſequitur, quòd totum conſtans ex loco, locato, & *Ubi* non diſtinguatur ab his tribus, nimirum loco, locato, & *Ubi* ſimul ſumptis, & unitis, quod veriſſimum eſt. Non autem ſequitur, quòd *Ubi* non diſtinguatur à loco, & locato, aliter ſequeretur, quòd nec locatum à loco diſtingueretur.

Ad id, quod addit jam & ad ſimilia fuit aſſignatum diſcrimen 1. Phyſ. nimirum quia ex materia & forma fit unum per ſe tanquam ex his, quæ ſe habent per modum actus, & potentiæ, adeoque una eſt per ſe eſſentialiter potentia receptiva, & altera per ſe eſſentialiter forma per ſe informativa. At ex loco, & locato non fit unum per ſe.

6. Arg. 2. argumento, quod ſuperfluis verbis extendit, quodque ex Coninch. hauſit Saguens, licèt Coninch. non nominet, & poteſt eſſe oppugnatio ejus, quod nuper diximus, nimirum illud *Ubi* quod de novo acquiritur, & per quod realiter mutatur res locata, produci ab ipſo movente, ſeu agente. Siquidem remoto per hypotheſim quocunque agente extraneo res in vacuo conſtituta mutaret locum, ideoque novam ubicationem acquireret.

Addit & aliud, quod & Coninch. ſolumque amplioribus verbis proponit idem Saguens. Etenim ſi ad quamlibet loci mutationem loci acquireretur novum *Ubi* ſequeretur quòd infinita in actu *Ubi* producerentur, cùm partes continui ſint infinitæ, ſicque movendo paululum digitum infinitæ producerentur entitates.

Superaddit poſtea clamores exclamans, adeoque ſuperare omnem fidem, quòd dum res localiter movetur, mutetur realiter in ſingulis partibus, ut incredibilius nihil proferri queat.

Reſp. ad arg. quòd in caſu quo res, quæ priùs erat in loco maneret in vacuo, non acquireret novum *Ubi* paſſivum, ſed duntaxat deperderet omne ubi activum, quod in ipſo loco, ideſt ſuperficie ambiente recipitur. De eo autem, quod in vacuo moveretur dicemus infra ad 4.

Si autem fiat hypotheſis, quòd aliquid moveretur localiter abſque ullo movente ſive intrinſeco, ut in viventibus, ſive extraneo. Tunc dico, quòd acquireretur *Ubi* repugnanter, ideſt acquireretur, & non acquireretur, ſicut moveretur, & non moveretur. Acquireret, quia *Ubi* eſt terminus motus, & non acquireret, quia non adeſſet à quo produceretur *Ubi*; ſicut moveretur ut ſupponitur, & non moveretur, quia non adeſſet à quo moveretur. Et certè per hanc hypotheſim poſſet probari, effectus non produci à cauſa ſecunda dependenter à prima, faciendo hypotheſim, quòd extaret cauſa ſecunda cauſans ſine prima. Undè ſicut tunc deberet dici, quòd nonniſi repugnanter cauſaretur, ita & in caſu.

Dicere ni velis, quòd tunc eſſet per accidens, quòd non acquireret *Ubi*. Vel quòd tunc fieret in loco duntaxat negativè.

Ad id, quod additur Reſp. quòd partes duntaxat proportionales continui ſunt ſine fine, non verò partes aliquotæ. Partes autem proportionales non mutant locum ratione ſui, ſed duntaxat ratione partium aliquotarum, in quibus includuntur, ut latiùs dicetur infra lib. 6. art. 3. §. 3. ad 2. & 3. arg.

Ad id, quod ſuperadditur Reſp. opus eſſe probationum, & non clamorum. Nec id eſt aliquid novum, cùm & idem dixerimus de relatione in Logica ſuſtinendo, diſtingui realiter à fundamento ad quoddam arg. nimirum ad productionem cujuslibet minimæ rei evenire mutationem aliquam in omnibus totius Univerſi rebus per adventum relationis ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis ad illam.

7. Arg. 3. duplici argumento Saguens, quorum unum jam ex dictis in prælóquio hujus quæſtionis circa ipſius *Ubi* definitionem, & aliud ex dictis hic §. 2. num. 2. refellendo reſponſum ejuſdem Saguens, circa id, quod de poſitione ad dexteram, aut ſiniſtram ajebat.

8. Arg. 4. Fiat hypotheſis, quòd Deus auferat à re locata illud *Ubi* ſuperadditum, adhuc res illa alicubi manebit: ergo ad rem ubicandam non requiritur illud *Ubi* ſuperadditum.

Conſ. ex Saguens. Ex Peripatetica iſta poſitione ſequitur, poſſe verificari hoc chimæricum, nimirum aliquid eſſe V. G. Pariſiis, & non eſſe Pariſiis. Eſſet enim Pariſiis, quia exiſteret Pariſiis, & non eſſet Pariſiis, quia in caſu, quo à Deo auferretur tale *Ubi* non haberet ſuum *Ubi* Pariſiis.

Urg. Si aliquid moveretur in vacuo non acquireret *Ubi*, quia non haberetur locus, nimirum ſuperficies ambiens.

Reſp. ad arg. quòd manebit alicubi ſumpto *alicubi*, ſeu *Ubi* ut apud Vulgum, ad eum modum, quo interroganti. *Ubi eſt Petrus, & in quo loco?* ſolemus reſpondere *in Eccleſia, in Schola, in Platea &c.* & tamen certum eſt apud omnes, locum Philoſophicè non eſſe Plateam, aut Scholam, aut Eccleſiam, ſed ſuperficiem ultimam ambientem.

Per quod patet ad Conſ. Nam eſſet Pariſiis in ſenſu, quo vulgò ſumi ſolet *Ubi*, non verò eſſet Pariſiis ſumpto *Ubi* ut apud Philoſophos. Hoc enim modo tunc nullibi eſſet. Dicere ni velis cum aliis, quòd eo in caſu eſſet alicubi duntaxat fundamentaliter proximè, non verò formaliter; ad eum modum, quo in Logica de fundamento, & termino pro priori ad reſultantiam relationis dictum eſt. Quod idem omnes vel ipſi Adverſarii dicere tenentur caſu quo à Deo tolleretur quodlibet immediatè ambiens. Undè argumentum hoc, in quo exultat Saguens eſt indignum, quod à Philoſopho, qualem ſe profitetur Saguens, Philoſophis objiceretur. De quo iterum hic ad 5.

Ad id, quo urgetur reſpondent Complut. infra agendo de vacuo, & inquirendo, *num in caſu quo daretur vacuum, poſſet in eo fieri motus*, quod tum reſultaret *Ubi*; quia iſtud poteſt reſultare etiam ex circumſcriptione loci mediati, licèt tunc per accidens forſan non reſultaret *Ubi* activum. De quo ibi. Vel ex dicendis q. ſequenti in prælóquio, quæſito primo, quod *Ubi* non dependet eſſentialiter à loco.

9. Arg. 5. *Ubi* juxta Peripateticam Scholam acquiritur per motum localem; ſed hoc falſum eſt: ergo & falsò iſtud *Ubi* ſtatuitur. Prob. min. Ponamus, quòd Deus crearet aliquod corpus in loco iſto, certè tale corpus eſſet hic, & hic haberet ſuum *Ubi*, & tamen non præceſſiſſet motus localis.

Si reſpondeas, quòd tum non haberet *Ubi* Philoſophicum.

Contra. Intantum per nos extat *Ubi* Philoſophicum, quia eſt realiter ſeparabile id, per quod aliquod ita fit uni loco, quòd non alteri præſens; ſed etiam id, per quod corpus illud fieret præſens huic loco eſſet ſeparabile: ergo &c. Prob min. Ideo per nos eſt ſeparabile, quia corpus poteſt & poterat alibi poni; ſed etiam dictum corpus potuiſſet, & poſſet alibi poni: ergo &c.

Reſp. benè ibi ad arg. quod ipſe formavi. Ad oppug. diſt. maj. quia eſt realiter ſeparabile poſitivè, concedo, purè negativè, nego maj. & diſt. min. eſſet ſeparabile negativè, concedo, poſitivè, nego min. & conſequentiam.

Contra. Etiam Adverſarii dicere poſſent, quod illud *Ubi* Philoſophicum eſt ſeparabile duntaxat negativè.

Reſp. nego conſequentiam. Nam cùm indiſtantia à loco illo eſſet negatio diſtantiæ eſſet negatio negationis deberet eſſe quid poſitivum, adeoque ſi illa ſepararetur dum fieret abſens tranſlocando illud, jam ſepararetur quid poſitivum.

Inſt. Etiam dum illud corpus ſic à Deo creatum poſtea tranſlocaretur, ſepararetur ab illo negatio diſtantiæ, cùm priùs fuiſſet præſens, & poſtea fieret abſens.

Reſp. diſt. ant. & aliàs priùs fuit factum præſens per acquiſitionem alicujus poſitivi nego, ſecùs, concedo.

Contra. Solutio eſt mera principii petitio. Nam hoc eſt quod diſputatur, num ſcilicet dum fit loco præſens acquirat quid poſitivum.

Reſpondeo diſt. ant. hoc eſt quod diſputatur de eo locato, quod de poſitivè abſente ab aliquo loco factum eſt præſens eidem loco, concedo, de eo quod ſolum de negativè abſente factum eſt præſens, nego ant. & conſequentiam. Etenim corpus illud, quod ſic in loco aliquo crearetur erat ſolùm negativè abſens, quatenus priùs non extat in rerum natura. Quæſtio autem eſt de eo, quod priùs erat poſitivè abſens, quodque proinde per poſitivum motum, poſitivamque actionem habet fieri præſens; per quam poſitivam actionem locomotivam de uno loco ad alium debebat aliquid produci utpote actionem & motum, proindeque debe-

bat

bat produci illud *Ubi*, & iſtud per illum poſitivum localem motum acquiri debet.

Per ly autem *poſitivè abſens*, non intendo, quòd ejus abſentia ſit quid poſitivum, cùm ſit mera præſentiæ negatio, ſed dico *poſitivè abſens*, quatenus antequam fieret huic loco præſens, erat in rerum natura illud locatum aliquid poſitivum, quod nonniſi per poſitivum motum localem, poſitivamque actionem locomotivam poterat alteri loco præſens fieri.

Oppugnabis. In caſu, quo corpus localiter movetur ſi Deus impediret reſultantiam talis *Ubi*, tunc poſſet adhuc ſeparari hocquod eſt eſſe tali loco præſens translocando iterum illud; & tamen non ſepararetur aliquod poſitivum, non obſtante, quòd de ſic poſitivè abſenti ſuiſſet factum præſens: ergo ſemper labaſcit ratiocinatio noſtra ex ſeparabilitate deſumpta.

Reſponderent plerique tum fieri præſens fundamentaliter proximè &c. Sed quia ſemper urgeret inſtantia de ſeparabilitate. Idcircò aliter

Reſpondeo negando ſuppoſitum. Supponit enim, quod tunc poſſet ſaltem Divinitùs impediri reſultantia illius *Ubi* ſine eo, quod impediretur motus. Etenim *Ubi* eſt terminus primarius ſpecificativus motus localis, & terminus primarius actionis ubicativæ. Undè quemadmodum implicat, extare generativam actionem ſine genito, & actionem augmentativam ſine augmento; ita & implicat, extare actionem ubicativam, & locomotivam, ac motum localem ſine *Ubi*.

Quòd ſi velit Adverſarius facere hypotheſim impoſſibilem, quod extaret motus localis, & actio localiter movens ſine *Ubi*. Tum reſpondebimus, quòd in tali implicatoria hypotheſi res locata eſſet, ubicata, ſeu alcubi repugnanter juxta dicta num. 6. ad a. arg. hoc eſt eſſet, & non eſſet alicubi. Eſſet quia nequit extare motus localis, & actio ubicativa ſine *Ubi*, ut nuper probatum eſt: & non eſſet, quia non extaret *Ubi* reſultans. Et quia iſta ſunt contradictoria; idcircò ne iſta eveniant ponendum eſt *Ubi* &c.

Potuiſſet etiam aliter ad arg. principale reſponderi, quòd tunc extaret *Ubi* productum per actionem illam creativam; & quòd in locatione illius rei creatæ interveniret motus localis exigitus, qui ſufficiens eſſet. Sed hoc valeat quantùm valere poteſt.

10. Nonnulla alia argumenta Nominalium videantur ſoluta apud Jo: de Lugo diſp. 5 de Sacram. Euch. ſect. 4. fusè contra Coninch decertantem, ſicut & apud Arriagam & alios.

A P P E N D I X.

Quotuplex ſit Ubi.

Dividitur Ubi in definitivum, circumſcriptivum, & Sacramentale. *Ubi* circumſcriptivum illud dicitur, quo aliquid ita conſtituitur in loco, ut partes locati correſpondeant partibus loci. Definitivum dicitur illud, quo aliquid præcisè determinatur ad hunc locum, ut non ſit in alio. Sacramentale demum dicitur illud ineffabile *Ubi*, quo Chriſti Corpus eſt ſub ſpeciebus panis, & vini. De quibus diximus in Logica agendo de 6. ultimis prædicamentis quæſtio 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Loco.

PEragendo hic Philoſophus de Loco veterum errores refellit, quorum nonnulli dixerunt, locum eſſe materiam, alii formam, alii corpus quoddam improductum, alii ſpatium medians inter latera, V. G. locum terræ eſſe intervallum illud, quod mediat inter aquam circumdantem terram. Quod ſpatium alii arbitrati ſunt, eſſe reale; alii verò, etiam ex Junioribus nullum invenientes tale reale intermedians, dicunt, eſſe ſpatium imaginarium intermedians.

Primus itaque error refellitur, quia ſi locus eſſet materia, vel forma, ſequeretur, quòd quando quis mutat locum, ſive movetur localiter, mutaret quoque materiam, & formam, quod tamen & ratio, & experientia planè reſpuit.

Secundus error rejicitur: Tum quia hoc corpus improductum prorſus chimæricum eſt, cùm omne exiſtens præter Deum ſit creatum, & productum. Tum quia locum non eſſe corpus oſtendemus hic art. 1. §. 1. ubi poſtea §. 2. alia dicentur contra Carteſium.

Tertius error refellitur. Quandoquidem illud ſpatium, vel eſt reale, vel imaginarium. Primum eſt falſum, ſecundum non ſufficit: ergo neutrum dici poteſt. Prob. primò, quòd nequeat eſſe reale. Siquidem ſpatium illud reale vel eſſet ſubſtantia vel accidens. Quo admiſſo iterum quæritur vel eſſet corporea, vel incorporea ſubſtantia. Si verò accidens, ſit ne ſpirituale, vel corporeum. Non ſubſtantia ſpiritualis, nec accidens ſpirituale; quia hujuſmodi, ceu inextenſa, nequeunt eſſe locus corporis extenſi, nec extenſo modo mediare. Nec ſubſtantia corporea, quia & iſta deberet eſſe in loco, ut de corpore art. 5. §. 1. dicetur. Non tandem accidens corporeum; quia iſti nullum poſſet aſſignari ſubjectum, cùm non adeſſet medium, nec poſſet ſubjectari in duobus extremis, quia unum accidens, ſaltem naturaliter unum petit ſubjectum: nec in uno tantùm, ſecùs non mediaret: eò vel maximè quòd non eſſet major ratio, cur potiùs in uno, quàm in alio. Quod verò non ſit ſpatium imaginarium ſuadetur. Nam hoc ſpatium imaginarium vel eſt ens reale, vel rationis. Si primum, iterum peto ut ſupra num ſit ſubſtantia, vel accidens. Si autem eſt ens rationis: ergo jam non eſt quid reale. Quibus erroribus confutatis.

DEFINITIO LOCI.

LOcus itaque definitur ab Ariſt. hic tex. 4. ſic: *locus eſt ultimum corporis ambientis immobile primum*. Quæ definitio aliis verbis ſic à commentatoribus proponi conſuevit: *locus eſt ſuperficies ultima corporis continentis, immobilis, prima*.

Illuſtratur definitio, advertendo priùs, quòd hæc definitio eſt phyſica, & non metaphyſica. Quo adnotato

Dicitur *ſuperficies*. Quæ dictio locum generis obtinet, & per illam convenit etiam cum locato. Dicitur *corporis continentis*. Per quæ verba differt à locato, cujus ſuperficies dicitur ſuperficies corporis contenti. Dicitur poſtea *ultima*, ad ſignificandum, quòd locus eſt ſuperficies concava, non verò convexa corporis continentis; quia convexa ſuperficies eſt ſuperficies prima. Dicitur *immobilis*, quia de ratione loci eſt eſſe immobilem. Siquidem ſi locus eſſet localiter mobilis daretur locus loci in infinitum, cùm locus ad locum moveretur. Idcircò de ratione loci eſt eſſe immobilem omni modo, & non tantùm per ſe. Hoc etenim modo nihil peculiare haberet ſuper cætera accidentia, cùm & iſta, non per ſe, ſed duntaxat per accidens ad motum ſubjecti ſint mobilia. Dicitur demum *prima*, ideſt immediata. Ob idque ſuperficies concava Cœli lunaris, non dicitur locus proprius, ſed ad ſummum communis horum inferiorum; quia locus proprius eſt ita immediatus, ac commenſuratus alicui locato in particulari, ut ipſum immediatè tangat, ſolùm illud contineat, ſit illi omnino æqualis, illudque non excedat.

Nec ex eo, quòd locus etiam proprius contineat locatum, ſequitur, debere eſſe locato majorem. Non, inquam, quia continet duntaxat per modum menſuræ, cùm eatenus cognoſcatur quantæ corpus aliquod ſit magnitudinis, quatenus tantum, vel tantum occupat locum. Menſura autem eſt prorſus menſurato æqualis. Vel (ut inquit Nuperus quidam) continet *ut quo*, non verò *ut quod*.

PERCONTABERIS PRIMO.

Num Ubi ſit eſſentialiter dependens à loco.

1. REſp. negativè loquendo de *Ubi* circumſcriptivo, negativè verò loquendo de *Ubi* Sacramentali, aut definitivo.

Quoad p. p. prob. Poteſt extare *Ubi* circumſcriptivum ſine loco: ergo *Ubi* circumſcriptivum non eſt eſſentialiter à loco dependens. Prob. ant. Quandoquidem (ut probatum eſt quæſt. & art. præcedenti §. 3. num. 9. ad ult. inſt. factam contra reſponſum datum ad 5. arg.) nequit extare motus localis abſque acquiſitione alicujus *Ubi*; ſed poteſt extare motus localis ſine acquiſitione loci: ergo &c. Prob. min. Corpus Chriſti aſcendendo ſuper Cœlos, uſque illò fuit localiter motum; ſed Corpus Chriſti non eſt ibi in loco

extrinſeco reali, niſi quantùm ad pedes, quibus præmit convexum Empyrei ut habet S. Th. 3. p. quæſt. 57. art. 4 per totum, ſed præſertim ad 2. arg. ut iterum dicemus quæſito 4. num. 4. ergo &c. Min. conſtat, quia ſupra Cœlum Empyreum non eſt locus, niſi imaginarius. Idem dicas de Beatorum corporibus.

Conf. Siquidem ſi à duobus Hominibus diſtantibus inter ſe centum paſſibus removeatur omne corpus, eos circumſcribens, retinerent æqualem diſtantiam: ergo *Ubi* ut ratio ſundandi diſtantiam non eſt dependens ab aliquo reali continente.

Adde, difficile eſſe creditu, id quod Complut. dicunt, & nos retulimus q. & art. præcedenti ad 4. arg. quòd in caſu, quo corpus aliquod moveretur in vacuo, *Ubi* reſultaret ex ambitu loci mediati.

2. Objici poſſet *Ubi* definitio tradita quæſt. præcedenti in præloquio, nimirum quòd *Ubi reſultet in re locata ex eo, quòd à loco contineatur*, &c.

Verùm facilè Reſp. quòd cùm eſſentia non dicat actum, ſed aptitudinem, ſat eſt, adeſſe locum exigitivè, ideſt ab illo motu exigitum.

3. Quò ad 2. p facilè ſuadetur. Sublato loco Sacramentali, cujuſmodi ſunt ſpecies Sacramentales, non remanet ampliùs ibi *Ubi* Sacramentale; nec poteſt ibi ampliùs eſſe Corpus Chriſti. Sentio tamen *Ubi* Sacramentale dependere à loco Sacramentali eſſentialiter ex ſuppoſitione, quòd ſic Deus decrevit, & Chriſtus Sacramenta ſic inſtituit. Cæterùm non video implicantiam, propter quam non poſſet à Deo ibi poni Sacramentaliter Corpus Chriſti, tametſi ſpecies Sacramentales non adeſſent.

4. Demum quò ad *Ubi* definitivum prob. Siquidem Thomiſticè loquendo, Angelus eſt in loco per operationem, quæ ſemper eſt in ordine ad aliquod extrinſecum.

SCISCITABERIS SECUNDO.

Unde ſumatur immobilitas loci.

D I C O.

Immobilitas Loci ſumitur ex determinata diſtantia à polis mundi, & centro Terræ.

1. Noto, quòd ſuperficies ambiens locatum ſumi dupliciter poteſt. Primò materialiter, & ſecundùm ſuum eſſe. Et hoc pacto non eſt locus, cùm non ſit immobilis. Quandoquidem ſuperficies aeris V. G. Turrim ambiens continuò movetur. Secundò formaliter prout ſtat ſub tali, vel tali diſtantia à polis mundi, & centro terræ. Et hoc modo eſt locus. Similiter dupliciter diſtantia illa ſumi poteſt. Primò materialiter, & ſecundùm eſſe. Et prout ſic non eſt ratio loci; cùm ſit accidens receptum in ſuperficie continente, ad cujus deficientiam deficit quoque ipſa diſtantia. Secundò formaliter, nimirum ſecundùm quòd ſemper eſt eadem æqualitas. Et iſto modo in præſenti ſumitur.

Qua ex re apparet veritas ejus, quod ſupra illuſtrando definitionem loci diximus, nimirum definitionem loci eſſe duntaxat phyſicam; quia talis diſtantia non eſt differentia ſuperficiei, ſecùs locus eſſet ſpecies quantitatis. Idcircò locus eſt compoſitum quoddam accidentale, quod eſſentialiter conflatur ex ſuperficie, ut ſubjecto, & diſtantia ut forma: ad eum modum, quo album eſt compoſitum accidentale eſſentialiter conflatum ex ſubjecto, & forma albedinis.

2. Eadem ex re infero contra eximium ex noſtris quendam in autographo, quòd tametſi ſuperficies, ac diſtantia materialiter varientur, adhuc ſemper manet idem locus poſitivè, & non tantùm negativè. Ad eum modum, quod licèt materia viventis toto vitæ decurſu continuæ ſubſit mutationi; quia tamen continuo vi caloris naturalis dum aliquæ partes deperduntur, & aliæ per nutritionem acquiruntur, remanet formaliter eadem poſitivè; eò quòd partes illæ ſemper ſub eadem continuantur forma.

Nec cum prælaudato in m. ſ. dicas, quòd materiale, & formale identificatur, adeoque ſi variantur ſuperficies materialiter, variantur quoque formaliter.

Non, inquam, id dixeris, Tum quia ex hoc ſequeretur, non remanere eundem locum, non tantùm poſitivè; ſed neque negativè. Tum quia falſum eſt, in noſtro caſu identificari materiale, & formale ſuperficiei. Etenim pro formali ſuperficiei locantis ſumimus ſuperficiem, quatenus ſtat ſub eadem diſtantia formaliter. Et quia plures ſuperficies realiter diſtinctæ poſſunt ſibi ſuccedere ſub eadem diſtantia formaliter; Idcircò materiale, & formale non identificantur realiter. Similiter diſtantiam pro formali ſumimus illam rationem diſtandi tanto ſpatii tractu, & nec majori, aut minori. Et quoniam omnes diſtantiæ, quæ ſubjectantur in illis ſuperficiebus ſucceſſivè advenientibus ſunt ratio diſtandi ſemper eodem modo: Idcircò eſt eadem diſtantia formaliter poſitivè, nec identificatur materiale, & formale in ipſa.

Manifeſtum hoc habetur in exemplo de ſuperficiebus aeris, turrim ambientis; ſicut & in Arbore plantata in medio fluminis, cui ſuccedaneè jugiter adveniunt novæ ſuperficies aquæ; & tamen cùm non moveatur arbor ſemper remanet in eadem diſtantia formaliter, ideſt in æquali diſtantia à polis mundi, & centro terræ.

3. Prob. modò placitum noſtrum. Immobilitas loci ſumi debet ex aliquo immobili; ſed non aliud, quàm poli mundi, & centrum terræ eſt excogitabile immobile, à quo poſſit loci immobilitas deſumi: ergo per ordinem ad polos mundi, & centrum terræ eſt deſumenda immobilitas loci.

4. Objicies 1. ex prælaudato in m. ſ. Locus eſt eſſentialiter immobilis; ſed poli mundi non ſunt eſſentialiter immobiles: ergo loci immobilitas deſumi nequit per ordinem ad mundi polos.

Secundò. Cum aliis. Si Terra, Aqua, & Aere quieſcente Deus moveret Cœlum versùs Orientem manerent omnia in eodem loco, cùm non moverentur localiter; & tamen mutaretur diſtantia à polis mundi: ergo &c.

Tertiò. Si Deus totum Univerſum ſurſum elevaret, omnia moverentur localiter, ac mutarent locum; & tamen haberent eandem diſtantiam à polis mundi; ergo &c.

Conf. ex Maſtrio. Siquidem ex noſtro aſſerto ſequeretur, Solem 21. Martii & 24. Septembris non moveri localiter; quia prædictis diebus Sol volvitur ſub Æquatore, ſive circulo æquinoctiali; ſed hoc apertè falſum deprehenditur, cùm Sol continuò localiter omni tempore moveatur: ergo &c. Inſuper ſequeretur, quòd duo corpora naturaliter eſſent in eodem loco; quia ſecundùm aliquos ex Coſmographis, & Geographis dantur corpora aliqua æqualiter diſtantia à polis mundi: ergo ex hac diſtantia ſumi nequit immobilitas loci.

5. His argumentis victi prælaudatus in m. ſ & Maſtrius à communi receſſere loquendi modo. Nam primus dicit, quòd quamvis connaturaliter loquendo immobilitas loci ſumatur ex illa diſtantia à polis mundi; non tamen eſſentialiter, ſed eſſentialiter ſumitur ex quadam præſentia, & ſitu exiſtente in ſuperficie corporis continentis, eſſentialiter affixa huic ſpatio imaginario. Secundus verò aſſeverat immobilitatem loci ſumendam eſſe ex diverſis partibus virtualibus Divinæ naturæ.

Neuter tamen hic dicendi modus eſt admittendus. Non primus. Tum quia hoc ſpatium imaginarium, ceu nihil, aut pura negatio, ſive privatio, nihil poteſt conferre ad locum realem poſitivum. Tum quia ſi immobilitas loci eſſentialiter ſumitur ex illa præſentia, & illo ſitu affixo ſpatio imaginario, jam ſuperfluum eſt ponere aliquid aliud, nimirum polos mundi, à quibus connaturaliter deſumatur.

Neque ſecundus, quia ſi locus diceretur immobilis per ordinem ad diverſas partes virtuales, Divinæ eſſentiæ, deberet quoque per ordinem ad illas eſſe indefectibilis, cùm partes illæ non minùs indefectibiles, quàm immobiles ſint. Hoc autem quis dicet. Locus namque, cùm ſit quid creatum, defectibilis eſſe debet.

6. His ergo dicendi modis exploſis.

Reſp. ad 1. objectionem diſt. maj. eſt eſſentialiter immobilis, & indefectibilis, nego, præciſè immobilis, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam; ac dico, quòd in caſu, quo moverentur poli mundi (ut eſt poſſibile) tum non mutaretur, ideſt moveretur locus, ſed deſtrueretur, & alius haberetur diſtinctus.

Ad 2. nego, quòd in tali caſu omnia manerent in eodem loco. Nec tamen mutarent locum per motum localem, cùm non moverentur localiter, ſed mutarent locum philoſophicè, quia primus deſtrueretur, & alter adveniret per mutationem talis diſtantiæ.

Ad 3. diſt. min. haberent eandem diſtantiam, formaliter tamen interciſam, ſive interruptam, concedo, non

inter-

interruptam, nego ant. & conſequentiam. Ad unitatem itaque loci requiritur quidem eadem diſtantia formaliter, ideſt faciens æqualiter diſtare; nunquam tamen debet eſſe interrupta, ſed omnes illæ æquales diſtantiæ debent ſibi continuatè ſuccedere. Et quia in caſu adducto dicta diſtantia interrumperetur per motum illum localem, factum ad motum totius Univerſi, idcircò & mutaretur locus.

Alia reſponſa videri apud alios Scriptores poſſunt.

Ad primum inconveniens adductum in Confirmatione, nego ſequelam. Quandoquidem duplex motus in Sole extat, ſicut & in quolibet Orbe Cœleſti dempto primo mobili. Unus, quo movetur motu communi primi mobilis, quem conficit ſpatio 24. horarum. Alter, quo movetur motu ſibi proprio: ad eum modum, quo ſi quis in Navi exiſtens, dum ea fertur Orientem verſus, deambularet Occidentem verſus. Quamquam igitur 21. Martii, & 24. Septembris Sol motu proprio non moveatur; motu tamen communi jugiter movetur eodem modo. Ob idque nuſquam in eodem perdurat loco.

Et nota, quòd cùm dicimus immobilitatem loci deſumi ex diſtantia à polis mundi, intelligimus cum eodem aſpectu ad mundi Polos. Quando autem Sol eſt in noſtro Hemiſphærio tametſi habeat eandem diſtantiam à polis mundi, ac quando eſt in alio Hemiſphærio, non tamen eſt in eodem aſpectu ad mundi polos. Ob idque tum tametſi maneat eadem materialiter ſuperficies ambiens; non tamen formaliter: ſicut nuper diximus, interdum eſſe eandem formaliter, tametſi diverſam materialiter.

Ad 2. nego ſequelam. Nec eſt poſſibile, duo corpora æqualiter in eodem aſpectu diſtare à Polis mundi. Quòd ſi qui id affirmavere, dicendum eſt, vel locutos fuiſſe de æquali diſtantia in diverſo aſpectu, vel de æqualitate imperfecta; vel denique errаſſe.

QUÆRES TERTIO.

Num Corpora omnia ſint in loco.

DICO.

Corpora omnia ſunt in loco, demptâ ultimâ ſphærâ, quæ eſt in loco duntaxat ſecundùm partes, & in potentia; non verò ſecundùm ſe totam, & in actu.

1. QUòd ad p. p. eſt indubitatiſſima. Palam namque eſt, unumquodque ex corporibus contineri in alio; ſive ut in loco naturali; qui qualitates tenet conſervativas; ſive violento, & inimico, qui nimirum qualitates noxias habet; ſive mathematico, nullum horum concernente.

2. Quantùm ad 2. p. ex eo fit conſtans, quia ſupra ultimam ſphæram (quæ ſecundùm Fideles eſt Empyreum) nullus realis extat locus, ſed duntaxat extant ſpatia imaginaria, de quibus quæſito ſequenti 4. ergo ſecundùm ſe totam non eſt actu in loco.

3. Quòd verò ſit in loco in potentia, & ſecundùm partes declaratur. Etenim cùm ſit aliquid continuum habet partes diviſibiles, quæ ſi actu dividerentur, una poſſet in alia contineri: ergo ſecundùm partes eſt in loco in potentia.

4. Objicies 1. In ſententia Ariſtotelis ultima ſphæra eſt primum mobile; ſed primum mobile movetur actu localiter: ergo eſt in loco in actu.

Secundò. Ex hoc ex aſſerto noſtro ſequitur, Cœlum eſſe in loco in potentia ſecundùm ſe totum; quia eſt poſſibilis, licèt non detur locus realis ſupra ultimam ſphæram.

Reſp. ad 1. Data maj. diſt. min. movetur in actu mutando locum ſecundùm ſe totum, nego, ſecundùm partes, concedo min. & nego conſequentiam. Ultima itaque ſphæra, ſicut & cæteri orbes, cùm moveantur motu circulari, qui fit ſemper ſecundùm totum corpus in eadem diſtantia, non eſt opus ſecundùm ſe totam acquirere locum per hujuſmodi motum.

Dices, ergo ſaltem ſecundùm partes erit actu in loco; quia ſaltem ſecundùm partes mutat locum per hoc, quod una in alterius diſtantia ſuccedit.

Reſp. nego conſequentiam. Quandoquidem tametſi una ex partibus in alterius diſtantia ſucceſſivè adveniat; non tamen una dicitur diſtinctum acquirere locum à loco alterius; quia ad hoc requireretur, eſſe diviſas, cùm ea, quæ diverſis in locis exiſtunt ſint diviſa.

Ad 2. Reſp. cum Joanne à S. Thoma, quòd etiam in illo ſenſu ab objiciente prædeclarato dici poſſet, ultimam ſphæram eſſe in loco ſecundùm ſe totam in potentia. Quia tamen locus ille non eſt actu in re, tametſi poſſibilis ſit: Idcircò congruentiùs dicitur, eſſe in loco in potentia ſecundùm partes, quàm ſecundùm ſe totam.

Addo, quod ſi extaret alius locus realis ſupra Empyreum, deberet quoque extare aliud corpus continens, cujus locus ille eſſet ſuperficies; ſicque extaret alia ſphæra, ob idque non eſſet ultima.

Sed pro Complemento

QUÆRES QUARTO.

Quid de ſpatiis imaginariis ſentiendum.

1. DE his nonnihil diximus contra Carteſium lib. præcedenti 3. quæſt. 2 art. 1. §. 3. num 9.

2. Diſputari autem ſolet num ſpatia illa ſint quid reale. Quam tamen diſputationem dicit Maſtrius, eſſe de ſola voce. Etenim qui dicunt, eſſe quid reale, non intendunt, eſſe quid reale poſitivum, ſed quid purè negativum, nimirum negatio realis, ſeu negatio habens eſſe independenter ab intellectu, ſicut tenebræ dicuntur eſſe quid reale. Imò ipſemet Saguens hic tom. 2. diſp. 6. art. 6. num. 9. victus illo argumento facto etiam à nobis in principio hujus quæſtionis refellendo tertium errorem veterum Philoſophorum & hic applicando, nimirum quòd nequeunt eſſe ſubſtantia, nec accidens, reſpondet in ſolutionibus argumentorum ad primum eſſe quid reale negativum; & dat exemplum de tenebris, quæ non ſunt ſubſtantia, nec accidens; & tamen ſunt quid reale. Qui verò negant eſſe quid reale (inquit Maſtrius) negant duntaxat eſſe quid reale poſitivum. Quod certè negari non poſſe videtur. Etenim ponamus, quòd extaret aliquod vacuum, quod ſupernaturaliter eſſe poſſibile videbimus infra, ſanè ibi non adeſſet, niſi mera negatio. Tum quia Deus extra hunc Mundum poteſt creare alium Orbem; & tamen ſpatia non ſunt producibilia, quia produci eſt fieri alicubi exiſtens; ſicque exiſtentia ſpatii eſſet in ſpatio, & ſic in infinitum. Idque tùm de tempore imaginario, tùm de ſpatio imaginario, Jo: à S. Th. 3. p. ſuæ Philoſophiæ quæ eſt de ente mobili generabili & corruptibili q. 2. quæ eſt de reproductione rei corruptæ art. 1. ad 2. conſ. 2. arg.

Verum eſt tamen, quod ſupra lib. præcedenti 3. q. 2. art. 1. num. 9 diximus contra Carteſium, ſpatia illa imaginaria non eſſe replebilia; ſed tamen ibi loquebamur de aliquo reali poſitivo ambiente replebili; quia Carteſius vult, ſpatia illa imaginaria eſſet quid reale poſitivum phyſicum.

Cæterum, quòd ſint quid reale negativum indefinitum extramundanum non negamus. De quo iterum art. ſequenti §. 3. ad 1. arg. num. 7.

3. Major difficultas fieri ſolet, num Deus ſit in illis ſpatiis extramundanis, ſive imaginariis, quæ nos ad modum alicujus poſitivi imaginamur, & idcircò imaginaria dicuntur.

Ubi negant omnes Thomiſtæ, quia cùm defendant p. p. Deum, ubicunque eſt, eſſe per operationem, & quòd ratio formalis ejus eſſendi in loco ſit operatio, & aliàs Deus circa puram negationem nihil operetur, non eſt in ſpatiis illis extramundanis, quæ ſunt mera negatio, aut privatio. Dicunt tamen, eſſe in illis virtualiter, quatenus poteſt ibi, ſi velit, operari creando ibi quid reale poſitivum. Et hoc modo ſalvant Dei immenſitatem.

Negant quoque Vaſquez, & Scotiſtæ, dempto Maſtrio, ad aliena tranſeunte caſtra; & ſalvant Dei immenſitatem, dicendo, quòd eſt ibi aptitudinaliter, circa quòd eos impugnat Maſtrius, ſed de hoc nihil ad nos. Imò idem Maſtrius putat item de voce, quia qui negant, ibi Deum adeſſe, duntaxat negant, ibi eſſe tanquam in loco, quod nec oppoſita ſententia prætendit, ſed decipitur, quia nullo modo ibi eſſe formaliter decipitur igitur ipſe poſt Suarez, & Valentiam.

Affirmant autem præcitatus Saguens, Maſtrius, & plerique alii apud ipſum.

4. Prob. ant. 1. quia ſi Deus crearet aliquod in ſpatiis imaginariis (ſicut in illis creavit Mundum in principio) tum illud ibi adeſſet, licèt non tanquam in loco; ergo multò magis Deus ibi eſſe poterit, & erit.

Secundò. Deus eſt ubicunque poteſt operari cum ſit ſua

operatio; ſed Deus poteſt operari in ſpatiis imaginariis: ergo eſt io illis.

Confirmat Saguens; quia aliàs ſequeretur, Deum eſſe mutabilem, Nam ſi crearet ibi alium mundum, tunc fieret ibi præſens, ubi priùs præſens non erat, ſicut Angelus ſi juberetur progredi ad centum milliaria.

Tertiò nonnullis Sanctorum PP. aurboritatibus.

Ad 1. Reſpondent nonnulli cum Smiſinch negando, quòd poſſit vel à Deo ipſo aliquid in ſpatiis imaginariis produci, ſicut nihil poteſt produci in chimæra, & ſpatia imaginaria dicunr, puram eſse chimæram.

Verùm id dici nequaquam poteſt, ut ex dictis num. 2. & ſanè antequam produceretur Orbis, ubi nunç eſt Mundus non erant, niſi ſpatia imaginaria.

Præterea corpora Beatorum ſupra Empyreum regnant, & pedibus convexum Empyrei premunt; & ſuper omnes Cœlos conſcendit Chriſtus, ut ex ſcripturis deducit S. Th. qui eſtò in 3. ſent. diſt 22. q. 3. art. 3. q 1. ad 1. dixerit; quòd cùm habetur, Chriſtum aſcendiſse ſuper omnes Cœlos, intelligitur, aſcendiſse ad ſupremam uſque Empyrei partem, non verò ſupra illam; tamen poſtea 3. p. q. 57. art. 4. per totum, ſed præſertim ad 4. arg apertè docet, ſupra totum Empyreum aſcendiſse. Aliter igitur

Reſp. ad 1. Dato ant. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas ex dictis eniteſcit, quia nimirum ubicunque eſt Deus, ibi eſt per ſuam operationem, & ibi operando, vel producendo aliquid, vel conſervando illud in eſse, Non ſic autem corpora.

Dices. Etiam Angelus, Thomiſticis hærendo principiis eſt in loco per operationem; & tamen ſi à Deo in ſpatiis extramundanis crearetur Angelus eſset ibi, licèt non tanquam alicubi, ſive tanquam in loco: ergo & Deus licèt ſit per operationem.

Reſp. primodùm tranſeat ant. quod non probat objiciens, nimirum poſse ibi produci, aut poni Angelum, & nego conſequentiam, & paritatem. Quandoquidem ſi ibi poneretur Angelus eſset in ſtatu violento, cùm ſpiritualis ſubſtantia impedita à ſuis operationibus ſit in ſtatu violento, ut etiam dicemus in Metaphyſica quæſt. 53. quæ erit de Anima ſeparata art. 2. §. 3. ad 2. arg. ſub finem numeri 6. Non repugnat autem, Angelum poni à Deo in ſtatu violento, benè verò repugnat, Deum eſse in ſtatu violento.

Deinde alia diſparitas aſſignatur à Jo: de S. Th. p. p. q 8. diſp. 8. num. 24. quia nimirum Angelus operatur, non circa ſpatium ubi eſt, ſed circa rem exiſtentem in ſpatio, idcircò antequam operetur in ſpatio in aliquo priori eſt aſſiſtens ipſi ſpatio. At verò Deus operatur etiam circa ipſum ſpatium, ubi eſt, quid poſitivum eum vel producendo, vel conſervando &c. Vid. Jo: à S. Th. ibi.

Ad 2. diſt. ant. eſt virtualiter ubicunque poteſt operari concedo, eſt formaliter, nego. Eſt enim formaliter ubi actu operatur, cùm ſit ſua operatio.

Ad conſ. quæ poſset contra præſentem urgere ſolutionem primiter, cum Jo: à S. Th. ubi nuper à num. 28. nego ſequelam. Ad prob. annexam diſt. ant. fieret ei præſens aliquid in ſe recipiendo, nego, aliquid in eo, quod produceret, cauſando, concedo. Nam fieret ei præſens, quatenus ejus actio novum connotaret effectum, cùm Deus fiat præſens operando &c. Vid. ipſe ibi.

Præterea dico, quòd licèt à Deo poſſit abſolutè alius orbis creari, ſicut iſtum in tempore creavit; tamen ex ſuppoſitione, quòd decreverit alium non creare, non poteſt alius creari, ſecùs Deus ſuum mutaret decretum. Si autem decreviſset & alium creare, iſte quoque fuiſset intra numerum rerum futurarum. Futura autem ſunt Deo phyſicè præſentia ab æterno in menſura æternitatis per Thomiſtas. Et Deus ab æterno produxit per actionem ſibi identificatam omnia futura, tamen ut ponenda in tempora, ſeu quantùm eſt de ſe ea producit ab æterno, licèt ex parte effectus non habeatur ejus eſse, niſi pro eo tempore, quod Divina decrevit voluntas; unde dum aliquid de novo producit, non elicit Deus novam actionem.

Ad 3. Reſp. SS. Patres velle, quòd Deus ſit in ſpatiis extramundanis duntaxat virtualiter.

Nec obeſt, quòd objicit Maſtrius, nimirum quòd SS. PP. dicant, eſse & in mundo, & extra mundum, adeoque ſicut in mundo eſt formaliter, ita & extra.

Non, inquam. Non enim credendum, eos velle, quòd eodem modo ſint in mundo, & extra mundum; alioquin ſicut in ſpatiis mundanis eſt tanquam in aliquo reali poſitivo, ita eſset, & in extramundanis, ſive imaginariis; quod nec Maſtrius admittit.

Vid. Jo: à S. Th. ubi ſupra p. p. q. 8. diſp. 8. art. 4.

Et ſi petas Ubi erat Deus priùs quàm mundus fieret; Reſp. quod erat in ſeipſo.

ARTICULUS PRIMUS.

Nam locus, ut vulgò uſurpatur, conſiſtat in eo, quod Carteſio placet.

§. I.

1. DIxi *ut vulgò uſurpatur*. Quandoquidem ſi loquamur de loco tangente, & immediatè locatum ambiente fatetur vel ipſe Carteſius princip. Phil. parte 2. art. 15. poſse ſumi pro ſuperficie, quæ locatum ambit, quamquam ejuſmodi ſuperficiei immobilitatem non explicet. At loquendo de loco, ut apud Vulgum, nimirum ſpatium in quo corpora, non tantum locata, verùm & locantia recipiuntur, ſicut & ſpatia extramundana vult, eſse corpus, ſive ſubſtantiam corpoream in longum, & latum protenſam, ejuſdemque naturæ cum aliis corporibus, quæ omnia in extenſione conſiſtere contendit, ut lib. primo vidimus. Ob idque dicit, eandem eſse ſubſtantiam, ſive (ut ipſe loquitur) materiam, quæ intra Cœlos moveatur, & ultra Cœlos immota conſiſtat.

2. Contra Carteſianam hanc doctrinam invehitur (ſemel juſtè) Saguens, dicens, ex hujuſcemodi Carteſianæ Philoſophiæ erroribus alios pejores, hæreſique propiores erui, ut poſtea refellendo Carteſii opinionem probat, eique ſe opponere obteſtatur, ut illius mortiferæ doctrinæ periculum caveatur. Utinam quo hic fuiſset ubique zelo incenſus Saguens, & præſertim ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico.

§. II.

Concluſio adversùs Carteſium.

Spatium locale eſt quid merè aut negativum, aut privativum, interdum privatum, non verò corpus.

3. QUò ad p. p. liquet ex dictis prægreſſo quæſito 4. & conſtat in caſu, quo extaret Divinitùs aliquod vacuum, eademque prima pars inferetur ex ſecundæ partis probatione. Igitur

4. Prob. quò ad 2. p. primò ex dictis in præloquiis quæſtionis hujus, refellendo tertium Priſcorum Philoſophorum errorem. Siquidem duæ quantitates, ſive Duo corpora nequeunt naturaliter eſſe, & penetrari in eodem loco, ut ex communi conſenſu art. ſequenti dicetur, nec inficiatur Carteſius; ſed ſi ſpatium eſſet ſubſtantia extenſa, ſive corpus, jam duo corpora naturaliter forent in eodem loco; ergo ſpatium non eſt corpus &c. Prob. min. Corpus locatum eſt ibidem, ubi eſt ſpatium, in quo ponitur: ergo &c. Et certè quando Deus creavit hunc mundum, creavit illum in ſpatio.

Nec valet cum Carteſianis dicere, quòd ubi eſt corpus non eſt ſpatium, & quando corpus aliquod movetur ad alium locum, ſpatium illud, ad quod tranſadigit, illò movetur, ubi prius erat corpus illud. Et quando Deus creavit mundum, deſtruxit ſpatia ubi creavit corpora.

Non, inquam. Siquidem hoc non eſt aliquid poni in ſpatio, ſi ſpatium ab eo fugit. Sicut non diceretur aliquid poni in loco, ſi locus à locato fugeret.

5. Prob. 2. ex dictis lib. antecto 3. quæſt. 2. art. 1. §. 3. n. 9. Quoniam ſi ſpatium eſſet quid reale poſitivum, jam ſequeretur, extare aliquid reale poſitivum à Deo non productum; ſed hoc aſſerere eſſet Fidei valedicere: ergo ſpatium non eſt quid reale poſitivum. Min. conſtat, quoniam eſſet ponere quid reale poſitivum improductum, habens eſſe à ſe, proindeque alium Deum, vel cum Epicuræis omnia à caſu eveniſſe. Maj. prob. etenim cùm Deus omnia creavit, aliquo in ſpatio ea creavit, quod ſpatium ſi fuit & ipſum creatum, in aliquo fuit creatum ſpatio, quod ad creationem præſupponebatur.

Conſ. Per Carteſium ſpatia imaginaria ſunt quid reale poſitivum. Tum verò ſic. Antequam Mundus crearetur, ubi

Google

ubi nunc creatus eſt, aderant imaginaria ſpatia, & in illis fuit Mundus creatus: ergo illa aderant ante omnem creationem increata.

6 Prob. 3 etenim hac ſua ea doctrina Carteſius trahitur ad aberrandum ab unanimi Philoſophorum conſenſu, non tantùm quòad illam ſpatii ſubſtantialitatem, verùm etiam quòad vacui poſſibilitatem, quod nec ſupernaturaliter eſſe poſſibile obteſtatur: & aliàs eſſe ſupernaturaliter poſſibile videbimus quæſtione ſequenti. Quamquam mirum videtur, quomodo id dicere potuerit etiam cohærenter ad ſua principia. Quandoquidem cùm Deus orbem creavit, vel Deus deſtruxit ſpatia ubi Mundum creavit, ſicut hic num. 4. dictum eſt. Et tunc non video, cur deſtructis ſpatiis illis non potuerit abſtinere à Mundi creatione, ſicque vacuum relinquere, ubi ſpatiorum illorum eſt ruina. Vel non deſtruxit. Et en duo corpora eodem in loco, corporumque naturalem penetrationem, quam vel ipſe Carteſius impoſſibilem dicit, etiam ſupernaturaliter parte prima art. 53. ubi corporum eſſentias in extenſione ponit.

§. III.

Argumenta, & ſolutiones.

7. ARg. 1. Spatia localia ſunt ens reale; ſed non accidens, cùm nulli ſubjecto inhæreant, quicquid ſit de loco, juxta dicta §. 5. num. 1. ergo ſubſtantia; non ſpiritualis, & incorporea: ergo materialis, & corporea, ſive corpus. Conſequentia eſt exacta; quia ens reale ſubſtantiale dividitur in creatum, & in increatum, corporeum, & incorporeum. Ant. verò prob. ſiquidem non ſunt nihil reale, nec ens rationis, cùm (ut præcedenti quæſito 4. n. 55. & num. 4. ibi vidimus) ſint quid realiter præcedens, & quid in rerum natura independenter ab intellectu: ergo &c.

Si reſpondeas cum Saguens, quòd eſt quid reale negativum, ſeu privativum, non verò poſitivum.

Contra, quoniam omne ens reale eſt quid reale poſitivum; ſed jam probatum eſt, eſſe ens & ens reale, cùm ens reale, & non ens reale, ſive nihil reale, ſint contradictoria, inter quæ non extat medium, & aliàs, ut vidimus, ſpatia illa non ſint nihil reale; ergo erunt quid reale poſitivè eo, vel maximè quòd omne nihil reale eſt quid reale negativum negans, aut privans aliquod reale, proindeque & ſpatia illa poterunt eſſe quid reale negativum, aut privativum, tametſi nihil ſint; quod & Saguens negat, ut præcedenti quæſitò 4. viſum eſt. Aliter igitur

Reſp. diſt. maj. ſunt ens reale in recto, nego, in obliquo tantùm, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Sunt ergo ens reale, non quidem in ſe, & in recto, quo pacto purum nihil reale ſunt, ſed in obliquo, & ex parte ejus, quod in ſpatiis illis poni poteſt, quodque à tali privatione connotatur.

Contra. Omne, & quodcunque nihilum reale poteſt hoc modo dici ens reale in obliquo, & ex parte ejus, à quo connotatur: ergo per hoc non diſtinguitur ſpatium à nihilo. Prob. ant. quoniam omne nihilum reale eſt negatio, aut privatio entis realis: ergo connotat illud: quod negat, &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. dato ant. diſt. conſequens connotat, eodem modo, nego, diverſo modo, concedo conſequentiam. Nonnullæ igitur extant negationes, quæ negant præcisè id, quod non ſunt, ſicut V. G. chimæra negat, eſſe verum animal. Et iſtæ nec in obliquo ſunt quid reale, quia non ſolùm illa negatio non eſt illud animal, quod negat in ſe, ſed nec extat in re tale animal, quod ipſa negat, quodque eam connotare poſſit. Extant autem aliæ negationes, quæ negant aliquid, quod extat in re, à quo proinde connotari poſſunt: ut in caſu noſtro, in quo negatio illa, in qua conſiſtit ſpatium, licèt dicat negationem ſpatii realis poſitivi, quod nec extat, nec eſt poſſibile; Et ſecundùm hoc ſit purum nihil: tamen dicit etiam negationem ſeu potiùs privationem rei in tali ſpatio producibilis dum adhuc in ea non eſt producta; eamque connotat. Et ſecundùm hoc eſt quid reale in obliquo, & ex parte connotati, ſive connotantis. Undè quando res ibi eſt producta, ſicut non eſt ampliùs negatio talis rei, ita nec eſt propriè, & rigoroſè ſpatium, ſed tunc eſt res ibi producta, quæ propriè dici nequit ſpatium, ſed in ſpatio, ſeu intra ſpatium, quod immediatè eſt extra, & circum illam, ut de ultima ſphæra dictum eſt in quæſito 3.

Qua ex re habes, quòd etiam tenebræ V. G. ſunt ens reale hoc modo in obliquo, quia ſunt carentia alicujus poſitivi realis, quod extat, vel eſt poſſibile, nimirum loci; ſicque ſolemus dicere, aliquid eſſe in tenebris, non minùs, ac dici ſoleat, aliquid eſſe in ſpatio.

Dices. Negatio eſt carentia in ſubjecto incapaci, & privatio eſt carentia alicujus in ſubjecto capaci: ergo ſi ſpatia ſunt negatio, aut privatio realis, ſupponunt aliquod ſubjectum reale in quo ſunt; cùm igitur hoc non ſit excogitabile ſubjectum, non erunt negatio, nec privatio.

Reſp. diſt. maj. negatio, & privatio infinitans, concedo, negatio negans, nego ant. & conſequentiam. Animadvertendum venit, quòd in his, in quibus negatio, aut privatio eſt in ſubjecto, licèt ſoleat ex loquendi uſu proferri ut negans, aut privans dicendo V. G. *lapis non eſt videns*. item in privationibus V. G. *Materia ligni eſt non habens formam ignis*, ſive *materia ligni non eſt habens formam ignis* &c. re vera tamen eſt privatio, & negatio infinitans, & deberet ſic proferri *Materia ligni eſt habens non formam ignis*, & facit ſenſum, quòd aliquid habeat, nimirum formam ligni, aut quid aliud: & ſimiliter *lapis eſt non videns*, & facit ſenſum, quòd ſit aliquid, ſed non videns, nimirum quòd ſit ſubſtantia, corpus, &c. ſed non videns. At non ſic in negationibus negantibus, aut privationibus purè privantibus. Quod perſpicuum fit, tum de negationibus in ipſo nihilo reali. Nam nihil reale eſt realis negatio entis; & tamen non dicitur de aliquo ſubjecto, cùm ſubjectum non ſit nihili. Tum de privationibus in ipſis tenebris, quæ tametſi interdum de ſubjecto aliquo dicantur, nimirum de aere luce privato; tamen id non petit neceſſariò, quia non petit neceſſariò eſſe privatio infinitans: Ob idque ſi Deus deſtrueret totum aerem, qui eſt ſupra terram, & infra Cœlum & omnem realitatem poſitivam ſpatii, quam Carteſius adſtruit per poſſibile, vel impoſſibile, (ſi Carteſius contenderet non eſſe deſtruibile) totum ſpatium illud maneret in tenebris. Quo etiam modo dicimus, eſſe tenebras ultra Empyreum in ſpatiis extramundanis, quamquam nullum ibi ſit reale ſubjectum poſitivum. Et ſanè antequam Deus crearet Orbem, aut ſpatia illa imaginaria, quæ erant priùs ubi nunc mundus extat, quæque Carteſius, corpora eſſe dicit realia, erant tenebræ, cùm ibi non eſſet lux; & tamen nullum aderat reale poſitivum ſubjectum, in quo eſſent tenebræ, quæ ſunt privatio lucis, imò tunc erant lucis negatio, cùm non adeſſet capacitas ad lucem, cujus nullum tum aderat ſubjectum receptivum, ceu formæ poſitivæ.

Quomodo autem ſpatium dicatur privatio, quæ capacitatem, ad differentiam negationis, importat. Dico, eſſe privationem, quatenus eſt cum capacitate, ut ubi eſt hujuſmodi ſpatium producatur, & ponatur aliquid. Eſt capacitas, inquam, non quidem poſitiva, qua poſſit poni in eo aliquid per adhæſionem poſitivam ejus, quod ibi ponitur ad tale ſpatium, ſive ad talem privationem, cùm non ſit quid poſitivum: ſed capacitas quædam negativa, non quidem ſumpta capacitate negativa pro negatione capacitatis, ſed pro non obſiſtentia, quatenus non impedit, quòd aliquid creetur, ibique ponatur: ſicut diximus in caſu, quo Deus deſtrueret aerem, & omne corpus vel in Aula, vel in ſpatio, quod eſt Cœlum inter & terram intercapedo, non remaneret ibi, niſi negatio, aut privatio quædam, quæ non impediret, quin ibi aliquid produceretur, & poneretur.

8. Arg. 2. Nihil, & negatio, aut privatio non ſunt quid menſurabile; ſed ſpatium eſt quid realiter menſurabile: ergo debet eſſe quid reale poſitivum. Min. quæ ſola indiget, ſi verè indiget prob. manifeſtatur. Siquidem poteſt menſurari quanta ſit ejus latitudo, longitudo, &c.

Conf. Nihili nullæ ſunt proprietates; ſed ſpatium habet ſuas proprietates, nimirum eſt diviſibile, extenſum, menſurabile, implebile, idoneum ad determinandas rerum diſtantias &c. ergo &c.

Reſp. ad arg. omiſſa Joannis Saguens ſolutione, quæ non continet, niſi verba, diſt. maj. negatio, & privatio non ſunt quid menſurabile ratione ſui, concedo, ratione alterius, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Nam quemadmodum docent Noſtrates cum D. Th. in tract. de Scientia Dei, negationes, & privationes, non eſſe cognoſcibiles per ſe, ſed duntaxat per formas oppoſitas; ita dicimus, interdum eſſe menſurabiles ratione alicujus poſitivi, ſive ratione illorum poſitivorum, quæ inter ſe diſtant.

Ad conſ. dico, illas non eſſe proprietates poſitivas; quia ſpatium eſt diviſibile, non poſitivè, ſed duntaxat negativè, quatenus non eſt poſitivè indiviſibile: Inextenſum negativè, quatenus non eſt poſitivè inextenſum; Implebile negativè, modo nuper prædeclarato in fine numeri præcedentis: menſurabile ratione alterius, & hoc modo idoneum ad cognoſcendas rerum diſtantias.

9. Alia quædam argumenta, quæ affert, ac ſolvit Saguens omitto, quia parvi, vel nullius momenti ſunt.

10. Ex dictis colligitur, ſpatia nec eſſe quid creatum, nec increatum, ſicut nec tenebræ; quia eſſe creatum, vel increatum ſunt differentia entis poſitivi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num duo corpora queant ſupernaturaliter eſſe in eodem loco.

§. I.

1. DE circumſcriptivo loco potiſſimè dubium hoc movetur. Quandoquidem de loco Sacramentali, & de loco definitivo proprio Angelorum, de quo differunt Theologi in tract. de Angelis, nonnulla dicemus in ſolutionibus argumentorum.

Quod itaque in diſputationem trahitur eſt, poſſint ne duo corpora circumſcribi ab eadem ſuperficie cum eadem diſtantia à polis mundi, & centro terræ. Et ſub aliis terminis proponi conſuevit, *an ſcilicet duo corpora queant eodem penetrari in loco, id eſt valent unum intrare alterius ſinum:* penetrare etenim etymologicè idem perinde eſſe ac *penitùs intrare* videtur.

2. Sententiæ duæ dici poſſent, quoniam una prorsùs exſoleta manet; nihilominùs & iſtam recenſendo tres occurrunt, duæ extremæ falſæ, & altera media vera.

Prima extrema ſentit, duo corpora etiam naturaliter poſſe eodem in loco habere contubernium. Quæ opinio adeò à Scholis exul extat, ut nullus ei eater locus Philoſophico in diverſorio; licèt pro ea ſteriſſe videatur, reſte Arnù, Fernelius quidam lib. 2. ſuæ Philoſophiæ, & quidam Provena quodl. 3. quæſt. 7.

Secunda extrema renuit concedere, quòd etiam ſit ſupernaturaliter poſſibilis hujuſmodi penetratio. Iſtam pertinaciter propugnant Hæretici, præſertim Calvinianæ ſectæ, quò promptius realem Corporis Chriſti ſub Sacramentalibus ſpeciebus, earumque minimo ſub fragminulo oppugnare valeant. De quo §. ſequenti 3. ad 3. arg.

Eam quoque ratam habere tenetur quicunque cum Carteſio parte prima art. 53. ſentit, corporum eſſentias in extenſione poſitas eſſe.

Eandem non omnino improbabilem duxit Durandus, quamquam probabiliorem ducat oppoſitam, ceu ſacræ paginæ oraculis longè magis conformem; quem proinde excuſando commendat Saguens hic num. 3.

Tertia media eſt noſtra & communis.

§. II.

CONCLUSIO.

Non naturaliter, benè verò ſupernaturaliter eſt poſſibile, duo corpora eſſe circumſcriptivè in eodem loco.

3. QUòad p. p. in propatulo collocatur à quotidiano experimento, cùm nemo non videat, corpora ſeſe mutuò è ſuis locis propellere quoties unum alterius in locum irrumpit. Nec unquam contingit oppoſitum, ut conſtana fiet §. ſequenti 3. ſatisfaciendo nonnullis experientiunculis.

Et ratio ſuffragatur. Quandoquidem ſuapte natura quantitas eſt ex ſe de ſecundariò ſaltem extenſiva partium ſubjecti, ut pars correſpondeat parti loci, & totum locatum, ac tota quantitas correſpondeat toti loco: ergo etiam ut duæ partes, & duo locata totalia correſpondeant duobus locis totalibus, adeoque duo corpora naturaliter loquendo petunt duo loca, ut unum aliud expellat, cùm ejus locum invadit.

4. Quoad 2. p. Scripturæ Sacræ oracula, quæ communem inter Fideles eam reddidere, ea ſunt, quæ habentur Jo. 20. & Hebræor. 4. Joannis quidem 20. habetur, quod Chriſtus ad diſcipulos januis clauſis intravit *cùm fores eſſent clauſæ*. Hebræor. 4. quòd in Aſcenſione penetravit Cœlos *habentes Pontificem, qui penetravit Cœlos*.

Accedit concors Catholicorum omnium opinio, quòd idem Chriſtus Dominus exivit de utero Virginis inaperto, ut ejuſdem Virginis integritas etiam poſt partum locum haberet.

Accedit quoque quòd idem Chriſtus exivit de tumulo obſerato, ut communiter Patres docent, licèt non habeatur ex Evangelio.

Reſpondet Durandus ad 5. Chriſtum intraſſe ad diſcipulos quidem clauſis januis, ſed non per fores, benè verò per feneſtras, vel aliunde manentibus foribus clauſis. Sed

Contra obſtat, quòd inquit Damaſc. lib. 3. de fide orthodoxa cap. ultimo, ubi *per quem*, inquit, *quæſo locum pertranſiſſet; nam per foramen aliquod, aut per alium locum patentem? nequaquam, ſed per januas clauſas, præpotenti, & Divina virtute eas penetrando*. Et Aug. *Moli Corporis ubi Divinitas erat oſtia clauſa non obſtitere; ille quidem non eis apertis intrare potuit, quo naſcente Virginitas Matris inviolata permanſit*.

Reliquæ Durandi ſolutiones videri poſſunt confutatæ apud alios Scriptores, & noviſſimè apud Guerinois in tract. de Cœlo quæſt. 5 art. 2.

Tantùm volo adducere ſolutionem, quam adhibet ad illud, quod de Beatæ Virginis integritate dictum eſt. Reſpondet itaque ad hoc, quòd utique Chriſti in nativitate fractum, aut interruptum non fuit Virginis clauſtrum, ſed ſine ulla fractione, aut interruptione fuit laxatum ad eum perinde modum, quo contigiſſet in omnibus, ſi innocentiæ perduraſſet ſtatus. Sed

Contra ex nuperrimè cum Auguſtino dictis. Tum quia etiam in ſtatu innocentiæ mulieres cunctæ ullo abſque dolore, ac proinde abſque ulla fractione, aut diviſione peperiſſent cum ſola membrorum naturalium dilatatione, cujus veritatis teſtes Durandus, Auguſtinum, alioſque Sanctos Patres adhibuit; & tamen non cum tanta integritate Virginitatis, quanta ipſa Deipara erit: ergo ut ſingularis ejus prærogativa locum habeat, dicendum venit, nec laxationem virginei clauſtri in ea interveniſſe.

Solet item ex ſacris literis probari noſtra concluſio, quoniam in Valle Joſaphat corpora penetrabuntur in die Judicii, cùm ſit impoſſibile, omnes homines anguſto illo in ſpatio locum habere. Verùm tametſi probabile hoc ſit, & aſſeveretur à non paucis, præſertim ex Hebræis; tamen S. Th. in additionibus ad 3. p. quæſt. 88. art. 4. ad 1. alia via ſalvat exiſtentiam omnium in illa terra promiſſionis, ut videre eſt ibi.

5. Ratione autem probare non modò Carteſianis, qui corporum eſſentiam in extenſione conſiſtere obteſtantur, verùm & Neotericis, qui quantitatem, omnemque quantitatis effectum cum ſubſtantia identificatum ſtatuunt, impoſſibile cenſeo. Et re vera ad hoc probandum non habent, niſi verba; nec unquam, ut puto, veritatem iſtam propugnaſſent, niſi tot ſacræ paginæ teſtimonia extitiſſent. Et ſe vera Saguens hic ad 1. arg inſudat, ſed haud feliciter, ne eos tueretur, ſicut cuique eum legenti patebit.

6. Probat autem Scotus ſic. Sublata extenſione in ordine ad locum ab aliquo ex corporibus nullum ſupereſt impedimentum prohibens, duo corpora penetrari in eodem loco; ſed poteſt divinitùs adimi ab illis corporibus, vel ab altero illorum corporum extenſio in ordine ad locum: ergo divinitùs queunt duo corpora eodem penetrari in loco. De majori non eſt dubitandum, quia ſemota extenſione locali locus non remanet occupatus. Min. prob. Tum ex facto in corpore Chriſti, quòd juxta Univerſos Theologos in Sacramento Euchariſtiæ ſuam obtinet quantitatem abſque extenſione in ordine ad locum, cùm ſit ibi modo indiviſibili. Tum à priori, quia extenſio in ordine ad locum eſt effectus ſecundarius quantitatis, proindeque ab ea ſeparabilis.

Quæ ratiocinatio optimè quidem convincit, poſſe duo corpora eodem in loco penetrari. Adverto tamen, quòd in caſu quo ab altero, vel ab utroque adimeretur extenſio localis, tunc vel alterum, vel utrumque non eſſet tanquam in loco quantitativo, ſed potiùs ad modum ſubſtantiæ. Undè cùm Noſtrates propugnent poſſe duo corpora eſſe in eodem loco modo quantitativo, & circumſcriptivo, ac utriuſque locali extenſione retenta. Idcircò aliter

7 Pro-

7. Probatur concluſio à Complut. eò quòd poteſt Divinitùs ſuſpendi à quantitate actualis depulſio alterius ab eodem loco: ergo poſſunt Divinitùs duo corpora coexiſtere eodem in loco. Prob ant. Quemadmodum ad quantitatem ſequitur ut proprietas occupatio loci, ita ad occupationem loci ſequitur depulſio alterius; ſed poteſt Divinitùs à quantitate ſeparari occupatio loci, ſive extenſio in ordine ad locum, ceu effectus ſecundarius, ut ex Fidei ſtatuto de Corpore Chriſti exiſtente in Euchariſtia convincitur: ergo & ab extenſione locali, ideſt ab occupatione loci poterit ſejungi depulſio alterius ab eodem loco.

Quod ratiocinium ni ad aliam formam reducatur patitur offendiculum, quia ſecundùm doctrinam, quæ non infrequenter in noſtra Schola auditur, effectus ſecundarii privativi ſunt inſeparabiles: qua ratione à forma nequit tolli depulſio alterius formæ ab eadem materia; ſed depulſio alterius corporis ab eodem loco eſt effectus privativus; ergo eſt inſeparabilis.

Nec in tuto eſſet, ſi cum quodam ex Noſtris clariſſimo In m. ſ. quis reponeret, quòd effectus ſecundarius eſt inſeparabilis, quando eſt eſſentialiter connexus cum primario. Non, inquam. Siquidem ſupereſt aſſignare rationem, quare depulſio alterius formæ ſit effectus privativus eſſentialiter cum primario connexus; depulſio verò alterius quantitatis ab eodem loco ſit effectus ſecundarius privativus non eſſentialiter cum primario connexus. Si namque, dicatur, ideo primum eſſe eſſentialiter connexum, quia ſecùs forma non daret primum eſſe, ita dicere quis poſſet, quòd ſi tolleretur à quantitate depulſio alterius ab eodem loco, non occuparet locum, quia ſupponeret occupatum ab alia. Ob idque ſicut in primo caſu ex deficientia effectus ſecundarii deficeret primarius, ita & in ſecundo caſu deficeret effectus primarius, vel ſaltem localis extenſio, ad quam immediatè conſequitur depulſio, & impenetratio.

Alio itaque modo dicta ratiocinatio cum Jo: à S. Th. formatur. Eatenus duo corpora ſe depellunt, ſuntque impenetrabilia in eodem loco, quatenus ſe tangunt ſecundùm extremitates; ſed poteſt divinitùs adimi duobus à corporibus contactus ſecundùm extremitates, ſtante eorum locali extenſione: ergo ſupernaturaliter poſſunt duo corpora eſſe circumſcriptivè in eodem loco. Maj eſt nota, cùm experimento conſtet, extraneitatem localem corporum hoc modo fieri, per hoc nempe, quòd unum corpus tangendo aliud ſecundùm extremitates, & propellendo illud, ab eo loco eum detrudit, ejuſque ſubintrat locum. Min. verò prob. Quemadmodum localis extenſio, ſive occupatio loci ſequitur ad quantitatem, ita contactus corporum ſecundùm extremitates ſequitur ad extenſionem localem, ſive occupationem loci; ſed retenta quantitate auferri poteſt extenſio localis, ſive occupatio loci: ergo pariter retenta extenſione locali poterit ſejungi contactus ſecundùm extremitates. Maj. eniteſcit, quia ſicut eatenus aliquid extenditur ad locum quatenus eſt extenſum in ſe, ita eatenus tangit aliud corpus, quatenus eſt localiter extenſum. Min. verò ultra quamquod debet ab unoquoque ex Fidelibus admitti, ſtante exiſtentia Corporis Chriſti in Euchariſtia cum ſua quantitate, & abſque extenſione locali, utpote indiviſibili modo prob. quoniam priùs non dependet à poſteriori eſſentialiter; ſed talis extenſio in ſe eſt prior extenſione in ordine ad locum, ut fusè, ac ineluctabiliter probavi in Logica tract. 4. qui fuit de prædicamentis q. 4. quæ fuit de quantitate art. 1. §. 2. ergo &c. Vide ibi

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumenta.

8. ARg. 1. contra p. p. probando, duo corpora poſſe naturaliter eodem in loco adeſſe. Poſſunt naturaliter duo Angeli eſſe in eodem loco definitivo: ergo pariter & duo corpora per modum unius naturaliter eodem coexiſtere in loco circumſcriptivo. Ant. videtur non negandum à Thomiſtis, quia ſecundùm ipſos Angelus eſt in loco per operationem; ſed poſſunt duæ cauſæ totales in actu primo operari in actu ſecundo partialiter per modum unius, ut perſpicuum eſt ex dictis lib. 2. q. 3. art. unico §. 3. ergo poſſunt naturaliter duo Angeli per modum unius eſſe in eodem loco definitivo. Conſequentia verò prob. etenim quemadmodum quod exiſtit in loco circumſcriptivè continetur à loco, ita quod exiſtit in loco definitivè continet locum, à quo non continetur; ſed non videtur major repugnantia, quòd unus locus duo contineat locata, quàm quod duo locata eundem contineant locum; ergo ſi poſſunt duo Angeli &c. etiam duo corpora &c.

Reſp. dato ant. nego conſequentiam, ac paritatem. Ad prob. data maj. diſtinguo min. ſi ſervetur idem modus continentis, concedo, ſecùs nego min. & conſequentiam. Res equidem ita ſe habet, quòd exiſtens in loco circumſcriptivè continetur à loco; exiſtens verò in loco definitivè continet locum. Veruntamen diverſimodè. Quandoquidem cùm Angelus ſit in loco per operationem, occupatio loci provenit ab Angelo in genere cauſæ efficientis, ſicut & in genere cauſæ efficientis provenit ipſa operatio, ratione cujus eſt in loco. At corpus conſtituitur in loco circumſcriptivè à quantitate in genere cauſæ formalis, & occupare eſt effectus formalis quantitatis: Idcircò diſpar eſt ratio.

Contra. Quemadmodum duæ quantitates totales ſunt duæ cauſæ totales formales, ita duo Angeli ſunt duæ cauſæ efficientes totales; ſed duo Angeli partialiter operando poſſunt naturaliter per modum unius eſſe in eodem loco: ergo pariter, & duæ quantitates totales poterunt naturaliter, per modum unius replendo eſſe in eodem loco.

Reſp. data maj. & min. nego conſequentiam iterum, & paritatem. Diſcrimen non infrequenter fuit à nobis aſſignatum, quia nimirum cauſa efficiens cùm agat, non per ſui entitatem, ſed per virtutem à ſe, & extra ſe emiſſam poteſt interdum agere, non ſecundam totam ſui vim, & conatum, ſed modum ei adhibendo, ſicque partialiter operando. Cæterùm cauſa formalis cum agat per ſui entitatem, nequit temperare ſuam virtutem nec etiam ſupernaturaliter quantùm ad effectum primarium, nec naturaliter quantùm ad effectum ſecundarium, quando adeſt in ſubjecto capaci.

Dices. Etiam, duæ cauſæ formales poſſunt ſe habere per modum unius: ergo ſolutio nulla. Prob. Ant. Siquidem objecta ſunt cauſa formalis reſpectu potentiæ, & habitus, cùm ſint ſpecificativum ejus; ſed plura objecta materialiter diſtincta poſſunt per modum unius attingi ab una, eademque potentia, ab uno, eodemque habitu per modum unius naturaliter, ut experientia teſtatur: ergo duæ cauſæ etiam formales poſſunt per modum unius ſe habere.

Reſpondeo, nego ant. in noſtro caſu, Ad prob. diſt. maj. ſunt cauſa formalis extrinſeca, concedo, intrinſeca, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Objecta itaque ſunt cauſa formalis duntaxat extrinſeca, non verò intrinſeca. Hæc autem eſt differentia inter intrinſecam, & extrinſecam, quòd prima perficit ſubjectum, & potentiam receptivam, adeoque limitativam, & coarctativam, proindeque ab ea intrinſecè limitatur. Secunda verò perficit potentiam, non receptivam, ſed purè reſpectivam, à qua proinde non limitatur.

Addo, quòd objecta dant eſſe potentiis, & habitibus in eſſe intentionali. Linea autem intentionalis majorem habet amplitudinem, quàm linea entitativa.

Qua ex doctrina deprehendere poteris minùs benè nonnullos dicere, detruſionem alterius corporis ab eodem loco provenire à quantitate in genere cauſæ efficientis. Minùs inquam benè, quia ſi hoc verum eſſet, etiam naturaliter poſſent duo corpora eodem in loco eſſe, ut ex dictis ad hoc arg. eniteſcit.

9. In ejuſdem ſententiæ favorem quædam ſolent experientiunculæ adduci. Primò de igne incluſo in ferro candenti, qui eſt eodem in loco adæquato, in quo eſt ferrum. Secundò de Vaſe cineribus pleno, quod tantum aquæ recipit, ac ſi perinde plenum non eſſet; ſed vacuum eſſet. Tertiò de Amphora; quæ aqua repleta ad ſumma uſque labia recipit nummos in ſe injectos. Quartò de pane aquæ immerſo, qui illam recipit, eſtque in eodem loco.

Verùm ad primam ex alibi dictis, propugnando, quod plures formæ nequeant eſſe in eadem materia, pateſcit ignem recipi in poris ferri, qui antea pleni extabant.

Ad 2. dico, aquam illam partim recipi in poris cineris, partim in aliquibus loculis cinere non repletis, & partim ſiccitate cineris evaporari, ſive in vapores reſolvi.

Ad 3. dico, in tali caſu, vel illam aquam nonnihil elevari in medio, vel ideo non effundi, quia labia non ſunt perfectè madefacta, proinde ab iſtis pars aliqua abſorbetur. Quòd ſi immittantur nummi poſteaquam labra ſunt perfectè

madi-

madida, tunc ſi amphora ſit uſque ad ſuprema labra plena, effundetur.

Ad 4. dico, aquam illam recipi in poris ipſius panis.

His minuſculis difficultatibus reſolutis, ad graviores procedamus.

10. Arg. 2. adverſus ſecundam concluſionis partem. Duabus quantitatibus localiter extenſis eſſentialiter correſpondet duplex locus: ergo duo corpora localiter extenſa nec ſupernaturaliter poſſunt eſſe in eodem loco. Conſequentia eſt exacta, quia quod eſt eſſentialiter debitum implicat contradictionem tolli. Ant. verò prob. Ratio formalis occupandi locum circumſcriptivum eſt eſſentialiter extenſio localis: ergo duplex localis extenſio eſt eſſentialiter ratio formalis occupandi duo loca; adeoque duabus quantitatibus localiter extenſis duplex eſſentialiter correſpondet locus.

Confirmatur. Duo corpora nequeunt eſſe in eodem loco una, nec duplici extenſione locali: ergo nullo modo poſſunt duo corpora eſſe circumſcriptivè in eodem loco. Ant. quò ad p. p. videtur indubium, Tum quia cum duplici quantitate nequit recipi una extenſio localis, ſecùs idem numero accidens poſſet recipi in duplici ſubjecto, contra id, quod Univerſa ſentit Thomiſtica Schola. Tum etiam quia extenſio localis eſt effectus ſecundarius quantitatis; ſed multiplicata cauſa formali multiplicatur effectus primarius, & ſecundarius: ergo eſſe nequit una extenſio localis cum duplici quantitate. Quò ad 2. part. prob. ſiquidem extenſio localis ut ſic eſſentialiter connectitur cum loco ut ſic: ergo pariter duplex extenſio localis eſſentialiter connectitur cum duplici loco, proindeque nequeunt duo corpora duplici extenſione locali eundem poſſidere locum.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. diſt. ant. eſt extenſio localis, & contactus loci, concedo, præciſè extenſio localis, nego ant. & diſtinguo conſequens, duplex extenſio localis cum duplici contactu locali in ordine ad locum, concedo, ſecùs, nego conſequentiam. Unum ſuppono, quòd nimirum corpus non eſt in loco, niſi per contactum ipſius loci, cùm locus ſit ſuperficies ultima, id eſt immediata, & immediatè tangens locatum, ut ipſa loci definitio manifeſtat. Aliud noto, quòd nimirum duplex contactus conſiderari poteſt in corpore extenſo. Unus in ordine ad locum, & alter in ordine ad corpora ſibi contigua, quæ habet à ſuo loco detrudere. In caſu itaque, quo duo corpora eodem in loco manerent, eſſet ab eis ſemotus contactus ad invicem ſecundùm extremitates; per quod poſtea fiunt penetrata per hoc, quòd ſe totis ſeſe contingant, tolleretur ab eis contactus loci quo ad aliquas duntaxat partes, idcirco tantummodo partialiter tangerent, atque occuparent locum eumque per modum unius corporis replerent.

Ad Conſ. Reſp quòd Scoticè loquendo una ſolummodo eſſet localis extenſio. Contra quam non urgent objectiones inductæ, Tum quia Scotus non reputat inconveniens, idem accidens ſaltem ſupernaturaliter eſſe in duplici ſubjecto. Dicere ni mavis, quòd unica illa extenſio localis extenderet unicum tantùm, non verò utrumque corpus, quia alterum eſſet ibi modo non extenſo. Tum quia (ut ſupra dictum eſt) poteſt optimè multiplicari effectus primarius ſine ſecundariò, licèt nequeat è contra multiplicari ſecundarius ſine primario, à quo cauſatur.

Deinde dico fore duplicem extenſionem localem. Ad hujus impugnationem diſt. ant. extenſio localis ut ſic eſſentialiter connectitur cum loco, juxta contactum, quem habet cum loco, concedo, ſecùs, nego ant. & diſtinguo primum, ac ſecundum conſequens, duplex extenſio localis cum duplici contactu locali in ordine ad locum, concedo, aliter, nego primam, & ſecundam conſequentiam. Redintegrentur nuper dicta.

Contra. Si duo corpora forent in eodem loco duplici cum extenſione locali reſultarent duo *Ubi*; ſed ſi eſſent in loco per modum unius ſufficeret unum *Ubi*, ſicut pro uno corpore ſufficit unum *Ubi*: ergo dicendum venit, quod non eſſent in loco partialiter, & per modum unius. Min. eſt admittenda, quia ſe haberent ut unum. Maj quoque, ſecùs idem numero accidens ſubjectaretur in duplici ſubjecto.

Reſp. diſt. maj. reſultarent duo *Ubi* totalia, nego, partialia, concedo maj & diſtinguo min. ſufficeret unum *Ubi*, id eſt per modum unius, concedo, unum per identitatem, nego min & conſequentiam. Nec duo *Ubi* totalia reſultaſſent, nec reſultaret unum *Ubi* totale per identitatem habens partialiter ubicare utrumque, ſed reſultarent duo *Ubi* partialia, ſe habentia per modum unius in ubicando, ſicut duo illa corpora ſe haberent per modum unius in occupando locum.

Contra. *Ubi* reſultat ex circumſcriptione loci activa; ſed poſito, quòd eſſet locus unus continens corpora duo cum duplici extenſione locali non eſſent duæ partiales circumſcriptiones, benè verò eſſet una totalis circumſcriptio, quemadmodum eſſet unicus totalis locus: ergo ſi duo corpora eſſent per modum unius eodem in loco reſultaret unum duntaxat *Ubi* totale, proindeque unum, & idem accidens duplici adhæreret ſubjecto.

Conſ. 3. Duæ actiones totales non ſubordinatæ nequeunt ſe habere per modum unius in ordine ad eundem effectum: ergo nec duæ quantitates, & extenſiones totales locales in ordine ad locum.

Secundò. Quandoquidem ſi duo illa corpora eidem adeſſent loco per modum unius, non ſolùm ſupernaturaliter, verùm & naturaliter poſſent eodem eſſe in loco; eò quòd duæ cauſæ totales poſſunt concurrere ad eundem effectum per modum unius, præcipuè cùm locus in eſſe repleti ſit effectus corporis.

Reſp. primitùs nego maj. cùm, ut vidimus in præloquiis, quæſtionis hujus quæſito primo *Ubi* non ſit eſſentialiter dependens à loco.

Deinde dico, quòd circumſcriptio illa licèt una formaliter, eſſet tamen multiplex virtualiter terminativè terminando plura locata.

Demum poſſet diſtingui maj. ſic, provenit ex circumſcriptione activa loci juxta contactum loci cum locato, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Cum itaque in caſu duplex eſſet contactus partialis realiter diſtinctus, idcirco & duplex *Ubi* partiale.

Adde; quòd poſſet etiam concedi, eſſe unum *Ubi* totale ſubjectatum in utroque corpore. Ex quo non ſequitur, idem accidens incubare duplici ſubjecto per modum duplicis, ſed duntaxat per modum unius; quia bina illa corpora quemadmodum ſe haberent per modum unius in occupando locum, ſic in ſubſtentando *Ubi*.

Ad 3. Conſ. nego conſequentiam, ac paritatem. Diſcrimen eſt, quia actio eſt actualitas agentis, & primarius actionis effectus eſt denominare principium activum in actu ſecundo agens. Ob idque cum duæ actiones totales ſupponant duo agentia totalia per modum plurium nequeunt per modum unius ſe habere. Cæterùm occupare, & tangere locum eſt effectus, non primarius, ſed ſecundarius quantitatis, qui poteſt partiri, imò & ſeparari, ut ſupra §. 2. probatum eſt. Et poteſt argumentum retorqueri; quoniam, ut lib. 2. q. 4. art. unico plures cauſæ totales poſſunt in exercitio partialiter operari per duplicem partialem actionem per modum unius cauſæ totalis, & actionis totalis in ordine ad eundem effectum: ergo & duæ quantitates totales partialiter occupare per modum unius eundem locum.

Ad 2. Conſ. diſt. maj. quantùm eſt ex parte loci, concedo, quantùm eſt ex parte locati, nego maj. ac diſtincta min. nego conſequentiam. Locus equidem eſt de ſe, naturaliter potens continere duo corpora, ſe habentia per modum unius in eſſe locati; extat verò repugnantia ex parte ipſarum quantitatum, quæ naturaliter nequeunt per modum unius ſe habere; quia cùm habeant occupare locum per modum cauſæ formalis, nequeunt attemperare ſuam virtutem etiam ſupernaturaliter quo ad effectum primarium, nec naturaliter quo ad ſecundarium effectum. In quo diverſificantur à cauſa efficienti, ut ſupra dicebamus.

Inde clareſcit, non ſequi, quòd idem effectus ſit à pluribus cauſis per modum plurium. Non, inquam, non obſtante, quòd locus in eſſe repleti ſit effectus corporis locati; ſed duntaxat, quòd ſit à pluribus cauſis per modum unius; quia duo illa corpora per modum unius ſe haberent, eò quòd ab altero illorum ſepararetur extenſio localis, & una tantùm remaneret, juxta modum dicendi Scotiſtarum, & aliorum: Vel quia impediretur contactus ad locum ſecundùm aliquas partes illorum corporum, uti nos cum Jo: à S. Th. dicimus, ſuſtinendo dicendi modum Thomiſtarum.

11. Arg. 3. Partes ejuſdem quantitatis nequeunt vel ſupernaturaliter in invicem penetrari in eodem loco: ergo nec duæ quantitates totales, ſeu duo corpora queunt ſeſe penetrare in eodem loco. Conſequentia ſequitur, quia non minùs una pars quantitatis eſt extra aliam partem, quàm una quantitas totalis ſit extra aliam quantitatem totalem.

Ant. prob. primò. Siquidem de quantitatis eſſentia eſt ponere unam partem extra aliam: ergo &c. Secundò. Sicut

partes

partes quantitatis ſucceſſivæ, motus nempe, & temporis ſunt ordinatæ ſecundùm durationem, ita partes quantitatis permanentis ſunt ordinatæ ſecundùm ſitum; ſed nec ſupernaturaliter poſſunt partes motus, & temporis eſſe ſimul duratione: ergo nec duæ partes quantitatis permanentis permittentur eſſe ſimul in eodem loco. Tertiò. Quandoquidem aliter ſequeretur, totum poſſe non eſſe majus ſua parte; quia totum Cœlum poſſet ad minimam ſui partem contrahi. Imò ſequeretur, quòd tota Mundi Machina poſſet una manu comprehendi, ac regi.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. diſt. ant. eſt ponere unam partem extra aliam in ordine ad ſe, concedo, in ordine ad locum, nego ant. & conſequentiam: Primordialis, & conſtitutivus quantitatis effectus eſt extenſio, ſive extraneitas partium in ordine ad ſe. Extraneitas autem partium in ordine ad locum eſt effectus ſecundarius, atque adeo ab ea ſeparabilis ſupernaturaliter. Ob idque partes ſunt equidem impenetrabiles in ordine ad totum, ſive in ordine ad ſe; non tamen in ordine ad locum.

Dices. Penetratio, & intraneitas in ordine ad locum ſupponit intraneitatem, & penetrationem in ordine ad ſe: ergo ſi ſunt partes impenetrabiles in ordine ad ſe, ſunt quoque in ordine ad locum impenetrabiles. Prob. ant. Extraneitas, & extenſio in ordine ad locum ſupponit extenſionem, & extraneitatem in ordine ad ſe: ergo pariter &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego conſequentiam, ac conſequentiæ paritatem. Diſparitas eſt, quia extenſio, & extraneitas localis eſt effectus ſecundarius quantitatis, ſive extenſionis in ordine ad ſe. Secundarius autem effectus non ſtat ſine primario, cùm ab illo proveniat. Cæterùm penetratio, & intraneitas in ordine ad locum non eſt effectus ſecundarius penetrationis, & intraneitatis in ordine ad ſe; quia penetratio non fit per aliquid poſitivè proveniens à quantitate, ſed fit per hoc, quòd aliquid ab ea tollitur, nempe partium extenſio, vel contactus, qui adimi optimè poteſt non ſemota extenſione in ordine ad ſe; quia, ut toties dictum eſt, ſtat effectus primarius ſine ſecundario.

Inſt. ſaltem poſita extenſione locali nequeunt partes penetrari eodem in loco: ergo pariter extenſione locali retenta nequibunt duæ quantitates totales penetrari in eodem loco. Prob. ant. à pari. Etenim poſita extenſione in ordine ad ſe nequeunt penetrari in ordine ad ſe, cùm, uti diximus, eſſentia quantitatis ſit ponere unam partem extra aliam in ordine ad ſe: ergo pariter poſita extenſione locali &c. Prob. conſequentia, quoniam etiam eſſentia extenſionis localis eſt ponere unam partem extra aliam in ordine ad locum.

Reſpondeo, nego ant. Si namque à quantitate adimerentur indiviſibilia continuativa, ſeſe tangerent ſecundùm ſe totas, ſubindeque penetrarentur. Ad prob autem nego conſequentiam, quia penetratio in ordine ad ſe non eſt excogitabile per quid fieret, niſi per ſemotionem effectus primarii, qui adimi nequaquam poteſt manente quantitate. At penetratio in ordine ad locum fit per ſemotionem alicujus effectus ſecundarii.

Qua ex re habes, quomodo corporum penetratio fiat. Non enim fit per hoc, quòd partes ejuſdem corporis ſeſe penetrent, ſed per hoc, quòd unius corporis partes cum alterius corporis partibus penetrentur, & corpora ipſa invicem ſeſe penetrent.

Ad 2. antecedentis probationem, nego maj. ſi omnimodam paritatem intendat. Diſparitas autem eſt, quia ens ſucceſſivum eſſentialiter conſtituitur per ordinem prioris, & poſterioris, idcircò nec ſupernaturaliter entis ſucceſſivi partes poſſunt ſimul eſſe. Cæterùm Quantitas non conſtituitur per extenſionem in ordine ad locum, vel per contactum ſecundùm extremitates; ſed iſti ſunt effectus ſecundarii ſeparabiles.

Ad 3. dico, quòd ſequeretur, totum non eſſe majus ſua parte in ordine ad locum, benè verò in ordine ad ſe. Nec eſt impoſſibile totum Orbem perſtringi ad tam modicam extenſionem, quanta minimæ ſufficeret atomo, cùm & in nihilum Deus eam redigere queat. Item licèt impoſſibile ſit, totam Univerſi molem contineri, ac ſubſtentari unica palma, ſi ſumatur eo illo modo, quo nunc eſt cum tota illa amplitudinis mole, neutiquam tamen ſi tam modico ſub ſitu collocaretur. Eò vel maximè, quòd dici poſſet, tum quidem, unica manu comprehendendum, neutiquam verò ſubſtentandum, niſi ultra extenſionem, aut contactum adimeretur ab eo & gravitas. Nec cum captus noſtri exiguitate commenſuranda Divina omnipotentia eſt, ubi aperta non obſtat contradictio, quæ hic locum non habet in duorum corporum loco.

12. Arg. 4. Effectus ſecundarius privativus nec ſupernaturaliter impediri poteſt; ſed impenetratio, & depulſio alterius ab eodem loco eſt effectus privativus, tametſi ſecundarius quantitatis: ergo nec ſupernaturaliter ſuſpendi poteſt, adeoque &c. Maj. debet eſſe apud Thomiſtas innegabilis, cùm non alia ratione depulſio alterius formæ ab eadem materia ſit à forma inſeparabilis.

Reſponſum autem illius clariſſimi ex noſtris in autographo, dicentis, eſſe effectum ſecundarium, non eſſentialiter tamen connexum, jam ſupra §. 2. num. 7. confutatum manet.

Reſp. diſt. maj. Si ſit effectivus privativus immediatè conſecutus ad primarium, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Eatenus adimi poteſt à duobus corporibus localiter extenſis actualis impenetratio, & depulſio, quatenus adimitur alius effectus poſitivus, ad quem ſequitur, nimirum vel extenſio localis ſecundùm Scotum, ut lib. 1. q. 3. art. ultimo §. 3. ad 2. dictum eſt, vel contactus ſecundùm extremitates, juxta modum dicendi Thomiſtarum. Aliæ doctrinæ de effectu ſecundario videantur loco mox citato.

Inſt. præſato ex Juniori in m. ſ. cui non arridet præallata doctrina, Tum quia penetratio corporum non ſequitur præcisè ex eo, quòd adimitur contactus penes extremitates, cùm duo corpora localiter diſſita non ſeſe tangant ſecundùm extremitates, & nihilominùs non penetrentur. Tum etiam quia corporum penetratio fit, non tollendo contactum ſecundùm extremitates, ſed potiùs addendo eis contactum ſecundùm ſe tota: eatenus enim aliqua penetrantur, quatenus ſe totis ſe tangunt.

Reſp. faciliter. Ad 1. quidem, nego ant. Ad prob. annexam dico, duo corpora diſtantia ſeſe tangere ſecundùm extremitates, non quidem immediatè, ſed mediatè, nimirum mediantibus aliis corporibus interjacentibus. Quod ſi poſtea Deus adimeret omne corpus medians inter duo corpora illa, tunc dico, quòd penetrarentur negativè, quia nec ſeſe depellerent poſitivè, nec eſſent in eodem loco. Cùm autem dicimus, penetrationem corporum fieri per hoc, quòd tollatur contactus ſecundùm extremitates, loquimur de penetratione poſitiva.

Ad 2. Reſp. quòd quamquam per hoc, quòd ſe tota ſe tangant corpora, penetrentur; tamen iſte contactus non eſt ſuperadditus, ſed duntaxat fit per ademptionem impedimenti. Impedimentum autem obſtans contactui ſecundùm ſe tota eſt contactus ſecundùm extremitates. Idcircò hoc ſecundo ſublato, ſi corpora approximentur, abſque alio ſuperaddito habetur contactus ſecundùm ſe tota, ſubindeque penetratio.

13. Poſſet aliud objici argumentum, nimirum, quòd quemadmodum quantitati convenit impenetratio, ita indiviſibilibus convenit penetratio; ſed vel ſupernaturaliter repugnat, duo indiviſibilia uniri impenetrativo modo: ergo & duas quantitates penetrativo modo uniri.

Verùm facilè aſſignatur diſcrimen, quia nempe impenetratio habetur per contactum ſecundùm extremitates. Indiviſibilia autem eſſentialiter repugnat habere extremitates, ſecùs non eſſent indiviſibilia. Optimè autem poteſt à quantitate adimi ille contactus ſecundùm extremitates, ceu effectus ſecundarius, ut toties viſum eſt.

14. Si petas, num duo Corpora queant Sacramentaliter eodem eſſe in loco Sacramentali. Reſpondeo, neque in hoc ullam me repugnantiam deprehendere, ſeu contradictionem.

ARTICULUS TERTIUS.

Poſſit ne idem numero corpus ſimul eſſe bilocatum circumſcriptivè, abſoluta etiam attenta Dei potentia.

§. I.

1. EUndem Angelum minimè poſſe pluribus in locis definitivis adæquatis ſaltem per modum plurium defendunt Noſtrates p. p. in tract. de Angelis. At etiam permiſſo, quòd unus Angelus ſupernaturaliter queat eſſe in pluribus locis definitivis adæquatis, adhuc tamen non modica eſt diſparitas rationis, quare nequeat, unum, idemque corpus

pus eſſe circumſcriptivè in pluribus locis ſimul. Quandoquidem Angelus, Thomiſticis hærendo principiis, occupat locum in genere cauſæ efficientis, cùm juxta Thomiſtica placita Angelus ſit in loco per operationem. Quantitas autem corporea occupat locum in genere cauſæ formalis, ut etiam art. præcedenti paſſim dictum fuit. Poteſt verò augeri virtus cauſæ efficientis, non tamen virtus cauſæ formalis; quia cum cauſa formalis agat per ſui entitatem, ſequitur, quòd ſi per aliquod ſuperadditum augeatur ejus virtus, non ampliùs ageret per ſui entitatem, ſicque formalis cauſa nequaquam foret. Qua ratione nos lib. 1. q. 3. art. ultimo probavimus, nec ſupernaturaliter poſſe unam, eandemque formam eſſe in pluribus materiis.

2. Suppono experimento palam, quòd idem corpus poteſt ſuccedaneè eſſe multilocatum pluribus in locis circumſcriptivis. Nec de illo militant repugnantiæ, quæ §. ſequenti adducentur de exiſtentia ejuſdem corporis ſimul in pluribus locis. Neque eadem eſt ratio, ac de forma, quæ nec ſucceſſivè pluribus in materiis eſſe valet. Non, inquam, quia corpus non facit unum per ſe cum loco, ſicut forma cum materia facit. Qua ratione etiam naturaliter unum corpus ſucceſſivè plura poteſt ſubire loca; nequaquam verò una, eademque forma naturaliter pluribus ineſſe materiis, nec etiam ſuccedaneè, ut concors omnium eſt ſenſus, ni quis cum Pythagoreis animarum tranſmigrationem admitteret.

Item certum fidei ſtatutum eſt, idem Chriſti Corpus eſſe circumſcriptivè in Cœlo, & Sacramentaliter in pluribus locis Sacramentalibus, nimirum in pluribus hoſtiis. De quo infra §. 3. ad 2. arg.

Tandem eadem certitudine certum eſt, unum, idemque corpus eſſe in pluribus locis circumſcriptivis per accidens, ideſt ratione alterius, nimirum Chriſti Corpus, quod per ſe eſt tanquam in loco Sacramentali ſub Sacramentalibus ſpeciebus, ſubinde ratione ſpecierum Sacramentalium eſt circumſcriptivè in omni eo loco circumſcriptivo, in quo ſunt circumſcriptivè hujuſmodi ſpecies. Sic etiam Anima eſt circumſcriptivè in omni loco circumſcriptivo cujuslibet partis corporis, puta capitis, brachii, pedis &c.

3. Dubium igitur, quod emergit eſt, num idem corpus poſſit ſupernaturaliter eſſe ſimul per ſe circumſcriptivè in pluribus locis.

Annuunt, non tantùm Scotus cum ſuis, verùm & Neoterici plerique.

Abnuunt autem Thomiſtæ omnes cum D. Thoma, D. Bonaventura, & Durando, quibus adhærent Ægidius, Henricus, Vaſquez 3. p. tom. 3. diſp. 189. cap. 4. & P. Maurus cum aliis.

§. II.

CONCLUSIO.

Contradictione manifeſta laborat, unum, idemque corpus eſſe multilocatum in ſimul circumſcriptivè per ſe pluribus in locis adæquatis.

4. SIc S. Th. quodl. 3. art. 2. *ponere*, inquit, *unum corpus in duobus locis eſt ponere contradictoria ſimul vera*. Item in 4. ſent. diſt. 10. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. & ibidem diſt. 44. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 3. ad 4. Et poſtremò, hanc ſui eſſe mentem, clarum reliquit 3. p. q. 75. art. 1. ad 3. ut perſpicuum fiet legenti argumentum, ejuſque ſolutionem.

Nec vel in minimo diſſentit S. Aug. lib. 10. contra Fauſtum cap. 11. ubi ſtatuit, non poſſe corpus ſimul eſſe modo extenſo in Sole, & Luna, & in Cruce. Ubi ſanè Aug. loquitur de potentia abſoluta, Tum quia de potentia ordinaria loquendo, ac naturaliter nec modo inextenſo poteſt idem corpus eſſe in pluribus locis. Tum quia ſecùs non premeret Adverſarium.

Idem ſentit D. Anſelmus in Monologio cap. 20.

Videat ergo, iterumque videat Adverſarius, qualis, ac quantæ ſit temeritatis vocitare noſtram ſententiam minùs conſonam fidei, ſeu in fide periculoſam, ceu minùs feliciter ſalvantem exiſtentiam Corporis Chriſti in pluribus locis Sacramentalibus. De quo §. ſequenti ad 2. arg.

5. Prob. 1. Si unum, idemque numero corpus eſſet circumſcriptivè multilocatum in pluribus locis adæquatis, eſſet, & non eſſet totum in pluribus locis adæquatis; ſed iſta ſunt contradictoria: ergo implicat contradictionem, unum, atque idem corpus eſſe circumſcriptivè pluribus in locis adæquatis. Maj. prob. eſſet, ut ſupponitur; & non eſſet, quod probatur. Corpus aliquo in loco adæquato circumſcriptivo exiſtens, ita continetur in illo, ut pro tunc nihil ejus poſſit eſſe extra; ſed ſi unum, atque idem corpus eſſet circumſcriptivè in pluribus locis adæquatis, deberet ita eſſe in uno loco adæquato, quòd ſimul eſſet extra illum, ſecùs non eſſet in alio loco: ergo &c. Prob. maj. Tum quia repugnat, idem eſſe adæquatè intus, & adæquatè extra, cùm eſſe intùs ſit non eſſe extra. Undè quemadmodum ſi aliquid ſecundùm aliquam ſui partem extenderetur extra aliquem locum, ſecundùm eam partem non diceretur contineri ab eo loco, ita ſi totum eſt extra locum, non continetur totum intra locum. Tum quia locus ex Ariſt. (cui in hoc ſubſcribunt, non tam Peripatetici, verùm & Peripatus hoſtes) definitur, quòd ſit *ultimum*, id eſt extremum *corporis continentis*, ſed ultimum, ſive extremum ex eodem Ariſt. 5. Metaphyſicæ *eſt id extra quod nihil poſſumus aſſumere*: ergo repugnat corpus contineri aliquem intra locum, & ſimul extra illum haberi.

Nec obſtat, quòd in illa definitione dicatur, locum eſſe quid ultimum corporis continentis, non verò contenti, ſive locati. Non, inquam, obeſt, quoniam locus quemadmodum eſt ſuperficies intrinſeca corpori continenti, illudque terminans, ita eſt extrinſeca locato, ideſt contento: ergo quemadmodum eſt quid ultimum inſtrinſecum reſpectu continentis, ita erit quid ultimum extrinſecum locato, ut nihil ipſius locati queat haberi in aliquo alio extrinſeco, nimirum aliquo alio in loco. Et ſanè locum eſſe terminum locati inficiari poterit nemo.

Reſpondet Suarez, ſicut & Maſtrius, necnon alii, quòd licèt ſecundùm eandem præſentiam, eandemque ubicationem nequeat intra unum locum, & ſimul contineri intra alterum; benè tamen ſecundùm diverſam præſentiam, ac ubicationem. In caſu autem, quo idem corpus eſſet in duplici loco, eſſet per diverſam præſentiam, & ubicationem. Sicque Ariſtotelem interpretantur.

Vel in hoc curandam non eſſe Ariſtotelis Anthoritatem, qui ignoravit potentiam abſolutam dicit Maſtrius. Sed

Contra. Quandoquidem ſolutio iſta eſt pura principii petitio. Eadem namque ratione, qua contendimus, non poſſe idem corpus circumſcribi à duplici loco totali, & adæquato, contendimus quoque, non poſſe ubicari, & fieri præſens duplicem per præſentiam, & ubicationem. Idcircò ſic argumentor.

Quemadmodum per præſentiam corpus ubicatur, & fit præſens, ita circumſcribitur à ſuperficie continente; ſed ex datis nequit idem ſecundùm eandem præſentiam, & ubicationem circumſcribi à duplici loco totali: ergo pariter nec poterit ſecundùm eandem quantitatem fieri præſens, & ubicari duplicem per præſentiam, & ubicationem totalem. Supponimus autem (ut Adverſarii annuunt) quòd corpus illud haberet unam, eandemque quantitatem, maximè verò in ſententia Neotericorum, qui, quantitatem realiter à ſubſtantia indiſtinctam eſſe obteſtantur. Et inſuper

Hac eadem ratione oſtendi poteſt corpus illud non poſſe habere duplicem extenſionem localem (quod Adverſariorum nonnulli inficiantur) nec duplicem quantitatem totalem ſtante identitate corporis; non ſolùm quia, ut in Metaphyſ. oſtenderur, accidens individuatur à ſubjecto; Verùm quia corpus quemadmodum circumſcribitur à loco mediante ubicatione, & præſentia; ita ſecundùm ſuam ſubſtantiam extenditur per extenſionem localem in ordine ad locum, & in ordine ad ſe per extenſionem in ordine ad ſe, ideſt per quantitatem ſecundùm effectum ejus primarium; atqui data ex ſolutione habeo, quòd ſecundùm eandem præſentiam, & ubicationem nequit corpus circumſcribi à duplici loco totali: ergo nec ſecundùm eandem ſubſtantiam poterit habere duplicem quantitatem, aut duplicem extenſionem localem.

Contra verò id, quod inquit Maſtrius inſto. Tum quia denegari nequit, Ariſtotelem deprehendiſſe, Deum eſſe omnipotentem, ſecùs non agnoviſſet Deum eſſe Deum, eſtò notitiam non habuerit Dei ut Anthoris entis ſupernaturalis in particulari, ut puta gratiæ, cæterorumque donorum ſupernaturalium, ac omni eo modo, quo per Fidem à nobis dignoſcitur, & creditur. Tum quia, quicquid

ſit,

fit, num deprehenderit potentiam Dei abſolutam; denegandum tamen minimè eſt, agnoviſſe eſſentiam loci, ſicut etiam ultimi termini, adeoque utriuſque definitio ab eo hauſta ſine vitio erit.

6. Prob. 2. ratione S. Thomæ loco citato ex 4. ſent. Si unum, idemque corpus foret bilocatum duplici in loco adæquato circumſcriptivo, eſſet in utroque cum una duntaxat quantitate; ſed manifeſta contradictio editur, cùm dicitur, idem corpus eſſe duplici in loco adæquato circumſcriptivo cum una duntaxat quantitate: ergo eſt contradictionem evomere, obteſtari, quòd unum, idemque corpus duplici in loco totali circumſcriptivo bilocari queat. Maj. conceditur ab Adverſariis, & meritò, non tantùm quia (ut in Metaphyſ. fiet perſpicuum) duo numero accidentia ejuſdem ſpeciei, nequeunt eſſe in eodem ſubjecto, verùm etiam quia quantitas eſt eſſentialiter extenſiva corporis: ergo & duplex quantitas eſt eſſentialiter extenſiva duplicis corporis. Quibus adde probationem nuper productam num. prægreſſo 5. ſub finem.

Min. prob. Res manifeſtè implicatoria eſt, quòd una, eademque quantitas ſit in ſe diviſa, ſecùs eſſet, & non eſſet una; ſed ſi idem corpus eadem cum quantitate eſſet in duplici loco adæquato circumſcriptivo, talis quantitas eſſet in ſe diviſa: ergo &c. Prob. min. Siquidem corpus illud vel poneretur in duplici loco, quorum unus eſſet alteri immediatus, ita ut in invicem ſeſe tangerent, ad eum modum, quo duo corpora exiſtentia duobus in locis inter ſe immediatis ſeſe contingunt. Et hoc modo eſſent contigua. Contigua autem, ad differentiam eorum, quæ ſunt continua, ſunt diviſa. Continua enim ſunt unum, contigua verò ſunt duntaxat ſimul. Vel poneretur in duobus locis inter ſe diſtantibus, V. G. Pariſiis, & Romæ; & tunc multò magis eſſet à ſeipſa, ſive in ſeipſa quantitas illa diviſa; quia cùm mediarent plura alia corpora, iſta præpedirent, quominùs eſſent continua, cùm partes continuæ ſint ſibi immediatæ, ut palam eſt: ergo &c. Et quidem eſſent diviſa etiam entitativè, & non purè extenſivè, ut ſe tutantem quondam quendam Minoritam audivi. Nam extenſio eſt ipſamet quantitatis entitas.

Reſpondent Adverſariorum nonnulli, quòd in caſu, quo idem corpus bilocaretur in duplici loco adæquato cum eadem quantitate, haberet duplicem extenſionem localem. Epropter ad ſummum, ſequitur, quod talis quantitas eſſet diviſa, non quidem in ſe, ſed quò ad localem extenſionem, ſivè extenſivè localiter.

Contra quod reſponſum variè tendunt Noſtrates, probando, extare non poſſe duplicem extenſionem localem ſtante una duntaxat extenſione in ordine ad ſe; quia effectus ſecundarius cùm eſſentialiter primarium ſupponat; duplex localis extenſio eſſentialiter ſupponit duplicem in ordine ad ſe extenſionem.

Et quidem dictum hoc certius dicto ipſo mihi videtur. Quamvis namque minimè repugnet, multiplicari effectus ſecundarios diverſæ rationis immultiplicato primario, quemadmodum eadem ab Anima rationali plures profluunt proprietates, nimirum diſcurſus, riſibilitas &c. Repugnat tamen multiplicari effectum ſecundarium ejuſdem rationis implurificato primario, V. G. repugnat plurificari riſibilitates non plurificatis rationalitatibus, ſecùs uno eodemque inſtanti poſſet unus, idemque Homo plures exercere diſcurſus, riſus. Quod quomodo fieret declarabit nemo.

Præterea probo, minimè eſſe poſſe duplicem extenſionem localem eodem in corpore eo, quo modo num. præcedenti 5. probavi, non poſſe duplicem adeſſe quantitatem. Extenſio localis eſt eſſentialiter extenſiva corporis: ergo pariter duplex localis extenſio erit eſſentialiter duplicis corporis extenſiva, adeoque eſſentialiter repugnans erit eodem in corpore duplex localis extenſio, præcipuè eadem cum quantitate. Inſuper ſequeretur, corpus eſſe, & non eſſe totum intra localem illam extenſionem. Eſſet namque totum intra, quia totum per illam extenderetur; & non eſſet totum intra, quia extenderetur extra illam alia locali ſub extenſione.

Ad hæc nemine impellente corruit alia, qua ſe tueri Adverſarii ſolent ſolutio dicentes, ejuſdem corporis in pluribus locis exiſtentiam fieri, non per diviſionem, ſed per replicationem ejuſdem quantitatis in pluribus locis. Corruit inquam. Quandoquidem replicatio iſta vel fieret in locis inter ſe immediatis, vel inter ſe diſtantibus. Sicque militant omnia, quæ nuper dicta ſunt.

7. Ratiocinium adduci aliud poſſet inſinuatum ſupra §. 1. num. 1. diverſum illum aſſignando modum, quo Angeli, & corpora ſunt in loco.

Conantur Adverſarii in animos inducere, quòd noſtræ ratiocinationes militent quoque de exiſtentia Corporis Chriſti pluribus in locis Sacramentalibus. Quod tamen quantùm à veritate ſit procul, creſcet ſequenti §. 3 ad 1. arg. num. 10.

8. Inconvenientia alia, & quidem abſurda abſurditate ipſa magis, ſolent afferri, quæ ſequerentur, ſi poſſet idem corpus pluribus degere in locis, puta quòd poſſet in pluribus, ac propemodum in locis collocari, ut ex eo toties repetito poſſent formari exercitus, imò & duo conſtrui poſſent exercitus inter ſe dimicantes. Similiter poſſet gutta una aquæ totiès replicari, ut locum occuparet non minorem eo, quem diebus Noe obtinuit univerſale Diluvium; ſicque in aquæ gutta totus mergeretur Orbis: &, ut inquit Vaſquez, ſuper talem guttam navale bellum committi. Item ſequeretur, quòd idem corpus uno in loco igne torreri, & in alio algore interire. Poſſet in uno ex locis illis infirmari, in alio optimè valere: In uno decedere vita, & in alio vitam vivere.

Ad hæc reſpondentem audivi ex Neotericis quendam, non eſſe oppoſita; quia in diverſis locis. Sed

Contra. Inde ſequeretur, hanc V. G. Aulam poſſe eſſe illuminatam ſimul, & obſcuram puta illuminatam ex feneſtria, & obſcuram ex Janua, tanquam ex diverſis locis. Præterea cùm effectus formalis formæ ſit ipſa forma communicata, quomodo poterit Anima in uno loco vivificare, & in alio non vivificare idem corpus communicata eidem corpori? Vide in fine hujus art. num. 56.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

9. POſſent primodùm nonnulla adduci exempla; puta, quòd D. Antonius Patavinus eodem tempore viſus, & auditus eſt in Eccleſia concionem habere, & lectionem in Choro cantare; & de Sanctis aliis non paucis, præſertim de Sancta Roſa Limana. Item, quod Graviſſimi Scriptores aſſeruerunt, Chriſtum Dominum perſonaliter adfuiſſe funeri Sanctiſſimæ Virginis, & B. Marthæ ſine præjudicio, ut par eſt, ſeſſionis ad Patris dexteram, ut objicit Saguens, qui tamen talium Authorum nomina minimè habet hic num 4. Ulteriùs quòd Chriſtus per ſeipſum realiter apparuit D. Paulo in via dum Damaſcum pergeret in ſententia S. Thomæ 3 p. q. 57 art. 6. ad 3. ut eſſet teſtis reſurrectionis, & tamen non videtur dicendum, quod pro illo tunc à Cœlo vel brevem per morulam fuerit digreſſus, cùm dicatur act 3. *quem oportet Cœlum ſuſcipere, uſque in tempora reſurrectionis*, nempe judicii diem. Undè Auguſtinus relatus in Decretis de Conſecrat. cap. *prima hæreſis* ſic ait: *Donec ſæculum finiatur ſurſum eſt Dominus;* judicium autem brevi morula fiet, quia cùm ſecundùm D. Thomam in additionibus ad 3 p. q. 88. art 2. & opuſc. 10. art. 27. probabilius ſit, quòd fiet per locutionem mentalem breviſſimè perficietur.

Verùm ad 1. faciliter Reſp dicendo, in caſu illo, aliiſque conſimilibus Angelum aſſumpſiſſe corpus aliquod aereum, medio quo in ſpecie, & ſimilitudine D. Antonii, ſeu alterius Sancti apparuit. Vel fuiſſe viſiones duntaxat Imaginarias. Et in exemplo S. Antonii fuiſſe Angelum fatetur etiam ex Minoritarum familia quidam P. Helias de Cottona in vita S. Antonii Patavini italico idiomate edita; Ibique obteſtatur quòd firmiter credit in hoc minimè ſe decipi.

Ad 2. quæ rudibus ſpeciem nonnullam veriſimilis præſeferre videbitur Reſp. Chriſtum pro illo temporis modulo, quo funeribus illis adfuit (ſi verè adfuit) ſicut & quo D. Paulo ſeſe videndum præbuit à Cœlo receſſiſſe.

Ad id, quod additur ex 3. act. & D. Aug. dicatur, eſſe intelligendum, quòd Chriſtus non ſit futurus perſpicuus in forma Univerſis intuentibus viſibili prævié ad Judicii diem. Quando namque D. Paulo viſendum ſeſe exhibuit, inviſibilem ſeſe dedit iis, qui Paulum comitabantur, teſtante ſacro eloquio act. 9. quòd vocem quidem audiebant, ſed neminem videbant. Quòd ſi poſtea aliis Sanctis viſus eſt, dicendum eſt, vel imaginarias fuiſſe viſiones, vel Angelos in humana Chriſti ſpecie eis ſeſe obtuliſſe.

Nec inde ſequeretur, quòd ſi quis illo temporis intervallo Chriſtum in Cœlo mente conquiſiiſſet, fuiſſet deceptus. Non, inquam, quia cùm parum pro nihilo reputetur, idcircò pro illo tempore nec computabatur ut abſens, adeoque qui præſentem illum putaſſet devota mente ibi perquirendo, minimè fuiſſet deceptus.

Quædam alia vide apud Guerinois in tract. de Cœlo q. 5. art. 3. §. 2.

50. Arg. 1. Duæ præſentiæ locales, & duo *Ubi* circumſcriptiva correſpondent duobus locis circumſcriptivis; ſed idem corpus poteſt ſupernaturaliter habere duas præſentias locales, & duo *Ubi* circumſcriptiva: ergo poteſt eſſe bilocatum in duobus locis circumſcriptivis. Prob min. primò. Eadem littera poteſt ſimul habere plures ſenſus: ergo pariter &c. Secundò. Idem Angelus poteſt habere plures præſentias, & *Ubi* definitiva: ergo pariter &c. Tertiò. Majorem incompoſſibilitatem habere videntur duæ præſentiæ, & duo *Ubi* diverſæ rationis, quàm duæ præſentiæ, & duo *Ubi* ejuſdem rationis; ſed idem corpus Chriſti habet præſentias diverſæ rationis, nimirum *Ubi* circumſcriptivum, per quod exiſtit in Cœlo, & *Ubi* Sacramentale, per quod Sacramentaliter exiſtit in Sacramento: ergo &c.

Conf. 1. Abſurda omnia, quæ à Thomiſtis producuntur adverſus exiſtentiam ejuſdem corporis in pluribus locis circumſcriptivis militant quoque de exiſtentia Corporis Chriſti pluribus in locis Sacramentalibus, ſicut & in uno circumſcriptivè, & aliis Sacramentalibus; ergo ſi &c. etiam &c. Prob. ant. Etenim etiam de Chriſti corpore poſſet dici, quòd eſſet intra unum locum Sacramentalem, & ſimul eſſet extra, quia contineretur, & in alio. Dici ſimiliter poſſet, quòd diviſum foret, quia inter Corpus Chriſti exiſtens Sacramentaliter in Hoſtia, & circumſcriptivè in Cœlo plura mediant corpora. Similiter implicantia alia, quæ adduci à Thomiſtis conſuevit, nimirum, quòd ſi idem corpus poſſet eſſe in pluribus locis circumſcriptivis, Infinitum foret, ac immenſum, quia & in infinitis locis, ſi extarent, collocari poſſet; ſed etiam Chriſti Corpus poni infinitis in locis poſſet, ſi extarent: ergo &c. Demum quia non minùs ſunt totales Sacramentaliter duæ præſentiæ totales Sacramentales, quàm ſint totales circumſcriptivè duæ præſentiæ corporis circumſcriptivæ exiſtentis in loco circumſcriptivo; ſed eodem in Corpore Chriſti eſſe queunt, & ſunt plures præſentiæ totales Sacramentales: ergo & duæ circumſcriptivæ eſſe queunt.

Conf. 2. Poteſt optimè multiplicari effectus ſecundarius non multiplicato primario; ſed præſentia localis, *Ubi* circumſcriptivum, & extenſio localis ſunt effectus ſecundarius quantitatis: ergo manente una quantitate in corpore poſſunt Divinitùs poni duæ præſentiæ, duo *Ubi*, & duæ extenſiones locales. Prob. maj. Tum quia ab eadem eſſentia proveniunt plures proprietates, & ab eadem forma diverſi effectus formales diverſarum partium, puta eadem ab anima datur eſſe animatum capiti, pedibus, manibus. Tum quia poteſt adimi effectus ſecundarius non adempto primario: ergo quoque multiplicari poteſt, primario non multiplicato. Prob conſequentia; quoniam prius ſicut in eſſe, ita nec in unitate à poſteriori non dependet. Tum quia poteſt à Deo poni extenſio localis, ab extrinſeco proveniens, ultra illam, quæ ab ipſa quantitate dimanat.

Reſp. ad arg. nego min. Ad 1. prob. quæ probat, non tantùm ſupernaturaliter, ſed etiam naturaliter, ac de facto habere plures præſentias, & *Ubi* diſt. ant. de primariò, nego, de ſecundariò, ſubdiſtinguo: plures ſenſus diverſos, concedo, ſimiles, nego ant. & conſequentiam. Littera igitur de primariò unum duntaxat importat ſenſum, cæteros verò importat de ſecundariò, ſed tamen inter ſe diſſimiles, puta litteralem, allegoricum, anagogicum. Ex quo tantummodo ſequitur, idem corpus poſſe habere duplicem præſentiam, & duplex *Ubi* diverſæ rationis. Quod & nos admittimus, ſed negamus duplex *Ubi* ejuſdem rationis, nempe circumſcriptivum. Imò & admittimus duplex *Ubi* ejuſdem rationis, nimirum Sacramentale in eodem corpore Chriſti, ſecundùm tamen diverſam rationem, ut infra dicetur.

Adde, quòd ſignificatio convenit litteræ, non per ſe, ſed ex intentione ejus, qui imponit litteram ad ſignificandum.

Ad 2. liquet ex dictis §. 1. num. 1

Ad 3. quæ poſſet eſſe reſponſi oppugnatio, diſt. maj. ſi accipiatur ſecundùm idem, concedo, ſecundùm diverſa, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Quotieſcunque prædicata conveniunt ſecundùm diverſa tollitur oppoſitio, eſſe autem circumſcriptivè in Cœlo, & Sacramentaliter in Hoſtia convenit corpori Chriſti ratione diverſorum, eſſe namque circumſcriptivè in Cœlo convenit illi ratione quantitatis, eſſe verò Sacramentaliter in Hoſtia convenit ei per ſuam ſubſtantiam indiviſibili modo.

Quomodo autem opponantur inter ſe duo *Ubi* circumſcriptiva? Dicendum eſt, quòd licèt nullam habeant oppoſitionem formalem; opponuntur tamen privativè virtualiter, ſeu illativè, quatenus inferunt effectus privativè oppoſitos reſpectu ejuſdem ſubjecti; quia nempe facerent, illud eſſe intra locum, & ſimul facerent eſſe extra locum. Et quidem poſſumus inſtare. Siquidem nequit idem habere plures ſubſiſtentias totales cum una duntaxat forma, ſecùs Verbum aſſumpſiſſet perſonam: ergo nec idem corpus plura *Ubi*, plures extenſiones locales, plures præſentias totales &c.

Ad 1. Conf. nego ant. nulla namque ex adductis rationibus pugnat tanto cum fidei myſterio.

Non prima, quia eatenus ſi idem corpus eſſet in pluribus circumſcriptivis locis, ejus quantitas eſset diviſa, & diſcontinuata, quatenus haberet eſse modo extenſo, & diviſibili per contactum, vel mediatum, vel immediatum tum in ordine ad alia corpora, tum in ordine ad locum, ratione cujus fieret contiguum, & non continuum. Corpus autem Chriſti habet eſse in Sacramento modo inextenſo, & indiviſibili, &c.

Neque ſecunda, quia intùs, & extra ſunt differentiæ locati, & ubicati circumſcriptivè, quia illud duntaxat continetur propriè à loco; non verò locati Sacramentaliter, quod habet eſse modo indiviſibili, & ad modum ſubſtantiæ. Ob idque ratiocinium illud multò minùs militat contra duplex *Ubi* definitivum Angeli, qui nullo modo continetur à loco, ſed continet locum.

Tertia autem ratiocinatione nos uſi non ſumus, non ſolùm propter argumentum ex adverſo factum, de quo videri poſsunt Complut. eo utentes ratiocinio, ſed quia videtur probare, quòd nec ſucceſſivè poſſit pluribus in locis poni, cùm & in infinitis collocari queat. Et ratio à priori eſse videtur, quia tunc tantùm ſequeretur, eſse infinitum, ac immenſum, quando corpus una, eademque præſentia, atque ubicatione poneretur in duobus, & infinitis locis, non verò ſi poneretur per diverſas præſentias, quæ ſunt infinitæ duntaxat in potentia.

Verùm eſt tamen, quòd eo motivo uſi nos ſumus lib. 1. probando, unicam formam non poſse pluribus incubare materiis. In quo caſu optimè convincebat; quia cùm informatio non diſtinguatur à forma, ſed ſit ipſamet forma communicata, per unicam, eandemque informationem eſset in illis. Corpus autem in Adverſariorum ſententia eſset in pluribus locis per diſtinctas præſentias. Et, ut dictum eſt, ratio illa, ſi quid probaret, videtur, quòd probaret quoque, nec ſucceſſivè poſse idem corpus eſse in pluribus locis, ſicut forma neque ſucceſſivè pluribus in materiis eſse poteſt.

Ad id, quod ultimo loco ſubditur, dico, illas præſentias Sacramentales eſse totales duntaxat ſecundùm diverſam rationem. Etenim Corpus Chriſti eſt Sacramentaliter in loco, quatenus eſt ex ſubſtantia, quæ in illud convertitur. Et quia in diverſis præſentiis Sacramentalibus eſt ex diverſis ſubſtantiis, nimirum ex diverſis numero ſubſtantiis panis, vel ex diverſis numero ſubſtantiis vini; Idcircò præſentiæ illæ ſunt ſecundùm diverſam rationem Cæterùm ſi corpus foret in pluribus locis circumſcriptivis haberet plures præſentias totales ſecundùm eandem quantitatem, & extenſionem, cùm (ut diximus, & mox iterum dicemus) non ſint in illo poſſibiles plures extenſiones.

Nullatenus igitur cum noſtra ſententia pugnat Corporis Chriſti in pluribus locis Sacramentalibus præſentia, de qua totius Eccleſia nomine tam bene ſcripſit Euchariſticus Doctor S. Th. qui tamen in refellenda opinione de poſſibilitate exiſtentiæ unius, & ejuſdem corporis in pluribus locis circumſcriptivè perpetuus fuit.

Nec eſt verum, quòd ſententia nobis adverſa magis conducat ad tuendam præſentiam corporis Chriſti in pluribus locis Sacramentalibus. Imò majora in hoc congerit obſtacula dum talem producendo paritatem exponit tot illis contradictionibus, quibus obnoxia eſt præſentia ejuſdem corporis in pluribus locis circumſcriptivis.

Et etiam permiſso (quod ad ſummum non niſi permittendum venit) faciliùs in adverſantium ſententia ſalvaretur,

tur, non proinde ſequitur, eam veram eſſe. Siquidem ſæpiſſimè contingit, ut principium ſaltum ſit idoneum ad aliqua vera clariùs, & faciliùs explicanda neque tamen propterea æquum eſt, ut adhibeatur. Sic ad clarè, & facilè explicandum, cur in Divinis Pater gignendo Filium ſuum, ei quidem ſuam divinitatem communicet, Paternitatem verò non communicet, quid excogitari expeditiùs poteſt, quàm ſi quis dicat, divinitatem diſtingui realiter à Paternitate? & nihilominùs id omnino ſtultè diceretur. Ita à pari quamvis, &c.

Ad 2. Conſ. nego maj. ad cujus 1. prob. extat ex dictis §. 2. poſſe quidem ab eadem forma provenire plures effectus ſecundarios diverſæ veluti rationis, non verò ejuſdem rationis. Ad id, quod dicitur de Anima dico, animationem pedis, capitis, &c eſſe unicum effectum formalem totalem ipſius Animæ, ſicut etiam corpus eſt ſubjectum totale ipſius Animæ. Vel ſi ſunt plures, ſunt plures diverſæ veluti rationis; quia fortaſſe caput in Homine erit Anima intellectiva, partes verò Anima ſenſitiva. Quod præſtat una Anima rationalis propter ſui eminentiam.

Ad 2. prob. ejuſdem ſecundæ Conſ. nego conſequentiam, & paritatem. Ad prob. dico, quòd licèt priùs non ſemper dependeat à poſteriori, nec quòad eſſe, nec quò ad unitatem; tamen poſterius ſemper à priori dependet tum quòad eſſe, tum quòad unitatem. Ob idque ſicuti dari nequit effectus ſecundarius ſine primario, licèt poſſit auferri non ablato primario; ita nec poteſt multiplicari non multiplicato primario. Ultra quod, quicquid ſit num poſſit multiplicari effectus ſecundarius non multiplicato primario; adhuc tamen negandum venit, duplicem illum effectum ſecundarium, ſive duplicem extenſionem localem extendere unum, idemque corpus; quia (ut §. 2. dictum eſt) extenſio localis eſt eſſentialiter extenſiva corporis: ergo duplex extenſio localis erit eſſentialiter duplicis corporis extenſiva. Per quod patet.

Ad 3. Quicquid namque ſit, num poſſit à Deo poni in corpore aliquo extenſio localis proveniens ab ejus quantitate; negamus tamen poſſe poni hujuſmodi extenſionem localem, ſuppoſito quod corpus ſit jam extenſum per aliam extenſionem localem propter rationem nuper dictam.

55. Arg. 2. à pari. Per abſolutam Dei potentiam poteſt una, eademque natura humana terminari à pluribus perſonis Divinis ſimul: ergo pariter & idem corpus poterit eſſe circumſcriptivè in pluribus locis ſimul.

Reſp. quod ad hoc extat ex dictis lib. 2. q. 4. art. unico §. 3. ad 3. arg. quòd omnes illæ tres Perſonæ terminarent ſecundùm diverſam rationem. Vid. ibi & adde ex Guerinois, quòd Divinæ Perſonæ licèt diſtinctæ, non tamen ſeparatæ ſunt, at loca illa ſeparata ſunt.

52. Arg. 3. ex Maſtrio. Objectum adæquatè comprehenſum per unam cognitionem poteſt adæquatè per aliam comprehendi: ergo & corpus adæquatè circumſcriptum ab uno loco poteſt circumſcribi ab alio. Conſequentia ſequitur à pari. Quemadmodum namque objectum totaliter adæquatur in eſſe intentionali per cognitionem comprehenſivam, ita & corpus prorſus adæquatur à loco totali.

Reſp. primitùs nimium probare, cùm probet, etiam naturaliter eſſe poſſibile, ut nitidè pateſcit. Diſparitas autem eſt. Tum quia eſſe viſum, comprehenſum, cognitum, &c. eſt pura denominatio extrinſeca. Tum quia (ut non infrequenter dictum eſt) linea intentionalis majorem habet amplitudinem, & protenſionem, quàm linea entitativa.

53. Arg. 4. & ultimò. Idem corpus naturaliter poteſt eſſe ſucceſſivè pluribus in locis circumſcriptivè: ergo ſupernaturaliter, & per obedientialem potentiam hoc plùs habebit, quod poſſit etiam ſimul.

Reſp. dato ant. nego conſequentiam. Nam ad ea, quæ contradictionem involvunt non extat obedientialis potentia. Videantur dicta §. 5. num. 5.

54. Si petas cum Suarez, num exiſtentia ejuſdem corporis in pluribus circumſcriptivis locis ſit contra rationem quantitatis, vel contra talem modum eſſendi in loco.

Reſpondeo eſſe contra utramque. Contra quantitatis rationem quidem, quia, ut vidimus, quantitas eſſet in ſeipſa Diviſa. Contra talem etiam modum; quia ſequeretur, idem corpus eſſe intùs, & non eſſe intùs, ſed extra talem locum.

Objectiones autem, quas contra hoc congerit Suarez, puta quòd non repugnat, eandem quantitatem habere duas extenſiones locales, &c. Jam abundè ad 1. arg. ſub num. 50. ſunt ſolutæ.

55. Pro dictis num. 8. adverte, quòd etiam dato, poſſe à Deo fieri, quòd gelu exiſtens Bononiæ impediret, ne ignis combureret Sejum exiſtentem Romæ; tamen poſſet hoc ſecundùm miraculum omittere, etiam facto illo de bilocatione. Et tunc ſequerentur illa inconvenientia, cùm naturaliter loquendo gelu exiſtens Bononiæ nequeat operari Romæ. Nec corporis bilocati identitas poteſt aut ignis, aut glaciei actum impedire.

QUÆSTIO TERTIA.

De Inanis, ideſt Vacui Inanitate.

VAcuum, ſive inane quamquam interdum figuratè pro otioſis uſurpari conſueverit, juxta illud in Sileno *quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes*, & Hor. in ſer. *inanes hoc juvat*. Tamen propriè ſumitur pro loco nullo corpore repleto. Uno modo ut apud vulgum pro loco duntaxat aere, & non alio corpore occupato, juxta illud Luc. l. 2 *longum per inane reſolvit*, & C. 7. Ver. *Inanem te eſſe naveia in Italia dedactarum*. Alio modo, ut apud Philoſophos, pro ſpatio, quod omni corpore, vel ipſomet aere privatum eſt. Vacuum hoc ultimo acceptum modo definitur ab Ariſt. hic, & D. Th. in 2. ſent. diſt. 5. q. 1. art. 5. ad 4 quod ſit *locus non repletus corpore*.

Explanatur definitio iſta. Dicitur *locus*, non ſtrictè pro ſuperficie ultima ambiente, & continente (pugnaret namque in terminis dicere, quòd locus preſsè dictus eſſet vacuum, cùm locus ſic acceptus ſit eſſentialiter continens locatum) ſed latè pro ſpatio aliquo nullo corpore plenum. Ob idque ly *locus* tenet locum generis, cum quo convenit cum loco preſsè dicto. Ly verò *non repletus corpore* tenet locum differentiæ; & facit differre vacuum à loco ſtrictè dicto.

Duplex eſt vacuum. Unum eſt illud, quod nullo circumſcribitur corpore, quodque à nonnullis dicitur vacuum negativum, eo, quod nec eſt repletum, nec eſt replebile, ſaltem naturaliter, ut ſunt ſpatia imaginaria extramundana, vocaturque ab eis propriè *inane*. Aliud dicitur illud, quod corpore aliquo ambitur, quodque à nonnullis dicitur Vacuum privativum, quale eſſet V. G. cubiculum, quod non modò corporibus ob oculos, vel alios ſenſus cadentibus, verùm etiam aere deſtitutum foret, ſi foret.

ARTICULUS UNICUS.

Num, & qua virtute ſit poſſibile Vacuum.

§. I.

1. NEc extare, nec eſſe poſſibile naturaliter loquendo vacuum aliquod in rerum natura propugnant ferè omnes Peripatetici, demptis nonnullis Neotericis.

Affirmant autem, ultra Neutericos, Atomiſtæ omnes, qui loquendo de vacuo, quod ipſi vocant *diſſeminatum per omnia*, ſicut poros per viventis corpus, dicunt, etiam reapſe neceſſariò dari, licèt non vacuum ſpecialiter inductum, quod ipſi vocant Vacuum *coacervatum*, quodque ſolùm de poſſibili naturaliter; ac modicum, ſive mediocre, non verò grande, & inſignius, cùm rerum pondus contiguitatem in eis exigat. Imò quaſi illudendo titulum hic inſcribunt *de Vacui Metu*, cui reſpondet noſter *de Inanis Inanitate* Titulus; Præſertim verò Sagueus, qui quamquam non omnes Peripatetici adſtruant Vacui impoſſibilitatem, cùm & Neoterici poſſibilitatem naturalem Vacui teneant, nihilominùs ipſe abſolutè adverſus Peripateticos loquitur. Aſt quicquid ſit de modeſtia Joannis Saguens.

§. II.

CONCLUSIO.

Nulla naturali, etiam Angelica virtute poteſt dari vacuum in rerum natura, ſed duntaxat virtute Divina.

2. PRob. 1. Nulla naturali virtute induci valet id, quod eſt contra totius Univerſi bonum, quodque pugnat

cum bono Univerſi; ſed vacuum eſt contra bonum totius Univerſi: ergo nulla naturali virtute vacuum induci poteſt. Maj. eſt adeo certa, quantum certum eſt, unumquodque ferri in bonum totius, cùm omnia, quæ in Univerſo ſunt, ſint Univerſi pars, & partes in totius bonum tendant. Min. prob. 1. Nulla res naturalis cedit naturali inclinationi, aut naturaliter movetur contra ſuam particularem inclinationem, niſi quando eſt ad bonum totius, & ad impediendum malum illius; ſed ſic eſt, quòd res contra propriam inclinationem moventur ad impediendum vacuum: ergo &c. Maj. præſertim in non viventibus eniteſcit, non eſſe poſſibile, quod quidpiam propter alicujus particularis bonum operetur contra ſui propriam inclinationem, quam à totius Univerſi conditore hauſit. Min. prob. familiaribus experimentis, præſertim in ſyringe, ſive fiſtula, in qua attracto aere, protinus aqua poſthabita propria inclinatione, quæ eſt moveri deorſum, vel ſaltem non eſt moveri ſurſum, aſcendit ad impediendum vacuum.

Reſpondent nonnulli 1. quòd etiam hypotheticè dato, niſum illum eſſe ad impediendum vacuum, tamen eſt naturaliter ſuperabilis, non ſecùs ac niſus lapidis ad centrum. Sed

Contra. Semel dato, quòd aquæ niſus ille ſit ad impediendum vacuum, contra quod, ceu toti Univerſo noxium, entia naturalia conſpirent, tametſi niſus ille ſuperaretur, præſertim per Artem, non eſt major ratio non niteretur abrumpere fiſtulam, cùm non ſit major ratio, cur ad primum, & non ad ſecundum niteretur. Aſt tunc quis, & qua arte ſciſſuras, rimas, foramina, &c. impediret? Lapidis autem detentio non pugnat cum totius Univerſi bono.

Reſpondent Adverſarii 2. Aquam in fiſtula elevari, non ut impediat vacuum, ſed propelli ſurſum ab aere, incubante illi aquæ, eamque premente ſua gravitate. Cum enim, ajunt, aer ſua gravitate premat partes aquæ, idcircò ſtatim ac attrahitur ex ea aer, qui premebat partes ſuperiores aquæ, & impediebat elevari, ſtatim impellitur ab aere extra fiſtulam ipſi aquæ adhærente. Sed

Contra. Nam videbimus in lib. de Gener. lib. 2. q. 5. in præloquiis §. un. quæſito 2. falſum eſſe, quòd aer in ſuo centro ſit gravis.

Deinde etiam permiſſo, quòd ſit gravis; tamen nunquam poteſt ſuſpicari, quòd ſit gravior aqua, & ita gravior, ut eam impellere queat. Tum quia Vas aqua plenum eſt gravius vaſe aere pleno. Tum quia Terra inferiorem locum occupat. Tum quia aqua ſurſum projecta, cùm poſtea per aerem ſua gravitate deſcendit, aerem ſua gravitate dividit permeando. Videatur Guerinois in tract. de Cœlo, & Goudin hic, præſertim in ultima ſua editione.

Reſpondent 3. Alii cum Epicuræis, ex his ratiocinationibus excludi duntaxat vacuum coacervatum, quod nimirum inducitur ſpecialiter ex depulſione corporis, quodque natura horret forſan non minùs, ac vulnus in humano corpore; non verò excludi vacuum diſſeminatum, quod nempe eſt diſſeminatum per Univerſum, ideſt illa ſpatiola, ſicut, pori, ſecùs non poſſet lux per aerem excurrere; nec poſſet dari condenſatio, aut rarefactio ulla.

Verum eſt, quantum eſt hoc ex capite non refelli vacuum iſtud interſperſum; ſed tamen hoc refellere haud difficile erit ex ratiociniis, feſtinè adducendis.

Ad id, quod de luce dicebatur, negatur ſuppoſitum. Supponit namque, lucem eſſe corpus aliquod aerem pervadens. Quod tamen eſt falſum. Siquidem lux eſt qualitas informans, ut fuſiùs in lib. de Anima dicetur, defenſando, quòd lux non ſit corpuſcula.

Circa rarefactionem, & condenſationem videbimus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 6. art. unico §. 2. concl. 1. & §. 3. ad 1. eam fieri, non per approximationem, aut diſtantiam partium, ſed per majorem extenſionem, vel inextenſionem, non quidem entitativam, ſed purè explicativam, ut ibidem dicemus § 5 ad 3. arg.

Experientias alias pro refellendo vacuo coacervato adducentur in 1. lib. de Gener. & Corrupt. q. 6. art. unico § 2 concl. 1 num. 5. & videri poſſunt etiam apud Guerinois ubi ſupra in tract. de Cœlo, ubi difficultatem illam movet; ut perſpicuum fiat, qualiter contra vacuum tota natura molitur.

3. Prob. 2. Illa min. refellendo vacuum tum diſſeminatum, cùm coacervatum ſic. Bonum horum ſublunarium pendet ex influxu corporum cœleſtium; ſed poſito vacuo præpediretur, vel ſaltem retardaretur hujuſmodi influxus: ergo vacuum eſt contra Univerſi bonum. Maj. nemini eſt dubia. Min. prob. Siquidem ſuperiora corpora, nempe Cœli influunt in hæc inferiora demittendo ſui virtutem in unum mediante alio; ſed poſito vacuo inter aliqua duo corpora, quæ propter tale vacuum non eſſent contigua, jam per illud vacuum irrepere haud valeret virtus, quia nullum adeſſet ibi ſubjectum, in quo reciperetur, & ſubjectaretur, cùm tamen ceu accidens indigeat in aliquo recipi: ergo per vacuum impediretur hujuſcemodi influxus, vel ſaltem retardaretur. Eo namque in caſu virtus illa ad ſummum diffunderetur per lineam obliquam, & per latera, non verò per lineam rectam, quæ breviſſima eſt.

Quæ ratio habetur apud Ariſt. 1. Meteor.

Qua ex re deducitur, quòd non ſolùm in ſublunaribus, ſed neque in Cœlis extare poteſt vacuum aliquod; quia cœleſtes omnes Orbes ita ſe habent, quòd primus influit medio ſecundo &c.

Neque poſt diem Judicii naturaliter dari vacuum aliquod poterit. Non, inquam, quia poſt Judicii diem quamquam ceſſaturus ſit motus, & influxus naturalis, & alterativus in phyſicam rerum ſublunarium generationem; neutiquam tamen ceſſabit influxus intentionalis, & diffuſio luminis, atque ſpecierum intentionalium.

Reſpondent 1. Neoterici, ex hoc refelli duntaxat poſſibilitatem naturalem Vacui inſignioris, non verò modici; quia perceptibile non eſt, quomodo aliquo ex minimo vacuo in aliqua Univerſi parte præpediretur, aut retardaretur Cœlorum influxus per totum Univerſum, totique Univerſo detrimentum afferretur. Sed

Contra. Tum quia influxus ille retardaretur, non tam in parte illa, in qua vacuum haberetur, verùm etiam in aliis partibus cum ea connexis; eò quòd ad eas media illa pervenit. Tum quia cùm partes omnes Univerſi in invicem connexæ ſint, in una earum tali ordine læſo, quem ſervant ad invicem, læditur totum Univerſum. Eſt namque Univerſi ordo præſtantiſſima quædam Harmonia ex amicabili partium unione reſultans, quæ minimam ob diſſonantiam vitiatur.

Reſpondent 2. Atomiſtæ, minimo ex illo vacuo juvari potiùs influxum, quia per illud nullo vel minimè obſtante corpore percurrunt corpuſcula de Cœlo fluentia; imò eſſe neceſſarium vacuum diſſeminatum, ut per illud excurrant.

Contra. Falſum eſt Cœlos influere, corpuſcula fundendo, & influunt mediis qualitatibus, quæ utpote accidentia petunt aliquo in ſubjecto recipi, ut diximus: ergo ſolutio nulla. Prob. ant. Ex his quæ dicemus in lib. de Anima, defenſando, lucem non conſiſtere in corpuſculis. Siquidem ex tanta corpuſculorum effuſione die ac nocte ab Orbe uſque condito magnum, maximumque detrimentum ſubjiſſent, ac ſubirent: ergo &c.

4. Probatur. Præterea Concluſio, refellendo vacuum diſſeminatum ſic. Nullus locus corpore vacat: ergo nullibi vacuum diſſeminatum extat. Prob. ant. Quandoquidem natura corporis, vel in trina dimenſione poſita eſt, ut Carteſio placet, qui tamen omne denegat vacuum; vel certè cum ea ſaltem neceſſariò naturaliter eſt conjuncta; ſed ſi in corpore aliquo extaret locus vacans corpore, vacaret quoque trina dimenſione: ergo &c. Min. explicatur. Etenim, quod in illis ſpatiolis metiremur eſſet locus, & non illud corpus.

Neque in tuto erit, qui reſponderit, trinam illam dimenſionem eſſe de ratione duntaxat corporis Mathematici, ut à Geometra ſpectati; aliter ſequeretur, nec poros in humano corpore extare.

Non, inquam; quia ſicut corpus mathematicum dicit extenſionem mathematicam, ita corpus phyſicum extenſionem phyſicam, quæ omnium oculis ſanè conſpicua eſt.

Ad id, quod addebatur Reſp. quòd pori ſaltem quando non ſunt actu dilatati immediatè in partibus ſeſe contingunt, proindeque trinam iſtam dimenſionem habent. Quando autem ſunt actu patentes ſunt pleni vel aere, vel ſudore, qui licèt ſint quid realiter diſtinctum, propter tamen cum illis conjunctionem, formant cum illis unum menſurabile corpus. Eo vel maximè, quòd non ſunt adeò frequentia, ſicut ab Adverſariis finguntur vacuola illa multiplicata. Præſertim juxta Atomiſtas, per quos uni indiviſibili atomo ſuccedit ſpatiolum vacuum.

§. III.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

5. ARg. 1. Probando, aerem gravitare non paucis experientiis, quarum potiores ſolvemus lib. 2 de Generat. & Corrupt. in præloquiis §. 10 quæſito 2. & videri poſſunt ſolutæ apud Guerinois in tract. de Cœlo q. quinta, ubi de vacuo pertractat art. 4. §. 3. Nobis autem pro nunc ſufficit, quòd etſi gravitet, non tamen adeò gravis eſt ſicut aqua, uti diximus §. præcedenti 2. ſub num. 2.

6. Arg. 2. experimento illo, quod vulgò *experimentum vacui*, aut *Torricellianum* vocitari ſolet, ejuſque machina *Barometrum* appellatur, & adeo vulgare poſt annum 1643. quo primùm Florentiæ ad periculum adducta eſt, ut ferè nulli viri phyſici ſint, qui proprio in muſæo eam non habeant, ut obteſtatur Saguens.

Igitur fit in hunc modum. Ponitur tubus vitreus tripedalis, aut quadripedalis ubi longus altera ex parte *hermeticè*, id eſt exactiſſimè obturatus; altera verò parte apertus. Deinde tubus ille impleatur hydrargyro, ſive Mercurio, & apertum tubi orificium digito obducatur. Invertatur deinde tubus ille, & orificium digito obductum, & in vas aqua plenum, ita, ut tamen tale tubi, ſive fiſtulæ orificium non tangat ſuppoſiti vaſis fundum, ſed veluti fluitet. His ſic peractis & digito ſubducto, Mercurius in vas ſubjectum aqua plenum defluet, non tamen totus; manebit ſiquidem intra Syringem, ſive tubum ſupra ſuperficiem aquæ ad altitudinem bipedalem, (ſi verò tubus eſſet bipedalis totus à Mercurio occupabitur) & alia pars ſupra bicubitalem Mercurio vacabit.

Tum verò ſic. In ſuperiori illa parte Tubi, ex qua Mercurius defluxit, debet dari vacuum, cùm non ſit aſſignabile corpus aliquod, quo pars illa depleatur. Non enim depletur aere vitri poros ſubeunte, cùm vitrum poros non habeat, ſecùs nequirent in eo quintæ eſſentiæ aſſervari. Neque depletur aqua, quæ illo non aſcendit experientia teſtante. Neque denique depletur ſpiritibus Mercurii, qui licèt darentur, & eò evolarent; non ſufficerent tamen ad implendam ſuperiorem tubi partem, præſertim ſi tubi pars inferior ſit anguſta, & ſuperior ampla.

Conf. ex Saguens. Juxta Peripateticam ſectam Mercurius in allato caſu detinetur ſuſpenſus ad impediendum vacuum. Tum petit Saguens, cur non detineatur ſuſpenſus uſque ad altitudinem tripedalem, imò & quadripedalem, ne partem illam ſuperiorem vacuam relinquat?

Urget. Nam ſi modo ſupradicto apponantur præfato Vaſi tres tubi, primus ut ſupra tripedalis, aut quadripedalis, alter bipedalis, ambo perpendiculariter erecti, & tertius tripedalis, aut quadripedalis, ſed inclinatus transverſaliter uſque ad altitudinem alterius bipedalis, tum Mercurius in tubo bipedali nil ſubſidit, ſeu deſcendit, ſicut neque in tripedali, ſive quadripedali inclinato. Cur ergo natura timet vacuum in tripedali, ſive quadripedali perpendiculari erecto, non verò in bipedali pariter perpendiculari, nec in tripedali, vel quadripedali ſubſiſtente, ſeu inclinato? Hujus Schema apud ipſum Saguens habetur hic art. 7.

Urget magis. Siquidem in dictis experientiis, ut comprobavit Paſchalius, Mercurius minus altè ſuſpenditur in vertice alicujus Montis, quàm in umbiliculo, & minùs in umbilico, quàm in ejuſdem montis clivo. Cur igitur natura magis uno in loco, quàm in alio vacuum horret.

Perurget iterum; quoniam minùs altè ſuſpenditur pro temporum varietate, puta non tantùm anni, ut hyemis, aut æſtatis, non tantùm menſis, ſed & diei, imò & horæ, ſicut etiam diverſimodè Cœlo ſereno, ac Cœlo turbido, juxta majorem, vel minorem (ait ipſe) aeris gravitatem tunc occurrentem. At cur uno tempore magis, quàm alio vacuum horret natura, cùm aliàs non minùs uno, quàm alio tempore præjudiciale foret naturæ ipſi ſumptæ pro collectione mixtorum, & ſimplicium corporum, ſi verè, ut Peripateticus obſtentatur, præjudiciale eſt?

Reſp. primitèr, negando, quòd non depleatur aere poros vitri penetrante, ſicut & negando, quòd vitrum poros non habeat. Ad oppugnationem dicatur, quòd quintæ eſſentiæ quantumcumque ſubtiles ſint, nuſquam adeo ſubtiles, ſicuti aer ſunt. Intantum autem lux illò non intrat quando ſtannea ſit Syrinx, quia lux immitti ſolet per lineam rectam, ut de radiis Solis clarè conſtat. Pori autem ſtanni ſunt obliquiores poris vitri.

Et quidem, quòd corpus aliquod in illa degat nitidè evincitur. Siquidem ibi ſi vitrea ſit Syrinx, adeſt lux. Iſta autem vel eſt corpuſcula, quæ ponit Atomiſtica ſecta. Et eo partem illam corpuſculis iſtis plenam vel ſubſtantia alia corporea: etenim ſubſtantia iſta eam partem replet. Vel eſt accidens, ſive accidentalis forma, ut Peripatus juxtè clamat. Et tum debet ibi adeſſe corpus aliquod, cui tanquam ſubjecto inhæreat.

Deinde Reſp. cum aliis, quos ſequitur etiam Guerinois, ſuperiorem tubi partem depleri aere, qui antea vel intra Mercurii poros, vel inter tubi, & Mercurii latera premebatur. Mercurius namque in tubum vitreum haud infundi valet, niſi una cum Mercurio copioſus aer ingrediatur.

Hanc ſolutionem fuſiùs perſequitur Guerinois, ubi ſupra in tract. de Cœlo. Intantum autem ex ea difficulter ducitur embolus, ſive baculus cylindricus; quia petit aliquam morulam, ut poſſit rareſieri, vel alius ingredi ad baculi locum occupandum.

Progrediamur ad reliqua, quæ habet Saguens, quorum nec Guerinois, nec alter aliquis meminit. Igitur

Ad Conf. Reſp. idcircò non detineri ſuſpenſum uſque ad altitudinem illam, quia circa illam partem aer minùs craſſus faciliùs penetrat vitri poros ad vacuum impediendum, & faciliùs rareſit; non ſic verò circa inferiorem aliam partem, ubi præſertim propter propinquitatem ad Mercurium ibi appoſitum ſit craſſior recipiendo nonnullas ejus exhalationes, & vapores. Ex his

Ad 2. Reſp. quòd ideo implet totum illum inclinatum, quia ibi aer eſt magis craſſus.

Ad 3. quoque, quia in montis umbilico aer, ceu à terra remotior, eſt magis purgatus, & magis in vertice.

Ad 4. denique, quoniam diverſis temporibus, præcipuè ſereno Cœlo aer eſt purior.

7. Arg. 3. celeberrimo alio experimento cujuſdam Machinæ, quæ machina *Pneumatica* nuncupatur, cujus Schema videre poteris etiam apud Goudin. Machina iſta ex duabus potiſſimùm conſtat partibus, nimirum ex vaſe vitreo, in quo eſt aer, & ex Syringe, ſive fiſtula, ſeu antlia, qua aer ex vaſe vitreo extrahitur, adeo ut ipſum vas vitreum exhauriri prorſus videatur, totumque aerem extrahi ex vaſe illo, ſicque tandem vacuum effici.

Reſp. ut ſupra ad aliud experimentum, quòd tunc aliquid aeris poros machinæ illius ſubeat, & iſte rareſiat, &c.

Mirum eſt Adverſarios tantam vim facere in experimento hujus Pneumaticæ figuræ, cùm potius deſerviat ad denotandum, quòd natura totis viribus vacuum refugiat.

Audiamus itaque noſtrum Goudin, qui centies ad diſcrimen dicta Machina deducta expertus eſt, quòd nos dictitamus. Quod & alii Doctiſſimi viri apud Guerinois ſunt experti.

Cum enim (inquit Goudin) è Vaſculo vitreo aerem hauriremus, ſi vel minima patebat rimula, per eam externus aer in locum aeris extracti validè irrumpebat. Si autem nulla patebat rima, & aliàs fragilius erat vitrum diſrumpebatur. Cùm verò validius adhibebatur vas tunc poſtremus apparebat naturæ conatus. Etenim ipſa natura etiam granulum aeris (inquit Guerinois) rareſaciebat, diſſiabat, & dilatabat in molem millies majorem ea, quam habebat antea. Item ſi intra illud Vas aliquid liquoris incluſum extabat vini, urinæ, aquæ tepefactæ &c. (perſequitur Goudin) inſigniter ebullire inſpiciebatur, ac identidem ex ſe ſpirituoſæ ſubſtantiæ inſignem copiam emittebat in locum extracti aeris. Alterum rarefactionis aeris licèt modici ſignum habitum eſſe tunc dicit. Siquidem Veſica, in qua priùs compreſſa, omnique diligentia aere evacuata, ac prorſus flacida, aer vel poros ſubjens, vel intra rugas latitans mirum adeo in modum rareſiebat, ut veſica tota impleta ſummopere turgeſcebat, inflabatur, adeo ut nonnunquam diſrumperetur. Videatur Goudin.

Dices ex non paucis, quos inter etiam Saguens. Intra hujuſmodi vas ita aere evacuato non poſſet lampas lucere, aut rubere carbo ignitus, nullum animal poſſet in eo vivere, & uno verbo, ita ut nulla perfici poſſent, quæ intra liberum aerem ſolent phænomena, ut habetur ex omnibus experimentis Phyſico-mechanicis, quæ fecit Robertus ille Boylius Anglus inter viros literatos notiſſimus, & refert in tractatu inſcripto *Nova experimenta Phyſico-Mechanica de vi elaſtica aeris*: ergo ſignum eſt nullum ibi eſſe corpus, quo ignis ali, & animal reſpirare queat.

Reſp.

Reſp. dato ant. diſt. conſequens nullum adeſſe corpus in tanta copia, ut exigitur ad ignis alimentum, & Animalis anhelitum, concedo, ſecùs, nego conſequentiam. Alitur enim lampadis lumen, & juvatur ignis vigor quibuſdam vaporibus circumſtantibus in aere ambienta. Undè cùm ſic attenuato aere eatracti ſint vapores illi, idcirco extinguitur lampas, carboniſque vigor minoratur. Item aer ſic rarefactus, ceu nimis ſubtilis, effectus eſt aſpirationi, & reſpirationi inſufficiens. Quòd aer ſic attenuatus ſit reſpirationi inſufficiens colligitur ea eo, quod experiuntur, qui iter agunt, quoſdam per altiſſimos montes, ubi per 500 leucas anhelitum recipere, ac reddere nequeunt, niſi ſpongiis aqua vel oleo madefactis naribus admotis aerem craſſiorem efficiant. Ovalli *Iſtor. del Cile*.

8. Arg 4. Ad idem duobus aliis experimentis. Primò. Si Vas plenum aqua ita undique bitumine occluſum, ut nullam per rimam aeri aditus pateat, ponatur medio hyeme ſub dio, tum aqua illa condenſabitur, proindeque minorem occupabit locum :argo tum Vaſis pars aliqua vacua remanebit. Secundò. Poſſunt duæ tabulæ ita perfectè planæ inter ſe uniri, ut ſecundùm omnes partes immediatè ſeſe tangant. Tum ſic. Poſſunt illæ tabulæ uno actu diſiungi; & tamen illo actu nequit aer pertingere ad occupandam totam ſuperficiem, cùm ingrediatur ſucceſſivè: ergo tunc in parte aliqua dabitur vacuum.

Reſp. ad 1. vel quòd in eo caſu non congelabitur aqua reſiſtente natura propter majus bonum totius. Vel quòd ex aqua ſurgent vapores aliqui ad occupandum locum illum. Vel quòd Vas diſrumpetur ea ex parta, in qua imminet vacuum.

Ad 2. vel dico cum Ariſt. hic tex. 13. non eſſe ſaltem naturaliter poſſibile duo corpora plana ita ſeſe contingere, ut nihil aeris, vel aquæ (ſi in aqua ſit) mediet. Deinde hoc otiam permiſſo dico, non eſſe naturaliter poſſibile, quòd unico veluti inſtantaneo actu ſejungantur. Cujus ſignum eſt, quòd ſi duo plana invicem ſeparentur id, cum aliqua ſit difficultate; ergo ſignum eſt, quod natura obſiſtit iis, quæ vacuo favent.

9. Arg 5. contra 2. p. concluſionis, probando, extara vacuum diſſeminatum. Quandoquidem cùm corporis alicujus ſit condenſatio, non aliter ſit, niſi per hoc, quòd una pars alteri magis accedat; ſed major iſte acceſſus fieri nequitet, niſi extaret vacuum diſſeminatum: ergo extat vacuum diſſeminatum. Prob. min. ſiquidem dum magis accedit, occupat locum propinquiorem; ſed non poſſet occupare illum, ſi plenum, & non vacuum foret: ergo &c.

Et ne reſpondeatur, quòd adſunt pori pleni aere, qui in condenſatione depellitur, ſcito, quòd idem argumentum fieri poteſt de ipſomet aere, qui condenſari, & rarefieri poteſt.

Idem dicas dum ſit rarefactio, quòd nempe talis major diſtantia unius partis ab alia fieri, niſi loci aliquid vacuum relinquatur.

Reſp. primodùm ſuſtineri optimè poſſe datam ſolutionem, & ad oppugnarionem dici, quòd aeris pori ſunt ſemper quibuſdam vaporibus, & exhalationibus pleni, ſicut è contra tales exhalationes, & vapores habent poros aere plenos.

Nec unquam aer intra tubum occluſum condenſatus potarit rarefieri (ut falsò ſupponit Saguens) niſi ingrediantur vapores aliqui ad ejus poros deplendos, vel alter aer ad præfatos poros occupandum, omneque vacuum deplendum: Ex quo habes, quòd quemadmodum in condenſationu pori evacuantur alieno corpore, ita in rarefactione eo replentur.

Deinde Reſp. quòd licèt præfatus acceſſus interveniant in condenſatione, non tamen in eo ſita eſt formaliter condenſatio, quæ ſita eſt in hoc, quòd minor occupetur locus.

Quomodo autem ſiat; Dico fieri per hoc, quòd adoritur una pars affecta qualitate rarefactiva minorem occupare locum, non verò per aliquem majorem acceſſum ad ſe, cùm nihil accedat ad ſe ipſum: deinde alia pars accedit ad occupandum illud loci, quod illa occupare deſiit, & inſuper ipſa quoque minosem occupat locum, & ſic ſucceſſivè, media quadam qualitate, de qua in lib. de Gener.

Et hoc monitus ſis, quòd nunquam rareſit corpus aliquod, quin condenſetur aliud ei proximum, nec unquam condenſatur corpus aliquod, quin rarefiat aliud ei immediatum, ut fuſiùs in lib. de Gener. dicetur.

Scito etiam, quòd minor, vel major exteoſio, quæ in condenſationa, & rarefactione acquiritur, non eſt entitativa, ſed eſt purè explicativa, ut in lib. de Gener. & corrup. dicemus.

10. Arg. 5. ad idem. Quoties corpus aliquod localiter movetur pellit ante ſe aerem; ſi autem non daretur vacuum diſſeminatum, quod ab ao aere ſic tum propulſo poſſet occupari, deberet in eodem loco cum alio contiguo aere naturaliter penetrari.

Reſp. quòd dum corpus aliquod localiter movetur impellit utique aerem, ſed iſte aer impellit alium proximum tum ante ſe, tum ad latera, & iſta alium, ut pergat ad occupandum locum illum, qui à corpore, quod localiter movetar occupabatur.

Arg. 6. ad idem. Nullum extat corpus, cujus partes ita ſecum invicem connectantur, ut nullum relinquant interſtitium; ergo inter eas datur vacuum diſſeminatum. Prob. ant. Si vel unica pars illius corporis fuerit ſphærica, aut ad ſpæricam proxima, evidens eſt, eam non poſſe conjungi cum aliis ſine aliqua diſtantia intercepta ad latera: ergo &c.

Si reſpondeas, uti reſponderi conſuevit, corpora fluida, & præſertim aerem primiter ſic ſe inſinuare, ac immiſcere poris aliorum corporum, ut eos ex toto impleant; quia nimirum id proprium eſt partibus fluidis, ut ſe in omnem figuram componant, V. G. ſphæricam, ſi pori deplendi fuerint ſphærici, & ellipticam, ſi excavati fuerint in ellipſim.

Contra inſtat Saguens. Licèt fortè poſſint minimulæ partes alicujus fluidi commutare utcunque figuram, quoties ab aliis graviter tunduntur, aut in alias violenter impingunt; id tamen fieri minimè poteſt per ſolam aliarum aliis mollem inſeſſionem.

Si reſpondeas, non deeſſe in aere particulas ſpæricas pro replendis porulis ſphæricis.

Contra inſurgit idem Saguens. Quandoquidem licèt fortè intra totam aeris maſſam non deſint multæ, attamen facilè contingere poteſt, ut hic, & nunc non adſint.

Si reſpondeas, eas alliundè irruere, & citiſſimè è longinquo proſilire ad vitandum vacui periculum, ſi iſtud ſupponatur.

Contra tandem inſurgit Saguens, clamans, nihil hoc levius, ac inconſuitius dici poſſe.

Reſp. benè ibi fuiſſe reſponſum uſque ad penultimam. Et ad ultimam Reſp. ſic morem eſſe Joannis Saguens, aliorumque ſuæ ſectæ, quando probare aliquid non valent. Vidimus autem conatus naturæ majores ad impediendum vacuum, ut eſt corpora gravia contra propriam inclinationem aſcendere.

§. IV.

PERCONTABERIS PRIMO.

Num motus, qua Gravia contra propriam inclinationem aſcenduat ad deplendum vacuum ſit naturalis, vel violentus.

11. RESpondeo, eſſe ſimpliciter naturalem, & duntaxat ſecundùm quid violentum. Eſt namque naturalis, quia eſt juxta inclinationem univerſalem totius Univerſi, quæ præponderat cuique inclinationi particulari; non aliter, ac univerſale bonum cuique particulari bono prævalet. Eſt autem ſecundùm quid violentus, cùm ſit contra peculiarem inclinationem.

§. V.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Num admiſſo vacuo poſset in eo dari motus localis, & quomodo.

12. COmmunis ſententia eſt affirmativa.

RESO-

R E S O L U T I O.

In vacuo, ſi extaret, poſſet naturaliter haberi motus localis, dempto motu projectorum, de quo infra lib. 7. q. 1. in appendice ponenda poſt art. unicum.

SUpponimus, ut jam viſum eſt, duntaxat virtute Divina poſſe induci vacuum. Quo ſuppoſito, ſic

Probo aſſertum noſtrum prætermittendo domeſticos dicendi modos, qui non multam præſeferre firmitatem habent. Deus ponendo vacuum ſuppleret defectus omnes, qui ex vacuo poſſent avenire contra rerum naturam, ſecùs non eſſet Proviſor Univerſalis; ſed ſupplendo cunctos recenſitos defectus non eſſet impoſſibilis naturaliter motus localis in vacuo: ergo ſi daretur vacuum eſſet naturaliter poſſibilis motus localis in illo. Min. prob. ſeu potiùs illuſtratur. Namque ponas grave aliquod corpus in vacuo poſito extra centrum, tum aſſer contra naturalem illius inclinationem, non tendere deorſum, nimirum ad centrum, naturalem ſui locum, ad quem fertur ex naturali inductione: ergo ſuppoſito, quod Deus ſuppleret omnes defectus ex vacuo contra rerum naturam, eſſet poſſibilis naturaliter motus localis in vacuo.

Nec ſequitur, quòd talis motus eſſet ſupernaturaliter factus. Non, inquam. Nam licèt illud vacuum, ſi extaret, eſſet ſupernaturaliter inductum, nempe ex aliqua virtute ſuperante vires naturæ, ideſt ſupra naturam; tamen ſuppoſito, quòd Deus, ut author particularis, & ſupernaturalis in aliqua Univerſi parte induxerit vacuum, tum ut Proviſor univerſalis (quo pacto eſt author, & proviſor naturalis) teneretur providere defectibus occurrentibus contra inclinationem rerum: adeoque cùm negatio motus deorſum ſit contra inclinationem gravis poſiti extra centrum, Dei ut proviſoris univerſalis, & naturalis erit, ita diſponere, ut corpus illud in vacuo, moveretur ad centrum. Itaque ſi corpus aliquod poneretur V. G. in concavo lunæ, & in Intercapedine inter lunam, & terram mediaret vacuum, tum illud grave per tale vacuum naturaliter peteret centrum.

Qua ex re apparet, quòd ex deficientia influxus Cœlorum non impediretur motus localis in vacuo, ut nonnulli putavere. Non, inquam, quia hujuſcemodi influxus ſuppleretur à Deo ut authore, & proviſore: non tantùm particulari, verùm etiam univerſali, & naturali, ſub qua ratione totum regit Univerſum.

13. Objicies 1. Motus localis eſt ad acquirendum *Ubi*, quod eſt terminus motus localis; ſed in vacuo nullum poſſet acquiri *Ubi*: ergo in vacuo non eſſet poſſibilis motus localis. Min. eſt tam certa quàm certum eſt, quod *Ubi* corporale eſt præſentia corporis in loco, & circumſcriptio paſſiva proveniens à circumſcriptione activa loci ambientis.

Reſp. in primis ex dictis ſupra in præambulis hujus libri, quòd *Ubi* non eſt eſſentialiter dependens à loco, & poteſt per accidens eſſe ſine illo. Deinde data maj. nego min. Ad prob. diſt. ant. ex Complut. eſt præſentia corporis in loco vel mediato, vel immediato, concedo, duntaxat immediato, nego. Item eſt circumſcriptio paſſiva proveniens ex circumſcriptione activa vel mediata, vel immediata, concedo, ſemper immediata, nego ant. & conſequentiam. Itaque corpus illud, quod in vacuo moveretur, ſaltem haberet eſſe in loco non proprio, ſed communi, ſumpto ſaltem pro primo continente, cujus ex mediata circumſcriptione poſſet acquirere aliquod *Ubi*.

Inſt. Motus localis eſt ad acquirendum novum *Ubi*; ſed in vacuo non poſſet acquiri novum *Ubi*: ergo in vacuo non eſt poſſibilis motus localis. Prob. min. Sicut *Ubi* reſultat ex loco, ita novum *Ubi* ex novo loco; ſed in vacuo non poſſet acquiri novus locus, cùm non adeſſet, niſi locus mediatus, & communis: ergo &c.

Conf. Quemadmodum *Ubi* provenit ex circumſcriptione loci, ita habitus ex adjacentia veſtium; ſed habitus reſultat ex adjacentia formali, & immediata veſtium: ergo & *Ubi* provenit ex circumſcriptione immediata, & formali veſtium.

Reſp. nego min. Ad prob. data maj. diſt. min. non poſſet acquiri novus locus formaliter, concedo, æquivalenter, nego min. & conſequentiam. Quamquam etenim per motum localem factum in vacuo non acquireretur novus locus formaliter; acquireretur tamen novus locus æquivalenter, quatenus eſſet in aliquo ſpatio, magis, vel minùs diſtante à polis mundi, & centro terræ.

Ad Conf. nego maj. ſi omnimodam intendat paritatem quòad omnia. Diſparitas in eo ſita eſt, quòd habitus reſultat ſemper ex præciſa veſtium adjacentia in ſubjecto, cùm non ſit excogitabile aliud, ex quo reſultare queat. Cæterum *Ubi* licèt interdum reſultet ex mera circumſcriptione activa loci, ut contingit in iis, quæ ſine motu locali in aliquo determinato loco producuntur. Tamen interdum provenit, non tantùm ex circumſcriptione activa loci, verùm etiam tum ex motu locali, cujus *Ubi* eſt terminus intrinſecus, tum ex circumſcriptione loci. Ob idque tametſi circumſcriptio loci ſit mediata, vel duntaxat æquivalenter talis, poteſt haberi *Ubi*, dummodo habeatur ſaltem motus localis acquiſitivus illius.

14. Objic. 2. Si extaret motus localis in vacuo, vel fieret in inſtanti, vel in tempore; neutrum dici poteſt: ergo in vacuo nequiret dari motus localis. Min. quòad p. p. eſt patens, Tum quia motus eſt ens ſucceſſivum. Tum quia ſecùs ſequeretur, quòd idem poſſet eſſe ſimul in termino *à quo*, & in via, & in termino *ad quem*. Quò ad 2. verò prob. Tum quia quod agit ſine obſiſtentia contrarii perficit in inſtanti ſuum actum, ut palam eſt de Sole. Tum quia Ariſt. hic docet, quòd quantò minor eſt obſiſtentia medii pertranſibilis, eò major eſt pernicitas motus; ſed in vacuo nullum eſſet medium obſiſtens: ergo motus ille fieret perniciſſimè, & in inſtanti.

Reſp. nego min. quò ad 2. p. Veriſſimum namque eſt, quòd motus illa fieret, non in inſtanti, ſed in tempore, quicquid Exterorum pleique in oppoſitum clament. Ad prob. diſt ant. quod agit ſine obſiſtentia contrarii tum impropriè, tum propriè talis, concedo, tantùm contrarii propriè talis, nego ant. & conſequentiam. In vacuo ſiquidem quamquam nullum adeſſet propriè contrarium obſiſtens, proindeque retardans motum; tamen adeſſet diſtantia, quæ ſaltem impropriè, & latè contrariatur motui, tametſi non contrarietur propriè, ſecùs non poſſet in illa fieri motus. Hæc itaque diſtantia ſufficit ad retardandum motum. Hocque deprehenditur ex eo, quod ſi ponantur duo corpora aliquo in loco, in quo parem inveniant obſiſtentiam vel medii, vel alterius, & unum eorum majorem, alterum minorem opus habeat diſtantiam prætерire, iſtud ſecundum citiùs ſuum conficiet motum: ergo ſignum eſt, quòd etiam diſtantia eſt aliquo modo ratio, cur motus non ita feſtinè compleatur.

Ad id verò, quod de Sole ſubditur, dico, quòd actus illuminationis eſt actus, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid phyſicus, & potiùs eſt de linea intentionali. Motus autem intentionalis optimè poteſt in inſtanti fieri, cùm ſit mutatio, potiùs quàm motus.

Ad 2. prob. interpreto Philoſophum cum diſtinctione, quantò eſt minor reſiſtentia tùm propriè tum impropriè, concedo, duntaxat propriè, nego maj. ac diſtincta min. nego conſequentiam. Importat namque illa diſtantia quandam obſiſtentiam, ſeu potiùs protractionem quandam motus, ut ex nuper dictis conſtans eſt.

15. Objic. 3. ex eodem Ariſt. hic cap. 8. ubi expreſsè docet, quòd ſi extaret vacuum, motus fieret in eo, non in tempore, ſed in inſtanti.

Reſp. Philoſophum loqui, non in proprio, ſed in aliorum ſenſu, ut conſtabit conſideranti totum dictum, & intentum ejuſdem. Stagirita namque ibi confutat veteres Philoſophos, qui admittebant vacuum, & motum localem fieri in vacuo in inſtanti. Contra quos priſcos Philoſophos dicit, ex hoc potiùs deſtrui, quàm ſtatui motum: Et poſtea ſubdit præfata verba, nimirum, quòd ſi extaret vacuum, motus fieret, non in tempore, ſed in inſtanti, quod eſt contra rationem motus localis, adeoque illius deſtructivum.

16. Cujus autem ſpeciei eſſet motus localis factus in vacuo.

Dico, fore illius ſpeciei, cujus eſſet motus rei, quæ moveret V. G ſi eſſet motus rei gravis, eſſet deorſum; ſi rei levis, eſſet ſurſum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Tempore.

TEmpus, inquit Saguens, ænigma eſt, cui ſolvendo non ſe Œdipum jactavit, ſed Davum ſaſſus eſt D. Aug. in ſuis Confeſſionibus lib. a cap. 14. ubi, *quid eſt*, ait, *ergo tempus. Si nemo ex me quærit ſcio, ſi quærenti explicare velim neſcio*. Et deinceps cap. 25. *confiteor*, inquit, *tibi Domine ignorare me adhuc quid ſit tempus*.

Aſt quòd ita mitificè ingenium Philoſophorum torſerit opinatur Saguens eveniſſe ob non ſatis attentam temporis realis (quod extare, ipſe inficiatur) ab imaginatio diſtinctionem. Quaſi hac ſua diſtinctione Saguens factus ſit Œdipus, ubi Auguſtinus ſe Davum faſſus eſt. Sed de hoc infra quæſito primo.

PRÆLOQUIUM.

De Temporis definitione, & ſubjecto.

1. TEmpus definitur ex Ariſt. hic, quem ſequuntur omnes Philoſophi etiam non Peripatetici, ut Saguens, & alii, dempto Galeno, & Campanella, ſic: *Tempus eſt numerus motus ſecundùm priùs, & poſteriùs*. Pro cujus definitionis luce

Moneo, quòd per ly *numerus* non intelligitur propriè numerus; quia iſte eſt quantitas diſcreta; tempus verò, ſicut & motus ſunt quantitas continua. Intelligitur: ergo per ly *numerus* menſura.

Quare autem pro explicando tempore utamur nomine quantitatis diſcretæ, cùm etiam quantitas continua ſit menſura, ut palam eſt de Ulna, & aliis. Hoc ideo eſt, quia quantitas diſcreta eſt notior quantitate continua. Ob idque quantitatem continuam ad modum diſcretæ menſurare ſolemus V. G. per plures ulnas, nimirum tres, vel quatuor ulnas &c. ſic etiam explicamus tempus per plures horas, per plures dies, menſes, annos, &c.

2. Qua ex re apparet minùs benè nonnullos refellere præfatam definitionem, eò ductos motivo, quòd non videatur tempus eſſe menſura motus, eò quòd menſura ſit notior menſurato, & aliàs tempus ſit difficillimum cognitu. Minùs inquam benè; quoniam tempus licèt abſolutè ſit adeo difficilè cognitu; tamen ſic ad modum quantitatis diſcretæ ſignificatum ſit planius.

3. Quò ad temporis ſubjectum notandum venit, quòd tempus dupliciter ſumi poteſt. Primò communiter pro duratione cujuſcunque rei. Et hoc modo eſt in quacunque re durante, totque ſunt tempora, quot ſunt res durantes. Secundo perſè, & propriè pro eo, quo menſurantur omnes motus, & actiones in Univerſo. Et hoc modo eſt unum duntaxat, eſtque tantùm in primo mobili, quod eſt regulativum omnium motuum inferiorum. Ratio eſt. Tum quia primum in unoquoque genere eſt cauſa cæterorum: ergo primum mobile erit prima regula omnium motuum. Tum quia tres conditiones requiruntur ad primam menſuram, ut etiam tradit Philoſophus 10. metaphyſ. Prima, quòd ſit ſimpliciſſima, nulla admixta vitioſitate. Secunda, quòd ſit regulatiſſima. Tertia, quòd ſit notiſſima: ſubſumo min. ſed iſta omnia inveniuntur duntaxat in motu primi mobilis: ergo ibi propriè eſt menſura motus &c. adeoque tempus propriè dictum, min. conſtat. Motus namque primi mobilis eſt ſimpliciſſimus, cùm ſit perfectiſſimus omnium. Eſt etiam regulatiſſimus, & jugiter uniformis, quia eodem ſemper omnino invariato modo moveretur ab ortu ad occaſum. Rurſus eſt notiſſimus, cum ſub quotidiana cadat experientia. Videmus etenim ex motu primi mobilis nobis ſuccedere ſibi dies, ac noctes ſpatio 24. horarum, quo totum ſuum motum complet primum mobile.

SCISCITABERIS.

Num Tempus ſit quid reale poſitivum.

4. NEgat poſt Galenum, Saguens, ſuo cum Maignano, quos ſequitur etiam Du Hamel in ſua philoſophia nova & veteri in Metaphyſica. Affirmant verò cæteri, præſertim Peripatetici, cum quibus

Reſpondetur affirmativè.

Conſtans eſt in primis à priori ex dictis num. præcedenti 3. Ubi vidimus, tempus eſſe durationem motus primi mobilis, quam certum eſt, eſſe quid reale poſitivum, quicquid ſit, num duratio diſtinguatur realiter à re durante. De quo hic art. 1. Deinde

5. Prob. Tum quia ſicut res defectibiles menſurantur tempore, ita Deus Æternitate, & Angeli Ævo; ſed Æternitas, & Æviternitas eſt quid reale poſitivum: ergo & tempus. Tum quia Saguens dicens, tempus eſſe quid imaginarium, & quid reale duntaxat negativum, quemadmodum ſupra de ſpatiis imaginariis dictum eſt, non explicat quænam iſta negatio aut privatio ſit, bene verò explanatum eſt, quid ſit ſpatium imaginarium, nimirum realis negatio, aut privatio cujuſvis replentis.

6. Argumenta adverſæ partis conſiſtunt in hoc, quòd partes enim ſucceſſivi nequeunt exiſtere, cùm omnes ſint, vel præteritæ, vel futuræ. Sed hoc hic infra art. 2. ſolvetur, illudque arg. jam ſibi oppoſuerat Ariſt. in hoc lib. 4. cap. 10. tex. 89. ut etiam dicemus infra art. 2. §. 2. num. 3.

Corollarium adverſus Campanellam.

7. Ex hactenus dictis inferas contra Campanellam, quomodo tempus ſit menſura motus, & non è contra (ut ipſe delirat) motus ſit menſura temporis. Quandoquidem eſtò veluti à poſteriori potiùs motus ſit menſura temporis, quatenus veluti à poſt. cognoſcitur quantò ſint diuturnæ horæ 24. ex eo, quòd durant tantò, quantùm primum mobile conficiat ſuum integrum motum, nimirum ſpatio unius diei, & unius noctis. Tamen à priori tempus eſt menſura motus ſaltem ſublunarium, & aliorum Orbium Cœleſtium mobilium, præter ipſum primum mobile. Palam namque eſt, quod nos menſuramus motum, dicendo, quòd duravit una hora, una die, uno menſe, uno anno &c. Quæ ſunt veluti quædam partes temporis per ordinem ad motum primi mobilis. Dies eſt una integra circulatio, qua primum mobile ſpatio 24. horarum maximum percurrit ſpatium. Menſis continet tot, vel tot circulationes, ad eum modum, quo continet tot, vel tot dies, nimirum vel 31. vel 30. vel 28. juxta menſium varietatem.

Num verò tempus ſit menſura quietis. Reſpondeo, eſſe menſuram quietis de ſecundariò per ordinem ad motum.

ARTICULUS PRIMUS.

Num Tempus diſtinguatur realiter à motu, & duratio à re durante.

§. I.

1. NEgant Scotus, Joan. à S. Thom. & probabiliter Cavinus.

Affirmant autem Complut. Ortiz, & alii, inter quos noviſſimè Guerinois.

§. II.

CONCLUSIO.

Tempus diſtinguitur realiter à motu, & duratio à re durante.

2. ANtequam concluſio probetur, adverto, quòd tempus eſt duratio quædam. Duratio autem duplex eſt. Una intrinſeca, qua unaquæque res durat duratione ſibi propria, & dicitur tempus latè. Alia extrinſeca, quæ dicitur motus primi mobilis, qua cæteræ menſurantur durationes. Extrinſeca quidem aliis rebus durantibus; intrinſeca verò primo ipſi mobili.

Exploratum eſt, durationem primi mobilis, quæ eſt tempus preſsè dictum, eſſe realiter diſtinctam ab iis, quibus eſt extrinſeca. Difficultas autem emergit, num diſtinguatur à motu primi mobilis, cui eſt intrinſeca. Ob idque ſi probavero, durationem intrinſecam realiter diſtingui à re durante, remanebit conſequenter probatum, tempus diſtingui realiter à motu, cujus eſt duratio.

3. Probatur igitur concluſio. Quemadmodum eſſentia

eſt

Google

eſt indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum, ita res eſt indifferens ad durandum, & non durandum; ſed hæc ratione exiſtentiæ diſtinguitur realiter ab eſſentia: ergo quoque res durans diſtinguetur realiter à duratione.

Quòd ratiocinium quamquam prout jacet probet duntaxat inter Noſtrates, admittentes diſtinctionem realem inter eſſentiam, & exiſtentiam. Tamen ſi hic applicentur ea, quibus lib. præcedenti probavimus, motum diſtingui realiter à mobili, convincet apud omnes.

Reſpondebis quodam cum clariſſimo ex noſtris in m. ſ. diſparitatem eſſe, quia exiſtentia eſt actus eſſentiæ: duratio verò non eſt actus rei durantis. Sed

Contra. Quemadmodum extitibile, ut exſtitibile dicit poſſe exiſtere, ita durabile ut durabile dicit poſſe durare: ergo quemadmodum exiſtentia eſt actus eſſentiæ realiter ab illa diſtinctus, ita duratio erit actus rei durantis ab illa realiter diſtinctus.

Conf. ex his, quæ dixi 1. Phyſ. q. 4. art. 1. §. 3. in reſp. ad inſt. factam contra reſp. datam ad 1. arg. ubi ſalvabam, unionem inter materiam, & formam non eſſe realiter ab utraque diſtinctam. Conf. inquam ſic. In quacunque linea totali actus ſecundus debet realiter diſtingui ab actu primo; ſed duratio eſt actus ſecundus rei durantis, ſive durabilis ut talis, ad eum modum, quo exiſtentia eſt actus ſecundus rei extitibilis, ut extitibilis: ergo &c.

4. Prob 2. quò ad utramque p Denominatio diverſi generis nequit abſque forma realiter ſuperaddita advenire; ſed duratio, & tempus ſunt diſtincta à re durante, & motus magis quàm diverſa genera inter ſe: ergo tempus, & duratio realiter diſtinguuntur à re durante. Maj. eſt ratio, qua Thomiſtæ in Logica ſalvant, relationem diſtingui realiter à fundamento. Min prob Quandoquidem inter tempus, una cum duratione, & rem durantem mediat aliud prædicamentum, nimirum prædicamentum *quando*, quod ex temporis menſura reſultat, quemadmodum *ſitus*, & *Ubi* reſultat ex menſura loci: ergo tempus, ſive duratio, & res durans, ſive motus ſunt diſtincta pluſquam duo prædicamenta ad invicem.

Hoc tamen non obſtante tempus non eſt diverſi generis formaliter à motu, cùm tempus, ſicut & motus ad nullum ex prædicamentis per ſe ſpectet. Tempus quidem, quia in ſententia probabili à nobis admiſſa in Logica Syntag 4 in appendice poſita in fine quæſtionis 4. de quantitate ſpectat duntaxat per accidens ad genus quantitatis. Et multò minùs motus, cùm ſit poſtprædicamentum.

§. III.

Solvuntur adverſariorum argumenta.

5. OBjici nobis in primis poſſet, quod diximus in Logica loco nuper citato, nimirum tempus non habere aliam extenſionem à motu: ergo non diſtinguitur realiter à motu.

Verùm haud difficulter hoc diſſolvitur, quia intentum ibi duntaxat fuit, temporis extenſionem non eſſe diverſi generis ab extenſione motus, formaliter, & directè, eò quòd menſura, & menſurabile nequeunt per ſe formaliter pertinere, ſecùs nequiret unum eſſe alterius ſpecificativum. Non autem mens erat, quòd tempus non diſtingueretur realiter à motu. Hoc igitur omiſſo

6. Arg. 1. Continuitas exiſtentiæ motus non diſtinguitur realiter ab ipſa exiſtentia partium; ſed duratio intrinſeca eſt ipſa exiſtentiæ continuitas: ergo duratio intrinſeca non diſtinguitur realiter à motu. Prob. min. Per hoc præcisè, quòd exiſtentiæ unius partis motus ſuccedit exiſtentia alterius partis, & inſtantis continuativi ſufficienter intelligitur ſuperaddi pars alia, quemadmodum cum puncto continuativo ſufficienter intelligitur linea continuata in extenſione permanenti: ergo quoque per hoc, quòd uni parti ſuccedit alia pars ſuccedanea in exiſtendo, ſufficienter intelligitur continuari ſucceſſiva exiſtentia motus, adeoque intrinſecè durare.

Reſp. omiſſa maj. diſtinguo min. Duratio intrinſeca fundamentalis eſt ipſa continuitas rei durantis, concedo, duratio formalis, nego min. & conſequentiam. Duplex extat duratio. Fundamentalis una, quæ nil aliud eſt, quàm rei durantis entitas. Et hæc dicitur continuitas exiſtentiæ rei durantis. Formalis altera, quæ eſt commenſuratio, vel activa (ſi eſt duratio primi mobilis, nimirum duratio illa, qua omnia menſurantur) vel paſſiva, ſi eſt duratio rerum, quæ primi mobilis duratione menſurantur.

7. Arg. 2. De omni duratione. Duratio nil aliud eſt, quàm perſiſtentia rei in eſſe; ſed hæc non diſtinguitur realiter à re durante: ergo duratio non diſtinguitur realiter à re durante. Min. prob. Perſiſtentia rei in eſſe nihil aliud eſt, quàm conſervari ipſius rei; ſed hoc non diſtinguitur à re conſervata; ergo &c. Prob. min. Actio productiva, & actio conſervativa eſſent idem, quia conſervatio, eſt continuata productio: ergo terminum habere debent eundem; ſed terminus productionis eſt ipſum eſſe rei: ergo etiam terminus conſervationis erit ipſum eſſe rei, adeoque conſervari non diſtinguitur realiter à re conſervata.

Conf. Poteſt à Deo conſervari ſubſtantia ſine ullo accidente; ſed tum ſubſtantia duraret: ergo duratio non eſt accidens realiter à ſubſtantia durante diſtinctum.

Reſp. diſt. maj. duratio fundamentalis nihil aliud eſt, quàm perſiſtentia rei in eſſe, concedo, duratio formalis, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Perſiſtentia ſiquidem, & conſervari rei in eſſe, ad quod terminatur conſervatio, eſt duratio duntaxat fundamentalis, modo prædeclarato. Ex quo

Ad Conf. dico, quòd eo in caſu ſubſtantia duraret duratione tantùm fundamentali, non verò formali.

Dices. Illa ſubſtantia ſic conſiderata omni deſtituta accidente non deſtrueretur formaliter: ergo formaliter, adeoque duratione formali duraret.

Reſp. primitèr, ex hoc ant. duntaxat ſequi, quòd duraret formaliter negativè, non verò formaliter poſitivè. Deinde dato ant. diſt. conſequens, duraret formaliter entitativè, concedo, commenſurativè, nego conſequentiam. Equidem entitativè ſubſtantia illa duraret, quatenus ejus entitas perſiſteret in rerum natura; non tamen exiſteret commenſurativè, quia careret illo accidenti, quod eſſet duratio formalis, ratione cujus conformatur durationi primi mobilis. Vel demum dato ant. negari poteſt conſequentia abſolutè, quia ad hoc, ut deſtrueretur, nec fundamentaliter deberet durare. Undè ut dicatur formaliter non deſtrui ſufficit fundamentaliter durare.

8 Colliges ex his, quid ſit duratio. Si namque inſpiciatur duratio fundamentaliter eſt perſiſtentia rei in eſſe. Si verò inſpiciatur formaliter; Tunc vel eſt duratio motus primi mobilis. Et ſic eſt tempus ſtrictè dictum ſupra in proloquio definitum. ſi verò ſit alterius rei duratio, eſt commenſuratio ad durationem motus primi mobilis.

Trifariam autem dividitur duratio. Prima eſt æternitas, ſecunda æviternitas, Tertia tempus. De prima, & ſecunda pertractant Theologi, ad quos etiam ſpectat earum definitio. Nobis ſufficiat noſſe, per quid differant inter ſe. Æternitas igitur eſt duratio abſque principio, & abſque fine alicujus rei omnino immutabilis tum ſecundùm eſſe, tum ſecundùm operari. Ævum, ſive æviternitas eſt duratio alicujus immutabilis ſecundùm eſſe, & mutabilis duntaxat ſecundùm operationem, quod incepit eſſe in tempore, habet tamen durare in infinitum à parte poſt. Et hujuſmodi ſunt omnes ſubſtantiæ ſpirituales creatæ. Tempus demum eſt duratio alicujus mutabilis tum ſecundùm eſſe, tum ſecundùm operationem, adeoque rerum generabilium, & corruptibilium, quæ habent prius, & poſterius.

Hoc verò admonitum te velim, quòd rerum corporalium quædam menſurantur tempore quo ad eſſe, & motum, ut ſunt omnes res generabiles, & corruptibiles. Aliæ autem menſurantur tempore quò ad motum duntaxat phyſicum, & ſucceſſivum; quò ad eſſe tamen menſurantur ævo; & hujuſmodi ſunt Cœli, & aliæ res corporeæ incorruptibiles.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo Tempus exiſtat.

§. I.

1. EXquirit titulus modum exiſtendi temporis, nimirum num tempus exiſtat ratione partium, vel ratione ſolius inſtantis, ſive num ratione ſui, vel ratione inſtantis partes temporis exiſtant. Nec ſumitur hic in ratione menſuræ, ſed ſumitur in ratione durationis ſucceſſivæ, de cujus eſſentia eſt habere prius, & poſterius. Eapropter quod dicimus de tempore militat etiam de motu, nimi-

nimirum non exiſtat ratione alicujus indiviſibilis. Item hic, ut locus detur quæſtioni, ſupponendum eſt, continuum non componi ex Solis indiviſibilibus. De quo infra lib. 6.

2. Prima ſententia arbitratur, temporis partes exiſtere, & eſſe ratione ſui. Ita Aravio, Durandus, Hervæus, Martinez, Soncinas, Para, Philippus à Sanctiſſima Trinit. & Cavinus probabiliter, necnon alii præſertim ex exteris. Ita etiam ſentit quidam ex noſtris Eminent. Ferrari in m. ſ. dicens, partes temporis habere exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia inſtantium, quamquam illarum exiſtentia ita ſit imperfecta, ut ſimpliciter dicantur exiſtere per inſtans.

Secunda defendit, partes temporis exiſtere, non ratione ſui, ſed duntaxat ratione inſtantis. Hanc tuentur Maſius, Soto, Complut. Jo: à S. Th. Ortiz, Arnù, & communiùs Thomiſtæ, ut vel ipſi primæ ſententiæ patroni fatentur.

§. II.

CONCLUSIO.

Tempus exiſtit, non ratione partium: ſive partes temporis exiſtunt, non ratione ſui, ſed duntaxat ratione inſtantis.

3. NOſtrum theorema eſt conforme menti Ariſt. qui in hoc 4. lib. cap. 10. tex. 89. cùm ſibi objeciſſet argumentum contra exiſtentiam temporis, quod argumentum ex eo procedebat, quia nimirum tempus non exiſtit per ſuas partes, cùm iſtæ ſint præteritæ, & futuræ: nec per inſtantia, quia iſta non ſunt partes illius, & nihil exiſtit, niſi ratione ſuarum partium. Reſpondet ad hoc poſtea tex. 105. ſic *manifeſtum eſt autem, quòd niſi tempus ſit ipſum nunc; non erit, & ſi ipſum nunc non erit, tempus non erit*. Quæ verba eſtò duntaxat videantur innuere, quòd tempus nequeat exiſtere ſine inſtanti, & è contra: Tamen ſi ſumantur juxta gloſema S. Th. nec [illegible], tempus habere diſtinctam exiſtentiam ab exiſten[illegible]. Sic namque verba illa commentatur A[illegible] *aſſ[illegible]rt rationem eorum, quæ dicuntur d[illegible] nunc, [illegible] quòd dicitur, quòd nihil eſt tempor[illegible], niſi [illegible]*. Quid clarius?

Reſpondet M. Cav. cum P[illegible] à Sanctiſſima Trinitate in primis, quòd illud Ariſtotelis dictum non invenitur in emendatiſſima interpretatione edita Pariſiis anno 1629. Deinde reſpondet cum eodem per ly *inſtans*, & *nunc* non ſumi à D. Th. inſtans indiviſibile continuativum partium, ſed ſumi tempus inſtans.

Alii verò, quos ſequitur prælaudatus in m. ſ. dicunt, Ariſt. & D. Th. vel ſumere ly *inſtans*, & *nunc* pro inſtanti, & nunc, non intrinſeco, ſed extrinſeco, nimirum pro unitate mobilis. Vel duntaxat intendere, quòd tempus non habeat exiſtentiam perfectam, & ſimpliciter talem diſtinctam ab exiſtentia inſtantis.

At mirum eſt, quomodo ſic dicere potuerit Philippus, cùm ea verba adducat, & adducendo exponat noſter Angelicus Protomagiſter, cui ſanè illa interpretatio præponenda non eſt.

Contra verò expoſitiones illas inſto. Ariſt. & cum illo D. Th. loquitur de inſtanti, de quo loquebatur argumentum, quod ibi ſolvebat, ſecùs incongruè foret locutus; ſed certè argumentum illud loquebatur, non de inſtanti ſumpto pro tempore, vel de inſtanti extrinſeco diſtincto ab ipſis partibus temporis: ergo cùm non ſuperſit, niſi inſtans intrinſecum indiviſibile, jam de iſto loquuntur Ariſt. & D. Th.

Ultima autem interpretatio præ cæteris eſt infirma. Quandoquidem D. Th. cùm dicat, nihil eſſe temporis, niſi nunc, jam excludit quamcunque exiſtentiam, ſive perfectam, ſive imperfectam. Eò vel maximè quòd exiſtentia quoque inſtantis eſt valdè imperfecta, cùm ſit ſubitò tranſiens, abiens, & periens.

4. Probo primò concluſionem, evertendo unum ex fundamentis adverſæ partis. Ideo per Adverſarios partes temporis exiſtunt ratione ſui, & non ratione inſtantis, quia nequeunt exiſtere per exiſtentiam indiviſibilem, qualis eſt inſtantis exiſtentia; ſed hoc falſitatis convincitur; ergo partes temporis exiſtunt ratione inſtantis. Prob. min. Ideo ſecundùm ipſos partes temporis non valent exiſtere per exiſtentiam indiviſibilem, quia ſunt diviſibiles; ſed optimè poteſt res diviſibilis exiſtere per exiſtentiam indiviſibilem; ergo falſum eſt, quòd temporis partes nequeant exiſtere per exiſtentiam indiviſibilem. Prob. min. Animæ animalium imperfectorum, ſicut & univerſæ formæ materiales ſunt diviſibiles; ſed iſtæ exiſtunt per exiſtentiam indiviſibilem: ergo &c. Min. eſt de Thomiſticè ſupponendis, cùm Thomiſticè loquendo non extent, nec ſint poſſibiles exiſtentiæ, aut ſubſiſtentiæ partiales, ut vidimus lib. 1. q. 5. in fine in appendicula poſita poſt art. 5. & q. 6. in fine, adeoque nec una exiſtentia, aut ſubſiſtentia erit in alias partiales diviſibilis.

5. Probo 2. evertendo potiſſimum Adverſariorum fundamentum. Ideo per Adverſarios partes temporis ratione ſui ſunt præſentes, quia ratione ſui ſunt præteritæ, & futuræ; ſed hoc falſitatis iterum convincitur: ergo partes temporis non ſunt præſentes, & exiſtentes ratione ſui. Prob. min. Per id partes temporis dicuntur intrinſecè præteritæ, & proximè futuræ, per quod deſinunt, aut incipiunt eſſe; ſed tempus, & motus non deſinunt, nec incipiunt eſſe intrinſecè, ſed duntaxat extrinſecè, ſolumque eorum indiviſibilia, aut mutata eſſe dicuntur incipere, aut deſinere intrinſecè: ergo partes temporis non ſunt ratione ſui intrinſecè præteritæ, aut futuræ, adeoque nec ratione ſui ſunt intrinſecè præſentes. Min. ſupponitur, & communiter docetur, ut videbimus lib. 6. Maj. etiam conſtat, quia præteritum eſt quod fuit, & non eſt, futurum verò quod non eſt, ſed erit.

6. Probatur ultimò concluſio ratione fundamentali. De eſſentia entis ſucceſſivi ut diſtincti à permanenti eſt, non habere plures partes ſimul; ſed ſi tempus exiſteret exiſtentia partium, plures partes temporis eſſent ſimul: ergo tempus exiſtentia ſolius indiviſibilis inſtantis, non verò partium exiſtit. Prob. min. Quælibet pars temporis eſt diviſibilis in alias partes: ergo ſi &c. Ant. tam certum apud Peripateticos eſſe debet, quàm apud eoſdem certum eſt, quod quælibet continui pars eſt diviſibilis in alias partes in infinitum ſyncategorematicè.

Conſ. De eſſentia temporis eſt habere partes priores, & poſteriores, cùm ſit menſura motus ſecundùm prius, & poſterius; ſed pars prior eſt, quæ fuit, & poſterior eſt, quæ erit, ſeu futura eſt: ergo partes temporis nuſquam ſunt præſentes.

Dices, partes temporis exiſtere per exiſtentiam imperfectam vialem, & ſucceſſivam, adeoque nuſquam eſſe ſimul exiſtentes. Item ad Conſ. reſpondebis, quòd de eſſentia temporis eſt habere partes priores, & poſteriores comparativè ad partem præſentem, reſpectu cujus pars præterita dicitur prior, & pars futura dicitur poſterior. Sed

Contra ſic inſtatur. Illa pars præſens ratione ſui per exiſtentiam illam vialem, vel haberet prius, & poſterius, vel non. Si hoc ſecundum, ergo non habet eſſentiam temporis. Si primum, ergo vel inter illud prius, & poſterius mediat aliud præſens, vel non. Si non, ergo datur ſolum præteritum, & futurum, non verò præſens. Si ſic; iterum peto, illud præſens vel habet prius, & poſterius, vel non. Si non, ergo non eſt tempus. Si ſic, iterum peto, num inter illud prius, & poſterius mediet aliud præſens, vel non. Et ſic in infinitum, adeoque nunquam deveniemus ad præſens. Quod tamen eſt maximum abſurdum. Quamvis namque continuum ſit diviſibile in partes in infinitum, nunquam deveniendo ad ultimam partem; tamen eſt inconveniens, nuſquam devenire ad aliquod præſens, ſecùs nihil temporis præſens haberetur.

Pater autem Para, quem ſequitur Cavinus, dicit, quòd eſtò partes temporis ſimul exiſterent, nulla tamen determinatè, ſed indeterminatè.

Verùm ſolutio iſta, quam, omnibus rejectis, amplectitur idem Cavinus, ingens patitur offendiculum. Quandoquidem quod eſſentialiter importat prius, & poſterius nequit plura importare ſimul, nec etiam indeterminatè, ſecùs non importaret prius, & poſterius; ſed importaret ſimultatem, licèt indeterminatam; ergo plures temporis partes nec indeterminatè queunt eſſe ſimul.

§. III.

§. III.

Argumenta diſſolvuntur ex adverſo facta.

7. ARg. 1. Partes continui debent exiſtere per exiſtentiam ſibi proportionatam; ſed exiſtentia inſtantis non eſt proportionata partibus: ergo non exiſtunt ratione inſtantis. Prob. min. Partes temporis habent eſſe diviſibile, exiſtentia verò inſtantis eſt indiviſibilis, ſicut & ipſum inſtans eſt indiviſibile; ſed indiviſibile non eſt proportionatum diviſibili: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. quo ad a. p. exiſtentia inſtantis eſt indiviſibilis formaliter, & diviſibilis virtualiter, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Ulli, ſed præcipuè Thomiſtis illis, qui nobis hic obverſantur, & quorum eſt hoc argumentum, ſuffragari nequit, quia cùm nulla exiſtentia ſit diviſibilis in plures exiſtentias partiales, quæ nullatenus poſſibiles ſunt, juxta hoc dicendum venit, quamcumque rem etiam diviſibilem exiſtere per exiſtentiam indiviſibilem. Ob idque etiam partes, tametſi aliquid diviſibile ſint, adhuc exiſtere valebunt per indiviſibilem exiſtentiam.

Nec Exteris, ſive Peripateticis, ſive Atomiſtis, tempus inficiantibus ſuffragari ullatenus poteſt. Non Ariſtotelicis. Quandoquidem inſtans tametſi indiviſibile poteſt continuare, & unire partes diviſibiles: ergo pariter ejus exiſtentia licèt indiviſibilis poteſt terminare, ac reddere exiſtentes partes diviſibiles.

Nec Atomiſtis, præcipuè Maignaniſtis, tempus reſpuentibus ut ens ſucceſſivum. Quandoquidem ſecundùm ipſos atomi indiviſibiles, etiam indiviſibilitate proveniente ab earum exiguitate poſſunt conſtituere ens naturale diviſibile.

Et ratio à priori eſt, quia hujuſmodi exiſtentiæ eſtò ſint indiviſibiles formaliter; ſunt tamen diviſibiles virtualiter terminativè.

Vel dicatur, quòd inſtans licèt ſit indiviſibile *ut quod*; tamen eſt diviſibile *ut quo*.

Contra. Ad hoc, ut exiſtentia ſit proportionata partibus temporis, debet ſic eas terminare, quòd plures non ſint ſimul; ſed ſi partes temporis exiſterent per exiſtentiam inſtantis, exiſtentia virtualiter, aut *ut quo* duntaxat diviſibili ſimul exiſterent: ergo tametſi virtualiter, aut *ut quo* diviſibilis non eſt proportionata partibus temporis. Prob min. Exiſtentia inſtantis, cùm ſaltem *ut quod*, & formaliter ſit indiviſibilis eſt tota ſimul: ergo ſi pars aliqua temporis ratione illius exiſteret, cùm aliàs hujuſmodi pars ſit diviſibilis in alias, jam plures temporis inſimul exiſterent partes.

Conſ. Si partes temporis ratione ſui forent præſentes, & exiſtentes, plures partes temporis, per nos, ſimul eſſent præſentes, & exiſtentes: ergo pariter ſi exiſtunt ratione inſtantis, etiam ratione ejuſdem inſtantis, quamquam non ratione ſui, plures partes erunt ſimul præſentes, ac exiſtentes. Conſequentia ſequitur à pari.

Reſp. ad iſtantiam diſt. min. ſi exiſterent formaliter, concedo, ſi duntaxat initiativè, aut conſumativè, nego min. & conſeq. Notandum, quòd (ut præcedenti §. 2. diximus) partes temporis formaliter loquendo non ſunt, niſi præteritæ, & futuræ. Sunt autem præſentes, & exiſtentes ratione inſtantis hoc modo, nimirum inſtans, quod eſt præſens diverſimodè habet continuare partes: partem enim priorem terminat conſumativè, & in ratione prætereuntis, poſteriorem verò initiativè, & ut immediatè proximè futuram. Ob idque nuſquam partes temporis coexiſtunt, ſed exiſtunt ſucceſſivè in ratione prioris, & poſterioris.

Per quod patet ad Conſ. Ideo namque ſi pars temporis exiſteret, & eſſet præſens ratione ſui, plures partes temporis eſſent præſentes, & exiſtentes ſimul, quia eſſent præſentes, ac exiſtentes formaliter. Per hoc autem, quòd ſit præſens, & exiſtens ratione inſtantis, una eſſet exiſtens initiativè, altera verò conſumativè.

Addo, quòd quemadmodum Adverſarii dicunt, partes temporis exiſtere ratione ſui exiſtentia viali, & ſucceſſiva; ita & ego dicere poſſem, quod exiſtentia inſtantis, licèt formaliter ſit tota ſimul, virtualiter tamen eſt ſucceſſiva, ad eum modum, quo dixi, eſſe virtualiter diviſibilem.

Inſt. Hujuſcemodi partes priores, & poſteriores debent exiſtere per exiſtentiam ſibi intrinſecam, cùm ſint intrinſecè ens; ſed exiſtentia inſtantis eſt illis extrinſeca: ergo nec conſumativè, aut initiativè poſſunt partes temporis ratione inſtantis exiſtere. Prob. min. Siquidem, ut infra lib. 6. docetur, tempus incipit, & deſinit in inſtanti intrinſecè.

Reſp. data maj. diſt. min. eſt illis extrinſeca entitativè, concedo, terminativè, nego min. & conſequentiam. Hujuſmodi namque iſtans quemadmodum habet intrinſecè terminare, & continuare partes, ſecùs tempus non foret quid continuum; ita poteſt intrinſecè partes illas exiſtentes reddere; quia licèt entitativè ſit extrinſecum, tamen eſt intrinſecum terminativè.

Dices. Cùm præterit hoc inſtans non ſequitur immediatè aliud inſtans, ſecùs tempus componeretur ex ſolis inſtantibus, & indiviſibilibus: ergo ſequitur alia pars temporis: ergo iſta erit formaliter ratione ſui præſens. Prob. conſequentia. Etenim quod ſequitur ad immediatè præteritum ſequitur ut præſens; ſed pars illa ſequeretur ad inſtans immediatè præteritum: ergo ſequeretur ut præſens; non ratione inſtantis, quia unum eſt præteritum, & aliud futurum poſt ipſum: ergo ſequitur ut præſens ratione ſui.

Reſp. dato ant. nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. quod ſequitur ad immediatè præteritum formaliter in facto eſſe, concedo, quod ſequitur duntaxat in fieri, ſeu initiativè, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Pars itaque ſubſequens ad inſtans immediatè præteritum non habet eſſe in facto eſſe, & conſumativè, niſi ut terminata per inſtans, & indiviſibile, quod immediatè poſt illam erit conſequens. Et quia dum iſtud illam terminabit, erit præſens, idcircò pars antecedens illud erit præterita. Et ſic nuſquam in facto eſſe, & conſumativè erit præſens, nec ut præſens formaliter, & conſumativè erit conſequens ad immediatè præteritum.

Qua ex re apparet, quomodo una pars futura tranſeat immediatè ad eſſe non præſentem, ſaltem in facto eſſe, ſed in præteritam.

Dices. Ergo ſaltem in fieri, & initiativè pars temporis erit præſens, & exiſtens ratione ſui. Conſequentia eſt exacta, quia exiſtentia aptatur eſſentiæ.

Reſp. nego conſeq. Ad prob diſt. ant aptatur eſſentiæ completæ, & in facto eſſe, concedo, in fieri tantùm, nego ant. & conſeq. Cùm namque exiſtentia ſit ultimus terminus entis ſupponit eſſentiam omninò perfectam, & completam, adeoque &c.

Vel cum Jo: à S. Thom poteſt concedi, quòd pars temporis in fieri habeat exiſtentiam in fieri; non tamen per hoc concedendum eſt abſolutè, eſſe exiſtentem in fieri ratione ſui; quia hujuſmodi non niſi impropriè eſt exiſtentia.

Oppugnabis cum prælaudato in m. ſ. Tota eſſentia temporis conſiſtit in fieri, cùm ſit eſſentialiter quid fluidum: ergo in fieri habet ſuam exiſtentiam propriè.

Reſp. nego conſeq. Quemadmodum non tenet hæc conſequentia *tota eſſentia formæ conſiſtit in eſse partiali: ergo debet habere ſuam exiſtentiam partialem*: Ita nec tenet illa *tota eſsentia entis ſucceſſivi conſiſtit in fieri: ergo in fieri habet propriam exiſtentiam*. Et ratio eſt, quia exiſtentia ſicut eſt terminus totius eſſentiæ, ita eſt terminus eſſentiæ completæ, & in facto eſſe.

8. Arg. 2. Partes temporis ratione ſui durant: ergo etiam ratione ſui exiſtunt. Conſequentia eſt exacta tum à pari, tum quia duratio eſt perſiſtentia rei in eſſe. Ant. autem innoteſcit *ex* eo, quod tempus eſt eſſentialiter duratio; ſed partes temporis ratione ſui ſunt partes temporis: ergo ratione ſui ſunt duratio, ſeu ratione ſui durant.

Conſ. Partes temporis habent durationem diſtinctam à duratione inſtantis: ergo etiam habent diſtinctam exiſtentiam. Prob. ant. duratio partium eſt diviſibilis, ſicut & ipſæ partes, duratio verò inſtantis eſt indiviſibilis.

Reſp. ad arg. ex dictis diſt. ant. ex Complut ratione ſui durant initiativè, concedo, conſumativè, nego ant. & conſeq. Vel ſub aliis terminis cum Jo: à S. Thom. & Ortiz diſt. ant. ratione ſui durant in fieri, concedo, in facto eſſe, & formaliter, nego ant. & conſeq. Reſponſum ex dictis eniteſcit.

Ad Conſ. nego ant. Ad prob conſtat ex dictis ſupra, quod duratio inſtantis licèt ſit indiviſibilis formaliter; eſt tamen virtualiter diviſibilis.

Inſt. ex eo, quòd partes temporis ratione ſui durent in fieri, & ratione ſui habeant eſſe in fieri, vel initiativè non ſequitur, quòd plures partes ſimul durent in fieri, & quòd plures ſimul habeant fieri, vel initiari: ergo à pari ex eo, quòd formaliter, & in facto eſſe ratione ſui durarent non ſequitur, quòd plures ſimul durarent, & exiſterent.

Reſp. nego 'conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia quod durat, & habet eſſe ratione ſui in fieri non habet eſſe totaliter, & adæquatè, adeoque ſecundùm aliquid eſt, & ſecundùm aliquid non eſt. Undè non eſt ſimul totum, nec ſunt ſimul omnia, ex quibus haber conſtare. Cæterùm quod ratione ſui formaliter, & in facto eſſe exiſtit, ſecundùm ſe totum adæquatè eſt, ac per conſequens ſunt formaliter omnia ea, ex quibus conſtat. Ob idque cùm pars quælibet conſtet ex aliis partibus, ex quibus cumponitur, ſi una ratione ſui duraret, & exiſteret ratione ſui in facto eſſe, plures ſimul exiſterent, ac durarent.

Qua ex re apparet, quomodo eodem in inſtanti poſſit extare prius, & poſterius. Unum namque, nimirum prius datur conſumative, aliud verò, nempe poſterius, datur initiativè. Quandoquidem idem inſtans præſens terminat conſumativè partem immediatè, & proximè præteritam, terminat verò initiativè partem proximè, & immediatè futuram.

9. Arg. 3. Præteritum eſt, quod ſuit præſens, futurum, quod erit præſens; ſed partes temporis ſunt præteritæ, & futuræ: ergo etiam ſunt præſentes.

Reſp. diſt. maj. eo modo, quo eſt præteritum, aut futurum, concedo, ſecùs, nego maj & diſt. min. ſunt præteritæ, & futuræ ratione ſui, nego, ſecùs, concedo min & diſtinguo conſequens pariformiter. Et dico, non minùs repugnare, plures partes eſſe ſimul præteritas, aut ſimul futuras, ac eſſe ſimul præſentes; quia non minùs ſunt ſucceſſivè præteritæ, aut futuræ per modum prioris, & poſterioris, ac ſucceſſivè ſint præſentes. Si autem partes temporis eſſent ratione ſui præteritæ, & futuræ, plures eſſent ſimul præteritæ, & futuræ: Ad eum modum, quo ſi ratione ſui forent præſentes, plures eſſent ſimul præſentes. Undè ſunt præteritæ, præſentes, & futuræ ratione inſtantis præteriti, præſentis, aut futuri.

Contra. Partes temporis ratione ſui ſunt præteritæ, & futuræ: ergo quoque ratione ſui ſunt præſentes. Prob. ant. ex ſæpè laudato in m. ſ. Partes temporis ratione ſui aliquid reale ſunt; ſed ſi ratione ſui nec eſſent præteritæ, nec præſentes, nec futuræ nihil eſſent: ergo ratione ſui debent eſſe præteritæ, & futuræ.

Reſp. nego ant. loquendo adæquatè, & completè, ſeu in facto eſſe. Ad prob. diſt maj. ratione ſui aliquid reale ſunt, adæquatè, & completè, ac in facto eſſe, nego, incompletè, inadæquatè, & in fieri, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. vel diſtinguo conſequens eodem modo. Scito, quod in duplici differentia eſt præteritum, & futurum. Unum remotè, illud nimirum, quod nihil habet per quod ullo modo fiat præſens. Aliud proximè, & immediatè, videlicet quod nectitur cum inſtanti præſenti, quo redditur præſens conſumativè, ſi eſt præteritum, & præſens initiativè, ſi eſt futurum. Quod inſtans comparatur ad partem immediatè præteritam ut factum eſſe, non aliter, ac mutatum eſſe comparatur ad moveri. Quemadmodum enim iſtud ſe habet ut factum eſſe reſpectu motus, ita illud inſtans reſpectu partis præteritæ. Et hæc eſt entis ſuccedanei natura.

Dico igitur, quòd loquendo de partibus præteritis, & futuris remotè nullo modo ſunt præteritæ, & futuræ ratione ſui, ſed duntaxat ratione inſtantis. Sicut namque ſunt præſentes, quatenus eſt præſens inſtans; ita ſunt præteritæ, quatenus præteriit inſtans illud, quod fuit præſens; & ſunt futuræ, quatenus eſt futurum inſtans, quod erit præſens. Partes autem immediatè præteritæ, & futuræ ratione ſui ſunt præteritæ, & futuræ duntaxat in fieri, quatenus ratione ſui terminantur modo prædeclarato per inſtans præſens. Ex quo ſolummodo ſequitur, quòd ratione ſui partes temporis nihil ſint reale in facto eſſe, & conſumativè, non verò ſequitur, quominus ſint quid reale in fieri.

Per quod patet ad prob. maj.

Dices ex eodem. Quemadmodum differentiæ loci ſunt ſurſum, & deorſum, ita differentiæ temporis ſunt præteritum, & futurum; ſed loca ratione ſui ſunt completè, & in facto eſſe ſurſum, & deorſum: ergo pariter partes temporis ratione ſui ſunt præteritæ, & futuræ formaliter, ac in facto eſſe.

Reſp. nego iy *ſicut* ſi omnimodam faciat paritatem. Diſparitas eſt, & quidem latiſſima, quia locus eſt de linea permanentis, tempus verò eſt de genere ſuccedaneorum. Hæc eſt natura entis ſucceſſivi, ut diſtincti à permanenti, quòd ejus partes ſint continuò in fieri, & fluxu, nuſquam verò in facto eſſe, ſaltem ratione ſui, quia cùm eſſentialiter importent ordinem prioris, & poſterioris, jugem quoque important lapſum, ita quòd nunquam plures partes poſſint eſſe ſimul. Si autem ratione ſui eſſent præſentes, præteritæ, aut futuræ, cùm quælibet ex partibus ſit diviſibilis in alias partes, jam plures ſimul eſſent præteritæ, præſentes, aut futuræ.

LIBER QUINTUS
PHYSICORUM
De Termino, Unitate, & Contrarietate Motus.

BRevibus quibuſdam quæſtiunculis librum hunc abſolvemus; quoniam difficultates in eo ſolitæ agitari minuſculæ ſunt, ac pauca, imò ferè nulla diſſonantia verſatur inter DD. circa ipſas.

QUÆSTIUNCULA PRIMA.

Ad quæ prædicamenta detur per ſe motus.

§. I.

1. NOto 1. quòd ad illud dicitur dari per ſe motum, quod per ſe eſt terminus motus, ſeu, quod ratione ſui, & non per accidens, id eſt per aliud, ſeu ratione alterius habet de ſecundariò terminare motum. Undè ly *per ſe* appellat ſupra terminum, non ſupra motum.

Noto 2. quòd ad motum preſsè dictum, ut diſtinguitur à ſimplici mutatione tres conditiones requiruntur. Prima eſt, quòd ſit inter terminos contrarios contrarietate propriè, vel etiam impropriè pro incompoſſibilitate duorum dicta; quia motus eſt à termino *à quo* ad terminum *ad quem*; Terminus autem *à quo*, & terminus *ad quem* ſunt incompoſſibiles. Ob idque uterque terminus debet eſſe poſitivus, ſecùs eſſet oppoſitio privativa, ſicuti eſt inter terminos mutationis: Generatio namque eſt à privatione formæ ad ipſam formam, & corruptio eſt à forma ad privationem formæ. Secunda eſt, quòd inter terminos detur latitudo aliqua pertranſeunda, quia motus ſtrictè dictus non fit in inſtanti, ad differentiam ſimplicis mutationis, ſed ſucceſſivè. Tertia, quòd ſubjectum motus debet eſſe in actu, quia motus eſt accidens, quod nequit recipi in ſola materia prima.

Quibus conditionibus habitis ex Philoſopho hic cap. 1. & D. Th. lect. 2.

§. II.

§. II.

DICO PRIMO.

Ad Quantitatem datur per ſe motus.

2. ITa Philoſophi hìc cap. 2. contra Galenum. Et Prob Quandoquidem augmentatio eſt motus ſuccedaneus preſſè dictus; ſed augmentatio per ſe primò terminatur ad quantitatem: ergo ad quantitatem datur per ſe motus. Et ratio eſt, quia Quantitas habet omnes conditiones, ut poſſit motum per ſe primò terminare. Admittit namque contrarietatem latè dictam, quia quantitas magna, & parva tantùm nequeunt eſſe ſimul. Siquidem quamvis quantitas magna contineat parvam; tamen quantitas parva, ut parva eſt, prohibet, eſſe magnam. Similiter patitur latitudinem magnitudinis, & parvitatis. Tandem ejus ſubjectum eſt in actu, nimirum ſubjectum, quod augmentatur, ideſt totum compoſitum.

3. Sciendum pro cujuſdam objectionis diſſolutione, quòd Quantitas tripliciter ſumi poteſt. Primò mathematicè. Et hoc modo magnum, & parvum opponuntur duntaxat relativè. Secundò phyſicè. Et hoc modo adhuc dupliciter, entitativè ſcilicet, ſeu quoad entitatem; & ſic nullo modo opponuntur, quia quantitas magna continet parvam: & tantitativè, ac terminativè, quò ad tantitatem, & terminationem. Et hoc modo opponuntur oppoſitione incompoſſibilitatis; quia dum quantitas parva fit magna deſtruitur prior terminatio, quam habebat in ſui parvitate, & acquirit novam terminationem ex quantitate ſuperveniente.

4. Objicies deinde. Quantitas ſemper fit in inſtanti per reſultantiam ad modum proprietatis: ergo ad illam non datur per ſe motus. Prob. ant. Etenim vel eſt quantitas totalis. Et hæc cùm ſit proprietas ſubſtantiæ totalis producitur de ſecundariò in inſtanti ad productionem totalis ſubſtantiæ. Vel eſt quantitas partialis. Et hæc producitur per nutritionem, ſeu aggenerationem, dum producitur ſubſtantia partialis. Quemadmodum enim ad productionem ſubſtantiæ totalis producitur de ſecundariò per modum proprietatis quantitas totalis; ita ad productionem ſubſtantiæ partialis debet de ſecundariò produci per modum proprietatis quantitas partialis.

Reſp. nego ant. ſi univerſaliter accipiatur. Ad prob. dico, quòd quantitas, quæ terminat motum augmentationis eſt quantitas partialis. Ad oppugnationem diſtinguo cum Jo: à S. Th. ant. producitur per nutritionem; ſi ſumatur illa quantitas partialis abſolutè, & ſecundùm ſe, concedo, ut habet facere majus, & majus, nego ant. & conſeq. Dupliciter itaque poteſt conſiderari quantitas partialis. Uno modo abſolutè, & ſecundùm ſe. Et hoc modo producitur per nutritionem, ſeu aggenerationem ad productionem ſubſtantiæ partialis productæ in vivente ex alimenti ſubſtantia. Alio modo ut habet facere, & reddere majorem quantitatem jam præexiſtentem in eodem vivente. Et hoc modo per ſe primò, & ratione ſui terminat motum, actionemque augmentativam.

Ea ex re apparet, quòd non ad omnem quantitatem datur per ſe motus, cùm ad quantitatem totalem non detur per ſe primò, & ratione ſui motus. Ad ſalvandum autem intentum noſtrum ſat eſt, quod ad aliquam quantitatem detur per ſe motus.

§. III.

DICO SECUNDO.

Ad Qualitatem datur per ſe motus.

5. ITa communiter, qui qualitatem dari admittunt. Prob. Siquidem motus intenſionis, & remiſſionis, qui ſunt motus alterationis, non terminantur per ſe primò, & ratione ſui, niſi ad qualitatem. Et ratio eſt, quia ad inveniuntur conditiones omnes requiſitæ. Invenitur namque contrarietas, imò contrarietas propriè dicta. Similiter extat latitudo percurrenda: non enim calor remiſſus fit in inſtanti intenſus, ſed ſuccedaneè. Tandem earum ſubjectum eſt in actu, ut conſtans eſt. Similiter actio calefactiva per ſe primò terminatur ad calorem factum ex ſuo contrario, nimirum ex frigore, non in inſtanti, ſed ſucceſſivè.

Advertendum tamen, quòd non ad quamcunque qualitatem datur per ſe motus, cùm ad lucem, ceu non habentem contrarium non detur per ſe motus; & ſimiliter ad calorem ſecutum ad ignem per modum proprietatis non detur per ſe motus, utpote factum de ſecundariò ad ignis productionem; ſed datur ad illas, quæ ſunt in noſtra ratiocinatione, ſicut & ad nonnullas alias, puta ad albedinem per ſe primò terminatur actio dealbativa, ſi tamen non reſultent per modum proprietatis.

De quo iterum lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 4. in præambulo.

Nec obeſt, quòd qualitates ſecundæ, puta albedo, & nigredo reſultent ex primis, quæ ſunt calor, & frigus, humiditas, & ſiccitas. Non inquam obeſt, quia reſultant ex illis, non quaſi quòd ad productionem earum de ſecundariò producantur, ſed duntaxat quia de illis participant.

§. IV.

DICO TERTIO.

Ad Ubi *datur per ſe motus.*

6. SIc communiter. Et eſt manifeſtum. Quandoquidem, ut lib. 4. q. 1. agendo de *Ubi* dicebamus, id quod acquiritur intrinſecè per motum localem eſt *Ubi*, quod proinde locus etiam intrinſecùs dictitari conſuevit. Rurſus habet omnes conditiones requiſitas, ut conſideranti patebit.

Objicies. Ubi provenit ex circumſcriptione activa loci: ergo non terminat per ſe primò aliquem motum.

Reſp. quòd *Ubi* dicitur provenire ex circumſcriptione activa loci, non quaſi quod reſultet ex illa tanquam à cauſa, ſed quia illam petit ad ſuum eſſe. Cæterùm cauſatur per ſe primò ex motu locali, vel ex poſitione corporis in loco. Si autem ponatur corpus aliquod in loco ſine moto locali, & reſultet *Ubi*, tum ad illud *Ubi* non dabitur per ſe motus. Nec ad noſtrum intentum ſalvandum neceſſè eſt, ad omne *Ubi* dari motum.

§. V.

DICO QUARTO.

Ad ſubſtantiam non datur per ſe motus.

7. ITa Ariſt. & D. Th. hìc cap. 2. Ratio autem eſt, quia in ſubſtantia non inveniuntur omnes conditiones requiſitæ. Subſtantia enim producitur in inſtanti. Item non fit per ſe ex aliquo contrario poſitivo, ſed fit ex privatione ſui, ut dicebamus lib. primo. Quod ſi interdum aliqua forma petit fieri ex alia forma poſitiva præcedenti, ſicut forma cadaverica ex præcedenti forma viva, acetum ex vino &c. hoc eſt per ſe ſolùm ex parte diſpoſitionum, quia illæ præuntes formæ exiguntur per modum diſpoſitionis, ut dicebamus lib. 1. art. unico §. 13. ad 5. arg. num. 34. non verò eſt per ſe ex parte termini *à quo*. Datur tamen per ſe ad ſubſtantiam mutatio, ut generatio, nutritio &c.

§. VI.

DICO ULTIMO.

Ad reliqua prædicamenta non datur per ſe motus.

8. FAvet Ariſt. & D. Th hìc cap. 3. Ratio autem eſt in promptu, quia relatio reſultat de ſecundariò ad productionem fundamenti, & termini: *Quando* ex inſidentia temporis; eò vel maximè, quòd ad tempus non datur per ſe motus, cùm ſit menſura ipſiuſmet motus: *ſitus* reſultat ex circumſcriptione loci: & *habitus* ex adjacentia veſtium: Demum ad actionem, & paſſionem non datur per ſe motus, quia cùm actio, & paſſio ſit à motu inſeparabilis, ſequeretur, quòd ad actionem daretur alia actio, & ad paſſionem alia paſſio in infinitum.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA SECUNDA.

Undè ſumatur unitas, & diſtinctio Motus.

§. I.

DICO PRIMO.

Unitas generica Motus ſumitur à termino ad quem, *ſpecifica verò ex unitate termini* ad quem, *& ex unitate ſpatii, ſi iſte ſit motus localis.*

1. QUòad utramque partem annnunt Univerſi. Et Prob. 1. quòad p. p. Ideo namque omnes motus locales, ſive circulares, ſive ſurſum, ſive deorſum, ſive recti, ſive obliqui dicuntur unum genere, quia eorum terminus, nempe *Ubi* eſt ejuſdem generis, & prædicamenti. E contra verò motus localis eſt diverſi generis à motu alterationis, quia terminus motus alterationis eſt in prædicamento qualitatis. Similiter ideo uterque eſt diverſi generis à motu augmentationis, quia terminus iſtius eſt in genere, & prædicamento quantitatis.

2. Prob. quòad 2. p. Tum à priori, quia motus in ſpecie determinata acceptus definitur per ordinem ad terminum *ad quem*. Tum à poſt. & à ſufficienti diviſione. Non enim ſumi poteſt à termino *à quo*, nec ab ipſo motore, nec à ſubjecto mobili; ergo à ſolo termino *ad quem*. Ant. prob. & primò quòad p. p. Tum quia motus reſpicit terminum *à quo* ut quid derelictum. Idcirco nec cauſaliter poteſt motus habere ſpeciem à termino *à quo*, quicquid in oppoſitum dicant alii. Tum quia ab eo aliquid habet ſuam ſpeciem, *à quo* denominatur; ſed motus non denominatur à termino *à quo*, V. G. dum ex nigro aliquid fit album motus dealbificationis non denominatur à nigredine, secùs diceretur motus nigrefactionis; & ſic de aliis: ergo motus non habet ſuam unitatem, & diſtinctionem ſpecificam à termino *à quo*. Prob quòd ad 2 p. Tum quia motus non denominatur à motore. Tum quia unus ſpecie motus poteſt eſſe à diverſis motoribus ſpecie diſtinctis; cùm ſit idem ſpecificè motus, quo lapis movetur ſurſum ſive ab Homine, ſive ab Elephante impellatur: ergo motus non habet unitatem, & diſtinctionem ſpecificam à Motore. Prob. quò ad 3. p. eodem modo, quia plura mobilia ſpecie diſtincta poſſunt moveri uno ſpecie motu, ut liquet ſi plura ſpecificè diſtincta dealbentur: ergo nec à mobilibus poteſt motus habere formaliter unitatem, & diſtinctionem ſpecificam.

Quòd verò etiam requiratur unitas ſpatii, quando motus eſt localis, oſtenditur, advertendo, quòd terminus dupliciter conſiderari poteſt. Primò materialiter, & in eſſe entis. Secundò formaliter in ratione termini. Et hoc ſecundo modo inſpectus ſpecificat motum. Terminus autem motus formaliter accipitur, ut ſtat ſub tali, vel tali ſpatio. Eapropter motus circularis, quia fit per lineam circularem eſt diverſæ ſpeciei à motu recto, qui fit per lineam rectam. Idem dicas, ſi fiat per lineam tranſverſalem, & obliquam. Et ratio in promptu eſt, quia motus eſt quædam via, & tendentia ad terminum, via autem, & tendentia reſpicit ſuum terminum formaliter ut acquirendum per tale medium, vel ſpatium Ob idque quemadmodum ſcientia, quæ eſt quidam rationis motus ſpecificatur ab objecto formaliter inſpecto, ita dicendum de motu phyſico. Hinc fit, quòd idem terminus materialiter acceptus poteſt acquiri per motus ſpecie diverſos, non verò formaliter ſumptus.

Remanet igitur, quòd unitatem ſuam, & diſtinctionem ſpecificam, ac genericam hauriat motus ex termino *ad quem*: Imò, ceu quid eſſentialiter incompletum, reducitur ad genus, & ſpeciem ſui termini *ad quem*.

3. Nonnullæ objectiones, quæ contra hoc noſtrum aſſertum fieri poſſunt, videantur ſolutæ apud PP. Complut.

§. II.

DICO SECUNDO.

Ad unitatem numericam Motus requiritur unitas mobilis, termini ad quem, *& Temporis.*

4 PRob. Quandoquidem motus eſt de genere continui; ſed non conſervata unitate omnium iſtorum non ſalvatur continuitas motus: ergo ad unitatem numericam motus requiruntur omnia recenſita. Min. prob. primò quò ad p. p. Accidentia, quæ ſunt in diverſis ſubjectis, non ſunt continua, benè verò contigua, ſicut & ipſa ſubjecta contigua ſunt; eò vel maximè quòd accidens, ut in Metaphyſica q. 12. art. 5. cum Thomiſtis omnibus dicemus, individuatur à ſubjecto: ergo ſine unitate mobilis non habetur unitas numerica, & continuitas motus. Prob. 2. quò ad 2. p. ſiquidem motus terminatur in termino: ergo poſitis diverſis terminis habentur diverſæ terminationes, adeoque ſi non habetur unitas termini motus non eſt continuus. Demum quò ad 3. p. Prob. Perſpicuum namque eſt, quòd ſi mobile modò moveatur, modò quieſcat, & iterum poſtea moveatur, motus interrumpitur, proindeque diſcontinuatur.

Unitas autem motoris requiritur quidem, non tamen per ſe, ſed per accidens; quia motus eſt à motore, non per ſe, & ratione ſui, ſed concomitanter, & ratione actionis. Ob idque ſi diverſus eſt motor variatur numero motus, non per ſe, ſed per accidens, & ratione actionis, quæ per ſe dimanat ab agente.

5. Objicies primò. Si Canis ab alta dejectus turri in medio deſcenſus moriatur, perſeverat idem motus, cùm nulla interrumpatur quiete; & tamen non eſt idem numero mobile: ergo ad unitatem numericam motus non requiritur unitas mobilis.

Reſp negando, quòd eo caſu maneat idem numero motus. Cùm namque mutatur ſubjectum aliquod, mutantur omnia ejus accidentia, quæ ex ejus forma educuntur. Ad tacitam oppugnationem dico, quod datur quies negativa. Dicitur enim tum Canis non moveri, ſeu quieſcere negativè, quatenus ampliùs non eſt Canis.

6. Objic. 2. Si virga cujus medietas ſit virens, & altera medietas arida moveatur; tum movebitur unico motu; ſed tum non eſt unum numero ſubjectum mobile: ergo ad unitatem numericam motus non requiritur unitas mobilis.

Reſp. quòd licèt ſenſui appareat idem numero motus, re vera tamen eſt diverſus. Ad eum modum, quo in dicto caſu quamquam appareat ſenſui unica virga, re vera tamen ſunt duæ virgæ, quia vivum, & mortuum nequeunt eſſe idem.

Ex his inferas, quòd quando quis continuò movetur per aliquod ſpatium, eſt ſemper idem numero motus, non obſtante, quod acquirat jugiter diverſa *Ubi*; quia hujuſmodi *Ubi* ſibi invicem continuantur per modum unius abſque interruptione ulla.

QUÆSTIUNCULA TERTIA.

Undè ſumatur Motuum contrarietas.

§. I.

DICO PRIMO.

Contrarietas Motuum propriè talium ſumitur ex contrarietate terminorum ad quos.

1. PRob. Contrarietas habetur per contrarias differentias; ſed motus habet ſuam differentiam per ordinem ad terminum *ad quem*: ergo contrarietas motuum propriè talium hauritur ex ordine ad terminos *ad quos*. Min. conſtat ex dictis quæſtiuncula antegreſſa, ubi vidimus, motum ſumere unitatem, diſtinctionemque ſpecificam per ordinem ad terminum *ad quem*. Maj. quoque evidens eſt. Ideo namque album, & nigrum ſunt contraria, quia habent differentias inter ſe contrarias.

Poteſt tamen dici, quòd motuum contrarietas connexivè ſumatur etiam ex termino *à quo*, quatenus nimirum terminus *à quo* eſt connexus cum termino *ad quem*, illumque reſpiciens. Palam namque eſt, quòd motus à valetudine ad ægritudinem, qui dicitur motus ægrotationis, motus ab ægritudine ad ſanitatem, qui motus ſanationis dicitur, contrariantur etiam ex parte termini *à quo*.

Dixi *contrarietas motuum propriè talium*; quia ſi ſermo ſit de ſimplici mutatione ſubſtantiali, ejus contrarietas penſatur ex acceſſu, & receſſu à forma. Sic Generatio contrariatur corruptioni, quia generatio eſt acceſſus ad formam, corruptio verò eſt receſſu à forma. Et ratio à priori eſt, quia non omnis ſubſtantialis motus eſt ad acquirendum terminum poſitivum Perſpicuum namque eſt, quòd corruptio tendit ad non eſſe formæ, quod eſt quid negativum.

§. II.

§. II.

DICO SECUNDO.

Motus contrariatur quieti, non quæ eſt in termino ad quem, *ſed quæ eſt in termino* à quo.

2. PRob. Quandoquidem nihil poteſt tendere per ſe ad ſuum contrarium, cùm unum contrariorum ſit alterius deſtructivum; ſed motus per ſe tendit ad quietem habendam in termino *ad quem*, quia habito termino ceſſat motus, & quieſcit mobile: ergo motus non contrariatur quieti, quæ eſt in termino *ad quem*. Cùm ergo aliàs motus debeat alicui quieti contriari, quia reſpectu mobilis motus, & quies contrariantur, dicendum venit, quòd motus contrariatur ſoli quieti, quæ eſt in termino *à quo*. Sic V.G. motus, qui eſt ex albo ad nigrum contrariatur quieti, quæ eſt in albo.

§. III.

PETES.

Num idem mobile poſſit moveri ſimul motibus contrariis.

3. REſp. quòd nequit idem mobile ſimul ſecundùm eandem rationem per ſe moveri duplici motu locali, aut duplici motu contrario ad quantitatem.

Ratio ſuffragatur, quia ſi idem mobile ſimul ſecundùm eandem rationem poſſet cieri duplici motu locali, V.G. ſurſum, & deorſum ſequeretur, idem corpus eſſe in duobus locis totalibus; quod tamen ſupra vidimus eſſe impoſſibile. Similiter nequit eadem quantitas duplicem habere figuram, cùm dixerimus lib. 3. art. 5. figuram eſſe ſpeciem quantitatis continuæ, & nulla res queat eſſe in pluribus ſpeciebus. Si autem poſſet idem moveri motu augmentationis, & diminutionis ſimul, jam quantitas illa cùm plures ſimul haberet terminationes majoritatis, ac minoritatis plures ſortiretur figuras: figura namque ex terminatione quantitatis reſultat.

4. Num verò poſſit idem moveri duplici motu contrario ad qualitatem, puta frigefactionis, & calefactionis ſimul; dependet reſolutio ex quæſtione illa pertractanda lib. 2. de Gener. & Corrupt. num poſſint duæ qualitates contrariæ ſimul eſſe in eodem ſubjecto. Ubi non pauci (cum quibus & nos ibi q. 1. art. unico ponendo poſt plura quæſita) dicunt, poſſe ſimul eſſe in eodem ſubjecto in gradu duntaxat remiſſo; & juxta iſtos, dicendum eſt, poſſe extare hujuſmodi motus contrarios in gradu remiſſo. Alii verò ſaltem ſupernaturaliter poſſe inſimul eſſe etiam in gradu intenſo tutantur; & juxta iſtos dicendum eſſet, poſſe dari illos motus in gradu intenſo.

5. Dixi *per ſe*, quia per accidens poteſt idem cieri ſimul duplici motu locali contrario. Palam namque eſt, quod idem homo dum motu navis fertur Orientem verſus poteſt moveri verſus Occidentem in eadem navi deambulando, licèt non motu ejuſdem navis. Item idem Corpus Chriſti in diverſis Hoſtiis juxta motum iſtarum movetur contrariis interdum motibus.

LIBER SEXTUS
PHYSICORUM
De Continuo, ejuſque partibus integrantibus.

MOtus eſt de genere continui, idcircò ſtatim ac antegreſſo in libro egimus de partibus ſubjectivis motus, nimirum de ejus ſpeciebus; modò agendum venit de partibus ejus integrantibus. Totus tamen tractatus erit de Continuo abſolutè, quia eadem eſt ratio de omnibus; Tum quia continuum permanens eſt magis notum.

QUÆSTIO UNICA.

De Compoſitione, diviſioneque Continui.

COntinua (ut ex Philoſopho hauritur) ſunt *illa, quorum extrema ſunt unum copulata aliquo termino communi*; ad differentiam eorum, quæ ſunt contigua. Iſta namque dicuntur, quæ ſunt ſimul, nec copulantur aliquo termino communi. Punctum etenim unicus ambas partes, & utrique parti communi. Quod non habetur in contiguis.

ARTICULUS PRIMUS.

Num in Continuo extent vera, & realia indiviſibilia tum continuativa, tum terminativa.

§. I.

1. SUppono, indiviſibile eſſe id, quod dividi ulteriùs non poteſt. Eſt autem duplex. Unum dicitur indiviſibile omnibus modis, uti ſunt puncta in linea, mutatum eſſe in motu, & inſtantia in tempore. Aliud ſecundùm quid, ſicut linea, quæ eſt indiviſibile ſuperficiei, eſt diviſibilis ſecundùm longitudinem, indiviſibilis tamen ſecundùm latitudinem. Similiter ſuperficies, quæ eſt indiviſibile corporis, quod dicitur extenſum ſecundùm profunditatem, eſt indiviſibilis ſecundùm profunditatem, ſed diviſibilis ſecundùm latitudinem. Veſtigamus itaque, num in linea dentur puncta, quibus continuetur, & alia, quibus terminetur, ſeu, quod idem eſt, finiatur. Et quod de linea dicemus, proportionaliter dicendum erit de mutatis eſſe, ſeu momentis reſpectu motus, ac de inſtantibus reſpectu temporis. Speciatim autem agimus de quantitate continua permanenti, quia hæc eſt conſpicua magis. Idem quoque ſentiendum erit de exiſtentia lineæ in ſuperficie ad ſuperficiem continuandam, & terminandam. Idem demum de ſuperficiebus in corpore ad illud continuandum, & terminandum.

2. Prima ſententia abſolutè reſpuit quæcunque indiviſibilia. Hanc tutantur poſt Durandum, Ocham, cæterique nominales.

Secunda approbat indiviſibilia terminativa, & reprobat continuativa. Hanc defenſi ant Albertinus, Fonſeca, Conimbricenſes, & noſter Arnù. Imò Albertinus, & Arnù quamquam admittant terminativa; tamen dicunt non eſſe aliquid poſitivum, ſed puras negationes eſſe.

Tertia, quam propugnant communiter Thomiſtæ, & Scotiſtæ, cæterique Scholarum Proceres annuit, extare in continuo indiviſibilia tum terminativa, tum continuativa.

§. II.

CONCLUSIO.

In Continuo extant vera indiviſibilia cùm terminativa tam continuativa.

3. TRaditur concluſio noſtra à Philoſopho hìc cap. 1. ubi *inter puncta*, inquit, *ſemper eſt linea*. Item à D. Th. lect. 8. ubi *in qualibet linea*, inquit, *eſt aſſignare punctum ante punctum, & in qualibet tempore infinitiès inſtans*. Et certè miror, quòd Arnù nobiſcum annuat, partes temporis non exiſtere, niſi ratione inſtantis, & poſtea hìc deneget indiviſibilia continuativa in continuo.

4. Probatur. Et primò de indiviſibilibus terminativis. Quantitas indiget eſſe poſitivè, & non tantùm negativè terminata, ac finita; ſed id, per quod redditur poſitivè terminata, & finita exigitur, eſſe aliquod poſitivum indiviſibile: ergo extant in continuo indiviſibilia terminativa poſitiva. Maj. negari quomodo queat non video, Tum quia ſpecies quantitatis, quæ (ut dicebamus lib. 3. quæſt. 2. art. 1.) eſt figura, reſultat ex terminatione quantitatis, adeoque cùm omnis quantitas ſit in ſpecie aliqua poſitiva petit eſſe poſitivè terminata. Tum quia quantitas ita debet eſſe finita, & limitata, ut poſſit aliam contingere ſecundùm extremitates, & non tangere ſecundùm ſe totam, ſecùs penetraretur cum illa. Id autem, quod habet extremitates eſt poſitivè terminatum, ac finitum. Min. verò prob. Primò quò ad p. p. Niſi quantitas eſſet per aliquod indiviſibile terminata, ſequeretur tangere aliam quantitatem per aliquod diviſibile; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo id, per quod quantitas terminatur eſt quid indiviſibile. Prob. min. Si una quantitas tangeret aliam in aliquo diviſibili penetraretur cum illa; ſed hoc, ſaltem naturaliter loquendo, eſt impoſſibile: ergo etiam impoſſibile eſt, tangere in aliquo diviſibili. Prob. maj. Hoc diviſibile, per quod tangeret, uniretur alteri quantitati ſecundùm ſe totum; ſed quod tangit aliud ſecundùm ſe totum penetratur cum illo, cùm non alio modo Philoſophi explicent corporum penetrationem: ergo illud indiviſibile, per quod tangeret, penetraretur, & rurſus aliud diviſibile, quod cùm iſto continuaretur, iterum tangeret ſecundùm ſe totum, cùm ſit eadem ratio, donec tota quantitas penetraretur: ergo &c. Maj. eluceſcit. Siquidem non tangeret ſecundùm aliquam partem, quia etiam iſta pars eſſet diviſibilis, & ſic eadem militat ratio. Quòd verò hujuſmodi indiviſibile debeat eſſe quid poſitivum non eſt minùs clarum; quoniam poſſibile non eſt, puram negationem præſtare effectum poſitivum, cujuſmodi eſt poſitiva terminatio, & poſitivus ſecundùm extremitates contactus, per quem penetratio tollitur.

Quo ex ratiocinio nemine impellente corruit reſponſum Albertini, dicentis, quòd corpora ſe tangere nil aliud eſt, quàm eſſe immediata, ita quòd inter illa aliud corpus non mediet. Corruit inquam, quia etiam duo corpora penetrata ſunt immediata; & tamen non ſe contingunt impenetrativo modo: ergo ad hoc, ut ſeſe contingant modo impenetrativo opus eſt aliquid plùs habere, nimirum ſic eſſe immediata, quòd ſeſe tangant ſecundùm extremitates. Qui contactus debet eſſe poſitivus, ſecùs eſſet mera negatio, quam mox refellam.

Si dicas, ad impenetrationem ſufficere entitatem quantitatis cum negatione penetrationis, quia impenetratio eſt alterius depulſio, & depulſio eſt pura negatio.

Contra. Siquidem, uti jam dictum eſt, requiritur contactus ſecundùm extremitates. Inſuper quæcunque negatio debet fundari in aliquo poſitivo, ut palam eſt de negatione irrationalitatis, quæ fundatur in rationalitatis poſitivo, & ſic de aliis; ſed illa penetrationis negatio nequit fundari in ipſa entitate quantitatis, cùm quantitas ſecundùm ſe inſpecta ſit penetrabilis, ſecùs nec requireretur negatio ad reddendam illam impenetrabilem; ergo debet fundari in aliquo poſitivo præter quantitatem, nimirum in indiviſibili poſitivo. Ad eum modum, quo negatio communicabilitatis alteri ſuppoſito in ſubſtantia fundatur, non in ſubſtantia ſecundùm ſe, ſed in ſubſiſtentia, quæ eſt terminus poſitivus ſubſtantiæ, ut probavimus 5. Phyſ. quæſt. 6. artic. 2. §. 2. num. 2.

Ex ex re ulteriùs apparet, hujuſmodi indiviſibilia eſſe quid poſitivum.

5. Prob. 2. de indiviſibilibus continuativis experimento.

Etenim ſi corpus perfectè ſphæricum ſuperponatur alteri perfectè plano, tangit ſecundùm aliquod indiviſibile: ergo in continuo extant indiviſibilia continuativa. Prob. ant. ſiquidem ſi in aliquo diviſibili tangeret, non eſſet ampliùs perfectè ſphæricum: ergo ſi ſupponitur perfectè ſphæricum tangit in aliquo indiviſibili. Ant. ultraquamquod eſt hauſtum ab Euclide Mathematicorum Principe lib. 6. propoſitione 16. adhuc prob. Corpora ſeſe tangentia ſe adæquant in eo, in quo ſeſe contingunt; ſed ſphæricum, & planum nequeunt ſeſe adæquare, ſicut nec magnum, & parvum: ergo corpus illud ſphæricum ſi tangeret in aliquo diviſibili, deberet habere aliquod planum, per quod illi corpori plano in aliquo adæquaretur, ſicque non eſſet perfectè ſphæricum. Vid. Complutenſes.

6. Prob. deinde à priori. Partes continui ſunt unitæ; ſed non ſunt unitæ per ſeipſas: ergo mediante aliquo indiviſibili, quod dicitur terminus communis nectens, & copulans partes, adeoque extant indiviſibilia continuativa. Prob. min. Partes ſi unirentur per ſeipſas, unirentur ſe totis: ergo penetrarentur: ad eum modum, quo ſi duæ quantitates totales ſeſe tangerent per ſeipſas, ſe totis ſeſe contingerent, ac penetrarentur.

7. Quòd demum hujuſmodi indiviſibilia extent actu in continuo, ex eo conſtat, quòd effectus in actu petit cauſam in actu, præcipuè effectus cauſæ formalis, qui eſt ipſa forma communicata; ſed terminatio, & continuatio eſt in actu: ergo in actu dantur indiviſibilia continuativa, & terminativa.

8. Quomodo verò hujuſcemodi indiviſibilia diſtinguantur à partibus quantitatis.

Dico, diſtingui realiter entitativè, & non purè modaliter.

Probatur. Quandoquidem linea, & ſuperficies ſunt quid completum, cùm directè collocentur in quantitatis prædicamento, ut illius ſpecies: ergo nequeunt eſſe modus, qui eſt eſſentialiter quid incompletum, ut dicebamus in Logica, probando, relationem diſtingui realiter entitativè à fundamento: ergo diſtinguuntur entitativè, & non tantùm modaliter.

Loquendo autem de punctis lineæ, dicendum eſt, diſtingui realiter modaliter, quia punctum reductivè duntaxat ſpectat ad genus, & ſpeciem quantitatis, cujus eſt terminus. Cùm namque ſecundùm nullam dimenſionem ſit diviſibile non eſt directè in aliqua ſpecie quantitatis. Linea autem, & ſuperficies licèt ſint etiam termini, adhuc tamen non ſunt modi, quia non ſolùm ſunt termini, ſed ulteriùs etiam ſuam propriam dimenſionem obtinent.

Notandum verò, quòd indiviſibilia continuativa, licèt habeant unire partes, non tamen ſunt aliquis modus unicus, ut eſt ille, quem nonnulli admittunt inter materiam, & formam. Ratio eſt, quia hujuſmodi non habent præcisè unire, ſicuti nexus inter materiam, & formam, ſed ulteriùs habent terminare. Imò linea, & ſuperficies habent ſuam propriam dimenſionem quantitativam, uti jam dictum eſt.

§. III.

Diſſolvuntur argumenta Adverſariorum.

9. ARg. 1. probando, non extare indiviſibilia terminativa. Quantitas de ſe eſt terminata, & finita: ergo non indiget terminari aliquo indiviſibili poſitivo. Ant. prob. Si namque Deus tolleret à quantitate indiviſibilia terminativa, adhuc quantitas foret finita.

Reſp. diſt. ant. de ſe eſt finita, & terminata negativè, concedo, poſitivè, nego ant. & conſequentiam. Semotis igitur à quantitate indiviſibilibus terminativis, quantitas diceretur finita, & terminata, non poſitivè, ſed duntaxat negativè, quatenus nimirum careret ulteriori extenſione; non tamen haberet terminationem talem, quæ ſufficeret ad attingendam aliam quantitatem ſecundùm extremitates, & retundendam penetrationem. Eapropter requiritur indiviſibile terminativum, talem poſitivam terminationem tribuens quantitati.

Con-

Contra. Quantitas ex ſe abſque tali indiviſibili terminativo eſt terminata, & finita poſitivè: ergo reſponſum nullum. Prob. ant. ex Arnù. Dum una pars continui dividitur ab alia remanet poſitivè terminata, ut perſpicuum eſt; ſed hujuſcemodi pars nullum acquirit indiviſibile terminativum ſuperadditum: ergo &c. Prob. min. Per talem diviſionem nihil de novo fit, & duntaxat, quod erat potentia fit actu; ergo &c. ant videtur conſtare. Quandoquidem per diviſionem aliquid adimitur, potiùs quàm fiat.

Reſp. nego ant. Ad prob nego min. ad cujus prob. diſt. ant. nihil de novo fit per ſe primò, & directè, concedo, de ſecundariò, & per quandam reſultantiam, nego ant. & conſeq. Quemadmodum namque diximus 1. Phyſ. q. 6. art. 2. §. 3. ſub num. 7. ad inſtantias contra reſponſum datum ad 1. arg. quod dum una pars continui dividitur ab alia non ampliùs habet rationem partis, ſed tum obtinet cujuſdam totius rationem; Et ea propter diximus, ſtatim dimanare ab hujuſcemodi parte propriam ſuam ſubſiſtentiam totalem diſtinctam ab illa, quam habebat in toto: Ita in ſimili caſu dicimus, quòd reſultat, & dimanat per modum proprietatis indiviſibile poſitivum, per quod poſitivè terminatur.

Dicere ni malueris, indiviſibile, quod priùs erat continuativum remanere poſtea terminativum.

Contra. Pro priori ad reſultantiam talis indiviſibilis terminativi quantitas eſt poſitivè terminata: ergo reſponſum nullum. Prob ant. Siquidem quantitas continua permanens pro priori ad reſultantiam talis indiviſibilis eſt poſitivè in ſpecie determinata, cùm hujuſcemodi indiviſibile non ſit illius differentia ſpecifica; ſed nequit eſſe in ſpecie determinata, niſi ſit poſitivè terminata: ergo &c. Prob. min. Species quantitatis continuæ permanentis eſt figura (ut diximus lib. 3. q. 3. art. 5.) ſed figura ex quantitatis terminatione reſultat, ut ibidem dicebamus: ergo nequit eſſe in ſpecie determinata, niſi &c.

Reſpondeo nego ant. Ad prob. data maj. diſt. min. niſi fuerit poſitivè terminata vel formaliter, vel radicaliter, concedo, duntaxat formaliter, nego min. Et idem dico ad prob. eſt figura radicalis, concedo, formalis nego maj. & diſtincta utriuſque Syllogiſmi min. nego conſeq. Quamquam enim dixerim ſupra refellendo poſſibilitatem infiniti in actu, quòd quantitas debet eſſe formaliter figurata, eo modo, quo Deus agit: tamen ejus ſpecies habetur, non ex terminatione, & figura formali, ſed ex terminatione, & figura radicali. Ex quo tantùm ſequitur, quòd quantitas pro priori ad reſultantiam illius indiviſibilis ſit terminata radicaliter, non verò formaliter, adeoque conſtituitur terminata formaliter, poſitivè per indiviſibile terminativum poſitivum.

10. Arg. 2. probando, non extare indiviſibilia continuativa ex Arnù. Si daretur aliquod indiviſibile terminativum partium, vel iſtud tangeret partes in aliquo diviſibili, vel in aliquo indiviſibili. Sed propugnari neutrum poteſt: ergo non extant indiviſibilia continuativa. Maj. debet concedi. Siquidem cùm habeat unire partes, debet ipſis partibus uniri proindeque aliquo modo eas tangere. Min. verò prob. & primò quò ad p. p. Tangens, & tactum debent inter ſe commenſurari, ut de loco, & locato, & de duobus corporibus ſe ſe tangentibus perſpicuum eſt; ſed diviſibile, & indiviſibile nullatenus in invicem commenſurantur, & proportionantur: ergo indiviſibile nequit contingere partes in aliquo diviſibili. Prob. quò ad 2. p. ſi indiviſibile tangeret partem in aliquo indiviſibili, jam poſt unum indiviſibile immediatè ſequeretur aliud, quod poſtea iterum deberet tangere partem in aliquo indiviſibili, & ſic ſucceſſivè; ſed hoc eſt impoſſibile, ſecùs continuum componeretur ex ſolis indiviſibilibus: ergo &c.

Nec ſufficit reſpondere, quòd indiviſibile tangit partes inadæquatè. Non inquam. Eadem namque emergit difficultas. Iſte namque contactus inadæquatus vel fit in aliquo diviſibili, vel in aliquo indiviſibili. Sicque redit argumentum.

Reſp. primitùs, argumentum hoc eſſe ſolvendum etiam ab Arnù, cæteriſque illis, qui lib. 4. nobiſcum ſenſerunt, *tempus* exiſtere ratione inſtantis. Si namque poteſt reddere exiſtentes partes diviſibiles, poterit quoque partes diviſibiles continuare; eo vel maximè, quòd fieri poteſt idem prorſus argumentum, nimirum num reddendo partes exiſtentes tangeret illas in aliquo diviſibili, vel indiviſibili.

Deinde in forma ex dictis ibi Reſp. primò nego min. quò ad 2. p. Dico etenim, quòd tangeret in aliquo diviſibili. Ad oppugn. data maj. diſt. min. diviſibile, & indiviſibile non commenſurantur ſi ſit indiviſibile, non ſolùm formaliter, verùm etiam virtualiter, concedo, ſi ſit indiviſibile formaliter, & diviſibile virtualiter, nego min. & conſeq. Sicuti namque diximus ibi, inſtans continuativum partium eſſe virtualiter diviſibile; ita dicimus de indiviſibili continuativo partium permanentium. Idcircò poteſt optimè proportionari, & commenſurari, cum re diviſibili, eamque tangere.

Vel 2. cum aliis Reſp quòd indiviſibile licèt non ſit diviſibile *ut quod*, eſt tamen diviſibile *ut quo*. Nec contingit partes *ut quod*, ſed duntaxat *ut quo* tangit, quia eſt id, quo partes ſeſe contingunt, ac continuantur.

Contra ex eodem. Indiviſibile nec virtualiter, aut *ut quo* poteſt eſſe diviſibile: ergo reſponſum ruit. Prob. ant. Si eſſet virtualiter diviſibile poſſet tangere locum, illumve occupare. Similiter ſi eſſet diviſibile *ut quo* poſſet eſſe id, quo quantitas tangit locum, illumque occupatum. At hæc omnia ſunt apertè falſa.

Reſp. iterum, hoc arg. eſſe ſolvendum à præfato Arnù, qui nobiſcum annuebat, inſtans temporis eſſe virtualiter diviſibile. Siquidem ex eo, quòd temporis inſtans ſit virtualiter diviſibile non ſequitur, quòd habeat eſſe modo ſucceſſivo ſicut partes, adeo ut idem inſtans queat dividi in prius, & poſterius; ergo pariter nec ex eo, quòd indiviſibile quantitatis permanentis ſit virtualiter diviſibile ſequitur tangere, & occupare locum, ſicut ipſæ partes.

In forma itaque, nego ant. Ad prob. diſt. maj. ſi eſſet diviſibile virtualiter extenſivè, concedo, ſi duntaxat virtualiter unitivè, aut terminativè, nego maj. & data min. nego conſeq. Igitur eſt diviſibile virtualiter, non extenſivè, ſed tantummodo virtualiter unitivè, aut terminativè, quatenus habet unire partes, vel eas terminare, eſt enim ex ſui ratione formali quid continuativum, & terminativum. Idcircò non ſequitur, eſſe extenſum ad hoc, ut valeat tangere, & occupare locum. Similiter juxta aliud reſponſum dico, non ſequi, quòd ſit id, quo quantitas occupat locum; quia eſt diviſibile *ut quo* duntaxat unitivè, & terminativè, non verò extenſivè.

Ut autem noſtram lector aſſequatur mentem, hoc admonitus ſit, quòd non intendimus profiteri, quod indiviſibile ſit diviſibile virtualiter, prout ly *virtualiter diviſibile* idem eſt, ac diviſibile in potentia, ut falsò putat Arnù; aut eſſe diviſibile virtualiter extenſivè, ut tenet Card. de Lugo. Non, inquam, ſed prout idem eſt, ac diviſibile æquivalenter unitivè, aut terminativè. Eum ad modum, quo, dum dicitur exiſtentiam rei diviſibilis eſſe indiviſibilem, non ſignificatur, exiſtentiam eſſe diviſibilem in potentia, ſecùs poſſibiles forent exiſtentiæ partiales, ſed ſignificatur, exiſtentiam eſſe diviſibilem terminativè, æquivalenter.

Inſt. Hujuſmodi punctum virtualiter, aut *ut quo* diviſibile penetratur cum partibus: ergo non eſt ſufficiens ad occurrendum penetrationi. Implicat namque quod penetretur, & quod penetrationem præpediat. Igitur fruſtra ponitur. Prob. ant. Ea penetrantur, quæ ſe totis ſe tangunt, ſed illud indiviſibile tangeret partes ſecundùm ſe totum, cùm indiviſibile non habeat extremitates: ergo &c.

Conf. Duo indiviſibilia ſeſe tangunt ſe totis invicem, & penetrantur, V. G. dum corpora ſeſe contingunt in ſuis ſuperficiebus: ergo hoc quoque modo indiviſibile ſe habebit tangendo partes.

Conf. ulteriùs. Quandoquidem indiviſibile, vel eſt intra, vel eſt extra. Si eſt intra, ergo penetratur. Si extra, ergo erit in loco diſtincto à loco, in quo eſt quantitas, quam terminat. Quæ omnia falſiſſima ſunt.

Reſp. ad inſt. nego ant. Ad prob. primitùs dico, illud indiviſibile tangere partes, non ſecundùm ſe totum, ſed ſecundùm extremitates. Quemadmodum enim diximus, quòd quamvis non ſit formaliter diviſibile, eſt tamen virtualiter diviſibile: ita dicere poſſemus, quòd habet extremitates virtualiter terminativè. Deinde juxta ſecundum reſponſum dicatur, quòd tangit partes ſecundùm ſe totum *ut quo*, non *ut quod*. Ad hoc autem, ut aliqua penetrentur requiritur, quòd ſeſe contingant ſe totis *ut quod*.

Ad 1. Conf. dato ant. negatur conſequentia aſſignaturque diſparitas ſita in hoc, nimirum quòd indiviſibile cùm habeat extremitates duntaxat virtualiter terminativè poteſt optimè non penetrari cum partibus, quas terminat, ſed eas

contingere ſecundùm extremitates, quas habet virtualiter terminativè. Secus autem cum alio indiviſibili, quia unum indiviſibile non eſt terminus alterius, cùm termino non addatur terminus, nec unum *quo* indigeat alio *quo*, ſecùs dederetur proceſſus in infinitum.

Ad 2. Conf. vel dicatur, quòd eſt extra, non formaliter, ſed duntaxat virtualiter. Vel quòd eſt extra, non *ut quod*, ſed tantummodo *ut quo*, quatenus eſt id, quo una pars eſt extra aliam. Ad hoc autem, ut eſſet in loco diſtincto deberet eſſe extra formaliter, & *ut quod*.

11. Arg. 3. Extat linea ſine punctis: ergo non ſunt admittenda indiviſibilia continuativa. Prob. ant. Poſt unum punctum indiviſibile, quod à nobis admittitur non ſequitus aliud punctum, benè verò ſequitur linea, ſecùs continuum componeretur ex ſolis indiviſibilibus: ergo iſta linea eſt ſine puncto indiviſibili, adeoque &c.

Conf. Si Deus auferret à continuo omnia indiviſibilia adhuc remaneret continuum: ergo ad continuum non requiruntur hujuſmodi indiviſibilia.

Reſp. nego ant. Ad prob. dico, quòd cùm pars quælibet lineæ ſit in infinitum diviſibilis, poſt punctum non ſequitur immediatè punctum, ſed ſequitur linea; quæ tamen etiam cùm ſuas habeat partes, ac ſit diviſibilis, habet iterum ſua puncta continuativa, adeoque nunquam datus linea ſine punctis.

Ad Conf. Reſp. quòd ſi Deus removeret à continuo cuncta indiviſibilia continuativa, partes continui penetrarentur ad invicem, & non ampliùs haberetur continuum extenſum.

Dices. Continuum eſt unum; ſed ſi haberet indiviſibilia continuativa non eſſet unum: ergo non extant talia indiviſibilia. Prob. min. Siquidem hujuſmodi indiviſibilia haberent diſcernere partem unam ab alia; ſed quod diſcernit facit quantitatem diſcretam: ergo ſi darentur hujuſcemodi indiviſibilia, continuum eſſet quantitas diſcreta, proindeque unum non foret.

Conf. Unum conſtituitur per indiviſionem in ſe, & diviſionem ab aliis: ergo ad continuum ſufficit diviſio ab aliis, quæ eſt pura identitatis negatio, non verò requiritur punctum terminativum.

Reſp. diſt. maj. quod importat plura diviſa non eſt unum, concedo, plura diſtincta, ſubdiſtinguo, non eſt unum unitate ſimplicitatis, iterum, concedo, unitate compoſitionis, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. vel diſtinguo conſequens eodem modo. Continuum ſiquidem eſt unum per compoſitionem partium, ex quibus coaleſcit; idcirco poteſt importare plures partes, pluraque indiviſibilia diſtincta.

Ad Conf. Reſp. quòd unitas explicatur per negationem illam identitatis cum aliis tanquam per quid notius; re vera tamen (ut in Metaphyſica dicemus) conſtituitur per quid poſitivum ut connotans talem negationem. Deinde dico, ant. eſſe verum de uno unitate tranſcendentali, non verò de uno unitate prædicamentali, & quantitativa.

12. Arg. 4. Hujuſmodi indiviſibilia non ſunt ſubſtantia, nec accidens: ergo nihil ſunt. Ant. quò ad p. p. eſt planum. Etenim cùm quantitas ſit accidens nequeunt ejus indiviſibilia eſſe ſubſtantia: Quò ad 2. prob. Siquidem non eſt excogitabile eorum ſubjectum: ergo non ſunt accidens. Prob. ant. Nequeunt ſubjectari in indiviſibilibus ſubſtantiæ; quia iſta in ſententia probabili inter Thomiſtas non extant; neque in partibus quantitatis; quia vel ſubjectaretur in utroque, & ſic idem accidens ſubjectaretur in duplici ſubjecto; nec in una tantùm, ſecùs non poſſet utramque terminare; ergo &c.

Conf. Si extarent indiviſibilia quantitatis, etiam in qualitate, quæ per quantitatem extenditur, & in quantitate ſubjectatur, deberent indiviſibilia extare; ſed hoc eſt falſum: ergo nec in quantitate extant continuativa indiviſibilia. Prob. min. Quandoquidem ſi extaret quantitas bipalmaris, cujus unus palmus eſſet calidus ut octo, & alter frigidus ut octo, jam in eodem indiviſibili quantitatis continuativo illorum duorum palmorum extaret duplex indiviſibile, unum caloris ut octo, & alterum frigoris ut octo; ſed hoc eſt impoſſibile, ſaltem naturaliter, imò etiam ſupernaturaliter, ut videbimus lib. 2. de Generatione & Corruptione: ergo &c.

Reſp. ad arg. quòd (ut diximus in Logica Syntag. 4. q. 2. art. 4. §. 4. ſub num. 14. ad replicam contra reſp. ad 3.) utrumque poteſt ſuſtineri, nimirum, & quòd ſubjectentur in indiviſibilibus ſubſtantiæ, & quòd ſubjectentur immediatè in partibus quantitatis. Ex quo non ſequitur idem accidens ſubjectari in duplici ſubjecto, ſaltem adæquato, quia duæ partes, quas indiviſibile continuat, ſe habent, non ut duo ſaltem adæquata, ſed inadæquata, & partialia ſubjecta conſtantia unum totale.

Ad conſ. nego ſequelam. Quandoquidem non eadem eſt de qualitate, ac de quantitate; quia qualitas extenditur, non ratione ſui, ſed duntaxat ratione quantitatis, cujus eſt ponere unam partem extra aliam, & penetrationem impedire.

Dices. Etiam ſubſtantia extenditur ratione quantitatis; & tamen loco nuper ex Logica citato diximus, ſubſtantiam pro priori ad quantitatem habere partes actu diſtinctas, ac ſua indiviſibilia: ergo idem etiam de qualitate dici poterit, eſtò extendatur ratione quantitatis.

Reſp. primitùs, quòd eſtò ibi dixerimus poſſe ſuſtineri, ſubſtantiam habere ſua indiviſibilia; non tamen abſolutè diximus, ita eſſe; quia non ad omnem diſtinctionem requirantur indiviſibilia, ſed duntaxat ad diſtinctionem extenſivam, ut eſt illa quantitatis. Deinde omiſſo ant. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen autem eſt, quia diſtinctio, quam habet ſubſtantia pro priori ad quantitatem eſt diverſæ rationis ab illa, quam recipit à quantitate: prima namque eſt ſubſtantialis, ſecunda accidentalis. Cæterùm diſtinctio partium qualitatis nequit eſſe, niſi accidentalis, cùm etiam qualitas ſit accidens: Idcircò non eſt neceſſè habere diſtinctionem, aut indiviſibilia præter diſtinctionem, aut indiviſibilia quantitatis.

14. Arg. 5. Id, quod unit partes debet eſſe pars: ergo non eſt indiviſibile. Prob. ant. à pari. Id, quod unit partes propoſitionis, nimirum verbum uniens prædicatum, & ſubjectum per nos eſt pars propoſitionis; ergo pariter &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen eſt, quia ſi id, quod unit continui partes eſſet pars, partes penetrarentur, uti probatum eſt. Hoc autem non ſequitur de copula uniente partes propoſitionis, quia propoſitionis partes, non continuativo, ſed enunciativo, & ſignificativo modo junguntur.

15. Arg. 6. Philoſophus 8. Phyſ. cap. 8. & 3. Metaphyſ. cap. 5. ſicut & Angelicus ibidem lect. 13. inquit, ſuperficies in corporibus, & puncta in linea eſſe duntaxat in potentia. Quod repetit idem S. Th. opuſc. 36. dicens, in linea eſſe infinita puncta in potentia.

Reſp. Philoſophum, & D. Th. loqui de indiviſibilibus terminativis, quæ reſultant ex diviſione continui. Hæc ſiquidem pro priori ad omnem continui diviſionem erant duntaxat in potentia.

16. Arg. poſtremò ex Saguens, qui vult, partes continui, ſeu atomos uniri, non per contactum duorum diviſibilium in uno indiviſibili, ſed per ramuſculos, & hamuſculos, ſeu eſſe atomos ramoſas, & hamoſas. Quandoquidem ſi ad unionem continui ſufficeret talis contactus, ſequeretur, quòd ubicunque haberetur hujuſmodi contactus, haberetur continuitas, ſicque duæ tabulæ marmoreæ ad normam explicatæ ſi ſe tangerent facerent continuum.

Reſp. ad hoc, in quo non modicam vim facit Saguens, nullius prorſus eſſe momenti. Siquidem ad continuitatem unius partis cum alia requiritur contactus in uno duntaxat indiviſibili, ut ex continui definitione perſpicuum eſt, idcirco illud indiviſibile dicitur terminus communis, idest communis utrique parti. Illæ autem duæ tabulæ ſeſe contingerent in duplici, eo quòd unaquæque ſua habet indiviſibilia terminativa.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num continuum componatur ex ſolis indiviſibilibus.

§. I.

1. STabilivimus antegreſſo in art. dari indiviſibilia. Videndum modò venit num iſta duntaxat extent in illo, ita quòd ex eis tantummodo continuum coaleſcat.

Placuit quondam pars affirmans Zenoni, Pytagoræ, Democrito, Leucippo, Epicuro, univerſæque Stoicorum Scholæ, cùm illi profiterentur entia cuncta naturalia conſurgere ex indiviſibilibus atomis, eoſque confutavimus lib. 1. q. 1. art. unico. Quam ſententiam (ut 1. Phyſ. diximus) jam à Scholis exulem de exilio per fas, & nefas revocare

care conantur recentiores non pauci, contra quos acriter invehitur P. Hurtadus, conquerens, quòd errorem iſtum ab inferis uſque revocarint; quo eam iterum deportavit hæreticus ille Jo: Hus. Quandoquidem cùm in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 16. errores Hus, & Wicleffi damnarentur, eorum inter falſitates ſupputatum fuit hoc, quòd ſenſerint, lineam confici ex ſolis indiviſibilibus. De quo videri poteſt Ortiz.

§. II.

CONCLUSIO NEGATIVA.

2. PRobant veritatem hanc Ariſt. & D. Th. quem totus ſequitur Peripatus pluribus ratiociniis, quorum aliqua duntaxat adducemus. Igitur

Prob 1. Continuum eſt extenſum, & diviſibile phyſicè; ſed ex pluribus ſolis indiviſibilis nequit confici aliquod extenſum, & diviſibile: ergo continuum componi nequit ex ſolis indiviſibilibus. Maj. eſt vel luce ipſa nitidior. Min prob. Quæ in invicem penetrantur nequeunt facere extenſum, & diviſibile; ſed unum indiviſibile ſi alteri uniatur penetratur phyſicè cum illo: ergo &c. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd ad faciendum aliquod extenſum requiritur extraneitas eorum, quibus extenſum conſtituitur, ut ex terminis ſonat, cùm ex ipſo termino *extendere* idem perinde ſignificetur etymologicè, ac extra tendere. Quæ autem penetrantur dicunt potiùs intraneitatem. Min. prob. Quæ ſe totis ſeſe tangunt, eo modo, quo ſe totis ſeſe contingunt in invicem penetrantur; ſed unum indiviſibile, ſi alii uniatur, tangit illud ſecundùm ſe totum phyſicè: ergo &c. Maj. planè deprehenditur ex dictis lib. 4. q. 2. art. 2. ubi vidimus, non aliter explicari quomodo duo corpora penetrentur, niſi per hoc, quòd ſe totis, & non tantùm ſecundùm extremitates ſeſe contingunt. Min. prob. ſeu potiùs explicatur. Siquidem non ſeſe tangunt ſecundùm partes ſaltem phyſicas, cùm ceu indiviſibilia phyſicè ſaltem, ſupponantur non habere partes, nec partium extremitates: ergo &c.

Ex ax re vides lector, quàm benè Ariſtotelea Philoſophia profiteatur, unum indiviſibile additum indiviſibili non facere aliquod majus, & extenſum. Cùm namque ſe totis ſeſe attingant, & penetrentur, nullam valent facere extenſionem, ſeu extraneitatem, nec locum occupare. De quo iterum §. ſequenti 3. num. 5 ad 2. arg.

Reſpondebis 1. cum Arriaga, quòd Indiviſibile tametſi non habeat partes, habet quædam latera ad diverſos aſpectus; nimirum unum ad Orientem, alium ad Occidentem, alium ad Septentrionem, alium ad Meridiem, & per conſequens in iſtis, & non ſecundùm ſe tota ſeſe tangunt.

Verùm enim verò Arriaga ſua immaginatione de indiviſibili magnam conſtruit molem, cùm tot in ipſo confingat latera, quod plura non habebit quodvis aliud corpus. Idcircò ſic inſto: Latera illa, vel ſunt aliquid intrinſecum, vel non? Si ſunt aliquid intrinſecum; Tum ſic. Vel ſunt quid intrinſecum per modum cujuſdam extremi; & ſic indiviſibile erit diviſibile in illa eſtrema, ſicut cætera corpora. Vel ſunt aliquid intrinſecum omnino ipſi indiviſibili intraneum: Et ſic non vetat contactum ſecundùm ſe tota. Si verò ſunt quid extrinſecum, non ſufficiunt ad contactum continui, quia continuum eſt intrinſecè unum, proindeque ea, ex quibus conſtat, debent in aliquo intrinſeco ſeſe attingere.

Videatur Maſtrius in Logica in diſp. de quantitate, ubi agit de continuo, ibique alia Arriagæ reſponſa validè refellit.

Reſpondebis 2. ex his, quæ diximus art. antegreſſo §. 3. num. 10. ad 2. arg. Indiviſibile eſſe virtualiter diviſibile.

Contra tamen eſt. Indiviſibile quamquam dici queat diviſibile virtualiter unitivè, aut terminativè, quatenus eſt unio, aut terminus partium diviſibilium, quod nullam dicit perfectionem; neutiquam verò poteſt ita eſſe virtualiter diviſibile, & extenſum, ut poſſit aliquid facere diviſibile, & extenſum: ergo non ſufficit ad conſtituendum continuum. Prob. ant. Tum quia ſi eſſet taliter diviſibile, & extenſum, quòd valeret facere quidpiam formaliter diviſibile, & extenſum ſequeretur, quòd etiam ſe ſolo ſine alterius indiviſibilis conſortio ſeu ſeparatum potens eſſet facere aliquid formaliter diviſibile, & extenſum. Sicut Sol, quia ita eſt virtualiter calidus, quod valens eſt facere formaliter calidum, ſe ſolo eſt potens facere formaliter calidum. Hoc autem nec ex Adverſariis ullus cogitavit. Tum quia hoc, quod eſt ita in ſe habere aliquid virtualiter, ut id valeat præſtare formaliter aliis, eſt proprium entium maxima pollentium perfectione, ut palam eſt de Sole &c. Indiviſibile autem habet eſſe imperfectiſſimum, cùm habeat eſſe minimum. Tum denique à pari. Siquidem etiam æternitas formaliter indiviſibilis, eſt virtualiter diviſibilis, æquivalens nimirum omni durationi diviſibili; & tamen nequit conſtituere durationem formaliter diviſibilem: ergo à pari tametſi daremus, indiviſibile eſſe virtualiter diviſibile, adhuc nequibit conſtituere aliquid formaliter diviſibile & extenſum.

Tandem oretenus mihi quondam reſpondebat Medicunculus quidam, quòd indiviſibilia ſphærica componentia corpora fluida ſeſe tangunt in ſola ſuperficie. Sed

Contra. Quandoquidem ſuperficies eſt extenſio ſecundùm latitudinem, ad differentia lineæ, quæ eſt extenſio ſecundùm longitudinem, & ad differentiam corporis, quod eſt ſecundùm profunditatem extenſio: ergo ſi habent ſuperficiem, in qua ſeſe invicem contingant, ſunt extenſa, & diviſibilia, non verò inextenſa, & indiviſibilia.

Vide dicta 1. Phyſ. quæſt. 1. art. unico §. 6. in tertia atomorum confutatione.

Adde, quòd id dicunt de ſolis indiviſibilibus ſphæricis, componentibus corpora ſphærica, ut aerem, aquam &c. At de cæteris quid?

3. Prob. 2. concluſio à poſt. ab inconvenienti. Si continuum componeretur ex ſolis indiviſibilibus, ſequeretur, quòd mobile velocius non percurreret citiùs æquale ſpatium, ac mobile tardius; ſed hoc experientia abnuit: ergo continuum non componitur ex ſolis indiviſibilibus. Sequela maj. prob. ſupponatur, ſpatium illud conſtare centum V. G. indiviſibilibus, Tum in centum inſtantibus tam mobile tardum V. G. Teſtudo, quàm mobile perniciſſimum V. G Jovis Ales, illud percurrent ſpatium: ergo &c. Prob. ant. Quolibet in inſtanti Teſtudo percurret unum indiviſibile, cùm in indiviſibili non adſit medietas percurrenda; & pariter Jovis Ales in quolibet inſtanti acquiret unum indiviſibile, nec citiùs acquirere poſſet, cùm tempus inſtanti brevius dari nequaquam poſſit: ergo in centum inſtantibus tum Teſtudo, tum Aquila percurret ſpatium illud conſtans indiviſibilibus centum.

Dices, quòd mobile velocius in uno inſtanti percurreret duo, vel tria indiviſibilia. Sed

Contra eſt. Priùs primum, quàm ſecundum indiviſibile acquirere deberet, cùm unum ſit alio prius; ſed illud primum nequiret acquiri citiùs, quàm in inſtanti, cùm tempus inſtanti brevius non detur: ergo in inſtanti unum duntaxat indiviſibile acquireret.

Dices 2. cum Zenoniſtis, quòd mobile movetur per morulas aliquas. Et quia mobile tardum majorem reſiſtentiam invenit. Idcirco per plures longioreſque morulas retardaretur, ſicque tardiùs moveretur.

Contra tamen eſt, non ſolùm quia motus eſt de genere continui, licèt ſucceſſivi; ſi autem per morulas interrumperetur fieret quantitas diſcreta. Verùm etiam quia ſequeretur, quòd ingens lapis à Turri in terram dejectus nonnihil cunctaretur in aere ſuſpenſus. Quod tamen quis percipiet? Et ſanè nos videmus, mobilia etiam tarda interdum moveri ſine eo, quòd curſus per morulas interrumpatur: Niſi dicant, eſſe morulas omnino imperceptibiles, quas ipſi ſoli proinde ſtertendo ſomniarint.

Nec omittendum inconveniens, quod ponderavit Maurus. Si enim motus pernicitas, & tarditas explicetur per morulas interceptas, cùm bombardæ pila duobus minutis efficiat quatuor milliaria ſecundùm peritos, aliquæ Stellæ fixæ eodem tempore conficiunt pluſquam octingenta quadraginta millia milliorum, quæ ſe habent ad quatuor milliaria pluſquam centum millia ad unum, & ſic centum millibus inſtantibus deberet pila bombardæ quieſcere, dum Stellæ fixæ duobus minutis moverentur. Quo quid incredibilius?

§. III.

Enodantur argumenta obverſæ partis.

4. ARg. Unumquodque reſolvitur in ea ex quibus componitur, ſed continuum ultimò reſolvitur in indiviſibilia: ergo continuum componitur ex ſolis indiviſibilibus.

bus. Prob. min. ſi divideretur continuum in partes ſemper diviſibiles, foret abire in infinitum; ſed hoc non eſt ab ullo ex Thomiſtis tolerandum; ergo ultimò reſolvitur in indiviſibilia.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. foret abire in infinitum ſyncategorematicè, concedo, categorematicè, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Dividitur continuum in partes, quæ ſemper ſunt ulteriùs diviſibiles in alias portiunculas uſque in infinitum, nuſquam deveniendo ad aliquam, quæ ulteriùs non ſit diviſibilis ſaltem mathematicè, ſeu ſupernaturaliter, quamquam extet pars aliqua, quæ non eſt ulterius partibilis ſaltem phyſicè medio aliquo naturali inſtrumento. Ex hoc autem non ſequitur, extare infinitum in actu, quia nunquam poſſunt poni diviſæ omnes illæ partes, ut luculentiùs art. ſequenti dicemus, ſed duntaxat in potentia, ſeu ſyncategorematicè. Ita communiter. Sed

Contra. Quicquid ſit num continuum poſſit actu totum dividi, tamen certum eſt, unumquodque componi ex his, in quæ reſolveretur, ſi foret diviſibile totum; ſed ſi totum continuum poſſet dividi, ita quod non obſtaret infinita multitudo, quæ ex tali reſultaret diviſione, reſolveretur in indiviſibilia: ergo continuum componitur ex ſolis indiviſibilibus. Maj. ſeipſam oſtendit. Quemadmodum ſiquidem id, quod eſt diviſibile reſolvitur in ea, ex quibus componitur, ita ſi totum foret diviſibile reſolveretur totum in ea, ex quibus componitur totum. Min. prob. Si quidpiam diviſibile ſupereſſet, illud foret continuum: ergo non eſſet diviſum totum; ergo ſi ſemel eſſet diviſibile totum, ultimò reſolveretur in indiviſibilia.

Reſpondeo benè ibi. Ad oppugn. quam ipſe formavi, dico, non parum me fatigaſſe. Nihilominùs, nego min. ad cujus prob. dico, quòd ſi totum continuum divideretur, ſemper ſuperſtes eſſet pars aliqua, quæ ſaltem divinitùs diviſibilis foret. Hæc tamen non permaneret in eſſe, ſed deſtrueretur, quia ad tantam deveniſſet minimeitatem, in qua non poſſet ſalvari. Ut namque dicetur infra quæſtiuncula ſecunda ponenda poſt art. 3. quælibet res habet terminum parvitatis, extra quem ſalvari nequit.

Inſt. Argumentum procedit in hypotheſi etiam impoſſibili, quòd divideretur totum; ſed in dato reſponſo non foret diviſum totum: ergo reſponſum non eſt ad rem. Min. prob. Pars illa, quæ ſuperſtes eſſet deſtructa fuiſſet adhuc diviſibilis: ergo non eſſet diviſum totum diviſibile.

Reſpondeo nego min. Ad prob. diſt. ant. adhuc eſſet diviſibilis cum perſiſtentia earum, quæ dividerentur, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. In caſu itaque, quo totum continuum divideretur, ejus partes forent adhuc diviſibiles, diviſione tamen deſtructiva, & corruptiva, cum redigeretur ad tantæ parvitatis terminum, in quo ſalvari nequiret. Nihilominùs tum totum diceretur diviſum; quia tunc quidpiam diviſum dicitur diviſum totum, quando ita eſt diviſum, quòd ſi ulteriùs dividatur deſtruitur, nec poſſunt ſalvari partes, in quas divideretur.

5. Arg. 2. ex Arriaga contra rationem noſtram. Ideo continuum non componitur ex ſolis indiviſibilibus, quia unum indiviſibile alteri additum indiviſibili non facit majus, & extenſum; ſed hoc falſum evincitur: ergo &c. Prob. min. à pari. Ex non completis entibus poteſt fieri ens completum; ex non Homo poteſt fieri Homo, nimirum ex materia, & forma; ex non palmis poteſt fieri palmus; ergo pariter ex indiviſibilibus, & inextenſis poteſt fieri extenſum &c.

Conſ. 1. Per hoc, quod unum indiviſibile uniatur parti non penetratur cum illa: ergo tametſi uniatur alteri indiviſibili non penetrabitur cum illo.

Secundò. Indiviſibile, ut diximus loco, quem citavimus §. præcedenti 2. ſub num. 2. in 2. reſp. eſt virtualiter diviſibile: ergo poteſt conſtituere aliquod extenſum, ac diviſibile.

Reſp. nego min. Ad prob. dato ant. diſt. conſequens, niſi obſtaret penetratio, concedo, ſecùs, nego conſeq. Itaque non exigitur, quod conſtituentia habeant eandem denominationem conſtituti, ut perſpicuum eſt in omnibus exemplis ab opponente adductis, cæteriſque adducibilibus; adeoque neque requireretur, quòd componentia continuum extenſum denominarentur extenſa, & diviſibilia, ni talis neceſſitas proveniret alio ex capite, nimirum ex eo, quòd ſi eſt inextenſum, & indiviſibile, per hoc quod alteri indiviſibili uniatur penetratur cum illo; cùm nequeat tangere ſecundùm extremitates, & fieri extra illud, ut num. 2. probavimus. Ea autem, quæ penetrantur, nequeunt facere majus, & extenſum.

Ad 1. Conſ. quæ poſſet eſſe objectio contra hoc reſponſum patet ex dictis art. præcedenti § 3. ad ult. inſt. contra reſp. datum ad 2. arg. ſub num. 10. ſub finem illius numeri, ſicut & ex dictis hic §. 2.

Et per hæc poteſt ſatisfieri ſecundæ conſ.

6. Arg. 3. argumento mathematico. Quandoquidem, ut vel nos dicebamus art. præcedenti 1. §. 2. num. 5. ſi corpus perfectè ſphæricum ſuperponatur alteri perfectè plano, tangit in aliquo indiviſibili. Tum verò ſic. Si corpus illud ſic ſphæricum rotaretur ſuper perfectè planum, jugiter tangeret in aliquo indiviſibili, quia, ut ibi dicebamus, omnis pars globi perfectè ſphærici curva eſt, omnis verò pars corporis perfectè plani eſt plana, quæ proinde nequit cum curva aptari, adeoque nequiret una pars plani tangere partem ſphærici, ac per conſequens deberet in aliquo indiviſibili tangi.

Conſ. 1. Poſt unum indiviſibile, vel ſequitur aliud indiviſibile, vel pars. Si primum: ergo continuum conſtat ex ſolis indiviſibilibus. Si ſecundum, ergo cùm pars illa ſit continuum, dabitur continuum ſine indiviſibilibus. Cujus oppoſitum propugnavimus art. antegreſſo.

Secundò. Si ponatur baculus, cujus medietas ſit in aqua, & alia medietas in aere; tunc ex parte loci erunt ſibi immediata duo indiviſibilia, nimirum duæ ſuperficies, una aquæ, & altera aeris: ergo etiam ex parte locati extabunt duo indiviſibilia ſibi immediata, cùm locatum adæquetur loco, adeoque poſt unum indiviſibile ſequitur aliud, ſicque continuum ex ſolis indiviſibilibus coaleſcit.

Reſp. 1. ad arg. concedendo id, quod præmittitur, nimirum, quòd ſi illud corpus perfectè ſphæricum ſuperponeretur plano tangeret illud in ſolo indiviſibili, quouſque in illo quieſceret, negando verò quòd tangeret in indiviſibili dum moveretur. Ad prob. annexam diſt. nequit plana cum curva proportionari, & aliàs in motu requiritur proportio adæquata, nego, ſecùs, concedo. Hoc mihi diſcrimen eſſe videtur in motu, ac in quiete; quia dum corpus eſt in quiete fit commenſuratio adæquata inter ſeſe tangentia corpora. At dum eſt in motu fit commenſuratio duntaxat inadæquata; quia nunquam unum totaliter ſiſtit in eo, quod tangit, ſed dum tangit id, à quo ſecedit, tangit aliqualiter id, ad quod accedit; & dum tangit id, ad quod accedit nonnihil, id eſt inadæquatè, tangit id, à quo recedit.

Reſp. 2. cum Goudin, & Guerinois diſtinguendo eandem probationem annexam ſic: nequit curva cum plana proportionari quieſcendo, concedo, non quieſcendo, nego.

Si autem inſtes, quòd non minùs non quieſcendo, quàm quieſcendo una pars eſt plana, & altera curva: ergo ſi nequeunt proportionari quieſcendo, neque poterunt proportionari non quieſcendo.

Reſp. diſt. ant. & aliàs tunc motus ſupplet improportionem tangentis, & tacti, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Tunc ſiquidem motus ſupplere poteſt improportionem tangentis, & tacti. Illuſtratur exemplo in globi non perfectè ſphærici, cujus partes ſunt inæquales; cujus nimirum partes aliæ ſunt curvæ, aliæ acutæ; & ita ad tangendum in quiete corpus planum improportionatæ: Et tamen improportio hæc per motum ſuppleri poteſt. Ob idque ſi globus ille non perfectè ſphæricus ſuper corpus planum moveatur, tanget planum & in partibus curvis, & in partibus acutis, licèt aliundè improportionatis. Et ita ſimili modo quamvis partes proportionales globi perfectè ſphærici, & corporis perfectè plani immediatè poſt puncta ſuccedentes ſint improportionatæ ad ſeſe tangendum dum ſunt in quiete; tamen improportio ſuppleri per motum poteſt, adeo ut per motum partes contingere ſeſe poſſint.

Reſpondent 3. alii, quòd corpus illud ſphæricum moveretur ſuper perfectè planum per quoſdam ſaltulos ſenſui non apparentes: ſicque ſemper tangeret in aliquo indiviſibili, non quia poſt unum indiviſibile immediatè ſequatur aliud; ſed quia per illos ſaltulos partem intermediam prætermitteret.

Si dicas: ergo motus ille eſſet diſcretus, & non continuus.

Reſpondent negando conſeq. Siquidem corpus illud eſſet circundatum ſuperficie aeris, per quam continuò moveretur. Ob idque motus eſſet continuus, quamquam non haberet continuitatem ex parte illius plani.

Ad

Google

Ad 1. Conſ. liquet ex dictis art. præcedenti §. 3. ad 3. arg. num. 11.

Ad 2. Reſp. quòd ex parte locati correſponderet unum duntaxat indiviſibile; quia illæ duæ ſuperficies eſſent penetratæ per modum unius.

Dices. Penetratio competit ſolis rebus quantitativis, quia eſſe intùs (in quo ſtat penetratio) & eſſe extra ſolis rebus quantitativis competere poteſt; ſed indiviſibilia non ſunt quanta per nos: ergo nequeunt penetrari.

Reſp. diſt. ant. penetratio ſimpliciter talis, concedo, ſecundùm quid talis, nego ant. & conſeq. Indiviſibilia ſiquidem non penetrantur penetratione ſimpliciter tali, propter rationem in argumento adductam. Penetrarentur igitur quatenus unum tangeret aliud ſecundùm ſe totum, & fieret, non intra illud, ſed quaſi illud: nec poſſent aliquo modo habere extraneitatem: Undè haberent intraneitatem laté dictam. Propriè autem nec intraneitatem, nec extraneitatem haberent, quia iſta eſt propria rei quantæ. Idcircò ex eo, quod non penetretur ſimpliciter non ſequitur eſſe ſimpliciter impenetratum, ſed propriè neutrum habere.

7. Argumentum aliud, quod à Jo: Sagnens poſſet hìc objici vide ſolutum ante greſſo art. primo §. 3. ad ult. arg. num. 15. in fine.

ARTICULUS TERTIUS.

Num partes continui ſint actu partes, ideſt num ſint actu diſtinctæ, ac diviſibiles in infinitum.

§. I.

1. PRæconſiderandum 1. quòd in duplici differentia ſunt continui partes. Quædam dicuntur aliquotæ, & quædam proportionales. Aliquotæ ſunt illæ, quæ ſunt invicem ſimiles, & æquales in quantitate, & dum aliquoties repetuntur exhauriunt totum, V. G. ſi detur linea bicubitalis, duæ partes cubitales ſunt illius partes aliquotæ. Proportionales ſunt illæ, quæ ſunt inæquales, nullamve deſignationem habent V. G. in dicta linea bicubitali, ſi pars una cubitalis dividatur in alias ſemicubitales, & iſtæ in alias, & alias minores; omnes iſtæ ſunt proportionales. Dicuntur autem proportionales, quia non eodem modo, ſed proportionali quodam modo, ac partes aliquotæ dividunt continuum, quatenus nimirum continuum quemadmodum dividitur in partes aliquotas, ita & in proportionales; cum aliqua tamen differentia, quòd illæ ſunt omnes deſignabiles, ſecùs verò iſtæ. Dicuntur etiam ſeſe communicantes quatenus includuntur, & communicantur in aliquotis.

Qua ex re deprehenditur, quòd ſecundùm diverſam rationem eadem pars poteſt dici aliquota, & proportionalis. Si namque comparetur ad partes minores, in quas eſt diviſibilis, dicitur aliquota; ſi verò ad alias majores in ipſam diviſas dicitur proportionalis. Ob idque etiam nonnullæ proportionales ſunt ſecundùm determinatam deſignationem, non tamen omnes, cùm ſint infinitæ in potentia, ut dicemus.

Præconſiderandum 2. quòd continuum eſt duplex. Unum dicitur homogeneum, quod nempe conſtat ex partibus ejuſdem rationis, ſicut V. G. hæc tabula. Aliud heterogeneum, quod conſtat ex partibus diverſæ rationis, ſicut homo, cujus partes ſunt caput, brachium, pes &c. Præcipua difficultas eſt de homogeneo.

2. Primæ ſententiæ placitum eſt, partes continui eſſe diſtinctas duntaxat in potentia. Hanc ultra Albertinum tenent nonnulli Thomiſtæ, quos noviſſimè ſequitur Arnù.

Secundæ placitum eſt, eſſe diſtinctas actu, & infinitas in potentia. Hanc tutantur ferè omnes Thomiſtæ, & Scotiſtæ cum cæteris.

§. II.

CONCLUSIO.

Partes proportionales continui ſunt actu realiter inter ſe diſtinctæ, & diviſibiles in infinitum ſyncategorematicè.

3. DOcetur ab Ariſt. 5. Metaphyſ. cap. 52. & D. Th. ibidem. Et

Prob. 1. à priori. De ratione partium continui eſt, quòd una pars ſit extra aliam, ſecùs penetrarentur, nec facerent extenſum, adeoque nec continuum, ſed non ſtat hujuſmodi extraneitas realis ſine reali diſtinctione: ergo partes continui ſunt actu realiter inter ſe diſtinctæ. Min. eſt clara, quia nihil poteſt eſſe realiter extra ſe ipſum.

Conſ. Partes continui ſunt actu in continuo, non tantùm entitativè (ut ſe tutantur Adverſarii) verùm etiam diſtinctæ: ergo partes continui ſunt actu realiter diſtinctæ. Ant. prob. Continui partes actu componunt realiter totum continuum, quod realiter ex illis coaleſcit, ſed partes realiter componentes, realiter inter ſe diſtinguuntur, ut perſpicuum eſt de materia, & forma, quæ componunt totum eſſentiale: ergo &c. Et ratio eſt, quia nihil poteſt realiter componere cum ſeipſo.

Reſpondet Arnù, quòd una pars continui eſt extra aliam in ordine ad eandem formam continui, adeoque non requiritur realis diſtinctio. Sed

Contra. Una pars continui eſt realiter extra aliam in ordine ad eandem formam continui: ergo ſimiliter & erunt realiter diſtinctæ in ordine ad eandem formam continui.

4 Prob. 2. à poſteriori. Nullum majus ſignum realis diſtinctionis, quàm realis ſeparatio, & diviſio; ſed partes continui ſunt ad invicem realiter ſeparabiles, & Diviſibiles, ut de ſe perſpicuum eſt, & idcirco Philoſophus loco relatu docet, continuum eſſe id, *quod eſt diviſibile in ea quæ inſunt*: ergo &c.

Dices, ex dicta diviſibilitate, & ſeparabilitate inferri diſtinctionem duntaxat poteſtativam, ſeu potentialem, non verò actualem

Contra tamen diſtinctionem hanc potentialem inſto, ſicut inſtabam in Logica, probando, partes ſubſtantiæ eſſe actu diſtinctas. Quæ non ſunt in invicem connexa, multò minùs ſunt inter ſe identificata realiter; ſed hoc ipſo, quod partes continui ſunt ad invicem diviſibiles, & ſeparabiles non ſunt actu in invicem connexæ: ergo multò minùs erunt inter ſe realiter identificatæ, adeoque ſunt realiter diſtinctæ. Maj. nequit eſſe ignota cui ignotum non ſit, quòd latiùs patet connexio, quàm identitas, cùm multa realiter diſtincta ſint inſeparabiliter connexa, ut vidimus lib. 1. q 2. art. 4. §. 3. ſub numero 6. ad 2 arg. Et inſuper quòd aliquid plus dicit identitas, quàm connexio.

Sanè tamen mirum, Patres Complut. uti præfata ratione, cùm (ut in Logica vidimus) admittant hujuſcemodi potentialem diſtinctionem in partibus ſubſtantiæ. Dicere ni velimus in favorem ipſorum, diſparitatem aliquam eſſe, conſiſtentem in hoc, quòd diviſibilitas partium quantitatis eſt immediata, & proxima ratione ejuſdem quantitatis; diviſibilitas verò partium ſubſtantiæ eſt duntaxat radicalis, & mediata, facienda media quantitate.

5. Quòd verò hujuſcemodi partes ſint infinitæ in potentia, ſeu diviſibiles in infinitum ſyncategorematicè. Prob. Continuum nequit dividi in partes, quæ ulteriùs non ſint diviſibiles, ſecùs ex ſolis indiviſibilibus continuum coaleſceret, cùm unumquodque reſolvatur in ea, ex quibus componitur: ergo ejus partes ſunt diviſibiles in infinitum, ita quòd quælibet quantumvis minima pars ſit ſemper ulteriùs diviſibilis, ſi non phyſicè, ideſt naturaliter medio inſtrumento phyſico à cauſa ſecunda, ſaltem mathematicè, & à Deo, ſaltem per ſe loquendo, ut meliùs explicabitur §. ſequenti 3. num. 12.

6. Quòd demum non ſint actu infinitæ tametſi ſint actu diſtinctæ. Prob. tum ex repugnantia multitudinis infinitæ præoſtenſæ lib 3. Tum ſpeciali motivo, quia ad multitudinem actu infinitam requiruntur actu plura entia, quæ ſint ſimpliciter plura; ſed partes continui tametſi actu diſtinctæ non ſunt actu ſimpliciter plura entia: ergo nec poſſunt conficere multitudinem actu infinitam. Maj innoteſcit quia multitudo eſt pluralitas, quemadmodum multi & plures ſunt ſynonima. Min. prob. Quæ continentur ſub eadem forma totali non ſunt ſimpliciter plura; ſed partes continui continentur ſub eadem forma totali continui: ergo &c.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

7. ARg. 1. Diſtinctio ſequitur ad unitatem; ſed partes continui non habent ſuam propriam unitatem: ergo non ſunt actu diſtinctæ. Maj. eſt nota cuicunque eſt nota defini-

Digitized by Google

definitio unius, quod eſt *indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet* alio, ſicut & definitio unitatis, quæ eſt *indiviſio in ſe, & diviſio à quolibet alio*, adeoque in unoquoque priùs eſt eſſe idem ſibipſi, quàm eſſe ab alio diſtinctum. Min. prob. Partes continui ſi poſſiderent ſuam propriam unitatem, facerent quantitatem diſcretam, non verò continuam, cùm quantitas diſcreta non conſtet, niſi ex pluribus unitatibus, nimirum numerus definitur *multitudo numerata per unum*.

Reſp. diſt. maj. ſequitur ad unitatem ſemper perfectam, & totalem, nego, vel totalem, vel partialem, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Partes ſiquidem continui habent ſuam unitatem eo modo, quo habent eſſe. Et quia in continuo habent eſſe duntaxat partiale, & imperfectum, idcirco habent unitatem duntaxat partialem, & imperfectam, quæ non ſufficit ad faciendam quantitatem diſcretam; quia illa reſultat ex unitatibus perfectis, cùm reſultet ex unitatibus inter ſe diviſis, nimirum ex diviſione continui.

Contra. Partes continui non important plures unitates nec etiam partiales, & imperfectas: ergo labaſcit reſponſum. Prob. Ant. Continua ſunt illa, quorum extrema ſunt unum; ſed partes continui ſi importarent plures unitates, tametſi imperfectas, eſſent plura, ſaltem imperfecta, & non unum: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. quorum extrema ſunt unum unitate ſimplicitatis, nego, unitate compoſitionis, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Hoc ſanè argumento probatur potiùs placitum noſtrum; quia continuum eſt unum per compoſitionem, non per ſimplicitatem, ſecùs non eſſet diviſibile. Omnes autem partes realiter componentes debent realiter ad invicem diſtingui, ut palam eſt de materia, & forma.

Vel dico, quòd continuum, ad differentiam contigui, dicitur unum, non quia partes ejus non ſint diſtinctæ, ſed quia omnes continuantur ſub una forma, & exiſtentia totali totius continui. Contigua autem cùm ſint inter ſe diviſa habent diverſam formam, & exiſtentiam.

Contra. Continuum ita eſt unum, quòd eſt unum per ſe; ſed ſi partes ejus eſſent actu diſtinctæ non eſſet unum per ſe: ergo ſemper obſtat unitati continui diſtinctio partium. Maj. videtur vera, quia continuum non ſe habet ut lapidum acervus. Min. prob. Etenim ex pluribus entibus in actu nequit fieri unum per ſe: ergo &c.

Conf. Eo modo, quo aliqua identificantur cum aliquo tertio identificantur inter ſe; ſed partes continui ſimul ſumptæ, & unitæ identificantur realiter cum toto continuo: ergo quinque &c. Maj. fundatur in illo primo principio *quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*. Min. fundatur in illa probabili ſententia, quam & nos lib. 5. tenuimus, nimirum partes ſimul ſumptas, & unitas non diſtingui realiter à toto.

Reſp. ad inſt. nego min. Ad prob. diſt. ant. ex pluribus entibus in actu exiſtentiæ, concedo, in actu diſtinctionis, nego ant. & conſeq. Tum ſiquidem ex pluribus entibus in actu non fit unum per ſe quando illa ſunt ſimpliciter plura in actu per plures, ſeu diverſos actus exiſtentiæ, & formæ. Partes autem continui ſunt plura, non ſimpliciter, ſed duntaxat ſecundùm quid, quia continuantur ſub una forma, & exiſtentia totali, ſolumque eſſent ſimpliciter plures, ſive plura entia, quando eſſent inter ſe realiter diviſæ.

Ad Conf. reſpondeo, maj. eſſe veram, quando illud tertium eſt aliquod ſimplex, non verò quando eſt, aliquod compoſitum, ſecùs nec materia, nec forma poſſent inter ſe realiter diſtingui.

Inſt. Ad hoc, ut partes faciant unum per ſe debent ſe habere per modum actus, & potentiæ; ſed non eſt explicabile, quomodo una continui pars ſe habeat ut potentia, & altera ut actus, cùm omnes ſint ejuſdem rationis: ergo ſi ſunt actu diſtincta nequeunt facere unum per ſe.

Conf. 1. Unum eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio; ergo pars una continui ſi non eſt ab alia diviſa nequit in ſe unitatem aliquam habere.

Secundò. Eo modo, quo aliqua pars eſt una cum ſeipſa, eſt etiam una cum alia; ſed non diſtinguitur realiter à ſeipſa: ergo nec ab alia parte. Prob. Maj. Eſt una cum ſeipſa unitate continuationis; ſed etiam cum alia comparte eſt una unitate continuationis: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ut fiant unum per ſe eſſentiale, concedo, integrale, nego ant. & conſeq. Sanè & hoc arg. vel ab ipſomet Arnù eſt ſolvendum in cujus ſententia continuum heterogenem habet partes actu diſtinctas, cùm etiam iſtud ſit unum per ſe. Dicendum eſt itaque, quòd licèt ad totum eſſentiale requiratur, partes ſe habere per modum actus, & potentiæ, non tamen ad totum integrale; quia primum eſt unum per ſe per ſummam communicationem partium, non verò ſecundum, ſecùs ejus partes penetrarentur. Ob idque ad ſecundum ſufficit, quòd partes habeant eſſe, non totale, ſed partiale continuabile in invicem.

Vel ex dictis lib. 1. q. 4 art. 1. num 14. in fine dicatur, quòd continuum eſt unum per ſe, non ſimpliciter, & perfectè, ſed ſecundùm quid, ac imperfectè; quia partes ejus quamquàm non uniantur per accidens, id eſt à caſu, ſicut lapidum acervus; tamen uniuntur medio aliquo nexu, quod non eſt de illarum eſſentia, nimirum indiviſibile.

Ad 1. Conf. dico, ant. eſſe verum de uno unitate perfecta, & totali, non verò de uno unitate imperfecta, & partiali, qualis eſt illa partium continui.

Ad 2. data maj. diſt. min. non diſtinguitur realiter à ſeipſa, nec in ſeipſa, nego, præciſè à ſeipſa, concedo ant. & nego conſeq. Cùm etenim partes continui ſint diviſibiles in infinitum, quælibet pars ſemper eſt in alias diviſibilis. Idcircò quamvis non ſit realiter à ſeipſa diſtincta, eſt tamen in ſeipſa realiter diſtincta.

8. Arg. 2. Si partes continui eſſent actu realiter diſtinctæ extaret infinitum in actu; ſed hoc eſſe impoſſibile quilibet ex Thomiſtis obteſtatur: ergo &c. Prob. maj. Partes proportionales continui ſunt infinitæ: ergo ſi &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. ant. ſunt infinitæ in potentia, concedo, in actu nego ant. & conſeq.

Contra. Si omnes partes proportionales continui eſſent actu diviſæ, eſſent infinitæ in actu: ergo etiam ſi ſunt actu diſtinctæ erunt infinitæ in actu. Conſequentia ſequitur Tum à pari, Tum quia partes continui ſi actu dividerentur forent eædem, quæ indiviſæ, ac diſtinctæ: argo ſi diviſæ eſſent &c. etiam &c.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eniteſcit ex dictis §. antegreſſo 2. num. 6. ad prob. diſt. ant. eſſent eædem materialiter, concedo, formaliter, nego ant. & conſeq. Diſcrimen ſitum eſt in hoc, quod partes ut unitæ continuantur ſub una, eademque forma, & exiſtentia totius continui, adeoque non faciunt ſimpliciter plura. Si autem eſſent diviſæ haberent diſtinctas formas, & exiſtentias, quia diviſæ habent rationem totius.

Notandum verò, ut nonnullæ ſuivantur oppugnationes, quòd ad hoc, ut aliqua non faciant ſimpliciter plura, non ſufficit, quòd præciſè exiſtant per exiſtentiam eandem (ut nonnulli autumant) ſed ulteriùs requiritur, quòd continuentur ſub eadem forma. Qua ratione ſi verbum Divinum terminaſſet plures humanitates (ut poſſibile fuit) adhuc illæ naturæ humanæ fuiſſent plures ſimpliciter naturæ, licèt unicum fuiſſet ſuppoſitum; quia quamvis extitiſſent per eandem exiſtentiam, tamen habuiſſent diverſas formas, nimirum eſſentias. Similiter materia, & forma tametſi exiſtant una, eademque exiſtentia, ſunt ſimpliciter plures; quia non continuantur ſub eadem forma, cùm nequeat forma ſub alia forma continuari. Si autem per impoſſibile plures materiæ ponerentur ſub eadem forma non eſſent ſimpliciter plures materiæ.

Requiritur igitur, quòd continuentur ſub eadem forma, & exiſtentia. Qua ratione Perſonæ Divinæ licèt ſint realiter diſtinctæ; quia tamen habent unam, eandemque eſſentiam, ſicut etiam unicam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam abſolutam, non ſunt ſimpliciter plura entia, licèt plures ſint perſonæ.

Contra. Si in continuo extarent infinitæ partes aliquotæ realiter diſtinctæ extaret infinitum in actu; & tamen continuarentur ſub eadem forma, & exiſtentia totali totius continui: ergo etiam partes proportionales tametſi continuentur ſub eadem forma, &c. adhuc &c.

Conf. A Deo poſſunt omnes illæ partes proportionales dividi, cùm continuum ſit *diviſibile in ea, quæ inſunt*: ergo poterit dari infinitum in actu.

Reſp. diſt ant. extaret infinitum in actu ſecundùm magnitudinem, concedo, ſecundùm multitudinem, nego ant. & conſeq. Partes itaque aliquotæ, ſi eſſent infinitæ, facerent infinitum ſecundùm magnitudinem, non verò ſecundum multitudinem, quia cum etiam illæ continuarentur ſub eadem forma, & exiſtentia totius, non facerent ſimpliciter plura entia.

Ad

Ad Conf. Reſp. non poſſe à Deo omnes illas partes in actu dividi tum propter repugnantiam infinitæ multitudinis ſupra lib. 3 à nobis propugnatam, Tum quia ſi continuum divideretur ad tantam pervenirent exiguitatem partes, ſub qua ſalvari non poſſent, cùm (ut hic inferiùs quæſtiuncula 2.) unaquæque res habeat ſuæ parvitatis terminum. Quando autem dicitur, quòd continuum *eſt diviſibile in ea, quæ inſunt*, intelligitur, non quòd tota ſimul in actu ſit ponibilis diviſio, ſed ſuccedaneè uſque in infinitum nunquam deveniendo ad ultimam.

Contra. Partes etiam proportionales facerent infinitam extenſionem: ergo par ratio, ac de aliquotis. Prob. ant. Etiam partes proportionales facerent extraneitatem, ſecùs non eſſent quantitas, de cujus ratione eſt facere partes extra partes: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. in primis dico, quòd facerent extenſionem indeſignabilem, non verò deſignabilem etiam intrinſecè juxta dicta §. 1. num 1. Deinde dico, quòd faciunt extenſionem inadæquatam, non verò adæquatam, & perfectam; quia iſtam non faciunt, niſi dependenter ab aliquotis, in quibus ſimul collectæ complentur, & perficiuntur partes proportionales.

Oppugnabis. Illæ partes realiter diſtinctæ ſunt ſimpliciter partes, ad eum modum, quo Perſonæ Divinæ licèt eandem habeant eſſentiam, & exiſtentiam ſunt ſimpliciter plures perſonæ: ergo poterunt facere multitudinem ſimpliciter talem, adeoque infinitam.

Conf. Si partes illæ non ſunt actu infinitæ, actu erit invenibilis ultima, adeoque continuum non erit diviſibile in infinitum.

Reſp. dato ant. nego conſeq. Partes etenim illæ quamquam ſint ſimpliciter plures partes, non tamen ſunt ſimpliciter plura entia: quemadmodum Perſonæ Divinæ licèt ſint ſimpliciter tres Perſonæ, non tamen ſunt ſimpliciter plura entia. Ad faciendam autem multitudinem ſimpliciter talem requiruntur plura entia ſimpliciter, quia multitudo ſimpliciter talis utpote quantitas diſcreta requirit plura interſe diviſa, habentia diverſam formam, & exiſtentiam.

Ad Conf. diſt. ant. actu erit invenibilis ultima determinatè, nego, indeterminatè, concedo ant. & nego conſeq. Licèt namque illæ partes ſint actu finitæ; non tamen eſt invenibilis ultima determinatè, quia (uti §. 1. num. 1. diximus) partes proportionales incluſæ in aliquotis nullam habent deſignationem, & determinationem. Ob idque ad ſummum erit invenibilis ultima aliquota, non verò proportionalis determinatè.

9. Arg. 3. contra 2. p. concluſionis ex Zenone. Si partes continui eſſent infinitæ in potentia, ſequeretur, quòd nullum mobile poſſet præterire totum aliquod ſpatium; ſed hoc quotidianæ adverſatur experientiæ: ergo partes continui non ſunt infinitæ in potentia. Maj prob. Tum quia infinitum eſt impertranſibile. Tum quia mobile non pertranſit totum ſpatium ſimul, benè verò pertranſit ſuccedaneè, nimirum unam partem poſt aliam: ergo ſi partes eſſent infinitæ in potentia, ita quòd non ſit dabilis ultima, jam nunquam mobile illud poterit ſpatium illud totum tranſitu ſuo exhaurire.

Conſ Si cujuſvis continui partes eſſent infinitæ ſequeretur, quòd Cœlum Empyreum non haberet majores partes, quàm granum ſynapis; imò contra Mathematicæ principia, quòd totum non eſſet majus ſua parte; quia tam partes grani ſynapis, quàm Empyrei eſſent infinitæ, & ſicut partes totius eſſent in infinitum diviſibiles, ita quælibet continui pars eſſet diviſibilis in alias in infinitum; ſed primum eſt maximum paradoxum, & ſecundum obverſatus primis principiis: ergo partes continui non ſunt in infinitum diviſibiles. Item ſequeretur, quòd ex milii grano poſſent erui per ſucceſſivam diviſionem tot partes, quot ſufficerent ad operiendum totum mundum. Quod eſt aliud paradoxum, inquit Arriaga.

Reſp. ad arg. nego ſequelam. Ad 1. prob. dico, infinitum in actu quidem eſſe impertranſibile, ſecùs verò infinitum in potentia; quia iſtud cùm ſit actu finitum eſt optimè pertranſibile.

Ad 2. prob. diſt. ant. pertranſit partem unam poſt aliam loquendo de partibus aliquotis, concedo, loquendo de partibus proportionalibus, nego ant. & conſeq. Mobile namque præterit, non unam partem proportionalem poſt aliam, quia iſtæ non habent deſignationem, & determinationem in continuo ut §. 1. num. 1. diximus, ſed partes aliquotas. Et quia iſtæ ſunt finitæ, idcircò poteſt optimè totum ſpatium præterire. Verum eſt tamen, quòd mobile illud præterit etiam partes proportionales, non tamen determinatè unam poſt aliam, cùm nullam habeant deſignationem, & determinationem, ſed ſimul indeterminatè omnes, quæ continentur in aliquota.

Contra. Si partes proportionales forent infinitæ, etiam aliquotæ importarent infinitudinem: ergo eſſent impræteribiles. Prob. ant. Quòd claudit infinita nequit non dicere infinitudinem; ſed partes aliquotæ importarent partes proportionales infinitas: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. primitèr dico, maj. eſſe veram de eo, quod claudit infinita in actu, non verò de eo, quod claudit infinita duntaxat in potentia. Deinde diſt. maj. quod claudit infinita non ſeſe communicantia, concedo, ſe communicantia, nego maj. & diſtinguo min. clauderent infinitas partes proportionales ſeſe communicantes, concedo, non ſe communicantes, nego min. & conſeq. Partes itaque proportionales cùm ſint ſeſe communicantes in aliquotis, nullamve habeant deſignationem, & determinationem, non habent reddere infinitas partes aliquotas in quibus clauduntur. Quamquam enim habeant eſſe in continuo deſignato, & determinato; habent tamen eſſe in illo, modo quodam indeſignato, ac indeterminato ratione mutuæ communicationis.

Dicuntur verò ſe communicantes, non quia ad invicem penetrentur, cùm de ratione quantitatis ſit extraneitas partium; ſed quia includuntur in aliquotis, & in iſtis confunduntur ratione exiguitatis.

Ad Conſ. (aliis omiſſis reſponſis, de quibus videri poteſt Maſtrius in Logica, ubi agendo de quantitate agit quoque de continuo) nego ſequelam. Non enim eodem modo eſſent infinitæ partes grani ſynapis, ac Empyrei. Cùm namque in continuo ſint infinitiès infinita, plurièſ modo innominabili replicantur infinitiès infinitæ partes in Empyreo, quam in grano ſynapis: plurièſ in toto, quàm in parte, & multò plurièſ in toto mundo, quàm in milii grano. Vidimus ſiquidem ſupra in tertii libri fine, quomodo unum infinitum quantitatis diſcretæ excedi ab alio queat. Quod profitetur etiam Saguens tom. 3. diſp. 20. art 3. licèt poſtea hic nobis obverſetur. Partes autem continui quamquam non faciant quantitatem diſcretam; tamen ſecundùm quòd ſunt diviſibiles in infinitum menſurantur ad modum quantitatis diſcretæ.

Contra inſtat Maſtrius ubi ſupra, cui hoc non arridet reſponſum. Quandoquidem ſi in continuo ſunt infinitiès infinita, jam granum ſynapis, aut granum milii habet infinitiès infinitas partes, ſicque erit æquale Cœlo Empyreo, quod ſanè nequit habere partes pluſquam infinitiès infinitas. Idem dicas de parte reſpectu totius, &c.

Reſp. dato aſſumpto, nego id, quod ſubinfertur; & ad prob annexam nego, quòd non habeat, niſi infinitiès infinitas partes. Siquidem unum continuum V. G. granum ſynapis habet partes infinitas, & infinitiès infinitas partes: Poſtea aliud corpus majus infinitiès in infinitiès ſupra infinities: & ſic de aliis majoribus de infinitiebus innominabilibus. Idcirco de cæteris progreſſivè ad alia corpora majora diſcurras modo innominabili.

Et feriò advertas iſtam innominabilitatem, propter quam non poſſumus exceſſum unius ſupra aliud nominare per illas infinitierum infinities.

Tandem Reſp. exceſſum totius ſupra partem, Empyrei ſupra ſynapis granum haberi in hoc, quod illa pars poſtquam ex ea in notabili copia eſſent partes extractæ, ſicut & ex grano ſynapis &c. deſtrueretur, eò quod perventum eſſet ad parvitatis terminum, de quo hic inferiùs quæſtiuncula 2. non ſic verò citò in toto, vel in Empyreo &c.

10. Poſſet aliud fieri argumentum, nimirum quòd Continui partes, ſi ſunt actu diſtinctæ, ſunt indiſtinguibiles, adeoque à fortiori indiviſibiles.

Verùm hoc eſt purus cavillus. Dicimus namque partes eſſe indiſtinguibiles, ſi ſumatur indiſtinguibilitas pro negatione potentiæ ad diſtinctionem, non verò ſi ſumatur pro repugnantia cum actu diſtinctionis: Eum ad modum, quo effectus productus dicitur impoſſibilis, non quia repugnet ipſi actus eſſendi; ſed quia cùm jam de facto ſit non eſt ampliùs in potentia ad eſſe.

11. Demum objici poſſet Authoritas Philoſophi, & D. Th. dicentium, partes eſſe in continuo duntaxat in potentia.

Verùm haud difficilè Reſp. eos loquide partibus ſecundùm propriam exiſtentiam, quæ poſſunt exiſtere ſi dividantur.

12. Ex his colligendum, partes continui ſemper eſſe divisibiles in infinitum, ita quòd non deveniatur ad ultimam, quæ ulteriùs diviſibilis non ſit. Si tamen quantitas ſumatur mathematicè, non verò phyſicè; quia hoc modo cùm ſemper alicui incubet ſubjectu, datur terminus aliquis, ultra quem conſervari nequit res, in qua ſubjectatur, niſi deſtruatur. Et tunc quòd non ſit ulteriùs diviſibile eſt per accidens ex defectu ſubjecti, quia tam modica in entitate nequit conſervari forma, ceu illa, quæ tam modica in materia ſuas nequit exercere operationes, juxta dicenda hic inferiùs quæſtiuncula 2. non verò per ſe, & ex defectu ipſius quantitatis; quia iſta quantum eſt de ſe eſt ſemper diviſibilis.

QUÆSTIUNCULA PRIMA.

De Modo Inceptionis, & Deſitionis eorum.

§. I.

1. PRænotandum, duo inſtantia communiter aſſignari à Philoſophis pro dignoſcendo modo incipiendi cujuslibet rei, nimirum *primum eſſe rei*, & *ultimum eſſe rei*. Primum eſſe rei vocitatur inſtans intrinſecum, & affirmativum. Ob idque, ea quæ incipiunt per primum ſui eſſe incipiunt intrinſecè, & in inſtanti. Sic quando res aliqua ita incipit eſſe, quod verum eſt dicere *modò eſt*, & *immediatè antea non erat* habet per primum ſui eſſe incipere. *Ultimum non eſſe rei* eſt inſtans extrinſecum, & negativum. Sic incipere dicitur res *per ultimum ſui non eſſe*, quando verum eſt dicere *nunc res non eſt*, & *immediatè poſt erit*. Quæ ſic oriuntur dicuntur incipere extrinſecè, & in tempore; quia revera tum iſta non ſunt, ſed in inſtanti ſequenti erunt. Et quia inter inſtans illud, in quo non erant, & aliud, in quo erunt, mediat alia temporis pars, idcirco dicuntur incipere in tempore.

Pariter pro rerum obitu duo aſſignantur inſtantia, nimirum *ultimum eſſe*, & *primum non eſſe*. Illud dicitur obire per ultimum eſſe, de quo verificatur *nunc eſt*, & *immediatè poſt non erit*. Et quæ ſic deſinunt dicuntur intrinſecè per inſtans intrinſecum & in inſtanti deſinere. Illud autem dicitur deſinere per primum ſui non eſſe, de quo verificatur *nunc non eſt*, & *immediatè antea erat*. Et quæ ſic deſinunt dicuntur deſinere extrinſecè, per inſtans extrinſecum, & in tempore.

§. II.

DICO PRIMO.

Entia ſuccedanea, nimirum Motus, & Tempus incipiunt extrinſecè per ultimum ſui non eſſe, & deſinunt extrinſecè per primum ſui non eſſe.

2. RAtio eſt, quia ſi entia ſucceſſiva inciperent intrinſecè per primum ſui eſſe, plures partes entis ſucceſſivi eſſent ſimul; ſed hoc eſt contra rationem entis ſucceſſivi, ut diximus lib. 4 agendo de tempore: ergo entia ſucceſſiva incipiunt, non intrinſecè per primum ſui eſſe, benè verò per ultimum ſui non eſſe. Maj. eſt plana, quia continuum eſt diviſibile in infinitum: ergo illud primum, per quod inciperet, eſſet diviſibile in alias partes, ſicque omnes iſtæ eſſent ſimul in inſtanti, cùm in indiviſibili inſtanti nequeat extare prius, & poſterius. Quo ex ratiocinio ſequitur, etiam deſinere extrinſecè per primum ſui non eſſe, quia ſecùs ſequeretur, plures partes ſimul deſinere; quod eſt inconveniens non minùs, ac plures ſimul incipere.

Idem dico de accidentibus, quæ fiunt per motum. Quandoquidem unaquæque res ſequitur conditionem modi faciendi ſnipſius.

Nec eſt verum, quòd accidentia ſecundùm aliquos gradus V. G. calor ut duo fiat intenſus ut quatuor, & ſimiliter quanti as palmaris fiat bipalmaris per mutata eſſe, & non per motum, ut poſt Arrù putat Cavinus, qui hac ratione defenſitant, accidentia facta per motum incipere ſicuti motum, ſecùs verò ſi ſumantur accidentia ſecundùm determinatos gradus. Non, inquam, quia vidimus lib. antegreſſo 5. quæſtiuncula 1. dico 1. & 2. augmentationem eſſe motum ſucceſſivum, terminatum ad majorem quantitatem; & alterationem eſſe motum terminatum ad intenſionem, vel remiſſionem qualitatis.

3. Objic. 1. Si Deus crearet lapidem in medio aeris, iſte eodem in inſtanti moveretur deorſum: ergo motus incipit quando primò eſt formaliter. Similiter dum mulier habens in utero fœtum deambulat, medio curſu fœtus moreretur, in eodem inſtanti, in quo adveniret nova forma, adveniret novus motus; ergo motus incipit in inſtanti per primum ſui eſſe.

Reſp. ad 1. quòd lapis moveretur deorſum, non in eodem inſtanti, ſed inſtanti ſubſequenti. In illo ſiquidem inſtanti eſſet incapax motus propter rationem adductam. Ad id verò, quod ſubditur de fœtu in Utero Matris deambulantis, dico, quòd exta et quies quædam negativa, ut lib. antegreſſu 5. quæſtiuncula 2. §. 2. dico 2. diximus de cane ex Turris pinnaculo dejecto ſi morere ur in medio deſcenſus.

4. Objic. 2. contra deſitionem motus. Motus incipit, & deſinit ſicut quies privativa; ſed quies deſinit per ultimum eſſe; ergo & motus. Maj eſt certa, quia eodem in inſtanti, in quo non eſt quies eſt motus. Min. prob. Quies deſinit in illo ultimo inſtanti in quo mobile eſt in termino *à quo*; ſed hoc inſtans eſt ultimum eſſe quietis; ergo &c. maj liquet. Si namque non eſſet tum in termino *à quo* jam eſſet in motu, & ſic jam antea quies privativa deſiiſſet.

Reſp. nego min. Ad prob (ultra reſponſum Cavini) diſt. maj in quo mobile eſt in termino *à quo* ut proximè capax motus, concedo, ſecùs, nego maj dataque min. nego conſeq. Tunc ſiquidem deſinit quies privativa, quando mobile eſt immediatè capax motus, ideſt incipit ejus motus. Et quia tum non ampliùs adeſt quies, idcirco quies deſinit per primum ſui non eſſe ſicuti motus.

§. III.

DICO SECUNDO.

Indiviſibilia entis ſuccedanei, nimirum Murata Eſſe *in motu, & inſtantia temporis incipiunt, & deſinunt intrinſecè.*

5. RAtio in promptu eſt, quia cùm habeant eſſe indiviſibile nequeunt incipere, & deſinere in tempore modo diviſibili: ergo in inſtanti intrinſecè, nimirum incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per ultimum ſui eſſe.

§. IV.

DICO TERTIO.

Subſtantiæ generabiles, & corruptibiles incipiunt, ac deſinunt intrinſecè in inſtanti, nimirum incipiunt per primum ſui eſſe, ac deſinunt per ultimum ſui eſſe.

6. RAtio ſuffragatur, quoniam generatio, & corruptio ſunt quædam mutationes ſubſtantiales inſtantaneæ quæ proinde in inſtanti, & non in tempore fiunt: ergo & ipſæ res generabiles, & corruptibiles incipiunt, ac deſinunt in inſtanti. Eò vel maximè quòd ſubſtantia eſt tota ſimul, nec ſuſcipit magis, & minus.

7. Objicies. Si formæ generabiles, & corruptibiles deſinerent, & inciperent in inſtanti intrinſecè ſequeretur, duas formas ſubſtantiales eſſe ſimul in eadem materia, vel materiam pro aliquo tempore eſſe ſine forma; ſed omnia hæc Thomiſtæ execrantur: ergo ſaltem formæ generabiles, & corruptibiles non ita deſinunt &c. Prob. ſequela. Verum eſſet dicere nunc forma eſt, & immediatè poſt non erit, & cùm etiam forma ſubſequens inciperet intrinſecè, & in inſtanti nequiret incipere in tempore intermedio inter illud inſtans, in quo prima forma deſinit, & aliud ſubſequens: ergo vel inciperet in eodem inſtanti, ſicque plures eſſent ſimul, vel in inſtanti ſubſequenti ſicque pro illo tempore intermedio materia remanebit expoliata omni forma. Et ſanè eadem eſt ratio de forma generabili, & corruptibili, ac de toto compoſito, quia nimirum ejus generatio, & corruptio eſt mutatio inſtantanea facta in inſtanti.

Ad hoc, quo inducitur Arrù, & Guerinois ad aſſeveran-

randum, formas corruptibiles deſinere extrinſecè, & in tempore per ultimum ſuiſſe, Reſp. nego ſequelam maj. Ad prob. dico, quòd forma ſubſequens incipit in eodem inſtanti intrinſeco, in quo deſinit forma corrumpenda. Ad id autem, quod infertur dico, duntaxat ſequi, duas formas eſſe in eadem materia, unam per modum receſſus, & aliam per modum acceſſus. Quod nullum eſt inconveniens: ad eum modum, quo lib. 1. diximus, poſſe in materia ſimul eſſe formam, & privationem ejus, nempe privationem per modum receſſus, & formam per modum acceſſus; quo pacto ſalvabamus, privationem eſſe entis naturalis principium.

Hinc ſit ſatis Patri Guerinois, dicenti, quòd inde ſequeretur, idem compoſitum eſſe ſimul Hominem, & Cadaver. Fit inquam ſatis. Eſſet namque Homo per modum receſſus, & Cadaver per modum acceſſus, ſicut de formis dictum eſt.

§. V.

DICO QUARTO, & ULTIMO.

Res, quæ ſiunt per creationem, ſive ſpirituales, ut Angeli, ſive materiales, ut Corpora Cœleſtia, ſint; incipiunt, & deſinunt in inſtanti intrinſecè.

8. RAtio ſuadet, quoniam creatio, per quam incipiunt, & annihilatio, per quam deſinunt, fit in inſtanti.

Num autem ſaltem ſupernaturaliter poſſint incipere; & deſinere extrinſecè, & in tempore.

Nonnulli affirmant de corporibus Cœleſtibus, & negant de Angelis. Alii dicunt, non poſſe incipere, benè verò poſſe deſinere in tempore.

Verùm conſultiùs videtur mihi problematicè ſentiendum. Et primò nec poſſe incipere, nec poſſe deſinere in tempore. Motivum ſumitur ex eo, quod creatio, & annihilatio ſunt actiones eſſentialiter indiviſibiles, quæ nec menſurantur, nec ſunt menſurabiles tempore.

Nec obeſt, quòd Cœleſtia Corpora ſint diviſibilia. Non, inquam, obeſt. Etenim quamquam ſint diviſibilia; actio tamen, per quam fiunt, & deſinunt, nimirum creatio, & annihilatio eſt omnino indiviſibilis.

Secundò de omnibus, poſſe deſinere, & incipere in tempore; quia ſufficit, tales actiones eſſe menſurabiles tempore ex parte termini producti, aut annihilati. De quo Deo dante nonnibil dicam meo in tract. de Incarnatione quæſt 4. art. 1. §. 3. ad 2. prob. 6. arg.

QUÆSTIUNCULA SECUNDA.

De terminis magnitudinis, & parvitatis, ſive De Maximo, & Minimo.

§. I.

1. VEſtigari hac in quæſtiuncula conſuevit quænam magnitudinis, & parvitatis confinia habeant. Et quidem ſermo eſt de quantitate phyſicè inſpecta; quia mathematicè inſpecta eſt in infinitum diviſibilis.

Adnotare autem eſt opus, quòd duplex diſtinguitur magnitudinis, & parvitatis terminus, intrinſecus unus, extrinſecus alter. Intrinſecus eſt magnitudo illa, ſub qua conſervari res poteſt, & ſub majori non valet. Extrinſecus eſt ille magnitudinis exceſſus, ſub quo conſervari res minimè poteſt. Prior magnitudo dicitur *maximum quod ſic*; poſterior verò dicitur *minimum, quod non*. Similiter terminus intrinſecus parvitatis eſt quantitas illa, ſub qua conſervari res aliqua poteſt, & ſub minori non poteſt, & dicitur *minimum quod ſic*. Extrinſecus eſt quantitas illa adhuc minor, ſub qua conſervari nequit, & dicitur *minimum quod non*.

§. II.

DICO PRIMO.

Viventia habent terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, & parvitatis.

2. SIc Philoſophus 4. de generatione animalium cap. 4. aſſeverans, quod *cujuſcanque animalis eſt magnitudo tum in majus, tum in minus*.

Motivum ſuppeditatur tum ex eo, quòd cùm vivens conſtet ex partibus organicis, earum naturalis diſpoſitio petit determinatam proportionem partium; ſed haberi iſta nequit, ni etiam habeatur determinata quantitas: ergo viventia habent determinatam quantitatem, adeoque habent intrinſecum terminum ſuæ magnitudinis, ac parvitatis, ſecùs non commodè valerent ſuas exercere operationes. Tum ex eo, quòd viventia habent determinatam formam; ſed ad determinatam formam determinata ſequuntur accidentia: ergo viventia habent determinatam quantitatem. Vid. lib 3 q 2. art. 1. § 2. ubi hoc ratiocinio probavimus, non poſſe dari infinitum ſecundùm magnitudinem.

3. Num autem via corruptionis viventia habeant ſuæ magnitudinis limites.

Dico, quòd via corruptionis viventia quamquam extendi poſſint ultra terminum illum, quem habent via corruptionis, cùm certum ſit, quod ſi corpus aliquod vivens ponatur in loco valdè humido tumeſit, ac creſcit. Adhuc tamen habent intrinſecum ſuæ magnitudinis terminum; quia poſtquam fuerit tumefactum ut octo corrumpitur, ac deſtruitur. Imò ſi illud conſervare Deus vellet poſtquam eſſet tumefactum ut octo, non ampliùs creſcere poſſet; quia cùm eſſet tumefactum in ſummo non eſſet ampliùs tumefactibile.

4. Objicies. Falſum eſt, quòd ad determinatam formam ſequantur determinata accidentia. Siquidem Angeli habent determinatam formam; & tamen non habent determinatam durationem, cùm durent ſine fine: ergo &c.

Reſp. quòd quando nos dicimus, ad determinatam formam ſequi determinata accidentia, loquimur de accidentibus dimanantibus per modum proprietatis, & ad quæ ſubjectum activè ſe habet, inter quæ ſupputatur etiam quantitas. Non verò loquimur de illis, quæ ab extrinſeco proveniunt. Duratio autem non dimanat à re durante; quia vel eſt idem cum re durante, ut non pauci profitentur; vel ſi non eſt idem cum re durante; eſt tamen in eodem inſtanti cum re durante ab eodem producta, à quo eſt productum ipſum eſſe; adeoque res quemadmodum eſſe, ita & durationem ab extrinſeco habet.

§. III.

DICO SECUNDO.

Non viventia, ſi attendatur præſens Univerſi ordo, habent limites intrinſecos ſuæ magnitudinis, abſolutè tamen loquendo hunc non habent.

5. SIc placet Joanni à S. Th. Lermæ, & noviſſimè Guerinnis, à quibus re vera non diſſentiunt Ortiz, & Cavinus. Oppoſitum tamen arridet Cajetano, Complut. & aliis.

Prima pars eſt certa. Omnia ſiquidem non viventia circumſcribuntur ab aliquo loco determinato, quem excedere nequeunt, V. G. terra in aqua, aer in igne, ignis in concavo lunæ: ergo hoc diſpoſitione ſtante habet determinatos ſuæ magnitudinis fines.

Secunda autem pars prob. Ignis eſt augmentabilis in infinitum ſyncategorematicè: ergo caret ſuæ magnitudinis termino. Prob. ant. Quandoquidem poſtquam ignis pervenit ad magnitudinem, quam Adverſarii vocitant *maximum quod ſic*, ſi apponatur aliquod combuſtibile V. G. ſtupa, illam conflagrabit, ſibique uniet in ſubſtantia; ergo adhuc erit augmentabilis, & ſic in infinitum.

Nec inde ſequitur, habere infinitam virtutem. Non, inquam. Dupliciter namque ſtat, aliquod poſſe producere infinitum ſyncategorematicè. Uno modo ita, quod valeat producere plura, & plura in infinitum in potentia, & etiam in actu quantùm eſt ex parte ſui, ſi illa omnia forent ſimul poſſibilia in acto. Et hoc pacto importat virtutem divinam,

ſicque eſt Deus. Alio modo ita, quòd poſſit quidem plura, & plura in infinitum producere, neutiquam tamen poſſet omnia ſimul producere, tametſi omnia in actu poſſibilia forent ex parte facti. Et hoc modo non arguit virtutis infinitudinem. Qua ratione ſupra lib. 2. quæſt. ultima dicebamus, quòd una numero cauſa intra ſui ſeriem valet producere effectus ſyncategorematicè infinitos.

Nec reſpondere cum nonnullis valet, quòd in caſu à nobis adducto ignis creſceret ad corruptionem, imò dum in una parte fieret major per combuſtionem illius ſtupæ, quicquam in alia parte deperderet. Non, inquam, quia dum ignis excreſcit per novæ materiæ uſtionem, conſtat ipſum vegetiorem fieri, cùm majorem acquirat virtutem: ergo creſcit, non ad corruptionem, nec quicquam deperdit.

Nec iterum dicere juvat, ignem fore unum per aggregationem. Non, inquam, quia ignis continuaretur cum nova illa portione; ſed continuum eſt unum ſimpliciter, & non per aggregationem: ergo &c. Maj. eſt manifeſta. Quemadmodum namque una pars aquæ ſi alteri uniatur ſtatim cum illa continuatur, ita à fortiori una pars ignis ſi &c.

§. I V.

DICO TERTIO, & ULTIMO.

Non viventia habent ſuæ parvitatis terminum.

6. RAtio ad id movet. Siquidem poſſibilis eſt tam modica materia, in qua nequeat forma ſuas exercere operationes; ſed forma nequit introduci in materiam in qua ſuas non valet exercere operationes: ergo non viventia habent ſuæ parvitatis intrinſecum terminum. Min. ex eo liquet, quia operari ſequitur ad eſſe. Maj. quoque & iterum min. ex eo pateſcit, quod experimentum exhibet. Etenim videt omnis non Cæcus, quòd ignis ſi introducatur in materiam aliquam valde exiguam, in qua urere non queat ſtatim extinguitur: ergo ſi materia illa foret minor, nec per inſtans poſſet in illam introduci. Idem dicas de modica aquæ gutta, quæ illico & immediatè conſumitur.

7 Objicies primò contra ſecundum aſſertum probando, non viventia non habere terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis. Etenim, uti nos diximus, ad determinatam formam ſequuntur determinata accidentia; ſed etiam non viventia habent determinatam formam: ergo etiam habent determinatam quantitatem, adeoque intrinſeca ſuæ magnitudinis confinia.

Reſp. ex dictis tum hic, tum lib. 3. quòd ad determinatam formam ſequuntur determinata accidentia ſi iſta proveniant ab intrinſecis formæ. Non viventia autem augentur per quantitatem ab extrinſeco advenientem, ut nos de igne ſupra dicebamus. Vid. lib. 3. q. 2. art. 1. ad 1. Ad differentiam viventium, quæ creſcunt per intùs ſumptionem.

8. Objic. 2. probando, viventia carere intrinſeco ſuæ parvitatis extremo, Tum quia continuum eſt diviſibile in infinitum. Tum quia ſi apponatur igni quantitas illa, quam nos vocaremus *minimam quod ſic*, eo caſu ignis priùs in partem proximiorem, quàm in aliam introduceret ſuam formam, cùm nihil agat in diſtans: ergo ignis poteſt in minori conſervari quantitate, adeoque &c.

Reſp. ad 1. ex dictis in fine articuli antegreſſi, continuum eſſe diviſibile in infinitum per ſe loquendo, quantùm eſt ex parte quantitatis, ſed ex defectu ſubjecti deſtrui. Vid. ibi

Ad 2. dico, quòd ignis introduceret ſuam formam in totam illam materiam ſimul, quia materia illa quamquam ſecundùm ſe haberet medietates diviſibiles; tamen modo indiviſibili reſpicitur ab igne, cum ſub ejus forma nequeat ampliùs dividi, niſi per ignis deſtructionem.

LIBER SEPTIMUS
PHYSICORUM
De Motu relatè ad Motorem.

EMicat ſanè hic, emicat perpulchra hactenus ſervata methodus. Hactenus namque comparavimus in 1. lib. motum ad principia ſui ſubjecti conſtitutiva, peragendo de intrinſecis principiis phyſicis entis naturalis, ſeu mobilis conſtitutivis. In ſecundo eum comparavimus ad ſui effectivum principium, ſive intrinſecum agendo de natura, ſive extrinſecum abſolutè agendo de cauſis. In tertio per ordinem ad ſubjectum mobile, agendo de ſubjecto actionis. In quarto per ordinem ad locum, & tempus. In quinto per ordinem ad ſuas ſpecies. In ſexto per ordinem ad ſui partes integrales. Modò in hoc 7. libro ſupereſt illum comparare ad ſuum principium, reduplicativè ut movens, ſeu ad motorem.

QUÆSTIO PRIMA.

De diſtinctione inter movens, & mobile.

UNica duntaxat dubitatio diſcutienda occurrit unicum per art. nimirum num movens debeat realiter diſtingui ab eo, quod movetur? ſeu an idem poſſit ſeipſum movere. Vel, ſub aliis terminis, utrum neceſsè ſit, quod omne, quod movetur ab alio moveatur.

ARTICULUS UNICUS.

Num omne, quod movetur neceſsè ſit, quod ab alio moveatur.

§. I.

1. PRo parte negante ſtat Scotus, & nonnulli Exteri recentiores, quos ſequi tenentur illi, qui profitentur, idem poſſe producere ſeipſum, ut Arriaga, & Franciſcus Bonæ ſpei Carmelita; quorum mentionem fecimus lib. 1. q. 4. art. 2. §. 3. poſt ſolutum totum primum arg.

Partem verò affirmantem tutantur univerſi Thomiſtæ, & cæteri Philoſophi, imò & Theologi, apud quos habetur uti principium infallibile, & non tantùm ut opinio,

§. I I.

CONCLUSIO ANNUENS.

2. QUam ſtatuit Philoſophus tum in hoc lib. 7. cap. 1. tum infra lib. 8. tex. 27. ubi ex eo probat neceſſitudinem deveniendi ad aliquod primum movens omnino immobile, cùm dabilis non ſit proceſſus in infinitum in moventibus. Item S. Th. p. p. q. 2. art. 3. Ex quo poſtea principio demonſtratur exiſtentia Dei, qui eſt primum principium omnium, movens omnia omnino immobile.

3. Probatur ratiocinio hauſto ex eodem Philoſopho, &

D. Th.

D. Th. Impoſſibile eſt, idem ſecundùm eandem formam reſpectu ejuſdem eſſe in actu, & in potentia; ſed ſi idem moveret ſeipſum eſſet in actu ſimul, & in potentia ſecundùm eandem formam, & reſpectu ejuſdem: ergo repugnat, idem movere ſeipſum, adeoque neceſſe eſt, quòd quicquid movetur, ab alio moveatur. Maj. eniteſcit. Quandoquidem eſſe in actu importat habere formam, & eſſe in potentia dicit, illam non habere; pugnant autem ad invicem hæc duo, nimirum habere formam, & non habere formam. Min. prob. 1. quò ad p. p. Unumquodque agit effectivè inquantum eſt in actu, qua ratione Ignis eatenus movet alia ad calorem, quatenus ipſe eſt in actu calidus; ſeu in actu formæ caloris, ad quam movet; ergo ſi eſſet movens deberet eſſe in actu. Prob quò ad a. p. Tum quia motus eſt actus entis in potentia. Tum quia repugnat, quidquam moveri ad acquirendam formam, quam actu poſſidet.

Reſpondebis, quòd eſſet in potentia formaliter, & in actu virtualiter. Quod nullum eſt inconveniens. Intellectus etenim per aſſenſum præmiſſarum eſt virtualiter in actu aſſenſus concluſionis, & eſt in potentia formali ad illum. Sed

Contra. Eſſe in actu virtuali alicujus formæ eſt habere virtutem producendi talem formam; ſed mobile ad formam nequit habere virtutem producendi illam: ergo non eſt in actu virtuali. Prob. min. Quod habet virtutem producendi aliquam formam, vel habet formaliter talem formam, ſi eſt agens univocum, ut palam eſt de igne producente calorem; vel illam eminenter, ſi eſt agens æquivocum, ut perſpicuum eſt de Sole producente pariter calorem; ejuſque ratio eſt, quia virtus ſequitur ad formam, & unumquodque operatur inquantùm eſt in actu; ſed quod movetur ad aliquam formam, nec formaliter, nec eminenter habet illam: ergo non habet virtutem producendi illam. Prob. min. Non habet formaliter, quia eſt in potentia formaliter ad illam. Nec habet eminenter, Tum quia continentia eminentialis non modicam dicit perfectionem, ut palam eſt inductivè in Sole, & aliis, quamque perfectionem excludit id, quod motui ſubeſt, cùm motus ſit actus eſſentialiter imperfectus, ut vidimus lib. 3. explanando motus definitionem. Tum quia quod habet eminenter formam aliquam non eſt in potentia ad habendam illam formaliter: ſicut Sol, qui continet eminenter calorem non eſt in potentia ad eſſe formaliter calidum. Et ratio eſt, quia habere eminenter eſt habere perfectiori modo, quàm habere formaliter tantum.

Ea ex re Reſp. ad id, quod intellectu objiciebatur, diſcrimen eſſe Tum, quia intellectus ſub aſſenſu præmiſſarum non eſt in ſtatu imperfecto, uti eſt mobile ſub motu. Tum quia (& potiùs) intellectus non eſt in potentia ad aſſenſum concluſionis componendum ſimul cum præmiſſarum aſſenſu, ſed adveniente concluſionis aſſenſu ceſſat ſaltem formaliter præmiſſarum aſſenſus. Cæterùm mobile ſi quidpiam haberet, per quod ſe moveret ad formam, illud retineret unà cum iſta, quia haberet eſſe firmum, ac ſtabile in illo ut virtus ejus: dimanaret enim ab illius intrinſecis, non verò ab extrinſeco proveniret, ſecùs diceretur moveri ab illo extrinſeco, à quo proveniret. Impoſſibile autem eſt, quod quidquam recipiat formaliter id, quod formaliter, aut eminenter habet. Ubi præmiſſarum aſſenſus cùm ſit operatio quædam habet eſſe fluidum, proinde aliquo in inſtanti *à quò*, & naturæ adveniente concluſionis aſſenſu ceſſat.

Hinc nos in poſterioriſticis Logicæ exquirendo num præmiſſæ concurrant effectivè &c. dicebamus in *reſp.* ad 1. inſt. factam contra reſponſum datum ad 1. arg aſſenſum præmiſſarum, & aſſenſum concluſionis eſſe ſimul ſimultate temporis, non verò ſimul ſimultate naturæ.

Verum eſt tamen, quòd in ſententia probabili aſſenſus præmiſſarum (inſpiciendo præmiſſas, ut ſunt ratio formalis inferendi concluſionem) non diſtinguitur à concluſionis aſſenſu. At in hac ſententia nihil urget argumentum, quia prout ſic intellectus cum præmiſſarum aſſenſu non erit in potentia ad concluſionis aſſenſum.

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumenta.

4. ARg. 1. Gravia, & levia ſe movent ad ſua loca: ergo falſum eſt, idem non poſſe movere ſeipſum, &c. Idem dicas de aqua calida, quæ ad primigeniam movet frigiditatem. Prob. ant. Si non moverent ſeipſa, utique quia, uti communiter dicitur, moventur à generante; ſed hoc falſitatis convincetur: ergo &c. Prob. min. Plerumque gravia, & levia moventur ad propria loca, nec non aqua ad priſtinam frigiditatem, quando non ampliùs exiſtit generans: ergo &c.

Reſp. nego Ad prob. data maj. nego min. Ad prob. diſt. ant. quando ampliùs generans non exiſtit formaliter, concedo, virtualiter, nego ant. & conſequentiam. Quæcunque namque debentur alicui ex vi generationis tribuuntur gignenti, Tum quia qui dat formam, dat conſequentia ad formam. Tum quia natura quemadmodum in ſuperfluis non abundat, ſic in neceſſariis non deficit. Sicut autem eſſe propriis in locis convenit gravibus, & levibus ex vi ſuæ naturæ, & generantis, non ſecùs ac frigiditas aquæ per modum proprietatis, ita moveri ad illa, quando ipſis privantur, eſt debitum ex vi generationis: Idcircò motus gravium, & levium ad propria loca per ſe adſcribitur generanti, & per accidens removenti prohibens. Pariformiter regreſſus aquæ primigenium ad algorem gignenti adſcribitur.

Verum eſt tamen, quòd non infrequenter generans non adeſt cùm occurrunt hujuſcemodi motus; nihilominùs perſeverat virtualiter per virtutem quandam à ſe relictam, qua res ipſas conſervat: dicitur namque conſervatio continuata productio. Pro quo

Adnoto, quòd illud dicitur debitum ex vi geneſis, quod exigitur, ut genitum ſit in recta diſpoſitione naturali. Sic degere propriis in locis eſt exigitum à gravibus, & levibus. Ob idque ſublato impedimento ſtatim ad illa contendunt. E contra verò calefactio in igne, ideſt actio calefactiva, ſeu actus calefaciendi alia, licèt ſit illius naturalis perfectio; tamen non exigitur ab illo, ut ſit in recta diſpoſitione naturali. Cujus ſignum eſt, quod utique ignis, ſi res calefactibilis applicetur eam calefacit; ſi tamen nihil ei approximetur non tendit, nec movetur ad res calefactibiles calefaciendas etiam quovis impedimento ſublato. Idcircò talis actio calefactiva non dicitur eſſe à generante.

Contra 1. Virtus illa à generante relicta nequit movere; ſed ſi à generante moverentur, agerentur ſanè per virtutem illam à generante relictam: ergo non aguntur à generante. Prob. maj. Virtus illa, vel maneret immota, vel mota ab alio; ſed neutrum dicere licet: ergo &c. Prob min. Nequit movere immota, ſecùs eſſet primum movens; nec ut mota ab alio, quia non eſt excogitabile à quo ageretur. Non enim moveretur à generante formaliter, cum formaliter iſtud non adſit; nec virtualiter, ſecùs deberet moveri per aliam, & ſic in infinitum.

Secundò. Motus gravium, & levium ad propria loca, & frigiditas aquæ non debetur ipſi ex vi generationis: ergo non habetur à Generante. Prob. ant. Motus gravium, & levium ad propria loca ſicut & frigiditas aquæ non eſt proprietas eorum: ergo &c. Prob ant. Proprietas non eſt naturaliter ſeparabilis V. G. nequit ſeparari riſibilitas ab homine; ſed motus ad propria loca ſeparatur à gravibus, & levibus, ſicut & frigiditas ab aqua: ergo &c.

Reſponden ad 1. nego maj.. Ad prob. nego min. quò ad a. p. & ad ejus prob. primitùs dico, quòd virtus illa relicta à generante moveretur à Deo ut proviſore univerſali. Et adhuc motus ille gravium, & levium generanti adſcriberetur, Tum quia fieret per virtutem ab illo relictam, licèt à Deo actam. Tum quia Deus movendo virtutem illam suppleret Generantis vices.

Deinde dico, quòd moveretur à generante virtualiter, non per aliam virtutem; quia moveretur, non ut *quod*, ſed ut *quo*, quatenus eſt id, quo hujuſcemodi mobilia moverentur. Unum autem *quo* non indiget alio *quo*: quemadmodum lux, quæ eſt id, quo cætera videntur, non indiget alia luce, qua videatur.

Ad 2. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. ad cujus prob. diſt. maj. proprietas non eſt naturaliter ſeparabilis quantùm ad actum primum, concedo, quantùm ad actum ſecundum, & ſui exercitium, nego maj. & data min. nego conſeq. Quemadmodum etenim in homine poteſt impediri

actualis riſus, qui eſt riſibilitatis exercitium, ita poteſt impediri actualis motûs gravium, & levium ad propria loca, licèt impediri nequeat mobilitas. Similiter in aqua licèt nequeat impediri frigiditas in actu primo; benè tamen in actu ſecundo, & per modum exercitii, nimirum actuale frigus.

Contra primum reſponſum. Ex dato reſponſo ad ſummum ſequitur, generans eſſe principium *quod* radicale: ergo ſaltem proximè ut *quod* gravia movebunt ſeipſa. Prob. ant. Virtus illa, ceu accidens nequit eſſe principium *quod*, ſed ad ſummum eſſe poteſt principium *quo* motus: ergo principium *quod* erit generans, ſed iſtud cùm agat media virtute illa nequit eſſe principium proximum, & immediatum: ergo ad ſummum erit principium radicale.

Contra ſecundum reſponſum. Generans debet tribuere etiam per modum exercitii omnia, quæ ſunt Genito debita ex vi generationis: ergo ſi motus gravium, & levium, & frigiditas in aqua poteſt impediri quo ad exercitium, jam hoc modo, nimirum per modum exercitii, non ſunt debita ex vi generationis, nec habentur à Generante.

Conſ. Licèt poſſit impediri exercitium proprietatis, tamen, naturaliter ſaltem loquendo, nequit poni actus contrarius; ſed grave V. G. poteſt moveri motu contrario, nimirum ſurſum; & in aqua poteſt recipi calor: ergo nec motus deorſum erit proprietas gravis, nec frigiditas erit aquæ proprietas. Prob min. Nam quia proprietas ignis eſt calor in ſummo, nequit ignis fieri frigidus: ergo &c.

Reſp. ad 1. nego ant. Ad prob. diſt. ant. nequit eſſe principium *quod* formaliter, concedo, virtualiter, nego ant. & conſeq. Virtus namque illa quamquam nequeat eſſe formaliter principium *quod*; tamen virtualiter poteſt eſſe principium *quod*, quatenus eſt virtus generantis, quod eſſet principium *quod*. Ob idque non tantùm radicaliter, verùm etiam proximè refunditur in ipſum generans; quia generantis virtus non ponit in numero cum generante in cauſando, ſed eſt virtualiter, licèt non formaliter idem.

Ad 2. diſt. ant. per ſe, concedo, per accidens, nego ant. & conſeq. Equidem per ſe loquendo Generans dat etiam per modum actualis exercitii ea, quæ ex vi generationis debentur; nonnunquam tamen per accidens, & ob extraneum impedimentum prohibetur proprietates omnes per modum exercitii complere, & perficere.

Ad Conſ. primodùm nego ant. Quandoquidem in Homine nedum poteſt deficere riſus, verùm etiam poteſt poni fletus. Deinde diſt. ant. nequit poni ab intrinſeco, tranſeat, ab extrinſeco, nego, ant. & conſeq. Quemadmodum namque accidenti V. G. cui convenit inhærere poteſt ab extrinſeco communicari eſſe per ſe, ut diximus in Logica. Ita ſaltem ab extrinſeco poteſt gravibus communicari motus ſurſum. Verum eſt tamen, quòd accidentibus ſupernaturaliter duntaxat poteſt communicari eſſe per ſe; quia inhærere non eſt ad aliquod extrinſecum, cum habeant accidentia intrinſecè inhærere ſubjecto, illudque intrinſecè actuare, imò ab eo ſuſtentari; ubi locus, ſumptus ſaltem pro illa univerſi parte ſurſum, aut deorſum, non eſt gravibus, & levibus intrinſeca, nec è contra. Ad prob. ant. diſtinguo ant. præcisè quia calor eſt proprietas ignis, nego, quia calor eſt ſuperans in activitate frigus, concedo ant. & nego conſeq. Ratio itaque cur ignis nequeat fieri frigidus non eſt, quia calor in ſummo ſit proprietas ignis, ſed eſt quia calor ignis eſt maximæ activitatis, nec vinci à frigore poteſt.

Dices. Aqua extinguit ignem: ergo calor in ſummo non eſt majoris activitatis, quàm frigus.

Reſp. cum M. Cavino diſt. aqua extinguit ignem medio frigore, nego, mediante humiditate, concedo ant. & nego conſeq. Aqua namque igni extinctionem affert, non medio frigore, ſed media humiditate, ut dicemus lib. 2. de Gener. & corrup. q. 5. in præambulo §. dica 2. in fine illius aſſerti.

Dices. Quemadmodum aqua eſt humida in ſummo, ita ignis eſt ſiccus in ſummo; ergo quemadmodum quia eſt calidus in ſummo nequit vinci à frigore, ita neque ab humido vinci poterit, vel è contra.

Reſp. ultra ejuſdem reſponſam ex dicendis ibidem tum loco citato, tum lib. 5. q. 7. art. 2. §. 3. ſub num. 4. ad inſt. factam contra reſponſum datum ad 2. arg. nego conſeq. Diſparitas eſt, quia ſiccitas eſt minimè reſiſtitiva reſiſtentia formali & paſſiva, licèt maximè reſiſtitiva reſiſtentia materiali, & activa. Vid. ibi

Si petas, an dum in hyeme calor ſit vegetior intra ventriculum, & dum æſtivo tempore aqua ſit frigidior in puteis, ſe moveant ad intenſiorem calorem, & algorem.

Reſp. negativè ex dicendis lib. 1. de Gener. & Corrup. q. 7. in quæſito ponendo poſt art. primum. Nam hyemali tempeſtate calor in ventriculo ſit intenſior per accidens, nimirum per antiperiſteſim, quatenus frigore circumſtante prohibetur ſe diffundere, magiſque in ventriculo unitur. Similiter aqua puteorum frigidior evenit, quia propter circumſtantem calorem prohibetur frigus, ne ſe extendat, ſitque magis in terræ viſceribus unitum.

5. Arg. a Viventia in hoc diſtinguuntur à non viventibus, quòd illa movent ſeipſa, ſecùs verò iſta: ergo ſaltem in viventibus idem poteſt ſeipſum movere.

Reſp. diſt. ant. viventia movent ſeipſa ſecundùm idem nego, ſecundùm diverſa, concedo ant. & nego conſeq. Viventia itaque cùm ad differentiam non viventium conſtent partibus heterogeneis, id eſt diverſæ rationis, ita ſe habent, quod una pars aliam movet, non verò totum movet ſeipſum. Ob idque nuſquam ſequitur, quod idem moveat ſeipſum.

Contra. Prima pars movens alias, ut eſt cor nequit ab alio moveri: ergo movet ſeipſum. Prob ant. Motus cordis eſt motus vitalis, non tantùm per modum principii (ut nonnulli ſe tuentur) verùm etiam per modum actualis exercitii; ſed ſi eſſet ab extrinſeco non eſſet vitalis, cùm de ratione vitalis ſit eſſe ab intrinſeco: ergo cor nequit ab alio moveri. Min. ſupponitur, præſertim Thomiſtea in via. Maj. manifeſtatur, Tum quia cor per illum motum in actu ſecundo, ſeu in exercitio vivit. Tum quia implicat aliquid eſſe cauſam, & principium alicujus, niſi habeat in ſe vel formaliter, vel eminenter in acto exercito, & per modum exercitii id, quod alteri tribuit, qua ratione probavimus §. præcedenti 2. quòd mobile debeat eſſe in actu illius formæ, ad quam movet: ergo motus cordis ſi eſt principium vitæ aliis partibus, qua ratione dicunt, eſſe vitalem per modum principii, jam debet eſſe vitalis in actu ſecundo per modum exercitii.

Reſpondent nonnulli, motum cordis eſſe vitalem, non quia ad illum cor ſe moveat, ſed quia per illum movetur.

Verùm reſponſum hoc videtur deficiens, Tum quia de ratione actus vitalis eſt eſſe ab intrinſecis, imò præcipuè motus vitalis cordis, qui eſt vitalis, non imperfectè duntaxat (ut quidam dixere, eo quod ſit primus) ſed perfectè, cùm ſit totius vitæ principium; at non foret ab intrinſecis cordis, niſi cor ad illum ſe moveret: ergo debet ſe ad illum movere. Tum quia etiam calefactio eſt quodammodo ab intrinſecis ignis, & per talem calefactionem ignis movetur, imò juxta probabilem opinionem, quòd actio ſubjectetur in agente (quam tamen lib. 3. refutavi) talis calefactio recipitur in ipſo igne; & tamen quia ad talem calefactionem ignis non ſe movet, talis actio non eſt actus vitalis.

Nec dicere ſufficit, diſcrimen eſſe, Tum quia motus cordis eſt à principio vitali, nimirum ab anima, ſecùs verò calefactio. Tum quia ignis per calefactionem non movet ad alios motus vitales, benè verò vivens per motum cordis.

Minimè, inquam, primum, aut ſecundum reſponſum ſufficit. Non primum, quoniam actus vitalis non tantùm habet eſſe à diverſo principio, verùm etiam diverſum habet modum eſſendi à ſuo principio, ac actus non vitalis: ergo dicere non ſufficit, quòd motus cordis eſt à principio movente, verùm etiam aſſignari debet modus, quo eſt ab illo, qui modus ſanè eſſe alius nequit, niſi quia vivens ad illum ſe movet. Nec etiam ſecundum, quia ad hoc ut movear ad alios motus vitales debet præſupponi habere vitam in ſe: ergo non debet dici vitalis præcisè per hoc, quòd vivens per illum ad alios actus vitales ſe movet. Aliter itaque

Reſp. diſt. ant. nequit ab alio moveri elicitivè, concedo applicativè, nego ant. & conſeq. Motus itaque cordis nec eſt purè proprietas, ut eſt motus gravium, & levium; nec ſimpliciter excludit omnem rationem proprietatis, cùm ſit ex vi generationis. Ob idque habet aliquid de proprietate, & hac ratione eſt applicativè à generante. Quia tamen abſolutè habet rationem actus vitalis, idcirco elicitivè eſt ab ipſo corde. Quemadmodum etiam primus actus intellectus, & voluntatis dicitur eſſe applicativè ab Authore naturæ, & elicitivè ab intellectu, & voluntate.

Contra Godoy, cui prædictum non placet reſponſum inſtat primò ex D. Th. qui opuſc. 35. docet, motum cordis eſſe ab eo, qui dat formam, & luculentius quæſt. unica de Anima art. 9. ad 6. *Sic ergo*, inquit, *prima pars, in qua*

talis

talis motus invenitur, nempe cor non eſt movens ſeipſum, ſed movetur naturaliter, ſicut ignis. Item p. 2. q 17. art. 9. ad 2. comparat mutum cordis cum motu gravium, & levium, ſed ignis nec elicitivè movet ſeipſum, ſicut nec gravia, & levia, ſecùs eſſent viventia: ergo &c.

Secundò inſtat idem Godoy objectione, quam fusè perſequitur. Quandoquidem cor non habet partes diverſæ rationis, ergo nec elicitivè ſeipſum movet. Prob. conſeq. Siquidem Ariſt. infra lib. 8. à tex. 27. uſque ad tex. 33. ex eo quod in inanimatis non extent partes diverſæ rationis infert, non moveri à ſeipſis, benè verò à generante; ſed negat non modò applicativè, verùm etiam elicitivè, inanimata moveri à ſeipſis: ergo ſi in corde non dantur partes diverſæ rationis, &c.

Reſp. ad 1. authoritatem in 1. inſt. D. Th. velle, quòd motus cordis ſit à dante formam, ſivè à generante applicativè, non verò elicitivè.

Ad alias autem authoritates ibidem adductas dico, quòd neque Godoy poteſt prætendere, quòd faciat Angelicus paritatem quò ad omnia, ſecùs motus cordis neque per modum principii, & proprietatis (ut Godoy profitetur) foret vitalis; quia motus ignis, ſicut etiam gravium, & levium nec per modum principii, & proprietatis eſt vitalis. Dicamus igitur, D. Th. facere paritatem, non quò ad omnia, ſed duntaxat quò ad hoc, quod quemadmodum motus ignis (idem dic de motu gravium, & levium) ſe habet ad ignem per modum proprietatis, ita quoque motus cordis induit quandam rationem proprietatis. Cum hac tamen differentia, quod motus cordis habet rationem actus vitalis. Ob idque quatenus induit rationem proprietatis eſt applicativè à Generante (in quo nonnihil aſſimilatur motui gravium, & levium, ac motui ignis) quia verò eſt vitalis eſt elicitivè. In quo diſtinguitur à motu cæterorum.

Ad 2. inſt. nego conſeq. Ad prob diſt. min. ex vi illius rationis, nego; ſecùs, concedo min & nego conſeq. Negat ergo Philoſophus inanimata moveri à ſeipſis tum applicativè tum elicitivè. Tamen ex vi illius rationis, nimirum quòd non habent partes diverſæ rationis tantummodo negare poteſt, quòd ſe moveant applicativè.

Ex quo autem capite debeat negari, quòd ſe moveant elicitivè: Hoc ex eo eſt, quòd res inanimes non informantur forma vitali.

Et certè quòd Philoſophus velit, cor movere ſeipſum conſtat ex eo, quod libro de motu animalium cap. 8. & lib. 3. de partibus animalium cap. 4. docet, cor eſſe quaſi quoddam animal ſeparatum.

Dices. Cor ſi ſeipſum elicitivè moveret, eſſet in actu ſimul, & in potentia elicitivè; ſed hoc eſt impoſſibile juxta dicta § antegreſſo 2. ergo &c. Prob. maj. Eſſet in actu quatenus moveret, & eſſet in potentia quatenus moveretur elicitivè: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eſſet &c. ſecundùm idem, nego, ſecundùm diverſa, concedo maj & diſtincta min. nego conſeq. Eſt enim in actu Cor, quatenus ſtat ſub illa applicatione, ſubqua ſe movet elicitivè; & eſt in potentia ſecundùm ſe: ad eum modum, quo mox dicemus de intellectu; & voluntate. Nullum autem inconveniens eſt, eſſe in actu ſimul, & in potentia ſecundùm diverſa. Et licèt Cor ſecundùm ſe non diſtinguatur realiter excluſivè à ſeipſo ut ſtat ſub illa applicatione, diſtinguitur tamen realiter incluſivè, ut mox dicetur ad 3. arg.

Dices. Elicitivè non moveretur ab alio: ergo elicitivè eſſet movens immotum.

Reſp. diſt. ant. elicitivè non movetur ab alio, ideſt ejus motus non eſt elicitivè ab alio, concedo, ideſt non movetur ab alio ad talem motum elicitivum, nego ant. & conſeq. Quamquam itaque non moveatur elicitivè ab alio, ad hunc ſenſum, quod ejus motus non eſt elicitivè ab alio extrinſeco, ſecùs non eſſet vitalis; moveretur tamen ab alio ad talem motum elicitivum, ideſt per illum motum applicativum generantis, ſeu per illam applicationem movetur ad hoc, ut ſe moveat elicitivè.

6. Arg. 3. In eſſe intentionali poteſt idem ſecundùm eandem rationem movere ſeipſum: ergo etiam in eſſe phyſico. Conſequentia ſequitur, quia non minùs in eſſe intentionali, quàm in eſſe phyſico repugnat, idem eſſe in actu, ſimul & in potentia, quicquid nonnulli dicant in oppoſitum. Ant. prob. 1. Intellectus ſecundùm unam, eandemque rationem intelligendo movet ſeipſum: ergo &c. Ant. eſt planum. Idem namque intellectus ſine reali diſtinctione intelligendo efficit, & recipit intellectionem; ſed efficere eſt movere, & recipere eſt moveri: ergo &c. Secundò prob. idem Ant. Voluntas ſecundùm idem movet ſe efficiendo, & movetur recipiendo in ſe actum volitionis: ergo &c.

Reſp. quòd intellectus, & voluntas in primo actu ſe movent duntaxat elicitivè, applicativè verò aguntur ab Authore naturæ. Qua ratione dicunt Noſtrates cum D. Th. Angelum non potuiſſe in primo ſuæ creationis inſtanti peccare. Poſtquam autem habuerunt primum actum, per iſtum ſe movent ad alium, & per iſtum ad alium, & ſic ſucceſſivè.

Nec ſequitur, idem ſecundùm idem movere ſeipſum elicitivè. Non, inquam, ſed duntaxat ſecundùm diverſa. Dicuntur etenim ſe movere ut ſtant ſub illa applicatione; dicuntur verò moveri, ac eſſe in potentia ſecundùm ſe. Imò Intellectus ſe movet ut ſtat ſub ſpecie intelligibili; dicitur poſtea moveri, & recipere intellectionem ſecundùm ſui entitatem.

Dices. Intellectus, & voluntas ſecundùm ſe non diſtinguuntur realiter à ſeipſis ut ſunt applicati, ſeu ut ſtant ſub tali applicatione, ſive ſub ſpecie: ergo non ſufficit, ut dicantur ſe movere. Siquidem inter id, quod movet, & id, quod movetur, requiritur diſtinctio realis per nos in concluſione iſta.

Reſp. diſt. ant. non diſtinguuntur realiter penes excluſum, concedo, penes incluſum, nego ant. & conſeq. Intellectus itaque & voluntas licèt non diſtinguantur realiter à ſeipſis ſecundùm ſe ſumptis, & ut ſtant ſub applicatione, & ſpecie diſtinctione excludentis, & excluſi; diſtinguuntur tamen diſtinctione includentis, & incluſi; quia intellectus, & voluntas ut ſtant ſub illa applicatione important ſeipſos, & aliquid aliud, nimirum illam applicationem: Ad eum modum, quo 1. Phyſ. dicebamus totum diſtingui realiter (non quidem à partibus collectivè) ſed à qualibet ex partibus ſeorſim inſpectis diſtinctione includentis, & incluſi, quia videlicet importat illam partem, & aliquid aliud, nimirum aliam partem.

Hoc verò admonitum te velim, quòd intellectus, & voluntas ut ſtant ſub illa applicatione dicuntur ſe movere, non applicativè (quia hoc modo moventur ab alio) ſed purè elicitivè. Similiter dicuntur moveri ſecundùm ſe purè elicitivè, quatenus illud purè elicitivè eſt ab alio, non elicitivè, ſed applicativè. Certum namque eſt, etiam moveri ut ſtant ſub illa applicatione, tamen purè applicativè; elicitivè verò dicuntur duntaxat ſe movere, quatenus ſtant ſub illa applicatione. Undè quia ſecundùm ſe non ſunt in actu elicitivè nequeunt ſecundùm ſeſe movere elicitivè, ſed tantummodo ut reducti ad actum elicientiæ per applicationem illam.

Inſt. ex Godoy, cui non placet præfatum reſponſum. Tum quia intentum Ariſtotelis eſt, inter motum, & movens dari diſtinctionem realem excludentis, & excluſi. Tum quia dicere quis poſſet gravia, & levia moveri applicativè à generante, & quatenus ſtant ſub illa applicatione, vel ſua ſub gravitate, & levitate movere ſe elicitivè, moveri verò ſecundùm ſe.

Reſp. verum eſſe, quòd de Ariſtotelis mente inter movens, & mobile verſatur realis diſtinctio excludentis, & excluſi, quando eſt movens tum applicativè, tum elicitivè, ſecùs ſi ſit movens purè applicativè. Ad aliam autem dico, quòd ſi nihil aliud obſtaret, quantùm eſt ex hoc capite nulla extat repugnantia, & talis diſtinctio foret ſufficiens. Repugnat autem ex alio capite, quia nimirum forma gravium, & levium non eſt forma viva, eo quod, ut dicemus in lib. de Anima, eſt immerſa in qualitatibus elementaribus.

APPENDIX.

Nam projecta moveantur per impulſum, & virtutem ſibi intrinſecè ſuperadditam.

1. RESP. affirmativè. Ratio eſt, quia, ut mox dicemus, nullum agens poteſt agere in diſtans; ſed lapis V. G dum eſt projectus diſtat à projiciente: ergo cùm aliàs ſupponamus, moveri effectivè à projiciente, dicendum eſt, moveri per virtutem impulſivam ſibi à projiciente communicatam.

Requiritur tamen etiam virtus communicata aeri, quia celeriùs projecta moventur in medio, quàm in principio.

Quod

Quod ex eo provenit, quia una pars aeris concitat aliam, & ſic propellit ipſum lapidem, quòd non æquè benè poteſt fieri in principio, quando minor eſt aeris concitatio. Virtus tamen communicata aeri non ſufficit, quia cùm projecta ſint illa, quæ moventur, debent in ſe recipere virtutem aliquam. Eò vel maximè quòd actus projicientis per ſe primò terminatur ad projectum, & non ad aerem.

2. Dices. Si motus projectorum fieret per virtutem aliquam intrinſecè receptam, talis motus non foret ampliùs violentus; ſed hoc ſaltem interdum eſt falſum: ergo &c. Maj. eſt plana. Siquidem tum talis motus eſſet juxta illius virtutis inclinationem.

Reſp. maj. fore veram, ſi virtus illa eſſet connaturalis ipſi rei projectæ, dimanans ab illius intrinſecis, & in illa reciperetur per modum permanentis. Non ſic autem, ſed modo duntaxat quaſi obedientiali, & per modum tranſeuntis habet eſſe.

Virtutem primo acceptam modo dicendum eſt, quòd negat S. Th. communicari rei projectæ, ſi alicubi invenitur inficias ire, ut in 3. de Cœlo lect. 7.

3. Num autem in vacuo poſſit naturaliter dari motu projectorum.

Reſp. negativè, quoniam uti oſtenſum eſt, ad talem motum, ultra virtutem projectis communicatam, concurrit aeris concitatio. In vacuo autem non adeſt aer, ſecùs vacuum non eſſet.

4. Si autem quæras à quonam cauſetur motus reflexionis.

Reſp. per ſe cauſari à projiciente, per accidens verò à corpore reſiſtente.

Perſpicuum id fit dum Pila V. G. reſilit. Quandoquidem talis motus reflexionis nequit cauſari à terra obſiſtente, quia virtutem nullam motivam obtinet terra: ergo per ſe cauſatur à projiciente. Nihilominùs per accidens habetur à corpore reſiſtente, quia niſi adeſſet corpus reſiſtens, & interrumpens motum non fieret reflexionis motus. Cujus ſignum eſt, quòd ſi corpus projectum vincat omnino reſiſtentiam corporis obviam poſiti non reſilit, ut ferrum, & ſimilia. Similiter ſi projectum nullam vim faciat corpori reſiſtenti, ſed omnino cedat illius reſiſtentiæ, non reſilit, ut palea.

Ea ex re deprehendes, quare ex projectis quædam magis, & celerius, quædam minùs, ac tardius moveantur. Si namque corpus tantæ ſit gravitatis, ut notabilem faciat projicienti obſiſtentiam, parum movebitur. Vel è contra tantæ ſit levitatis, ut projicientis virtus propter projecti debilitatem nequeat ſuam in eum ſuam exercere vim, parùm quoque movebitur.

QUÆSTIUNCULA.

Num agens poſſit connaturaliter agere in diſtans.

1. VEſtigatur in titulo num agens poſſit agere in extremo, quin priùs agat in medio. Pro quo

Scito, quòd biformiter ſtat, quidpiam eſſe alteri approximatum. Primò approximatione, & immediatione ſuppoſiti, quando nimirum non mediat aliud ſuppoſitum, ut E. G. cùm Ignis adurit lignum ſibi immediatum, & contiguum. Alio modo immediatione virtutis, ut dum Sol gignit aurum in terræ fodinis. Igitur

2. Reſp. omne agens connaturaliter loquendo debere eſſe immediatum paſſo, ſaltem immediatione virtutis. Ita ferè communiter Philoſophi adverſus Scotum, alioſque paucos.

Prob. 1. primitùs experimento. Videt quiſque non cæcus, quòd Sol priùs partes ſibi propinquiores illuminat, & mediantibus iſtis reliquas. Et ſic in pluribus aliis experimentis. Deinde ratione. Quandoquidem ut agens agat in hoc potiùs, quàm in aliud ſubjectum, debet hoc potiùs, quàm aliud ſubjectum eſſe illi determinatum; ſed excogitabile non eſt, per quid hæc determinatio fiat, niſi per approximationem agentis, & paſſi: ergo agens debet eſſe approximatum, & immediatum paſſo, ſaltem per ſui virtutem. Min. explanatur. Non enim poteſt talis determinatio fieri ab ipſo agente per ſuam actionem: quia prius eſt, quod determinetur ſubjectum, circa quod agere debet, quàm quod actu agat. Quemadmodum enim ut agens agat debet ſupponere ſubjectum, circa quod agat; ita quoque ut determinatè agat debet ſupponere ſubjectum determinatum, non verò illud determinare.

3. Prob. 2. Quodcunque agens creatum habet determinatam ſuæ activitatis ſphæram; ſed ſi valeret agere in aliquod diſtans non haberet determinatam ſuæ activitatis ſphæram: ergo agere in diſtans agens nequit. Maj. tam certa eſt, quam certum eſt, quòd habet limitatam activitatem, determinatamque poſſidet formam. Min. verò prob. Non eſſet major ratio, cur poſſet in tanta, vel tanta diſtantia agere, & non poſſet in majori, ac majori, uſque in infinitum, diſtantia agere.

Dices, hoc potiùs ſequi ex aſſerto noſtro. Siquidem cùm corpora ſint immediata, ita ut unum alteri contiguum ſit, ſequeretur, quòd agens poſſet mediante hoc corpore diffundere ſuam virtutem in aliud, & mediante iſto in aliud imò, & omnia, ſicque nullam haberet determinatam ſuæ activitatis ſphæram.

Reſp. quòd virtus illa cùm ſecundùm quòd in plura agit ſemper minuatur, ac debilior fiat, quia agens agendo repatitur, ut dicemus in lib. de Gener. & Corrup. inde fit, quòd poſteaquam ad certum numerum ſubjectorum pervenerit, prorſus deficit; idcirco determinatam habet ſuæ activitatis ſphæram.

Demum nequit aſſignari, quomodo fieri id queat.

4. Objicies varia experimenta. Et primò. Cœli influunt in hæc inferiora ſine eo, quòd per ſuam virtutem operentur in cæteris Cœlis intermediis, V.G. Sol calefacit ſublunaria, non verò Cœlos intermedios. Secundò. Torpedo per hoc duntaxat, quod hamum contingat ſtupefacit Piſcatoris brachium. Tertiò. Magnes attrahit ferrum etiam interpoſita tabula. Quartò. Nervus unius lyræ percuſſus movet nervum alterius lyræ diſtantis ad plures paſſus. Quintò. Tuſſientes, & oſcitantes nonnunquam provocant alios diſtantes ad tuſſiendum, & oſcitandum. Sextò. Pulvis ſympaticus vulnera etiam magna in diſtantia ſanat, ſi pannus vulnerati ſanguine intinctus aſpergatur tali pulvere, & in loco temperato ſervetur. Si namque in loco calido ponatur, vulnus caleſit, ſi in loco frigido vulnus frigeſcit. Septimò. Oculi mulierum faſcinantium lædunt pueros in non modica diſtantia. Octavò. Ignis vehementiorem calorem producit in partibus ſuperioribus lebetis, quàm in inferioribus ſibi proximioribus. Nonò. Si apponatur lucernæ oleum intra papyrum, calefacit oleum, ſine eo, quod lucernam calefaciat. Decimo, & ultimò. Ignis calefacit ſtupam priuſquam ferrum interiacens: ergo agens poteſt agere in diſtans.

Reſp. ad 1. quòd Cœli, & corpora ſuperiora influunt in hæc inferiora per virtutem in illa tranſmiſſam mediis aliis corporibus. Undè ſunt ipſis inferioribus immediata per ſui virtutem. Atomiſtæ fieri dicunt per corpuſculorum immiſſionem.

Quòd ſi poſtea nihil efficiunt in illis corporibus intermediis, non eſt quia non agant in illa per talem virtutem, ſed quia hujuſcemodi corpora haud ſunt ejuſmodi impreſſionis capacia. V.G. Sol calefacit hæc inferiora, non verò calefacit Cœlum lunæ, aut alterius Planetæ, quia Cœli ſunt caloris incapaces. Quatuor ſiquidem primæ qualitates, & quæ ex illis originem trahunt ſunt propriæ elementorum, vel eorum, quæ de elementis participant.

Ad 2. Reſp. quod Torpedo immittit venenum ab hamo per arundinem ad brachium Piſcatoris, ſicque habet illud ſtupefacere.

Ad 3. Dico, Magnetem eo caſu (ſi re vera ita fuerit) attrahere ferrum per virtutem à ſe emiſſam per tabulæ poros. Cujus ſignum eſt, quod tabula interpoſita Magnes non adeo feſtinè attrahit ferrum, ſed poſt moram, quouſque virtus ejus ſubierit tabulæ poros. Inſuper (ut cæteri profitentur) Magnes attrahit ferrum in genere cauſæ finalis, non verò in genere cauſæ efficientis.

Ad 4. dico, nervum unius lyræ mediante ſonitu movere nervum alterius lyræ per aeris commotionem.

Ad 5. dico, Tuſſientes, & oſcitantes provocare alios ad tuſſim, & oſcitationem per immiſſionem aliquarum ſpecierum intentionalium. Quo modo nonnunquam etiam flentes, & ridentes movent cæteros diſtantes ad riſum, aut fletum.

Ad 6. primitùs dico, valde dubium eſſe, num effectus adeo mirifici, qui de ſympatica pulvere declamantur in re ita ſint. Vel ſi ita ſint, num fiant naturaliter. Deinde hoc etiam admiſſo, dicimus, fieri per hoc, quòd ſpiritus ſubtiliores reperti in ſanguine ſauciati attrahunt virtutem ab ipſo pulvere, illamve per quandam ſympatiam immittunt ad vulneratum.

Ad

Digitized by Google

Ad 7. dico, Mulieres faſcinantes per noxias quaſdam, ac veneficas qualitates à propriis oculis immiſſas inficere aerem, ſicque lædere pueros tanta in diſtantia, quanta comprehenditur tali aere infecto.

Ad 8. dico, Id evenire, non quia partes inferiores, & proximiores aquæ non priùs ab aqua calefiant, ſed quia aqua ſic in lebete calefacto movetur quòd partes inferiores aſcendunt, & partes ſuperiores minùs calidæ deſcendunt ad infimum cacabi.

Idem dico ad 9. de oleo intra papyrum appoſito lucernæ. Partes namque ſubtiliores olei aſcendunt, & aliæ craſſiores, ac humidiores deſcendunt; ſicque mediante illa frigiditate, & humiditate impediunt calefieri, & comburi papyrum.

Ad ultimum dico, quòd ignis æqualem, imò majorem immittit calorem in ferrum ſibi proximum, quàm in ſtupam diſtantem. Eatenus autem priùs calefacit ſtupam, quàm ferrum, quatenus ferrum eſt minus diſpoſitum, & aptum, quàm ſtupa ad calorem.

Sanè tres ultimæ experientiæ ſunt ſolvendæ vel ab ipſiſmet adverſantibus, qui quamquam profiteantur, poſſe naturaliter agens agere in diſtans; neutiquam tamen inficiantur, aut inficiari poſſunt, agens poſſe agere priùs in ſibi immediatius, & proximius. Aſſignent ergo, cur hiſce in experimentis id non eveniat, eſtò poſſibile ſit, imò commodius, agere in indiſtans.

Ex his reſponderi haud difficilè poterit ad illud experimentum, quod poſſet afferri de Homine interempto, cujus vulnera jam ceſſarant ab emiſſione ſanguinis, iterum ſanguinem emittunt ad præſentiam homicidæ. Dicatur ſiquidem, id evenire per hoc, quod ab ipſo Homicida quædam emittuntur antipaticè qualitates, quæ ſuſcitant quoſdam ſpiritus adhuc relictos in ſanguine occiſi. Cujus ſignum eſt, quòd non ſemper id contingit, ſed duntaxat quando ipſe Homicida nutrit priorem antipatiam ipſum erga peremptum hoſtem.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Præmotione Phyſica.

OPportona occaſione illius adagii *omne, quod movetur ab alio movetur* pertractandum ſuſcipimus de concurſu cauſæ primæ cum cauſis ſecundis. Quem tractatum nonnulli in 2. nonnulli in 8. Phyſicorum habere conſueverunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Concurrat ne Deus concurſu ſimultaneo ad omnes actiones, & effectus cauſarum ſecundarum?

§. I.

1. ALiis terminis proponi controverſia hæc conſuevit, nimirum *concurrat ne Deus immediatè immediatione ſuppoſiti ad omnes actiones, & effectus cauſarum ſecundarum.*

Jam notum ſuppono ex dictis antegreſſa quæſtiuncula n. 1. quid ſit agere immediatè immediatione ſuppoſiti, & agere immediatè immediatione virtutis.

Nonnulli quondam in ea fuerunt ſententia, quòd Deus concurrat ad actiones, & effectus cauſarum ſecundarum remotè duntaxat, & mediatè, quatenus producendo cauſas ſecundas, dedit illis virtutem ad agendum, illamve conſervat, per quam virtutem cauſa ſecunda producit ſuos effectus abſque concurſu Dei. Ita ſenſere quidam apud S. Auguſtinum 5. Geneſis ad litteram cap. 20. quos poſtea ſecutus eſt P. quidam Dola Capucinus quodam in libro de concurſu, & etiam Durandus in 2. ſent. diſp.p. Hæc tamen opinio ab omnibus reſpuitur tanquam parùm in fide tuta.

Nonnulli admittunt quidem concurſum prævium, de quo infra; negat tamen concurſum ſimultaneum; & volunt, Deum concurrere immediatè immediatione virtutis, non tantum per virtutem, quàm à principio cuilibet cauſæ ſecundæ dedit, ſed per virtutem communicatam per concurſum prævium antecedentem ad actionem creaturæ. Ita ex noſtris tenuit P. Vita, quem (teſte quodam eximio in m. ſ.) ſecutus eſt ingenioſus quidam Carmelita excalceatus in m. ſ. qui omnino gratis citat pro ſe vetuſtiores Thomiſtas, & Patrem Modeſtum à S. Gregorio.

Sana, & communis cæterorum ſententia eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

2. ADverſus Durandum ſtant complura teſtimonia in ſacris litteris Iſaiæ 26. *omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Ad Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Actorum 9. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.*

Complures S. Thomæ authoritates produci poſſent, tum ex p. p. q. 8. art. 1. & 3. & ibidem q. 105. art. 5. in corp. & ad 3. tum ex 2. contra Gentes cap. 70. Sufficiat tamen una, vel altera ex 1. ſent. diſt. 37. q. 1. art. 1. ad 3 ubi *cùm Deus*, inquit, *ſit prima cauſa omnium, ſua virtus eſt immediatiſſima omnibus, ſed quia* ipſemet eſt ſua virtus, ideo *non tantùm eſt immediatum principium operationis in omnibus, ſed in omnibus operans.* Rurſus ibidem ad 2. ea eo ſalvat, Deum immediatè in omnibus eſſe, quia immediatè in omnibus operatur; ſed vult, Deum immediatè eſſe in omnibus per ſuum ſuppoſitum: ergo & intendit, quod per ſuum ſuppoſitum immediatè cum cauſis ſecundis concurrat earum ad actiones, & effectus.

3. Prob. 1. Concluſio hoc ratiocinio. Effectus cauſæ ſecundæ à Deo immediatè pendent ſuo in fieri, & produci: ergo Deus immediatè immediatione ſuppoſiti concurrit ſimultaneo concurſu cum cauſa ſecunda ad ejus effectus. Ant. prob. Effectus cauſæ ſecundæ dependent à Deo immediatè in conſervari: ergo etiam in fieri, & produci. Conſequentia ſequitur, Tum quia Deus non minùs eſt rerum factor, quàm conſervator. Tum quia conſervatio eſt continuata productio. Ant. prob. Ab eo aliquid immediatè pendet in conſervari, ex cujus ſemotione immediatè annihilatur; ſed ſemoto concurſu manutentivo Dei circa res creatas, iſtæ immediatè annihilantur: ergo à concurſu Dei, adeoque ab ipſo Deo immediatè pendent in conſervari. Min. eſt certa. Maj. quoque. Sicut enim ab eo aliquid pendet in eſſe, quo poſito ponitur, & quo ſublato tollitur: ita immediatè ab eo aliquid pendet, quo poſito immediatè ponitur, & quo ſemoto immediatè adimitur.

Conf. Omnes effectus creati ſunt ens per participationem à Deo; ſed ſunt immediatè à Deo ens per participationem: ergo Deus immediatè ad illos concurrit. Prob. min. Nullum ens creatum poteſt participare immediatè ens ab alia creatura: ergo immediatè à Deo. Prob. ant. Participare eſt partim capere; ſed nullum ens creatum poteſt partem capere alterius entis creati, ſecùs iſtud eſſet ens per eſſentiam, quia id, à quo eſt aliud per participationem eſt tale per eſſentiam: ergo &c. Qua ratione effectus à cauſa ſecunda non dicitur participare eſſe, ſed præcisè produci in eſſe.

Ratiocinatio iſta minimè placet cuidam ex noſtris clariſſimo in m. ſ. ſiquidem (inquit ipſe) reſpondere adverſarius poſſet negando, Deum immediatè conſervare effectus cauſæ ſecundæ, & dicere, quòd duntaxat conſervet immediatè effectus, quos per creationem immediatè ipſe producit; effectus autem à cauſa ſecunda producti immediatè conſerventur à cauſa ſecunda. Ad prob autem, illi, qui admittunt concurſum prævium dicent, quòd à Deo licèt poſſit immediatè abſolutè annihilari res ſublato concurſu prævio, ſecùs verò poſito concurſu prævio. Undè pariter admiſſo concurſu prævio non erit neceſſe ponere concurſum ſimultaneum immediatum.

Durandus autem dicet, quòd à Deo nequit annihilari effectus, niſi priùs annihilet ſubjectum, ex quo egit producendo effectum.

Nihilominùs dictum ratiocinium eſt optimum. Quandoquidem etiam in effectibus factis per geneſim à cauſa ſecunda eſt quicquam factum per creationem à Deo immediatè; nimirum materia prima: ergo etiam in iſtis debet eſſe immediata conſervatio Dei. Rurſus à Deo poſſunt res omnes annihilari, ut probatum eſt.

Nec obeſt, quòd nequeant annihilari poſito concurſu prævio. Non inquam obeſt. Siquidem ex hoc duntaxat evincitur, eſſe neceſſarium concurſum prævium, & ſimultaneum, non verò excluditur concurſus ſimultaneus immediatus. Ob idque ſic urgeo. Licèt nequeat annihilari effectus cauſæ ſecundæ poſito concurſu prævio; tamen per ſublationem concurſus prævii nequeunt immediatè annihilari: ergo per ſemotionem concurſus ſimultanei immediati, adeoque iſte extat. Ant. prob. Concurſus prævius non attingit immediatè effectum, ſed cauſam, quia duntaxat habet

movere cauſam ad agendum; ergo ex illius deficientia nequit immediatè annihilari effectus talis cauſæ: ergo cùm aliàs à Deo poſſit immediatè res quæcunque annihilari, dicendum eſt, tantummodo poſſe fieri per concurſus ſimultanei ſublationem.

Contra id, quod ultimo loco ſubditur, & poſſet eſſe reſponſum ad hanc inſtantiam, ſic inſto. A Deo potuit effectus ille abſolutè produci ſine eo, quòd ageret ex illo primo ſubjecto, vel cum alia cauſa ſecunda: ergo etiam poterit annihilari ſine eo, quòd priùs annihilet tale ſubjectum, vel talem cauſam.

Reſponſum aliud ejuſdem eximii in m. ſ. in favorem adverſæ partis, dicendo, res immediatè à Deo conſervari, quia non eſt alia cauſa, à qua conſervari queant, benè verò à qua poſſint produci, nimirum cauſa ſecunda; labaſcit nemine impellente; quia quemadmodum non eſt alia cauſa ſecunda, quæ ſola valeat res conſervare; ita ipſe dico, nullam eſſe cauſam ſecundam, quæ ſe ſola valeat illas producere; ſicque repetenda eſt ratiocinatio noſtra.

4. Prob. 2. alio ratiocinio, quo utitur etiam prælaudatus in m. ſ. Quolibet in effectu relucet prædicatum aliquod, quod nequit attingi à cauſa ſecunda virtute propria, nec virtute ſibi à Deo communicata; ergo ad illud attingendum opus eſt concurſu ſimultaneo Dei immediato immediatione ſuppoſiti. Conſeq. eſt exacta, quia quicquid eſt in effectu producto correſpondet alicui cauſæ. Ant. prob. Quolibet in effectu creato relucet prædicatum entis participati abſolutè, & non ſolùm talis entis; ſed hoc prædicatum nequit attingi à creatura per ſui virtutem creatam, nec per virtutem increatam Dei ſibi communicatam: ergo &c. Maj. eſt conſtans, quia taleitas entis determinat duntaxat, non verò tollit ens taleizatum. Min. prob. Illa tantùm virtus poteſt attingere prædicatum entis participati abſolutè, & in communi, quæ poteſt attingere omne ens participatum; ſed nulla creatura ſive per ſui creatam virtutem, ſive increatam poteſt attingere omne ens participatum: ergo &c. Maj. iterum conſtans eſt. Illa namque virtus habebit pro ſuo termino formali ens participatum abſolutè, & ut ſic; ſed hoc eſt commune omnibus entibus participatis: ergo cùm aliàs virtus poſſit ſe extendere ad totam ſui rationem formalem, poteſt attingere omne ens participatum. Min. verò prob. Virtus valens attingere omne ens participatum utpote omnipotens eſt infinita; ſed virtus quæcunque ſit in creatura eſt finita, & limitata, quia hoc ipſo, quòd recipitur limitatur; ergo &c. Et hac ratione probant Noſtrates, creaturam nec inſtrumentaliter poſſe creare, quia ad creandum requiritur virtus infinita, quæ poſſit vincere infinitam diſtantiam inter ens, & nihil. De quo vide, quod dixi ſupra lib. 1. quæſt. 3. §. 2. num. 6.

Reſpondet Arriù (qui licèt admittat concurſum ſimultaneum, tamen non videtur aliter illum explicare, quàm per concurſum prævium) quòd illa virtus increata Dei recipitur in creatura duntaxat in eſſe intentionali, adeoque non limitatur.

Contra. Quomodocunque recipiatur non eſt ampliùs actus purus, quia actui puro repugnat quævis receptio: ergo non eſt infinita. Undè Eſſentia Divina in eſſe intentionali unita intellectui Beatorum non recipitur in illo, ſed purè terminativè ſe habet, cùm non ſit aliquid realiter diſtinctum à Deo. Ulteriùs quomodo ſalvabit iſte Author rationem, qua Thomiſtæ probant, creaturam nec inſtrumentaliter poſſe creare.

5. Ultimò probatur Concluſio. A Deo poſſunt immediatè per ſolam ſui concurſus ſubtractionem impediri actiones cauſarum ſecundarum; ergo per ſuum immediatum concurſum in illas Deus influit. Ant. compertum fuit in igne Babylonico Danielis 3. qui combuſſit miniſtros, & vincula puerorum, pueros verò ne minimè quidem læſit.

Neque dixeris, impedire hujuſcemodi actiones media qualitate aliqua. Ne, inquam, id cum prælaudato in m. ſ. dixeris. Quandoquidem talis qualitas, vel erat contraria igni, ſicque ignem extinxiſſet, aut ſaltem virtutem ejus compreſſiſſet, ſicque nec miniſtros adurere valuiſſet. Vel non erat contraria, & ſic neque actionem ignis impedire potuiſſet.

Reſponſum autem eorum, qui dicunt, aut dicere poſſent, non poſſe impediri actiones cauſæ ſecundæ poſito concurſu prævio jam num. præcedenti 3. refutata eſt.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

6. ARg. 1. Si Deus concurſu ſimultaneo concurreret ad effectus cauſarum ſecundarum, vel Deus, & creatura concurrerent ut cauſæ totales, vel ut cauſæ partiales; ſed neutrum dici poteſt; ergo locus non adeſt concurſui iſti ſimultaneo. Prob. Min. & Primò quò ad p. p. Quandoquidem plures cauſæ totales nequeunt concurrere ad eundem numero effectum ex dictis lib. 2. Secundò quò ad 2. p. ſiquidem Deus concurreret per modum cauſæ partialis, ſequeretur, nullam dari cauſam totalem creatam.

Reſp. nego min. quò ad p. p. Dico namque eſſe cauſas, non partiales, ſed totales, uti contra Suarez, & alios probant Thomiſtæ ratiocinio in objectione adducto. Ad prob. primodùm dici poſſet, eſſe cauſas totales, attingendo effectum ſecundùm diverſas rationes, nimirum Deus ſub ratione communiſſima entis, creatura verò ſecundùm rationes particulares, ut diximus lib. 2. q. ultima art. unico. Vid. ibi

Non eſt tamen negandum, Deum attingere quamcunque rationem particularem, cum quælibet ſit ens participatum. Quod obſervandum venit, ut objectio quædam ſolvatur Maſtrii, cui licèt arrideat ſententia noſtra, diſplicet tamen reſponſum hoc. Attingit ergo quamcunque rationem particularem, ſecundùm tamen quod imbibit in ſe rationem entis participati, licèt non explicitas rationes, ſecundùm quas eſtò includat, non explicat ſic ens, & ſecundùm eas attingitur à creatura. Eum ad modum, quo intellectus attingit quamlibet boni rationem, quod eſt voluntatis objectum. Attingit inquam ſecundùm quod dicit rationem veri, ut dicebamus in Logica Syntag. 2. art. 6 veſtigando num voluntas formet ens rationis §. 3. ad 5. arg. ſub finem numeri 5. Vid. ibi

Deinde communi reſponſo diſt. ant. plures cauſæ totales ejuſdem ordinis creati, concedo, diverſi ordinis, nego ant. & conſeq. Quemadmodum namque plures cauſæ diverſi generis, nimirum materialis, formalis, efficientis, & finalis concurrunt ad eundem numero effectum; ita plures cauſæ totales diverſi ordinis. Ob idque nos lib. 2. dicebamus, implicare contradictionem, quòd idem effectus producatur à pluribus cauſis totalibus ejuſdem generis, & ordinis.

Contra. Effectus dependet per ſe à ſua cauſa adæquata; ſed ſi poſſent concurrere plures cauſæ totales diverſi ordinis, videlicet creati, & increati, effectus per ſe non dependeret à cauſa totali ordinis creati; ergo nec plures cauſæ totales diverſi ordinis poſſunt concurrere &c. Minor eſt manifeſta. Id ſiquidem non dependet ab alio, ſine quo eſſe poteſt, ut lib. 2. dicebamus; ſed effectus poſſent eſſe ſine cauſa ordinis creati, & fieri à cauſa ordinis increati: ergo &c.

Conf. Cauſa ſecunda creata, vel eſt completa in ordine ad attingendum effectum, vel non. Hoc ſecundum dici nequit, quia ſecùs non eſſet totalis, Tum quia nequit compleri per concurſum ſimultaneum, qui nihil ponit in cauſa ſecunda, ſed duntaxat tendit ad effectum; ſi autem non eſſet intrinſecè completa, deberet intrinſecè compleri; ſicuti quia intellectus non eſt completè aptus ad claram Dei viſionem, debet intrinſecè compleri per lumen gloriæ; ergo eſt completa; ergo ſuperfluit ſimultaneus concurſus.

Explanatur hoc. Cauſa totalis eſt illa, quæ ſe ſola poteſt dare ſuo effectui quicquid ad ipſum deſideratur pro ejus eſſe; ergo cauſa ſecunda ſi eſt totalis poteſt ſe ſola ſuum perficere effectum.

Urgetur. Si plures cauſæ totales etiam diverſi ordinis concurrerent ad eundem effectum, ſequeretur, quòd ſaltem ab una, nimirum ordinis creati, non ex indigentia, ſed ad ſummum ex ſufficientia dependeret.

Reſp. ad inſt. diſt. maj. in eo ordine, in quo eſt adæquata, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. non dependeret à cauſa ordinis creati ſtando in ordine cauſarum ſecundarum, nego, ſecùs, concedo min. & nego conſeq. Cauſa igitur ſecunda eſt adæquata in ordine duntaxat creato; Idcircò ſufficit, quòd ab illa dependeat in tali ordine ſtando. Eum ad modum, quo quia cauſa efficiens eſt totalis duntaxat in genere cauſæ efficientis, effectus dependet per ſe ab illa ſtando in genere cauſæ efficientis, non ſtando in genere cauſæ puta finalis, formalis &c. Ob idque in hoc genere, non ab illa, ſed ab aliis pendet.

Ad 1. Conf. dico, quòd cauſa creata eſt completa in ſuo ordine nimirum creato, in alio verò ordine nec eſt com-

pleta

pleta in ſuo ordine, nimirum creato, in alio verò ordine nec eſt completa, nec complebilis, quia nequit ad ordinem increatum pertingere. Eum ad modum, quo cauſa efficiens eſt completa in ſuo genere in ordine ad ſuum effectum, non verò in alio genere.

Ad explicationem diſt. ant. ſe ſola, per excluſionem alterius in eodem ordine, in quo eſt, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Quemadmodum enim cauſa adæquata unius generis ſe ſola poteſt tribuere effectui quicquid ad illud deſideratur in tali genere, & in tali genere excludit conſortium alterius, non verò in alio genere; ita idem dicimus de cauſa unius ordinis, & in eo ordine, in quo eſt adæquata.

Idem dico ad id, quo urgetur, nimirum quòd dependet ex indigentia ſtando in ordine creato cauſatum, in quo ordine eſt adæquata, non verò in alio ordine ſtando. Ad eum modum, quo effectus dependet ex indigentia à cauſa efficienti ſtando in genere cauſæ efficientis, non verò in alio genere. Et certè inficiari poterit nemo, quòd ſaltem diviſivè idem effectus poſſit produci à pluribus cauſis diverſi ordinis, nimirum à creatura, & à Deo; & tamen etiam hoc modo poſſent fieri objectiones adductæ, ut conſideranti patebit.

Inſt. Eadem potentia, vel habitus nequit habere plura objecta totalia etiam diverſi ordinis: ſimiliter idem agens nequit ſimul habere plures fines totales etiam diverſi ordinis: ergo pariter nequit idem effectus eſſe à diverſis cauſis efficientibus etiam diverſi ordinis.

Reſp. dato ant. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen in hoc ſiſtit, quia cauſa efficiens producit effectum per hoc, quod illum in ſe intrinſecè vel formaliter, vel virtualiter continet. Et quia effectus creaturæ continetur etiam in cauſa increata, in qua continetur etiam ipſa cauſa creata; idcirco poteſt ab utraque produci. Cæterùm objectum non continet in ſe intrinſecè potentiam, aut habitum, ſed duntaxat eſt illius cauſa formalis extrinſeca; ſicut etiam finis in ratione talis non continet in ſe intrinſecè agens, quod propter finem agit, ſed duntaxat attrahit, & allicit.

Si dicas. Si Deus ſe ſolo produceret effectum cauſæ ſecundæ, vel ſuppleret concurſum cauſæ ſecundæ, vel non. Si non, ergo cauſa ſecunda ſimultaneè agendo cum Deo nihil produceret. Si ſuppleret ſequitur quod in nihilo ſuppleret; quia nihil producitur, quod ſimultaneè à Deo non producatur, dum ipſe cum creatura ſimultaneè concurrit.

Reſp. (omiſſis compluribus aliorum reſponſis) quòd Deus producendo ſe ſolo effectus cauſæ ſecundæ ſupplet modum concurrendi cauſæ ſecundæ, V. G. producendo hominem ſe ſolo, ſupplet modo perfectiori modum imperfectum creaturæ, quæ produceret illum per formalem generationem. Non autem ſupplet, quaſi producendo quicquam, quod non produceret per concurſum ſimultaneum.

7. Arg. 2. Oppugnando ſecundum ratiocinium noſtrum. Ideo per nos requiritur ſimultaneus concurſus, quia quolibet in effectu ſecundæ cauſæ debet attingi ratio entis participati abſolutè; ſed hoc eſt falſum: ergo fruſtraneus eſt concurſus iſte ſimultaneus. Prob. min. multipliciter. Et Primò; ſi in rei productione deberet attingi ratio entis abſolutè, ſequeretur, quòd quilibet effectus fieret à Deo per creationem, & à cauſa ſecunda per eductionem, quia ens ut ens abſolutè eſt terminus creationis; ſed hoc eſt à veritate alienum: ergo &c.

Secundò. Non eſt neceſsè, quòd quælibet ratio, ſeu quodlibet prædicatum in effectu repertum per ſe primò attingatur ab aliqua cauſa: ergo tametſi in effectu cauſæ ſecundæ adſit ratio entis participati abſolutè, non eſt neceſsè, quòd per ſe primò attingatur ab aliqua cauſa, ſive prima, ſive ſecunda. Ant. non erit ignotum cuicunque ignotum non eſt, quòd dum Deus à principio creavit cœlum, & terram, ratio talis entis, puta corporei, ſenſibilis à nulla cauſa per ſe primò fuit attacta, ſed duntaxat de ſecundariò à cauſa prima, quæ attingit per ſe primò ſuum effectum ſub ratione entis: ergo &c. Similiter cùm generatur homo, datur in homine genito ratio hominis, viventis, ſenſibilis, corporei, &c. quibus tamen ſingillatim non correſpondet cauſa aliqua per ſe primò: ergo non eſt neceſsè, quòd quælibet ratio, &c.

Tertiò. Actus vitalis creaturæ eſt ens participatum; & tamen nequit eſſe à Deo, Tum quia de ratione actus vitalis eſt eſſe ab intrinſeco per Thomiſtas; Tum quia ſecùs Deus per talem actum viveret: ergo non quælibet ratio entis participati eſt per ſe primò attingenda, &c.

Conf. Ideo ponitur concurſus prævius ultra ſimultaneum, quia datur aliquod ens participatum, puta actus vitalis, quod non eſt à Deo per concurſum ſimultaneum: ergo non omne ens participatum immediatè attingitur à cauſa prima. Concurſus ſiquidem prævius eſt mediatus.

Conf. deinde. Falſum eſt, quòd ratio entis abſolutè nequeat ſaltem inſtrumentaliter, licèt non principaliter attingi à cauſa ſecunda: ergo non erit neceſſarius concurſus immediatus Dei, ſed ad ſummum mediatus: eum ad modum, quo cauſa principalis concurrit mediante inſtrumento. Prob. ant. Thomiſtæ non pauci ſuſtinent, creaturam inſtrumentaliter producere exiſtentiam ſui effectus; ſed non ſub ratione talis entis, quia hoc modo principaliter producit: ergo ſub ratione entis abſolutè: ergo ratio entis abſolutè ſaltem inſtrumentaliter à creatura attingi poteſt.

Reſp. ad hoc, in quo ſicut & in præcedenti magnam vim facit prænomatus Carmelita excalceatus, data maj. nego min. Ad 1. prob. nego ſequelam. Ad prob. implicitam diſt. ant. ratio entis ex nihilo eſt terminus creationis, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Itaque cùm creatio ſit ex nihilo, fit inde, quod tunc duntaxat ratio entis eſt terminus creationis, quando attingitur ex nihilo ſui. Deus autem concurrendo unà cum cauſa ſecunda ad hujus effectum, attingit ens abſolutè, non ut ex nihilo, ſed ex aliquo præſuppoſito; idcirco talis effectus non dicitur per creationem factus.

Dices. Dum Deus unà cum homine producit hominem, non producit illum per generationem: ergo per creationem. Ant. à nemine ignoratur, à quo non ignoratur, quòd generatio eſt modus imperfectus agendi.

Reſp. diſt. ant. non producit per generationem formaliter, concedo, modo quodam eminentiori, nego ant. & conſeq. Deus ergo concurrendo ſimul cum Homine ad Hominis productionem dicitur Hominem generare, non formaliter, & eo modo, quo gignitur ab Homine, ſed modo quodam excellentiori, & eminentiori, ſecluſis imperfectionibus.

Ad 2. diſt. ant niſi ſit primum prædicatum repertum in re, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Dato enim, quòd non quælibet ratio reperta in effectu debeat per ſe primò attingi ab aliqua cauſa; hoc tamen concedi nequit de primo prædicato reperto in effectu, ut eſt ratio entis.

Adde, quòd tametſi non quælibet ratio debeat per ſe primò attingi, tamen de ſecundariò ſaltem attingi debet. Cauſa autem ſecunda nec de ſecundariò poteſt attingere rationem entis abſolutè, ſecùs poſſet de ſecundariò attingere omne ens, quemadmodum ſi de primariò poſſet attingere rationem entis abſolutè, de primariò poſſet attingere omne ens participatum.

Ad id verò, quod ſubditur ibidem patet ex dictis lib. 2. quæſt. ultima art. unico §. 3 ſolvendo primum arg. quatenus prædicata univerſalia reducantur in cauſas univerſales cœleſtes æquivocas. Videatur ibi.

Ad 3. diſt. ant. Actus vitalis nequit eſſe à Deo, ut eſt à cauſa ſecunda, concedo, ſecùs. nego ant. & conſeq. Quamvis etenim non ſit à Deo, ut eſt à creatura actus vitalis, nimirum ut à principio particulari vivente per talem actum; eſt tamen à Deo ut à cauſa univerſali, ut quidam potiùs Dei effectus, quàm ut actio Dei.

Qua ex re habes, falſam eſſe cauſalem adductam in 1. Conſ. cùm nulla ſit ratio in effectu, qui Divinum effugiat concurſum.

Dices. Ut eſt à cauſa ſecunda talis actus eſt ens participatum; ſed ut eſt à cauſa ſecunda, juxta mox dicta, non eſt à cauſa prima, id eſt Deo: ergo datur aliqua ratio entis participati, quæ à Deo non eſt.

Reſp. data maj. diſtinguo min. non eſt à Deo eodem modo, concedo, diverſo modo, nego min. & conſeq. Quatenus eſt à cauſa ſecunda, & illi correſpondet eſt etiam à cauſa prima, ſed non eodem modo; quia ipſi cauſæ ſecundæ correſpondet ut cauſæ ſecundæ, ſeu ut principio particulari viventi & ut actus, ſive actio; cauſæ verò primæ ut principio univerſali per modum effectus potiùs quàm per modum actus, & operationis.

Ad aliam Conſ Reſp quòd illi, qui tenent, cauſam ſecundam producere inſtrumentaliter ſui effectus exiſtentiam, loquuntur de exiſtentia, non ſub ratione univerſaliſſima entis participati, ſed ſub ratione ultimæ actualitatis, ſub qua ratione cùm ſit actualitas omnium actualitatum, dicunt, eſſe perfectionem omnium perfectionum, adeoque maximam perfectionem, quam proinde à ſolo Deo perfe-

ctiſſimo cauſari principaliter dicunt; cujus tamen oppoſitum nos tenuimus 2. Phyſc. q. 5. art. 4. Vel ſi loquuntur de exiſtentia ſub ratione univerſaliſſima entis participati, intendunt, cauſam ſecundam eſſe inſtrumentum impropriè, quatenus producit effectum, cui talis debetur exiſtentia.

8. Arg. 3. ex eodem. Salvatur ſufficiens dependentia effectus à Deo per ſolum concurſum prævium: ergo ſuperfluus eſt ſimultaneus. Ant. prob. Tum quia concurſus ſimultaneus importat majorem dependentiam duntaxat extenſivè, non verò intenſivè; quod nihil obſtat: quemadmodum quòd Deus, & creatura ſint quid plùs extenſivè nihil intereſt, quia creaturæ continentur eminenter in Deo. Sic (ait ipſe) dicendum de concurſu ſimultaneo, quia continetur eminenter in prævio. Tum quia major perfectio videtur, quòd importetur dependentia mediata, quàm immediata, quemadmodum magna Domini perfectio in Principe eſt agere per ſuos miniſtros. Tum quia concurſus iſte ſimultaneus importat imperfectionem in Deo, nimirum quod dependeat à cauſis ſecundis in operando effectus creatos.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. nego iterum ant. Concurſus namque ſimultaneus importat majorem dependentiam, non tantùm extenſivè, verùm etiam intenſivè; Tum quia per concurſum prævium effectus cauſæ ſecundæ non dependet à Deo effectivè, ſed duntaxat applicativè, quatenus Deus per concurſum prævium applicat cauſam ſecundam ad producendum effectum, & ad ſummum dependet à Deo effectivè actio, non verò effectus cauſæ ſecundæ. Tum quia falſum eſt, concurſum ſimultaneum contineri eminenter in prævio, cùm prævius concurſus ſe teneat præcisè ex parte cauſæ, ſimultaneus verò ex parte effectus.

Ad 2. prob. nego ant. Ad prob. implicitam dico, dependentiam mediam dicere perfectionem vel in his, qui incommoda patiuntur in tot agendis immediatè; vel in illis, in quibus nequit importari dependentia mediata, & immediata ſimul, ſicut evenit in Principe, qui nequit agere ſimul immediatè per ſeipſum, & mediatè per miniſtros. Cæterùm Deus agit & mediatè, nimirum mediis cauſis ſecundis, cum quibus concurrit; & immediatè per ſeipſum, concurſu, non quidem partiali, ut diximus ad 1. arg. ſed totali.

Ad 3. prob. dico, concurſum ſimultaneum nullam importare imperfectionem in Deo; quia quod concurrat cum cauſa ſecunda eſt, non ex ſui indigentia, ſed ex ſui liberalitate, & benignitate. Poteſt enim etiam ſine cauſa ſecunda effectum producere.

Dices ſaltem actum vitalem nequit Deus producere ſine cauſa ſecunda: ergo in hoc importatur dependentia, & indigentia.

Reſp. diſt. ant. nequit producere ſine cauſâ ſecundâ propter exceſſum in perfectione, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq. Quòd namque actus vitalis nequeat eſſe à Deo, provenit, non ex aliquâ imperfectione, ſed ex ſumma Dei perfectione, quia nimirum nequit vivere per actum vitalem à ſeipſo diſtinctum.

Ex his infero contra plures exteros, præcipuè ex Societate, & etiam contra Arnù, concurſum ſimultaneum Dei non eſſe idem cum actione cauſæ ſecundæ; Tum quia actio Dei ad ſummum eſt virtualiter tranſiens, actio verò creaturæ non infrequenter eſt formaliter tranſiens. Tum quia repugnat, Deum agere per actionem cauſæ ſecundæ, quemadmodum repugnat, Deum exiſtere per exiſtentiam creaturæ intelligere per intellectionem creaturæ &c. Tum quia (ut ad 5. arg. dicebamus) Deus, & creatura concurrunt ut duæ cauſæ totales: ergo per duplicem actionem totalem.

Colligendum etiam eſt pro explanatione nonnullarum S. Thomæ authoritatum, quas hic fusè adducit prælaudatus in m. ſ. ex præfato Carmelita, quòd non negamus, Deum concurrere etiam mediatè ad effectus cauſæ ſecundæ per virtutem, quam ipſis à principio dedit, & conſervat, ſed ulteriùs dicimus; concurrere immediatè. Nec nos dicimus, Deum, & creaturam concurrere ut duo portantes idem pondus, qui ſunt cauſæ partiales: Nec per unicum duntaxat concurſum, & actionem, ut concurrunt ſimul tres perſonæ Divinæ.

Idcircò nihil contra nos urget, quòd S. Th. opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 53. dicat, creaturam in ordine ad effectus, qui fiunt immediatè ab ipſa creatura cooperari Deo, ſicut miniſter obediens Domino, & inſtrumentum motum ab Artifice, non verò cooperari ut plures portantes idem pondus, ſed ſolas tres perſonas cooperari ſibi invicem. Quando autem comparat cauſam ſecundam inſtrumento, non intendit, cauſam ſecundam agere propriè ut inſtrumentum in virtute principalis cauſæ, ſecùs nulla cauſa ſecunda eſſet cauſa principalis, ſed duntaxat intendit, per ſimilitudinem quandam explicare ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam, exemplo ſubordinationis inſtrumenti ad agens principale.

Pariter nihil nobis obeſt, quòd 3. contra Gentes cap. 70. dicat, effectum eſſe à Deo, quatenus dat, conſervat, & applicat virtutem agentis inferioris, ſicut artifex applicat inſtrumentum movendo illud. Item neque quòd quæſt. 3. de potentia art. 7. in corp. dicat, quòd Deus operatur in omni re, quia cauſat, & conſervat virtutem operativam. Non inquam obeſt. Nam in omnibus dictis locis ponit concurſum ſimultaneum tum per conſervationem virtutis, quam à principio Deus dedit creaturis, tum per applicationem cauſæ ſecundæ ad agendum, quæ applicatio dicitur præmotio, ſeu concurſus prævius. Non tamen per hoc excludit concurſum ſimultaneum, & immediatum, ſed illum ſtatuit locis à nobis §. præcedenti 5. relatis. Eò vel maximè quòd locis ab opponente citatis recenſet ea, quæ ſe tenent ex parte cauſæ; & aliàs concurſus ſimultaneus attingit effectum, ſicque ex parte effectus ſe tenet.

Dices. S. Th. loco ex contra G. citato comparat agens primum, & ſecundum principiis demonſtrationis; ſed non omnes concluſiones inferuntur immediatè ex primis principiis univerſaliſſimis: ergo nec effectus immediatè cauſantur à prima, & univerſaliſſima cauſa.

Reſp. iterum, Angelicum non facere paritatem quo ad omnia, ſecùs ſequeretur, quòd ſicut, non tantùm de facto, verùm nec de poſſibili aliquæ veritates remotæ à primis principiis poſſunt immediatè ex illis inferri, ita non ſolùm reapſe, ſed nec de poſſibili poſſet immediatè à Deo ſine cauſis ſecundis effectus aliquis produci. Paritas igitur currit quantum ad hoc, quod quemadmodum primum principium univerſaliſſimum mediante alio influit in concluſiones ita Deus mediis ſecundis cauſis influit in earum effectus. Cum hac tamen differentia, quod primum principium, ceu non infinitæ virtutis in inferendo, nequit inferre mediatè ſimul, & immediatè, ſed duntaxat immediatè, ſi ſunt veritates immediatè cum ipſo connexæ, vel tantùm mediatè ſi non ſunt immediatè connexæ. Deus autem cùm infinitam habeat virtutem in cauſando, concurrit ad effectus cauſæ ſecundæ mediatè, & immediatè ſimul, modo prædeclarato.

9. Arg. poſtremò contra id, quod nuperrimè inferebamus, probando nimirum, concurſum ſimultaneum eſſe ipſam Creaturæ actionem ut eſt à Deo. Niſi eſſet ipſa creaturæ actio, foret actio Dei identificata cum ipſo Deo; ſed hoc non: ergo &c. Prob. min. Si eſſet actio cum ipſo Deo identificata extaret talis actio ab æterno, & ab æterno Deus denominaretur agens, & producens effectum ad extra, quemadmodum ab æterno denominatur volens; ſed hoc ſtatim falſitatis convincitur: ergo &c. Prob. min. Ab æterno non extat effectus ad extra productus, ſed repugnat, extare actionem productivam ſine effectu producto, quemadmodum repugnat potentia potens producere ſine effectu producibili, id eſt ſine eo, quod effectus ſit poſſibilis: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. dici primitùs poſſet hærendo veſtigiis Thomiſtarum de phyſica exiſtentiâ futurorum ab æterno in menſura æternitatis, quòd eas producit ab æterno in menſura æternitatis inſpectâ æternitate ſecundùm illam virtualitatem, ſecundùm quam correſpondet illi tempori, in quo erunt non inſpectâ abſolutè, & adæquatè. Sanè creaturas quas ſe ſolo producit, non producit per actionem creaturæ, & tamen eas producit in tempore. Præterea diſt. maj. extaret actio agens, & producens effectum in re eo modo, & eo tempore, quo voluerit, concedo, ſecùs nego maj. & diſtinguo proportionali modo min. ad cujus prob. data maj. diſt. min. ſi ſit actio creata, concedo, Divina, ſubdiſtinguo ſine effectu producto eo modo, & pro eo tempore, quo Deus voluerit poni, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Deus equidem ab æterno operatur effectus, qui modò ad extra fiunt. Quia tamen ejus actio eſt omnino independens ab extrinſeco, & tantummodo à libera ſua voluntate eſt dependens (ad differentiam actionis agentis creati) idcircò effectus non ſunt in re ab æterno, quia illos producit ab æterno, ut ponendos in re, non ab æterno, ſed in tempore, quo vult: idcirco ab æterno non datur effectus productus.

Vel dicatur, quòd licèt actio ſit ab æterno identificata

cum

cum Deo, poteſt ab æterno non denominari agens ex defectu alicujus extrinſeci connotati, ut non infrequenter in conſimilibus caſibus diximus, ut puta quod unio eſtò ſit cum materia, & forma identificata non denominat unitas ex defectu extrinſeci connotati, &c.

Nec eſt eadem ratio de potentia productiva, quia iſta cùm antecedat omne decretum, non dependet ab extrinſeco connotato contingenti defectibili. Idem dico de denominatione volentis, quia volitio eſt ipſummet decretum, & poteſt eſſe ab æterno de re ponenda pro eo tempore, quo vult poni. Adde, quòd denominatio liberè volentis poteſt extrinſecè deficere ex aliquo extrinſeco connotato, ut dicitur in materia de voluntate Dei. Nihilominùs cùm ſit de re, non ab æterno, ſed pro eo tempore, quo voluerit, idcircò poteſt eſſe ab æterno.

Videri poteſt Cavinus hic diſp. ultima quæſt. 1. §. 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum ultra concurſum ſimultaneum ſit admittendus Concurſus prævius.

§. I.

1. ART. iſte propriè ſubjectum hujuſce q. eſt. Nil aliud namque intelligitur nomine præmotionis Phyſicæ, niſi concurſus prævius. Viſo itaque, quòd Deus unà cum creatura attingit omnes illius effectus, modò veſtigamus, num creatura, ſeu cauſa ſecunda, ad hoc, ut agat ultra concurſum ſimultaneum indigeat præviè à Deo moveri, ſeu an neceſſariò debeat à Deo prædeterminari, & præmoveri, ac reduci de potentia ad actum. Concurſus ſiquidem prævius vocatur phyſica præmotio, nimirum actio, qua cauſa ſecunda à Deo movetur ad operandum; phyſica prædeterminatio, quatenùs à cauſa ſecunda adimitur indifferentia, & determinatur ad actum, ſive reducitur de potentia ad actum.

2. Prima ſententia reſpuit concurſum prævium. Hanc tenet Pontius, & alii Scotiſtæ, licèt pauci. Illam defenſitant communiter Patres Societatis, qui cauſas neceſſarias aſſeverant, moveri abſolutè, & neceſſariò per concurſum ſimultaneum Dei. Cauſas autem liberas volunt, movere ſeipſas, & Deum nec per concurſum prævium, nec per concurſum ſimultaneum illas determinare abſolutè, ſed duntaxat ſimultaneè concurrere cum cauſa ſecunda, quando iſta voluerit, eique ſecundùm proprium talis cauſæ libitum concurſum ſimultaneum exhibere, quando agere voluerit. Ubi ut libertatem creaturæ tuentur, Deum ipſum cauſæ ſecundæ ſubjiciunt. Quod obverſari videtur Innocentii XI. decreto, quo die 23. Novembr. anno 1679. hanc confixit propoſitionem in hac materia *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*.

Secunda, & communis Thomiſtarum ſententia eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

3. PRob 1. ex Ariſt. 8. Phyſ. ubi de primo loquens motore: *illud enim*, inquit, *movet ultimum*, *ſed non hoc primum: & ſine primo quidem ultimum non movebit; illud autem ſine hoc*, *ut baculus non movebit non movente manu*. Quæ ultima verba adeo luculenter explicant concurſum noſtrum prævium per illud baculi exemplum, ut admittant gloſſemmata nulla. Nihilominùs gloſſemmata quædam, vitiantia potiùs textum videri poſſunt refutata apud Compl. & alios.

4. Prob 2. ex D. Th. qui quæſt 7. de potentia art. 7. ubi *Deus*, inquit, *eſt cauſa actionis cujuslibet*, *inquantum dat virtutem agendi*, *conſervat eam* (en concurſum radicalem, & remotum) *& applicat actioni*. En concurſum prævium, quem luculentiùs explicat 3. contra Gentes cap. 149. ubi explicat, quomodo motio moventis applicat motum mobilis ratione, & cauſalitate. Ob idque palam eſt, eum non loqui de concurſu ſimultaneo, aut de morali.

Turpiter ergo erravere, vel ſe errare finxere, qui dixere, Angelicum Doctorem nuſquam agnoviſſe phyſicam præmotionem, cùm tam perſpicua ſit ejus mens in aliatis verbis, ut P. Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 38. dixerit, verè S. Doctorem tenuiſſe eo loci phyſicam præmotionem, ſed illam retractaſſe cùm eſſet doctior factus in ſumma, in eo fundatus Suarez, Tum quòd S. Præceptor p. p. q. 105. Dixit, *Deum quaſi applicare ad agendum*. Ubi illa dictio *quaſi* eſt diminutiva; Tum quòd aliis in locis de illa mentionem nullam fecit. In quo tamen quàm turpiter erraverit & Suarez deprehendes, Tum ex loco citato contra Gentes, quod eſt ex ultimis ejus operibus; Tum p. p. q. 105. citata art. 5. Tum p. 2. q. 109. art. 1. ubi *actio*, inquit, *intellectus*, *& cujuslibet entis creati dependet à quantùm ad duo*, *Uno modo inquantùm ab ipſo habet perfectionem*, *ſive formam*, *per quam agit*. *Secundò quatenus ab ipſo movetur ad agendum*. Nec particula illa diminutiva quicquam officit. Non, inquam, quia duntaxat innuere voluit, cauſam ſecundam non moveri præcisè ut purum inſtrumentum, ſicuti ſerra ſcindit ut mota ab Artifice, & aqua calefacit ut calefacta.

Circa quod, & præcipuè de mente S. Thomæ videatur opus, cui epigraphe *D. Thomas ſui Interpres* nuper editum à noſtro Mauſojulè ampliſſimè per totum illud ingens volumen hoc dilucidante.

Videri etiam poteſt Guerinus 2. Phyſ. q 8. art. 4 §. 6. & iterum §. 13. ubi Thomiſtas quadam vindicat à vitiligatione nonnullorum, qui fabellam quandam recantant, nimirum jactant, Rever. P. M. Thomam Turcum totius Ordinis noſtri Generalem quendam ex noſtris publicis in diſputationibus, generalia dum agerentur comitia, provocaſſe etiam cum præmii ſponſione, ut locum aliquem S. Thomæ pro phyſica præmotione citare, quem tamen citare nequaquam defendens fuit auditus. Volve quoque, & revolve opus eruditiſſimi P. Sery *hiſtoriæ congregationum de auxiliis*.

Poſſent aliorum SS. Patrum authoritates produci, præcipuè Auguſtini, qui incunctanter veritatis hujus tenaciſſimus extitit. Sed has fusè in Theologicis expendemus. Interim legi poteſt Goudin in Metaphyſica q. 4 art. 4 & Gonet p 2. diſp. 6. art. 2.

5. Prob. ratiociniis. Et primò de cauſis naturalibus. Cauſæ naturales nunquam poſſunt eſſe in actu ſecundo agentes, niſi priùs determinentur ad operationem à cauſa prima; ſed in hoc ſtat prædeterminatio phyſica: ergo iſta eſt neceſſaria, ut cauſæ naturales in actu ſecundo agant. Prob. maj. Nulla cauſa poteſt eſſe in actu ſecundo agens, niſi ab eo exeat determinata actio; ſed ſine determinatione cauſæ primæ nequit à cauſa ſecunda naturali exire determinata actio: ergo &c. Min. prob. Cauſa naturalis eſt indifferens ad eliciendam hanc vel illam actionem determinatam: ergo nunquam ab ipſa exibit determinata actio, niſi ſit determinata à cauſa prima. Conſequentia eſt exacta, quia ex indifferenti nihil determinatè ſequitur. Ant. prob. ſupponendo, quod una cauſa ſit potens ad eliciendas plures operationes, ſicut & ad producendos plures effectus. Cauſa naturalis non minùs, aut magis eſt potens ad eliciendam unam, quàm aliam operationem, nec magis per unam, quàm per aliam perficitur; ergo quantùm eſt de ſe non minùs eſt potens, &c.

Nec dicere permittitur, cauſam naturalem determinari à ſeipſa. Non, inquam, quoniam ex indifferenti non fit determinatio; talis autem cauſa de ſe, ut vidimus eſt indifferens. Neque per concurſum ſimultaneum, quia concurſus ſimultaneus habetur duntaxat concomitanter, & comitatur cauſam ut in actu ſecundo operantem, ſecùs ſi antecederet eſſet prævius; ergo ſupponit jam determinatam ad agendum, adeoque non determinat eam. Neque per ipſam actionem, quia etiam actio ſupponit agens determinatum ad actionem. Priùs ſiquidem agens debet eſſe determinatum ad actionem, quàm determinatè agere, quia determinata actio non exit, niſi à principio determinatò agente.

Dices, quòd determinatur à ſuis conditionibus, vel à circumſtantiis. Sed

Contra eſt 1. Conditiones Cauſæ ſunt illius proprietates; proprietates autem ſequuntur naturam, modumque naturæ. Ob idque ſi cauſa ex ſuapte natura eſt indifferens, etiam proprietates talem dicunt indifferentiam, adeoque naturam nequeunt determinare.

Secundò contra circumſtantias. Cauſa ſecunda naturalis eſt indifferens ab intrinſecis; ſed circumſtantiæ adimere nequeunt intrinſecam indifferentiam: ergo nequeunt cauſam determinare. Min. prob. Nequeunt tollere per ſeipſas,

quia ſunt extrinſecæ; neque agendo, & producendo quicquam intrinſecè in ipſa cauſa, quia circumſtantiæ nullam habent activitatem: ergo &c.

Adde, quòd circumſtantiæ licèt determinarent ad agendum circa hoc determinatum ſubjectum, non tamen ad determinatam actionem, V.G. per hoc, quòd igni applicetur hæc ſtupa, determinatur ad agendum potiùs circa hanc ſtupam, quàm circa aliud; non tamen determinatur ad determinatam actionem, quia ſtupa ad hoc, ut candefiat non magis unam, quàm aliam exquirit actionem combuſtivam, cùm per quamcunque actionem combuſtivam aduri queat.

Nec iterum dixeris, quòd Cauſa naturalis cùm neceſſariò agat, ex ſeipſa neceſſitatur ad actionem. Ne, inquam, id dixeris. Quandoquidem cùm non minùs unam, quàm aliam reſpiciat actionem, cur ad unam potiùs quàm ad aliam neceſſitabitur?

6. Probatur 2. De cauſis tum liberis, tum neceſſariis. Omnis actio cauſæ ſecundæ, ſive liberæ, ſive neceſſariæ eſt effectus Dei; ſed nequit eſſe effectus Dei per concurſum ſimultaneum: ergo ultra concurſum ſimultaneum eſt admittendus prævius. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd actio quælibet cauſæ ſecundæ eſt ens creatum, & participatum, non minùs; ac effectus quilibet cauſæ ſecundæ; omne autem ens creatum, & participatum eſt effectus Dei; qua ratione etiam Adverſarii concurſum profitentur ſimultaneum ad effectum cauſæ ſecundæ. Min. quoque eſt manifeſta, quia cauſa, & cauſalitas ſuum præcedit effectum; concurſus autem ſimultaneus non præcedit actionem cauſæ ſecundæ, secùs eſſet prævius.

Dices 1. quòd actio eſt quidem ens participatum, non tamen factum per veram actionem, cùm ad actionem non detur actio: Idcirco nequit ſimpliciter effectus vocari. Sed

Contra. Eſt ſimpliciter ens creatum, & participatum non minùs, ac quodlibet aliud ens: ergo debet verè eſſe effectus Dei. Ob idque licèt nequeat veram per actionem fieri à cauſa creata, cujus eſt actio; benè tamen à Deo, ad quem comparatur, non ut actio, ſed ut effectus, cùm ut art. antegreſſo diximus, sepognet, Deum agere per creatam actionem.

Dices 2. quòd actio cauſæ ſecundæ dicitur effectus Dei, quatenus Deus dat, & conſervat eſſe ipſius cauſæ ſecundæ.

Contra. Per hoc, quòd Deus dat, & conſervat eſſe cauſæ ſecundæ non agit, nec producit talem actionem, ſecùs talis conſervatio erit concurſus noſter prævius: ergo per hoc nequit dici effectus Dei. Præterea Filius non dicitur effectus Avi, quamvis Pater ejus habeat eſſe ab Avo.

7. Prob. 3. De cauſa tum non libera, tum & ſpeciatim de libera, nimirum voluntate, Tum quia etiam voluntatis actio, ceu ens participatum, eſt effectus Dei. Tum quia nulla creatura, etiam ſi ſit voluntas, voluntas nequit ſe determinare, & movere ad actum: ergo præmovetur, & prædeterminatur à cauſa prima; non per concurſum ſimultaneum: ergo per prævium. Min. certa eſt, Tum quia ſimultaneus concurſus eſt indifferens, & potiùs determinatur à voluntate, ut profitentur PP Societatis. Tum quia concurſus ſimultaneus cùm non præcedat, ſed ſimul ſit cum actione cauſæ ſecundæ, ſupponit cauſam ſecundam determinatam ad actionem. Maj autem prob. Si voluntas moveret ſeipſam eſſet primum movens, & determinans; ſed hoc eſt impoſſibile, quemadmodum eſt impoſſibile, quòd ſit primum ens.

Explanatur hoc. Solus Deus eſt primum movens; ſed ſi cauſa ſecunda moveret ſeipſam, non ſolus Deus, verum etiam cauſa ſecunda eſſet primum movens: ergo nequit ſeipſam cauſa ſecunda movere. Min. eſt clara quia primò ſeipſam creatura moveret, & non ab alio priori movente priùs ageretur. Maj. autem prob. Deus quemadmodum eſt primum ens, ita eſt primum movens; ſed ſolus Deus eſt primum ens: ergo &c. Prob. maj. Sicut non ſupponit ens aliquod priùs ſe, ita nec aliquod movens ſeipſo priùs ſupponit.

Dum ratiocinium hoc ſub forma hac, ſub qua in hac confirmatione, ex Adverſariis cuidam proponerem, reſponſum mihi fuit, quòd Deus eſt primum movens, primumque agens dignitate, ordine, & præexcellentia, at non præefficientia. Et mihi objiciebatur, quòd Deus, ceu cauſa univerſalis, debet à cauſa ſecunda determinari, ſicut omnis cauſa univerſalis à particulari.

Contra inſteti. Quandoquidem, uti jam dixi, Deus quemadmodum eſt primum ens, ita eſt primum efficiens; ſed Deus eſt primum ens, non tantùm dignitate, ordine, & præexcellentia, verùm præexiſtentia: ergo pariter eſt primum efficiens, non tantùm dignitate, ordine, & præexcellentia, verùm etiam præefficientia.

Ad objectionem negabam aſſumptum, & ad prob. annexam dicebam, veram eſſe de cauſâ univerſali, quæ non eſt prima. Eò vel maximè quòd Deus in concurſu prævio ſe gerit ut cauſa potiùs particularis applicativa. Vel (& ſatiùs) dicebam, quòd cauſa univerſalis in concurſu ſimultaneo determinatur à particulari; at non in concurſu prævio. Vide num. 16. dicere ni malueris aſſumptum eſſe falſum per dicenda in appendice poſt art. 3. ibi.

Alii autem reſpondere conſueverunt, adhuc creaturam non eſſe primum movens, quia habet eſſe ab alio. Sed

Contra eſt ex jam dictis in Conſ. Quandoquidem per hoc, quòd habet eſſe ab alio vel movetur ab alio, vel non? Si primum, habemus intentum. Si ſecundum: ergo à nullo movetur, & determinatur: ad eum modum, quo ſi quod ad eſſe non cauſaretur ab alio eſſet primum ens.

Conſ. Cauſa ſecunda non minùs eſt ſecundum movens, quàm ſit ſecundum ens; ſed quia non eſt primum ens nequit habere eſſe à ſe: ergo quia non eſt primum ſimpliciter movens phyſicè, nequit à ſeipſa phyſicè moveri.

Dixi *phyſicè*, ut refellatur reſponſum de præmotione morali; quia quemadmodum non ſolùm in eſſe morali, verùm etiam in eſſe phyſico non eſt voluntas primum ens; ita non tantùm moraliter, ſed neque phyſicè poteſt eſſe primum movens. Ob idque ſicut admittunt Adverſarii, Deum movere voluntatem moraliter per conſilia, conciones, inſpirationes, &c. ita quoque phyſicè per concurſum prævium phyſicum.

Et huic ratiocinio eſt præ cæteris adhærendum, hiſce præſertim temporibus, quibus nonnihil viget Atomiſtarum ſecta, quos, ceu illos, qui profitentur, actionem non eſſe, niſi motum localem, quem indiſtinctum ponunt à re mobili (ut lib. 3. vidimus) non adeo urgent priores ratiocinationes.

8. Prob. ultimò ſpecialiter de cauſa libera, nimirum voluntate, evertendo Adverſariorum fundamentum. Ideo Deus non præmovet cauſas liberas, quia adimeretur libertas; ſed vanum hoc eſt: ergo nemine impellente eorum corruit fundamentum. Prob min. 1. Deus dare poteſt ipſi voluntati, & ipſum agere, & modum agendi, nimirum liberè: ergo per hoc, quòd illam moveat ad actionem, & illius cauſet actionem non adimet libertatem. Ant. prob. Deus non magis continet in ſe eminenter eſſe, & agere cujuslibet rei, quàm modum eſſendi, & agendi ejuſdem: ergo &c.

Prob. 2. eadem min. Per hoc, quòd Voluntas ſeipſam determinet ad executionem non lædit ſui libertatem in actus executione: ergo pariter neque ex eo, quòd determinaretur à Deo læderetur ejus libertas. Ant. pateſcit, Tum quia secùs ulla nunquam extaret executio libera actus, cùm ad omnem actum voluntas ſe determinet. Tum quia voluntas in executione non infrequenter meretur, taliſque actus executio eſt meritoria; Quod non eſſet, niſi libera foret; ob idque perperam à nonnullis adverſantium negatur. Conſequentia verò prob. Ideo per obverſantes adimeretur libertas per phyſicam præmotionem, quia impoſſibile eſt, quod voluntas præmota non exequatur id, ad quod præmovetur, vel exequatur oppoſitum; ſed etiam ut determinata à ſe nequit non exequi id, ad quod ſe determinat, aut exequi oppoſitum in ſenſu compoſito ſuæ determinationis, ſecùs poſſet ſimul componere executionem, & non executionem, actum volitionis, & actum nolitionis, aut ſimul poſſet eodem actu velle oppoſita: ergo ſi eo non obſtante poteſt ſeipſam ſine libertatis læſione determinare, &c.

Hinc nemine impellente corruunt quoque reſponſa omnia, quæ adducere adverſa pars poſſet; utpote dicendo, eſſe liberam ut determinatam à ſeipſa, quia habet dominium ſupra ſuam determinationem & eſt in ejus poteſtate ponere, & non ponere ſuam determinationem at non habet in poteſtate ponere, & tollere phyſicam præmotionem, ceu non habens dominium ſupra phyſicam præmotionem Dei. Vel ideo phyſicam præmotionem adimere libertatem, quia eſt ab extrinſeco; non ſic verò ſe habet ab extrinſeco determinatio habita à voluntate.

Cor-

Corruunt, inquam. Quandoquidem læſio libertatis per phyſicam præmotionem in eo ſita dicitur, quòd voluntas ut præmota nequit non exequi, aut exequi oppoſitum; ſed quantumcunque voluntas habeat ſuæ determinationis dominium, taliſque determinatio ſit ab intrinſeco, adhuc ut à ſe determinata nequit non exequi, ut vidimus, aut exequi oppoſitum: ergo ſi eo non obſtante non læditur libertas, neque &c. Eò vel maximè, quòd Deus (ut dixi) det agere, & modum agendi liberè, ſe habet phyſica præmotio, eſt æquivalenter in creaturæ poteſtate, & æquivalenter ab intrinſeco, ideſt facit ac facere ſi eſſet in poteſtate creaturæ, & ac ſi eſſet ab intrinſeco.

Complura alia poſſent produci ratiocinia ad noſtram comprobandam veritatem, quæ tamen ceu Theologica ad Theologos mitto.

§. III.

Adverſariorum argumenta diſſolvuntur.

9. ARg. 1. ex Ariſt. qui 3. Phyſ. tex. 18. docet, quòd agens, ut agens non mutatur (loquitur de cauſis ſecundis neceſſariis) ſed ſi agentia ſecunda moverentur à Deo, mutarentur: ergo non præmoventur à Deo.

Conſ. Ariſt. non infrequenter docet, cauſas neceſſarias eſſe omnino ex ſe determinatas: ergo non indigent determinari per phyſicam prædeterminationem.

Reſp. Philoſophum intendere, quòd agens ut agens non mutatur, ideſt non movetur per actionem, per quam agit. Cum quo tamen ſtat, quòd poſſit mutari per motionem ab alio receptam, cùm ut vidimus hic art. primo, ipſe dicat, quòd omne, quod movetur, ab alio movetur.

Ad Conſ. Reſp. cauſas neceſſarias eſſe omnino ex ſe determinatas ad operationem in ſpecie, at non ad operationem in individuo.

Dices. Sublata omni phyſica præmotione, ſi igni applicaretur ſtupa eam adureret: ergo cauſæ naturales ex ſe ſunt determinatæ ad operationem etiam in individuo. Ant. prob. Cauſa naturalis debitè applicata agit; ſed tum foret debitè applicata: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego min. Semota namque quacunque phyſica præmotione nulla poteſt eſſe debitè applicata, & proportionata; quia illa deficiente nequit à cauſa ſecunda exire determinata operatio, ut abundè in antegreſſo §. 2. oſtenſum eſt.

10. Arguit 2. P. Suarez ex D. Th. tum p. p. loco à nobis num 4. relato de illa particula *quaſi*. De qua jam ſatis ibi. Tum p. 2. q. 109. art. 1. 2. & 3. ubi docet, actionem cauſæ ſecundæ dependere à Deo quantùm ad duo. Uno modo inquantùm ab ipſo habet perfectionem, & formam, per quam agit. ſecundò quatenus ab ipſo movetur ad agendum; ſed nomine iſtius motionis non aliud intelligit, quàm concurſum ſimultaneum; ergo &c. Pro. min. Quandoquidem ſi phyſicam præmotionem à ſimultaneo concurſu diſtinctam intelligeret, jam dependeret quantùm ad tria.

Reſp. ibi perſpicuè noſtram profiteri ſententiam, & ſi aliquid urget, non niſi contra ſimultaneum concurſum urget. Deinde, nego min. ad prob. dico, quòd Angelicus non ſupputat ſimultaneum concurſum, quia enumerat duntaxat ea, quæ ſe tenent ex parte cauſæ, cùm ibi veſtiget, quid poſſit Homo ſine auxilio gratiæ. Concurſus autem ſimultaneus ſe tenet ex parte effectus, quatenus attingit effectum, cauſæ ſecundæ, non verò agit in cauſam ſecundam, ſed duntaxat cum ea agit, ut antegreſſo art. dicebamus.

Dices. S. Th. in 2. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 1. docet, actum voluntatis non eſſe ab alio exteriori principio determinante. Præterea p. 2. q. 9. art. 6. ad 3. dicit, Deum movere voluntatem ad volitionem boni univerſalis, voluntatem verò ſe determinare ad hoc bonum verum, vel apparens. Et perſæpe alibi S. Doctor, dicit, voluntatem ſe determinare.

Reſp. ad primam authoritatem, quòd negat actum voluntatis eſſe ab extrinſeco per modum naturæ, & inferente neceſſitatem ac impediente libertatem. Quod non facit concurſus prævius, qui (ut clariùs infra dicetur) non lædit libertatem. Et quòd hæc ſit mens D. Thomæ colligitur ex his, quæ ipſe habet p. p. quæſt. 23. art. 1. ubi ad 1. arg. quod intendebat probare, quòd Deus non prædeterminet voluntatem authoritate Damaſceni, dicentis, quòd Deus non prædeterminat ea, quæ in nobis ſunt. Reſpondet, Damaſcenum ſumere prædeterminationem pro impoſitione neceſſitatis.

Ad 2. dico D. Thomam velle, quòd voluntas ſe moveat ut movens ſecundum, non ut movens primum circa bonum in particulari. Ad differentiam boni in communi, ad quod non liberè ſe movet, nec ut primum, nec ut ſecundum movens, cùm neceſſario illud amet, ut contra Scotum, & alios dicemus in Ethica agendo de Beatitudine.

Dices contra hoc. Quomodo voluntas poteſt ſe movere ſi eſt mota ab alio.

Reſp. quòd optimè voluntas poteſt ſe movere ut movens ſecundum, tametſi à primo movente ſit mota; quia primum movens voluntatem movet, ut ita dicam, ad hoc, ut ſe moveat. Ob idque S. Th. p. p. q. 83. art. 1. ad 3. *dicendum*, inquit, *quod liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum, nec tamen hoc eſt de neceſſitate, quod ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt, ſicut nec ad hoc, ut aliquid ſit cauſa alterius requiritur, quod ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens & naturales cauſas, & voluntarias*. Hæc S. Thomas. Sicque intelligendus eſt idem Angelicus ubicunque dicit, voluntatem ſe movere, & ſe determinare.

Quòd ſi aliquando D. Th. dixiſſe deprehenditur, quòd concurſus cauſæ primæ determinatur ex concurſu cauſæ ſecundæ; Intelligendum id venit, vel juxta dicta num. 7. refellendo primum reſponſum, de concurſu cauſæ primæ ſimultaneo. Vel de determinatione terminativè ſumpta; quatenus terminus præfati concurſus cauſæ primæ eſt ratio entis abſolutè; terminus verò concurſus cauſæ ſecundæ ſunt rationes differentiales, ut antegreſſo art. dicebamus.

Videatur Mauſojule citatus num 4. & Guerinois ibi.

11. Arg 3. Quò magis cauſa aliqua eſt perfecta eò paucioribus actionibus ſuum producit effectum; ſed Deus eſt perfectiſſima cauſa: ergo unico actu, & concurſu concurrit ad effectus cauſæ ſecundæ, adeoque ultra ſimultaneum non eſt prævius addendus. Maj. fit nota in Angelo, qui unico actu ciere totam valet Pelagi aquam, ad quam commovendam non ſufficeret Homo, niſi pluribus, & propemodum infinitis actionibus.

Reſpondeo diſt. maj. ſi ſe ſola concurrat, concedo, ſi media alia cauſa, nego maj. & data min. nego conſeq. Si namque media alia cauſa ad effectum concurrat, tunc multiplex exigitur actio, nimirum una, per quam cauſam illam ſibi ſubordinatam moveat, & alia, per quam ad effectum cum ea concurrat.

Reſponſum aliud vid. in libro de Cœlo quæſt. 4. art. 1. §. 3. ad 6.

Contra. Creatura tametſi una cum cauſa prima concurrat ad ſuum effectum, adhuc concurrit unico concurſu: ergo à pari tametſi Deus unà cum cauſa ſecunda concurrat, adhuc unico concurrit concurſu.

Reſp. dato ant. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen eſt Tum quia concurſus creaturæ eſt duntaxat in ordine ad effectum, concurſus verò cauſæ primæ, nempe Dei eſt in ordine ad duo, nimirum & in ordine ad ipſam cauſam, & in ordine ad effectum. Ob idque requiritur geminus concurſus, ſimultaneus unus ex parte effectus, & prævius alter ex parte cauſæ. Tum quia in hoc ſupremum emicat dominium, quod Deus habet tum ſupra effectum, tum ſupra actionem ipſius creaturæ; quod creaturæ ſupra Deum concedi minimè debet.

Contra. Cauſa creata per ſolum ſimultaneum Dei concurſum intelligitur dependens à Deo: ergo ad hoc, ut Deus concurrat etiam ex parte cauſæ, & habeat dominium etiam ſupra cauſæ actionem non eſt opus prævio concurſu. Prob. ant. Quandoquidem ſimultaneo ſemoto concurſu nequit ſecunda cauſa agere: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. intelligitur dependens concomitanter, concedo, applicativè, aut effectivè, nego. Debet autem dependere etiam applicativè, quia non eſt primum agens, imò & effectivè, quia ejus actio ceu ens participatum debet eſſe effectivè à Deo.

Inſt. Ad actionem non datur actio: ergo actio cauſæ ſecundæ nequit eſſe applicativè, aut effectivè à Deo.

Reſp. 1. diſt. ant. non datur actio effectiva, tranſeat, applicativa, nego.

Secundò diſt. idem ant. ad actionem ut actio eſt, concedo, ut effectus eſt, nego ant. & conſeq. Actio ſiquidem cauſæ ſe-

Digitized by Google

ſæ ſecundæ comparatur ad Deum, non ut actio, ſed potiùs ut effectus ejus.

Tertiò diſt. Idem ant non datur actio ejuſdem ordinis, concedo, diverſi ordinis, nego ant. Quemadmodum namque idem effectus, eſtò nequeat eſſe à pluribus cauſis adæquatis ejuſdem ordinis, benè tamen à pluribus diverſi ordinis. Ita actio quamquam non per aliam ejuſdem ordinis actionem producatur; benè verò per aliam diverſi ordinis actionem.

Dices Quomodo poteſt actio cauſæ ſecundæ eſſe effectivè à Deo ſi eſt effectivè à cauſa ſecunda?

Reſp primodùm, ſatis ſupra art. antegreſſo oſtenſum eſſe, qualiter idem poteſt eſſe à pluribus cauſis diverſi ordinis. Prætereà dico, hoc ideo eſſe, quia actio cauſæ ſecundæ comparatur ad cauſam primam, non ut actio, ſed potiùs ut effectus. Ob idque diverſimodè eſt ab utraque, nimirum à cauſa ſecunda per modum actionis, & à Deo ut effectus.

Aliud fieri poſſet argumentum probans, concurſum Dei eſſe actionem ipſam ſecundæ cauſæ. Verùm hoc jam antegreſſo art. §. 3. n 9 ad ult. arg. ſolutum extitit.

12. Arg. 4 de cauſis liberis. Phyſica præmotio convellit voluntatis libertatem: ergo non approbanda. Prob ant. Liberum eſt, quod poteſt agere, & non agere, ſive indifferens eſt ad utrumlibet; ſed voluntas præmota non eſt ita indifferens ad agendum, & non agendum, cùm nequeat non agere, ſecùs talis præmotio efficax non eſſet: ergo &c.

Reſp nego ant. Ad prob. diſt. maj. quod poteſt agere, & non agere potentia antecedenti, concedo, potentia conſequenti, nego. Item ad aliam partem majoris diſt. eſt indifferens in actu primo, concedo, in actu ſecundo, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Vel aliis verbis (ex doctrina, quam dedimus lib. 2 Summularum, agendo de propoſitionibus modalibus) diſt. eandem maj quod poteſt agere, & non agere, & quod eſt indifferens in ſenſu diviſo, concedo, in ſenſu compoſito nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam.

Notandi ſunt iſti termini, qui in hac, & ſimilibus materiis familiares ſunt apud Thomiſtas. Potentia antecedens illa dicitur, quæ non eſt ad actum redacta; potentia verò conſequens eſt ipſum actuale exercitium potentiæ, ſive potentia reducta ad actum ſecundum. Similiter poſſe non agere in ſenſu compoſito eſt poſſe conjungere negationem actionis cum ipſa actuali præmotione, poſſe verò in ſenſu diviſo, eſt poſſe non agere ſeorſim ab hujuſcemodi præmotione. Voluntas itaque à Deo præmota ad agendum quamquam non ſit potens ad agere, & non agere potentia conſequenti, & in ſenſu compoſito, quatenus nequit conjungere negationem actionis cum ipſa præmotione, ceu ſe tenente ex parte actus ſecundi, ideſt ea parte actualis operationis; poteſt tamen non agere potentia antecedenti, & in ſenſu diviſo.

Nec per hoc detrimentum libertati affertur. Voluntas ſiquidem quemadmodum cùm determinat ſeipſam ad agendum nequit componere negationem actionis cum ipſa prædeterminatione, ac dum actualiter agit nequit componere negationem actionis cum ipſa actione; & tamen liberè operatur; ita licèt nequeat conjungere negationem actionis cum ipſa prædeterminatione ad operandum, adhuc liberè operatur.

Vel aliis ſub terminis iterum eandem diſt. maj. quod poteſt agere, & non agere ſimultate potentiæ, concedo, potentia ſimultatis, nego maj Item ad aliam majoris partem diſt. eſt indifferens indifferentia ſuſpenſionis, nego, indifferentia deliberativa, concedo maj & diſtincta min. nego conſeq. Voluntas itaque præmota à Deo habet ſimul potentiam ad oppoſitum. Et hæc vocatur ſimultas potentiæ. Non tamen habet potentiam ad ſimul conjungendum oppoſitum cum tali prædeterminatione; quæ vocaretur potentia ſimultatis.

Ea ex re habes, quòd Thomiſta non negat, voluntatem præmotam habere ſimul potentiam ad oppoſitum (ut falsò pars adverſa diſſeminat) licèt neget, habere potentiam ad ponendum oppoſitum ſimul. Nec phyſica præmotio adimit indifferentiam deliberationis, ſed illam perficit, cùm ſit ipſum libertatis exercitium à primo libero deſcendens, ſed duntaxat tollit indifferentiam ſuſpenſionis, & perplexitatis, quæ non requiritur ad libertatem. Palam ſiquidem eſt, quòd Deus eſt perfectiſſimè liber, & tamen eſt omnis perplexitatis, & ſuſpenſionis expers.

Contra 1. Etiam cauſæ naturales poſſunt in ſenſu diviſo non agere ex defectu alicujus requiſiti, ut puta ignis non candefacit ex defectu applicationis: ergo cauſa libera, ut à naturali diſtinguatur, debet poſſe non agere etiam in ſenſu compoſito.

Secundò. Fruſtranea eſt potentia, quæ non reducitur ad actum; ſed illa potentia antecedens non reducitur ad actum: ergo non datur in voluntate præmota.

Tertiò. Voluntas præmota ſi poſſet non agere potentia antecedenti, poſſet potentia antecedenti fruſtrare Divinam præmotionem; ſed hoc eſt impoſſibile, ſecùs illa præmotio non eſſet efficax: ergo nec potentia antecedenti poteſt non agere. Prob. ant. Si potentia conſequenti non ageret, potentia conſequenti, ideſt in actu ſecundo fruſtraret præfatam præmotionem; ergo pariter ſi poſſet, &c. jam &c.

Ad 1. reſpondent nonnulli, quòd naturalis cauſa poteſt non agere in ſenſu diviſo ex defectu alicujus ſe tenentis ex parte actus primi. Rei namque combuſtibilis approximatio ad ignem ſe tenet ex parte actus primi. Quòd autem nequeat voluntas non agere in ſenſu compoſito eſt ea aliquo ſe tenente ex parte actus ſecundi. Ob idque nec potentiam antecedentem, nec libertatem adimit.

At reſponſum hoc licèt verum dicat, poteſt inſtari, quia etiam cauſa naturalis poteſt in ſenſu diviſo præmotionis non agere; ſed præmotio ſe tenet ex parte actus ſecundi: ergo uſque modò non diſtinguitur à libera. Aliter igitur

Reſp. diſt. ant. etiam cauſæ naturales in ſenſu diviſo poſſunt non agere, ſe ab intrinſecis determinando ad non agendum, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Hæc itaque eſt differentia inter naturalem, & liberam cauſam, quòd prima poteſt non agere ex defectu alicujus prærequiſiti præcisè; non tamen ſe ab intrinſecis determinando, undè poſſe non agere provenit omnino ab extrinſeco. Cæterùm voluntas in ſenſu diviſo, nimirum ſeorſim à præmotione poteſt non agere, ſe determinando ab intrinſecis ad non agendum, cùm ſemper indifferentiam retineat judicii ad judicandum, num opus ſit faciendum, nec ne? Quod in cauſis naturalibus non habetur.

Dices. Voluntas, niſi fuerit præmota nequit agere: ergo quòd in ſenſu diviſo non agat non provenit ex ſua libera determinatione ab intrinſecis.

Reſp. ut ſupra diſt. ant. nequit agere potentia conſequenti, concedo, potentia antecedenti, nego ant. & conſeq. Quandoquidem cùm præmotio ſe teneat ex parte actus ſecundi, non verò ex parte actus primi, idcirco ea ejus ſemotione non adimitur potentia ad agendum, ſed duntaxat deficit ipſum actuale agere, quemadmodum ex ejus poſitione ponitur, non ipſa potentia ad agendum, ſed ſolummodo ipſum agere. Ob idque voluntas non præmota nunquam quidem ager; poteſt tamen agere. Unde remanet indifferens, adeoque potens ſe determinare ad agendum, vel non agendum.

Et hic pulcherrima expendenda doctrina S. Thomæ p. p. q. 83. art. 1. ad 3 arg. quod ſibi objicit ad probandum Hominem non habere liberum arbitrium, eò quòd à Deo movetur ad agendum. Reſpondet Angelicus, quòd Deus eſt prima cauſa movens tum naturales cauſas, tum voluntarias; & ſicut movendo cauſas naturales non aufert ab eis, quòd earum actus ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias non facit, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit, cùm operetur in qualibet re juxta ejus proportionatam exigentiam. Eadem habet q. 22. art. 3 ad 4. ubi docet, quòd contingentia cuncta, & libera præordinata à Divina providentia, licèt ſint infallibiliter eventura; tamen ſunt liberè, & contingenter eventura, quia Deus præordinavit & eorum eventum, & modum etiam, quo eventura ſunt, nimirum contingenti, & libero, ſeu præordinavit, & ſubſtantiam, & modum. Vide quæ diximus num 8 Idque poteſt alio illuſtrari exemplo. Siquidem licèt ſit infallibile, quòd in ſyllogiſmo probabili ex ejus præmiſſis fallibilibus ſequetur concluſio, non tamen eſt infallibile, quòd concluſio ſequetur infallibili modo, & infallibilis, ſed eſt infallibile, & neceſſarium, quod ex illis præmiſſis fallibilibus ſequetur concluſio fallibilis, modoque fallibili.

Ad 2. inſtantiam diſt maj. Fruſtranea eſt potentia, quæ nunquam reducitur ad actum, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. illa potentia non reducitur ad actum in ſenſu compoſito præmotionis, concedo, ſecùs, nego min.

& con-

& conſeq. Ad hoc, ut potentia aliqua fruſtranea non ſit, non eſt neceſſe, quòd ſemper, & pro omni tempore reducatur ad actum, ſed ſatis eſt, reduci pro aliquo, & debito tempore. Potentia autem illa antecedens, quamquam nequeat reduci ad actum oppoſitum in ſenſu compoſito præmotionis, poteſt tamen reduci in ſenſu diviſo.

Ad 3. inſt diſt. maj. Si eſſet potentia ſimultatis, concedo, ſi duntaxat potentiæ ſimultas, nego maj. & data min. nego conſeq. Verum eſt itaque, quòd potentia illa antecedens poſſet præmotionem illam fruſtrare ſi eſſet potentia ſimultatis, ideſt ſi eſſet potentia ad ponendum ſimul negationem actus cum ipſa præmotione ad actum. Non eſt autem ſimultatis potentia, ſed tantummodo potentiæ ſimultas, hoc eſt, dum eſt ad operationem præmota habet ſimul potentiam ad non operandum in ſenſu diviſo; ideſt ſeorſim ab ipſa præmotione.

Qua ex re nemine impellente corruit, id quod incunctanter circumfertur ab Hoſtibus, nimirum *voluntas præmota ad amorem non poteſt non amare, nec poteſt odio habere: ergo neceſſariò non liberè amat*. Semper namque in promptu habenda eſt diſtinctio illa, non poteſt non amare, nec poteſt odio habere potentia conſequenti, & in ſenſu compoſito, concedo, potentia antecedenti, & in ſenſu diviſo, nego ant. & conſequentiam.

Nec obeſt, quòd poſita præmotione ad amorem, voluntas ſit infallibiliter amatura. Non, inquam, obeſt, quia non eſt idem, aliquid eſſe infallibiliter eventurum, & neceſſariò eventurum, loquendo ſaltem de neceſſitate phyſica, & coactionis, ut eniteſcit ex doctrina nuper adducta ex D. Th. Ob idque voluntas efficaciter præmota ad amorem infallibiliter amabit, modo tamen libero infallibiliter amabit; & ad ſummum interveniet neceſſitas quædam logica.

53. Arg. 5. Si quamcunque ad actionem requiritur concurſus iſte prævius, ſequitur, quòd præcepti nullius tranſgreſſio ſit ad culpam imputabilis; ſed hoc hæreticum eſt: ergo ejurandus prævius iſte concurſus eſt. Prob. maj. Cùm urget præceptum de diligendo Deo, vel Deus ſuppeditat mihi prævium concurſum? ſicque præceptum adimpleo. Vel non dat? Et ſic rationabilis adeſt excuſatio: ideo quippe non adimpleo, quia prævium concurſum minimè habeo.

Conſ. Tunc liberum aliquod dicitur, quando expeditam habet potentiam ad operandum, & non operandum, ſed voluntas præmota ad amorem non habet potentiam expeditam ad odium: ergo non eſt libera. Prob. min. Tunc aliquid habet potentiam expeditam ad actum, quando habet omnia requiſita ad actum; ſed voluntas præmota ad amorem non habet omnia requiſita ad odium: ergo &c. Maj. eſt certa. Min. magis, quia non habet præmotionem ad odium.

Reſp. nego min. Ad prob. dico, quòd ad hoc, ut non adimplere præceptum cuipiam ad culpam imputetur, ſat eſt, quòd poſſit illud adimplere, & non adimpleat. Poteſt autem quis tametſi à Deo non præmotus, potentia antecedenti quodvis præceptum implere, quia phyſica præmotio cùm ſe teneat, non ex parte actus primi; ſed ex parte actus ſecundi, non dat poſſe, ſed dat ipſum actuale operari; & ex ejus deficientia non deficit poſſe, ſed duntaxat deficit ipſum actuale operari.

Sanè arg. hoc militat quoque contra ſimultaneum concurſum, quia ſine iſto nunquam homo opus aliquod efficiet, aut mandatis obtemperabit. Dicere autem cum parte obverſante, quòd ſimultaneum concurſum Deus cuique exhibet, & offert, nihil prodeſt. Quandoquidem talis concurſus vel eſt debitus, ſicque opus æterna dignum vita erit, non ex gratia Dei, ſed ex debito. Quod hæreticum eſt. Vel non eſt debitus: ergo poteſt illum Deus denegare, & adhuc vitio dare Homini præcepti omiſſionem; quia Deus dare non tenetur concurſum ad præcepti obſervantiam. Sed fuſiùs hoc in materia de gratia agitatur.

Dices. Quomodo non ambulare vitio dabitur Homini compedibus vincto. Vel quomodo culpa erit in Diſcipulo non ſcribere, ſi abſque eo quòd Magiſter ejus ducat manum ſcribere nequeat: ergo quomodo imputabitur ad culpam omiſſio præcepti in eo, qui phyſicam præmotionem ad præcepti impletionem requiſitam non habet?

Reſp. dato ant. nego conſeq & paritatem habitam ex non plena phyſicæ præmotionis notione. Diſcrimen eſt, Tum quia potentia ambulativa à vinculis ſoluta requiritur per modum actus primi ad deambulandum. Item in Diſcipulo, qui ſine ductu Magiſtri ſcribere neſcit, habetur impotentia in actu primo, nempe defectus ex parte potentiarum ſuperiorum, nimirum intellectus, aut organorum. Præterea cuncta iſta ſunt requiſita ejuſdem ordinis.

Inſt. Præmotio phyſica ſe tenet ex parte actus primi, & non ex parte actus ſecundi: ergo corruit Thomiſtica baſis. Prob. Etenim quod antecedit actum ſecundum ſe tenet ex parte actus primi; ſed phyſica præmotio antecedit actum ſecundum: ergo &c. Maj eſt evidens. Quandoquidem, qui antecedit actum ſecundum non eſt, niſi actus primus. Min. prob. Phyſica præmotio dicitur à Thomiſta motio prævia, ſive præmotio; ſed prævia idem eſt, ac priori ergo &c. Secùs ſi prior non eſſet, foret concurſus ſimultaneus, qui prior non eſt.

Nec juvat reſponſum Guerinois de præcedentia *à quo* & cauſalitatis. Non, inquam, quia etiam Sol præcedentia duntaxat *à quo* & cauſalitatis, præcurrit ſuam illuminationem; & tamen Sol non ſe tenet ex parte ipſius actualis illuminationis.

Ad hoc, in quo Anconæ non parùm exultantem audivi Presbyterum quendam Meſſanenſem cognomento Mazza, nego ant. Ad prob. diſt maj. quod antecedit actum ſecundum faciendo aliquid circa actum primum ſe tenet ex parte actus primi, concedo, quòd antecedit actum ſecundum relinquendo intactum actum primum, ſe tenet ex parte actus primi, ſeu potentiæ, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Phyſica itaque præmotio quamquam ſit actu ſecundo prior non dicitur ſe tenere ex parte actus primi, ideſt ex parte potentiæ, quia non exercetur circa ipſam potentiam, ſed tota occupatur circa ipſum actuale exercitium, ideſt circa ipſam actualem operationem.

Ad Conſ. diſt. maj. quod habet potentiam expeditam in actu primo, concedo, in actu ſecundo, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Voluntas itaque ad amorem præmota quamquam non habeat concurſum ad odium, adhuc dicitur expedita in actu primo ad odium, quia præmotio, & concurſus prævius ſe tenet ex parte actus ſecundi.

Dices. Voluntas præmota non habet dominium ſupra actum ſuum: ergo non eſt libera. Prob. ant. Ad hoc, ut habeat dominium ſupra actum ſuum debet habere dominium ſupra omnia requiſita; ſed non habet dominium ſupra concurſum prævium: ergo &c.

Conſ Præmotio phyſica non ſtat in manu noſtra, nec poſſumus pro noſtro libitu eam tollere, aut impedire: ergo nec ſtat in manu, & arbitrio noſtro actus ad quem præmovemur, adeoque in ordine ad illum non ſtat libertas.

Reſp. 1. nego ant. Ad prob. diſt. maj. ſuper omnia requiſita, quæ ſunt ejuſdem ordinis creati, concedo, quæ ſunt diverſi ordinis, nego maj. & diſtinguo min. & aliàs concurſus prævius eſt unum ex requiſitis ordinis creati, nego, ſecùs, concedo min. & nego conſeq. Ad hoc, ut voluntas dicatur obtinere dominium ſupra actum ſat eſt, habere dominium ſupra omnia ad actum requiſita, quæ ſunt ordinis creati, non verò requiritur habere dominium ſupra requiſita ordinis divini, cujuſmodi eſt concurſus prævius. Iſte namque eſt cauſalitas primi liberi continentis omnem creatam libertatem, adeoque tametſi non ſit in voluntatis dominio, adhuc poteſt ſummopere perficere, non verò lædere voluntatis libertatem.

Reſp. 2. cum aliis nego iterum ant. Ad prob diſt. maj. debet habere dominium ſupra omnia, quæ ad actum ſunt requiſita per modum actus primi, concedo, per modum actus ſecundi, nego maj & diſtincta min. nego conſeq. Ut voluntas obtineat dominium ſupra actum ſat eſt, quòd poſſit elicere, & non elicere. Et quia poſſe elicere, & non elicere importat rationem actus primi; idcircò ſufficit, quòd poſſideat dominium ſuper ea, quæ ex parte actus primi requiruntur. Prævius autem concurſus ex parte actus ſecundi ſe tenet. Ex his

Ad conſ. nego conſeq. quia non requiritur habere in manu noſtra, ea quæ ſe tenent ex parte actus ſecundi; aut quæ ſunt ordinis increati.

Ad hoc, ut voluntas dicatur liberè amare, debet poſſe ponere amorem; ſed non poſſet ponere amorem: ergo &c. Min. prob. Qui poteſt ponere formam, poteſt ponere omnia requiſita ad formam, ut inductione deprehenditur; ſed voluntas nequit ponere phyſicam præmotionem requiſitam ad amandum: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. Idem militare de concurſu ſimultaneo. Præterea ultra nuperrima dicta addas per dicta

ſub num 8. finem diſt. min. & aliàs ſe habet ac ſi poſſet eam ponere, vel poneret, concedo, ſecùs, nego. Cùm enim Deus det etiam modum operandi ita ponit phyſicam præmotionem ac ſi hæc à creatura poneretur.

54. Arg. 6. ad idem. Voluntas ad amorem præmota, ut libera ſit debet poſſe obſiſtere hujuſcemodi præmotioni, ſed reſiſtere nequit, ſecùs fruſtraretur præmotio, nec daret ipſum agere: ergo cum tali præmotione non ſolvatur libertas.

Conſ. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can 4. ubi dicitur *ſi quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, & vocanti quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, & præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Reſp. diſt. maj. deberet poſſe obſiſtere poſitivè, nego, negativè, concedo maj & diſtincta mio nego conſeq Quamquam non valeat obſiſtere poſitivè obſiſtentia poſitiva, quaſi vim faciendo, ad eum modum, quo reſiſtitur alicui cogenti, & violentiam inferenti (quia phyſica præmotio non cogit, ſed ſuaviter, ac modo perfectiſſimo determinat ad actum) Poteſt verò reſiſtere reſiſtentia negativa, prout idem eſt ac diſſentire. Poteſt ſiquidem non aſſentire, ſaltem potentia antecedenti, ut prædeclaratum ſupra eſt.

Et per hoc patet ad Conſ.

Dices. Libertas convellitur ex ſuppoſitione alicujus antecedentis neceſſitatis inferentis actionem; ſed concurſus prævius antecedit creaturæ actionem, quæ neceſſariò ad illum ſequitur: ergo adimit libertatem.

Reſp. maj. eſſe veram, quando neceſſitas illa antecedit quidpiam exercendo circa actum primum, non verò quando antecedit tota circa actum ſecundùm occupata, juxta dicta num. antegreſſo 13.

Dices. Si Deus cogere vellet, & violentare meam voluntatem (quemadmodum ſi vellet poſſet ceu ſupremus Dominus) non aliter facere id poſſet, quàm illam præmovendo, & prædeterminando per concurſum prævium; ergo ſi iſto utitur, neceſſitat, & cogit.

Reſp. primodùm nego ſuppoſitum. Repugnat enim ex parte facti inferri violentia voluntati quò ad actus internos volendi, & nolendi etiam à Deo ut ſupremo Domino, ut docet, & probat S. Th. tum p a. q. 6 art. 4 tum p. p q. 82. art. 1. tum q. 22. de veritate art. 5 ſub finem, & dicemus in Ethica q. 2. art. unico §. 1. aliter actus eſſet & non eſſet voluntarius.

Deinde Reſp. quòd Deus ſi vellet cogere, & vim meæ facere voluntati, id faceret, non tantùm prævié movendo, ſed ulteriùs adimendo indifferentiam judicii, nimirum ne poſſem indifferenter judicare de objecto num ſit acceptandum, nec ne.

55. Arg. 7. ſalvatur ſufficiens dependentia cauſæ ſecundæ à prima per concurſum ſimultaneum; ergo ſuperfluit prævius. Ad hoc habes art. retroacto num. 8 ad 3. arg

56. Arg. ultimò. Si Deus voluntatem ad operandum prædeterminaret, ſequeretur, quòd prædeterminaret quoque peccaminoſas ad actiones; ſed hoc dicere nefas eſſet, ſecùs Deus foret cauſa peccati: ergo &c. Prob maj. Tum quia etiam actiones peccaminoſæ ſunt actiones quædam: Tum quia eſt eadem, ac de aliis ratio, cùm ſint & ipſæ ens participatum: ſimiliter ſecùs in illis voluntas eſſet primum movens, ac determinans. Et ſic corruunt ratiocinia cuncta noſtra.

Argumentum hoc militat quoque contra ſimultaneum concurſum, quia cùm Deus unà cum cauſa ſecunda concurrat ad actiones omnes, & effectus, ſequitur, quod etiam ad peccatum cum voluntate concurreret.

Dicere autem, quòd ſimultaneus concurſus eſt indifferens, & determinatur ad peccatum cauſandum à voluntate: nec eſt verum, nec eſt ſufficiens ad difficultatem evacuandam. Non eſt verum, quia ſi concurſus ſimultaneus eſſet indifferens, ſequeretur (ut oſtendam in tract de Voluntate Dei q 3. in art. 1.) quòd Deus non magis eſſet cauſa operis boni (ſublato etiam prævio concurſu) quàm mali, ſeu peccati, ſaltem phyſicè loquendo, quidquid poſtea ſit, num ſit cauſa moralis operis boni, & non mali per inſpirationes, conſilia, &c. Cujus falſitas ſatis oſtenditur à Theologis in materia de Gratia. Nec eſt ſufficiens, quia non excuſatur quis, ſi peccatum, tametſi ab alio inductus perpetret.

Reſponderi primitùs poſſet communi ſolutione, quòd Deus prædeterminat, & concurrit ad peccatum quò ad entitatem phyſicam, non verò quò ad entitatem moralem, ideſt malitiam, ſeu quò ad materiale, non verò quò ad formale. Quæ virtualiter ſaltem diſtinguuntur. Seu concurrit ad peccaminoſam actionem, non ut peccaminoſa eſt, ſed ut actio eſt Quod reſponſum fusè ſuſtinetur hic à Goudin, & Arnù vidcndo

Verùm ne tam grandem illam aſſumamus provinciam, quæ Theologorum eſt (eamque tractabimus in tract. de Voluntate Dei q. 3. art. 4.) nimirum num Deus poſſit concurrere ad materiale, quin concurrat ad formale peccati. Idcircò aliter

Reſp. nego ſequelam. Ad prob. nego aſſumptum. Non enim militat primum ratiocinium noſtrum, quia voluntas ut à cauſis neceſſariis ſecernitur ratione ſuæ libertatis, poteſt ſe determinare. Nec inde ſequitur, quòd ſit primum movens, primum determinans, primumque efficiens, ſed duntaxat quòd ſit primum deficiens, quia peccatum eſt à voluntate ut à deficiente, eſtque defectus potiùs quàm effectus. Tametſi namque ſit à voluntate effectivè, eſt tamen efficientia defectuoſa, & effectus defectuoſus, rationem defectus potiùs quàm effectus obtinens. Item eſt ens participatum, non à primo ente, ſed à primo deficiente, nimirum voluntate; ob idque non eſt effectivè à primo ente.

Et univerſim in his, quæ non perfectionem, ſed imperfectionem & defectum dicunt, poteſt creatura eſſe primum, ſicut materia eſt prima potentia; Cælum eſt primum corpus, licèt hoc ſecundum ſit aliqua perfectio comparativè, ſcilicet relatè ad alia corpora.

57. Ex dictis num 13 eniteſcit, quòd phyſicè præmotus non eſt comparandus ei, qui eſt funibus ligatus. Comparandus itaque eſt illi, qui dum trahitur vult trahi, ut verificetur liberè trahi ulla abſque neceſſitate, & coactione, ac vi, juxta illud Prophetæ *converte nos Domine ad te, & convertemur*: & Eccleſia in collecta *ſecreta* Dominicæ ſecundæ poſt oct. Trinit. ſive quarta poſt Pent. *noſtras etiam rebelles ad te compelle voluntates*. Ea de re, ut ſit ſecundum liberum non eſt neceſſè, quòd trahatur dum vult trahi, ſecus rebellis non eſſet, imò eſſet primum liberum, ſicque de libertate legum Hominem faceremus (ut non infrequenter Noſtrates conqueruntur) ſed ſat eſt, quòd dum trahitur, trahi velit. Ea propter SS. P. Innoc XI. die 23. Novembris 1679. hanc confixit propoſitionem *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*, quæ hanc concernebat materiam. Deus itaque diſponit cuncta ſuaviter. Huc illud Aug. tract 26. in Jo: ex Virg. *trahit ſua quemque voluptas*, & legitur feria 4. infra oct. Pent. pro homil.

Aliqua argumenta, & præſertim propoſitiones damnatas à Clemente XI, adductam in tractatu de Voluntate Dei p. p.

ARTICULUS TERTIUS.

Num per concurſum prævium imprimatur cauſæ ſecundæ qualitas aliqua.

§. I.

1. MEmento, quòd quolibet in effectu cauſæ ſecundæ ſunt prædicata aliqua, quæ nec principaliter, nec inſtrumentaliter queunt à creatura produci, nimirum ratio univerſaliſſima entis, & ſecundùm Bannez exiſtentia, ut diximus art 1. hujus quæſtionis § 2. num. 4 & §. 3. num. 7. Alia ſunt, quæ duntaxat inſtrumentaliter (ſecundùm Flandriam, & alios, quos refutavimus lib primo quæſt. 5. art. quarto) à creatura produci valent, ut ſunt omnes ultimæ actualitates in ratione ultimæ actualitatis, ut exiſtentia, operatio, &c.

2. Senſus communis Thomiſtarum eſt, per concurſum prævium imprimi cauſæ ſecundæ qualitatem aliquam per modum tranſeuntis applicativam illius ad operationem. Quamvis nonnulli controverſiam iſtam cum præcedenti confundant.

Secedit ab hoc communi Thomiſtarum placito Emin. Ferrari in ſuo autographo, ut ipſemet quoddam in colligendo fatetur, Annuit namque prævium per concurſum imprimi qualitatem aliquam in ordine ad prædicata, ad quæ ſecunda cauſa inſtrumentaliter duntaxat concurrit. In ordine autem ad alias dicit, imprimi ſolummodo agen-

agentem actionem, quam 3. Phyſ. ipſe propugnat, quamque ibidem nos exploſam fecimus.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

3. CAuſam ſecundam recipere à Deo qualitatem aliquam in ordine ad ea, ad quæ inſtrumentaliter concuſſit abundè oſtendi poteſt ex dictis lib. 2. quæſt. 2. art. 1. ubi defenſavimus, inſtrumentum in ratione talis conſtitui per virtutem à principali cauſa participatam.

Quòd verò exter qualitas aliqua applicativa cauſæ ſecundæ ad agendum poteſt primitèr probari explodendo actionem illam agentem, quam refutavimus lib. 3. art. unico. Illuc adeas. Præterea

4. Prob. 1. authoritate D. Th. qui quæſt. 3. de pot. art. 7. ad 7. *ſeptimum*, inquit, *dicendum, quòd virtus naturalis, quæ eſt in rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum per modum, quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Nec S. Th. loquitur de creatura præcisè ut inſtrumentaliter operante, quia (ut antegreſſo art. vidimus) non rarò comparat cauſam ſecundam cum inſtrumentis; & tamen non facit omnimodam comparationem, nec vult, eſſe propriè inſtrumentum, ſecùs nunquam daretur cauſa ſecunda principalis.

5. Prob. 2. ratiocinio, quo antegreſſo art §. 2 num. 5. uſi ſumus. Indifferentia intrinſeca nequit tolli, niſi per aliquid intrinſecè ſuperadditum; ſed cauſa ſecunda eſt intrinſecè indifferens ad hanc, vel aliam operationem: ergo ut determinetur ad hanc potiùs, quàm ad illam requirit aliquid intrinſecè ſuperadditum, adeoque, cùm, ut probavimus antegreſſo art. per totum, cauſa ſecunda determinetur à cauſa prima, dicendum venit, recipere ab illo medio prævio concurſu qualitatem aliquam intrinſecè ſuperadditam. Videatur anteacto art. citato num 5. ubi adverſariorum reſponſa refelluntur.

6. Prob. 3. Id, per quod cauſa ſecunda eſt habitualiter operativa eſt quidpiam intrinſecè habitualiter, permanenter receptum in ipſa à Deo ſuæ conditionis à principio: ergo pariter fiet actuale operationis principium per aliquid intrinſecè à Deo derivatum, & receptum vialiter, ac tranſeunter. Prob. conſequentia. Siquidem non magis eſt quid reale eſſe habitualiter quàm eſſe actualiter operativum: ergo ſi &c.

§ III.

Argumenta adverſantiu ſolvuntur.

7. OBjici primodùm poſſent loca nonnulla D. Th. in quibus aſſerere videtur, Deum nihil ponere in cauſa ſecunda per hoc, quod illam moveat. Verùm facilè interpretatur S. D. Dicimus namque, eum velle, quod nihil intrinſecè in cauſa ſecunda recipiatur per modum permanentis, habentis eſſe firmum, & habituale. Non verò negat recipi, qualitatem aliquam incompletam, vialem, & tranſeuntem, ut ex dictis num. 4 habes.

Arg. 1. Qualitas hæc prævium per concurſum impreſſa eſt penitus ſuperflua: ergo abjicienda. Prob. ant. Deus per ſeipſum immediatè immediatione ſuppoſiti efficit actionem cauſæ ſecundæ: ergo ſuperfluè ponitur qualitas hæc, media qua ad determinatam actionem cauſæ ſecundæ concurrat. Ant. ſtabilitum fuit art. 1. nimirum omne ens participatum debet eſſe à Deo immediatè immediatione ſuppoſiti.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. immediatè per ſeipſum efficit actionem cauſæ ſecundæ eo modo, quo fit à cauſa ſecunda, nego, ſecùs concedo ant. & nego conſeq. Ut namque antegreſſo art. dicebam, cauſæ ſecundæ actio eſt cauſalitas, non reſpectu cauſæ primæ, ſed duntaxat reſpectu cauſæ ſecundæ. Reſpectu autem primæ cauſæ habet rationem effectus potiùs, quàm actionis. At qualitas illa ſecundæ cauſæ impreſſa non eſt id, medio quo Deus cauſat actionem creaturæ; ſed eſt id, per quod creaturæ indifferentia tollitur, ut hanc potiùs, quàm al[illegible] producat actionem, prout actio hæc ſoli ſecundæ cau[illegible] correſpondet. Per concurſum itaque prævium duo De[illegible] efficit, nimirum & determinat cauſam ſecundam ad hanc potiùs, quàm ad aliam actionem, & prætereà efficit cauſæ ſecundæ actionem. Ad primum igitur, non ad ſecundum ponitur qualitas.

Contra ex præfato illo in m. ſ. Etiam eſſentia eſt indifferens ad recipiendam exiſtentiam; & tamen ad hoc, ut exiſtentiam acquirat, non requiritur qualitas aliqua ſuperaddita: ergo pariter ad hoc, ut ſecunda cauſa operetur non exigitur qualitas aliqua ſuperaddita.

Reſp. diſt. ant. eſt indifferens indifferentia purè objectiva, concedo, indifferentia ſubjectiva, nego ant. & conſeq. Eſſentia ſiquidem antequam exiſtentiam poſſideat dicitur in potentia purè objectiva explicata lib. 1. q. 2. art. 1 §. 1. num. 2. Eadem ratione eſt indifferens indifferentia purè objectiva. Cæterum cauſa ſecunda priuſquam operetur eſt indifferens indifferentia ſubjectiva; Idcirco diſpar eſt ratio.

Contra ex eodem 2. Etiam Materia dum eſt ſub una forma eſt indifferens indifferentia ſubjectiva ad recipiendam aliam formam; ſed ad hoc, ut recipiat aliam formam non requiritur qualitas aliqua, intrinſecè ſuperaddita: ergo pariter &c. Prob. min. Qualitas eſt accidens; ſed nullum accidens poteſt recipi in materia prima: ergo &c.

Secundò. Etiam potentiæ inferiores Animæ ſunt indifferentes indifferentia ſubjectiva ad operandum, & determinantur ad operandum à ſuperiori potentia, nimirum voluntate, & tamen voluntas nullam imprimit qualitatem potentiis inferioribus: ergo pariter &c.

Reſp. ad 1. in qua indigitatur difficultas illa, num materia, & forma determinentur ad uniri per qualitatem aliquam ſuperadditam. Utrumque tutari poſſe, nimirum quòd ſic, & quòd non. Primodùm igitur nego ſuppoſitum min. Dico ſiquidem, quòd hujuſcemodi qualitas non reciperetur in nuda materia; cum ad modum, quo diſpoſitiones ad formam recipiuntur, non immediatè in materia prima, ſed in toto compoſito, ut dicemus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q 2. art. 1. §. 3. num. 8. ad 3. arg. Obſervandum tamen, quòd qualitas hæc non eſſet nexus inter materiam, & formam, ſed eſſet præcisè virtus determinativa.

Præterea diſt. eandem min. Nec extat aliquod aliud determinans, nego, ſecùs, concedo min. & nego conſeq. Materia etenim determinatur ad formam ex diſpoſitionibus à Generante inductis. Cauſa verò ſecunda, niſi determinaretur qualitate aliqua excogitabile non foret aliud, per quod intrinſecè determinaretur, ut patebit cuique legenti, quæ diximus antegreſſo § 2. num. 5. & loco ibi ex præcedenti art. relato cum ſuis inſtantiis.

Ad 2. dico primitus, quòd ea, qua non probatur facilitate, potentiam ſuperiorem non imprimere qualitatem aliquam in potentiis inferioribus, abnuere nos poſſumus. Prætereà permiſſo ant. nego conſeq. ac paritatem. Diſparitas eſt, quia potentia ſuperior eſt quodammodo ipſis inferioribus potentiis intrinſeca, quatenus potentiæ omnes in eadem communicant radice, nimirum in eadem Anima. Cauſa verò prima tametſi intrinſeca ſit cauſæ ſecundæ; tamen in ratione prædeterminantis ſe habet extrinſecè, cùm præſupponatur ad rem prædeterminatam, & aliàs cauſa prima & ſecunda non communicant eadem in radice.

8. Arg. 2. Si extaret hujuſcemodi qualitas impreſſa creaturæ, vel eſſet movens immota, vel ab alio mota. Si primum, foret primum movens, ſicque quid creatum minimè foret. Si ſecundum: ergo movetur per aliam qualitatem ſibi impreſſam, & ſic in infinitum.

Reſp. (aliorum miſſis reſponſis) ex dictis ſupra quæſt. 1. hujus libri ad 1. contra reſponſum datum ad 2. arg. quòd virtus illa movetur à Deo, non tamen media alia qualitate, quia movetur, non *ut quod*, ſed duntaxat *ut quo*, quatenus eſt id, quo cauſa ſecunda movetur. Unum autem *quo* non indiget alio *quo*.

9. Arg. 3. Excogitabile non eſt, ad quam ſpeciem pertineat hujuſcemodi qualitas impreſſa cauſæ ſecundæ: ergo non extat.

Reſp. nego ant. ac dico, quòd ceu quid incompletum, & viale ad nullam ſpeciem, aut genus attinet, ſed reductivè, ideſt reducitur termini ſui ad genus, & ſpeciem

10. Arg. poſtremò. Ad hoc, ut ſpecies intelligibilis agat non requiritur qualitas aliqua illi intrinſecè ab intellectu impreſſa, & ſat eſt, quòd agat, quia intellectus agit: ergo pariter ſufficit, quòd creatura agat quia Deus agit, nec requiritur qualitas ulla.

Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia ſpecies eſt id, quo intellectus determinatur ad talem, & talem cognitionem.

nem. Eſt namque ſpecies intelligibilis qualitas producta in intellectu ab objecto, & illius determinativa. Ea de re argumentum retorquetur.

11. Argumenta alia nonnulla poſſent adduci, quæ ſolvit Cavinus art. antegreſſo, ſed quia non magni ſunt momenti omitto. Eò vel maximè quòd non modicam afferunt caliginem.

Ex hactenus dictis, & præſertim num. 5. & meliùs eodem illo num. 5. relato habes, quòd non ſufficit mera extrinſeca aſſiſtentia cauſæ primæ, ut cauſa ſecunda agat per ſympathiam quandam, ſed requirit aliquod intrinſecè immutans cauſam ſecundam, ſecùs ſi nihil intrinſecè reciperet remaneret intrinſecè ſicut antea. Ob idque ſi antea non erat intrinſecè determinata, nec poſtea.

Videri poteſt lib. 3. quæſt 2 art. 1. ubi hanc extrinſecam aſſiſtentiam ut inſufficientem abjecimus à cauſa principali reſpectu inſtrumenti.

APPENDIX.

Num etiam cæteræ cauſæ univerſales, nimirum Cœli, &c. tam præviè, tam ſimultaneè concurrant his cum inferioribus?

1. Reſponſum eſt affirmans. Et Prob 1. De ſimultaneo concurſu. Ut namque lib. 2. quæſt. ult. art. unico §. 3. ad 1. loſt. contra reſponſum datum ad 1. arg. ſunt rationes nonnullæ in effectu, quarum efficientia reducitur in cauſam univerſaliſſimam, nempe Deum, cujuſmodi eſt ratio entis; alia prædicata minùs univerſalia, quorum efficientia refunditur in cauſas minùs univerſales, ut puta in Homine ratio corporis ut ſic, viventis ut ſic. Ratio ſiquidem talis non adimit, ſed duntaxat taleizat rationem communem. Alia particularia, quæ habentur à particulari cauſa; videlicet ratio talis entis, talis corporis, talis viventis, talis ſenſitivi, &c ergo ad effectum inferiorum cauſarum concurrunt ſimul cauſa univerſaliſſima, cauſæ univerſales, & cauſa particularis. Ob idque dici conſuevit, quòd Sol, & homo generant hominem. Sola tamen prima cauſa immediatè.

Nec ſunt cauſæ partiales, ſed ſunt totales in ſua linea, ut loco nuper citato ex 2. Phyſ. dicebamus. Totales, inquam, propria in linea, & ſecundùm diverſam rationem. Et ad ſummum dici queunt partiales partialitate effectus. Vid. ibi

2. De prævio verò concurſu Prob. Quoniam cauſa ſecunda inferior quemadmodum ſubordinatur cauſæ primæ ut cauſæ univerſaliſſimæ, ut nulli alteri ſubordinatæ; ita ſubordinatur cauſæ ſuperiori minùs univerſali, & ſubordinatæ cauſæ primæ: ergo quemadmodum præmovetur à cauſa prima ut primo ſimpliciter moventi nulli alteri ſubordinato, ita præmovetur à ſuperioribus cauſis ut primæ ſubordinatis cauſæ. Quæ univerſales cauſæ equidem præmovent particulares, ſed tamen & ipſæ ſunt à prima præmotæ cauſa, ac prædeterminatæ.

3. Objicies. Si Cauſæ omnes ſnperiores utroque concurſu cum inferioribus cauſis concurrerent, ſequeretur, quòd tot in ſecunda cauſa reciperentur qualitates, quot eſſent cauſæ illæ; ſed hoc ſapit impoſſibilitatis: ergo &c. Maj. pateſcit, Tum quia prævium per cuncurſum imprimitur qualitas. Tum quia cauſæ illæ concurrunt mediante virtute, non immediatè immediatione ſuppoſiti, adeoque tot virtutes erunt quot cauſæ. Min. prob Qualitates illæ ejuſdem forent ſpeciei; ſed plura accidentia ſolo numero diſtincta ſive ejuſdem ſpeciei contubernium in eodem ſubjecto non patiuntur apud Thomiſtas: ergo &c. Prob. maj. Siquidem, ut antegreſſo art. 3. ad 3. dicebamus, qualitates illæ ceu quid incompletum reducuntur ad ſpeciem ſui termini; ſed Cauſa non producit, ſaltem ſimul effectum diverſæ ſpeciei: ergo &c.

Reſp dupliciter. Primò, nego ſequelam Maj. Virtus namque prioris Cauſæ univerſalis reciperetur in alia minùs univerſali, hujus perficiendo virtutem, qua modificata, & perfecta flueret, ſicque cæteræ omnes ſucceſſivè uſque ad ultimam. Ob idque ſola virtus iſtius ultimæ cauſæ univerſalis modificata per virtutem cæterarum reciperetur in cauſa particulari.

Ea ex re habes cauſam particularem determinari ab univerſali potiùs quàm è contra. Eſtò determinetur à particulari in eſſe entis, quatenus in ea recipitur. Nec eſt eadem ratio, ac de univerſali in prædicando. Iſtud enim ideo determinatur à prædicatis particularibus, quia ab iſtis contrahitur.

Deinde data maj. nego min Ad prob. nego maj ad cujus prob dico, quòd licèt effectus producendus ſit unius ſpeciei, tamen in effectu ſunt plura prædicata diverſæ rationis, ut diximus, quæ ſunt terminus virtutis diverſarum cauſarum. Et ea de re etiam virtutes illæ forent ſpeciei diverſæ.

LIBER OCTAVUS
PHYSICORUM

De Motu per ordinem ad primum, & Univerſalem Totius Univerſi Motorem.

Vitio dari nobis non debet, quòd librum iſtum diſtinctè à præcedenti inſtituamus. Non, inquam, quoniam non eſt idem libri hujus titulus cum titulo libri ſeptimi antegreſſi. Ibi namque egimus de motu cujuslibet mobilis in particulari in ordine ad primum ſuum motorem; quamvis poſtea illo ex principio *omne, quod movetur ab alio movetur* devolvatur ad primum, ſnpremumque Motorem moventem omnia omnino immotum. Modò verò agimus de motu totius Univerſalis hujus Machinæ mundialis per ordinem ad primum motorem, ejuſdemque Creatorem. Ubi unica duntaxat quæſtio inſtituenda venit de Mundi æternitate.

QUÆSTIO UNICA.

De Mundi Æternitate.

Quæſtio hæc, qua ultimò Phyſica completur, duos claudit articulos, quorum primus eſt, num Mundus potuerit eſſe ab æterno, quo ad res permanentes. Secundus, num Mundus potuerit eſſe ab æterno quo ad res ſuccedaneas.

ARTICULUS PRIMUS.

Num Mundus potuerit eſſe ab æterno quo ad res permanentes.

§. I.

1. Mundum extitiſſe ab æterno, ac in æternum duraturum autumavit Ariſtoteles, ceu qui fidei lumine in-

ne inops erat, ſoli Cœlorum inuixus motui, qui utpote circularis, caret principio, & fine: non autem, quia ſenſerit, Deum operari ex neceſſitate ut calumniatur Saguens tom. 3. diſp. Phyſicæ 10. art. 8. num. 12. cum Hurtado diſput. 17. ſect. 1. Et re vera ſic conveniret naturæ illius motui, niſi Deus aliter diſpoſuiſſet. Imò dubitativè tantùm id dixiſſe oſtendit ex D. Th. Guerinois in tract. de Mundo & Cœlo q. 5. art. 3. in principio. Cæterùm fuiſſe in tempore creatum jam definitum eſt in Lateranenſi Concilio 2. & eſt expreſſum in cap. 1. Gentes ***in principio creavit Deus Cœlum, & terram***. Pro quo poterit Curioſus adire, & legere Commentatores illius capitis, præcipuè noſtrum Natalem Alexandre ſi ſcire optaverit, quo tempore ſit creatus, num nimirum Vere, vel Autumno &c. & Cavinum in tract. de Mundo & Cœlo. Tota itaque difficultas extat quantum ad de poſſibili, & primò hoc in art. de rebus permanentibus.

2. Abnuunt B. Alb. Magn. D. Bonaventura, Toletus, Richardus, Henricus, & alii.

Annuunt verò Thomiſtæ omnes, & plerique Exterorum quos inter Saguens ubi dum agit de infinito. Cum quibus

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

3. PRob. ratiocinio hauſto ex D. Th. opuſc. 27. Nihil prohibet, mundum potuiſſe eſſe ab æterno quòad res permanentes: ergo potuit ſic eſſe ab æterno. Prob. ant. Si aliquod fuiſſet impedimentum, aut repugnantia aliqua, maximè eſſet vel ex parte cauſæ, vel ex parte effectus; ſed neque ex parte cauſæ, neque ex parte ipſius effectus: ergo &c. Prob. min. Primò quò ad p. p. Tum quia, Deus non minùs ab æterno, quàm in tempore eſt omnipotens. Tum quia repugnantia ea parte cauſæ per Adverſarios eſt, quia omnis cauſa debet duratione præcedere ſuum effectum; Et quia cauſa liberè producens debet eſſe in aliquo priori indifferens; ſed neutrum obeſt: ergo &c. Prob min. primò quò ad p. p. Cauſa ſubitaneè, & inſtantaneè producens effectum non petit duratione ſuum præire effectum, ut planum eſt de Sole, qui ab æterno lucem produceret, ſi ab æterno extitiſſet, ut etiam docet S. Auguſtinus 6. de Trinit. cap. 1. necnon de pede, qui eodem in inſtanti, quo fieret imprimeret veſtigium, ſi in materia poneretur capaci, puta in pulvere, ut idem expendit S. D 10. de Trinit. cap. 31. Prob. quò ad 2. p. Deus ab æterno denominatur volens producere mundum; & tamen denominatur liberè volens producere mundum abſque eo, quod aliquo in priori fuerit indifferens ad volendum, & non volendum: ergo tametſi mundum ab æterno produxiſſet, liberè produxiſſet.

Secundò prob. prima min. quò ad 2. p. Repugnantia ex parte effectus ſecundùm Adverſarios eſt, quia creaturæ repugnat æternitas, & quia cùm creatio ſit ex nihilo, ſupponi in aliquo priori debet non eſſe effectus; ſed neutrum obeſt: ergo nullum adeſt ex parte effectus impediens. Prob. min. primò quò ad p p Creaturæ non repugnat æternitas à parte poſt, ut certum eſt in Angelis, & animabus noſtris; ergo nec repugnat æternitas à parte ante. Quemadmodum namque æternitas à parte ante dicit eſſe ſine principio, ita æternitas à parte poſt dicit eſſe ſine fine. Nunc jam prob. quò ad 2. p. pluribus modis à Noſtratibus, puta quòd ſicut ſupra lib. 1. q. 3. art. 1. §. 1. ad eductionem ſufficit præcedere duntaxat exigitivè privationem, ita ad creationem ſat eſt præcedere duntaxat exigitivè, vel (ut aliis placet) negativè, non verò poſitivè, ipſum non eſſe (Quibus tamen, & aliis, quos §. ſequenti indigitabo, miſſis) ſic illam prob. Quemadmodum ad creationem requiritur, quòd præcurrat non eſſe rei, ita, imò magis, requiritur, quòd præeat cauſa; ſed, ut probavimus, cauſa non ſemper exigit præcedere duratione ſuum effectum: ergo nec requiritur quod non eſſe rei ſemper præhabeatur in aliquo inſtanti reali durationis, ſed ſufficit anteire in aliquo priori naturæ, & cauſalitatis.

§. III.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

4. ARg. 1. Repugnans eſt infinitum aliquod creatum; ſed ſi mundus potuiſſet eſſe ab æterno etiam quò ad ſola permanentia potuiſſet dari infinitum in actu: ergo mundus non potuit eſſe ab æterno, nec etiam quò ad ſola permanentia. Prob. min. Si mundus fuiſſet ab æterno duraſſet actu in infinitum: ergo extaret actu infinita duratio:

Conſ. Unaquæque res cùm habeat determinatam formam, debet determinatam habere durationem.

Reſp. dà à maj. loquendo de infinitudine intrinſeca diſt. min. potuiſſet dari infinitum in actu infinitudine extrinſeca, concedo, intrinſeca, nego min. & conſeq. Ex eo ſiquidem, quòd ab æterno mundus fuiſſet ſequeretur infinitudo tantummodo extrinſeca, nimirum duntaxat ex parte Dei, qui mundum in infinitum conſervaſſet. Quandoquidem eatenus dicitur quidpiam durare quatenus conſervatur in eſſe. Adde, quòd in ſententia opponentium non repugnat infinitum in actu.

Ad Conſ. liquet ex dictis lib. 6. quæſtiuncula 2. *dico ſecundo*.

Contra. Duratio eſt rei duranti intrinſeca, imò plauſibili in nonnullorum Thomiſtarum ſententia, eſt idem cum re durante; ſed duratio mundi ab æterno foret actu infinita: ergo extaret infinitum in actu infinitudine intrinſeca. Min. eluceſcit. Siquidem mundus duraſſet in infinitum: ergo &c.

Reſpondeo, nego min. Ad prob. diſt. ant. duraſſet in infinitum duratione ſimultanea, nego ſuccedanea, concedo min. & nego conſeq. Æternitas quippe mundi, caſu, quo iſte ab æterno extitiſſet, fuiſſet æternitas duntaxat participata, & non per eſſentiam, & idcircò non fuiſſet tota ſimul, continendo ſimul præſens, præteritum, & futurum; ſed fuiſſet ſuccedaneè. Ob idque infertur, quòd fuiſſet infinita, non in actu, ſed duntaxat ſyncategorematicè, ſive in potentia.

Contra. Hujuſcemodi duratio contineret ſimul temporis differentias; nimirum præſentis, præteriti, & futuri: ergo fuiſſet tota ſimul. Prob ant. Hujuſcemodi æternitas foret formalis participatio Divinæ æternitatis; ergo &c. Prob conſeq. Theologia, quia eſt formalis participatio ſcientiæ Dei continet ſimul practicum, & ſpeculativum: ergo pariter quia illa æternitas foret formalis, &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. (ultra Cavini reſponſa) tranſeat ant. (etenim certum non eſt, num eſſet formalis, vel virtualis duntaxat participatio Divinæ æternitatis) nego conſeq. Ad prob. permiſſa cauſali ant. nego conſeq. & paritatem. Si vera eſt illius ant cauſalis adhuc habetur diſcrimen, quia nempe linea intentionalis majorem obtinet amplitudinem, quàm linea entitativa: quemadmodum videmus, quòd cognoſcitivæ potentiæ majori gaudent univerſalitate, quàm potentiæ naturales. Ob idque ſcientia cùm ſpectet ad lineam intentionalem, idcircò ex hoc, quòd ſit formalis participatio ſcientiæ poteſt elevari ad coadunandas in ſe differentias oppoſitas, abſque eò, quòd infinita evadat. Cæterùm duratio pertinet ad lineam entitativam. Eà de re tametſi formalis participatio Divinæ durationis, aut æternitatis, adhuc pertingere nequit ad continendas omnes durationis differentias, niſi infinita evadat.

Inſt. Probabili in ſententia nequit extare ſucceſſio ab æterno, ut art. ſequenti videre erit: ergo duratio illa foret tota ſimul.

Reſp. ex Complut. diſt. conſequens, eſſet tota ſimul entitativè, concedo, coextitivè, nego conſeq. Equidem ea in ſententia duratio illa foret tota ſimul entitativè; at non coextitivè; quia non coexiſteret ſimul omnibus durationis differentiis, nimirum præteriti, & futuri, uti requiritur, ut eſſet infinita duratio. Quod tamen reſponſum (ut videre erit art. ſequenti §. 5. ſub num. 2.) difficultatem minimè enervat. Nobis tamen ſat eſt, innuere modum, quo ſententia illa profitetur, quòd talis duratio infinita minimè foret: Cæterùm ſententiæ illius Patroni cogitent ipſi.

5. Arg. 2. Omnis cauſa debet eſſe ſuo effectu prior; ſed ſi mundus fuiſſet ab æterno, Deus non potuiſſet præcedere ipſum mundum: ergo non potuit mundus eſſe ab æterno.

Reſp. diſt. maj. debet eſſe ſuo effectu prior, prioritate naturæ, concedo, prioritate temporis, ſubdiſtinguo, ſi ſit agens cum motu, concedo, ſi ſit agens in inſtanti, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Reſponſum eluceſcit ex dictis §. antegreſſo 2. num. 3. Vid. ibi.

Contra. Cauſa omnis libera debet eſſe prior duratione ſuo effectu; ſed Deus eſt cauſa libera: ergo debet duratione præire ſuos omnes effectus. Prob. maj. Cauſa libera debet eſſe indifferens ad agendum, & non agendum; ſed nequit

eſſe ſic indifferens, niſi præcurrat duratione ſuum effectum: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. maj. 1. Debet eſſe indifferens in aliquo priori temporis, & durationis, nego, in aliquo priori naturæ, & rationis, concedo maj. & diſtinguo min. ſi ſit indifferens in aliquo priori reali temporis, & durationis, concedo, ſecùs, nego min. & conſeq. Quemadmodum ut dicatur liberè volens ab æterno ſat eſt, quòd ſit ad volendum, & non volendum aliquo in priori duntaxat naturæ, & rationis indifferens.

Secundò. Diſt. eandem maj. debet eſſe indifferens indifferentia poſitiva, denominativa, ſeu deliberativa, concedo, indifferentia ſuſpenſiva, ſubdiſtinguo, ſi ſit cauſa libera imperfecta, concedo, ſi ſit cauſa libera perfectiſſima, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Equidem cauſa libera imperfecta debet eſſe indifferens indifferentia ſuſpenſiva, quæ menſuratur tempore, at non cauſa perfectiſſima, qualis eſt Deus, ad quam ſat eſt, quòd ſit indifferens indifferentia purè deliberativa, quæ non menſuratur tempore, & conſiſtit præcisè in hoc, quòd ita producat, ut, ſi vellet, poſſet non producere. Ratio in promptu eſt, quia prima agit veſtigando de mediis, conſilium exquirendo; ſecùs verò ſecunda. Ea de re, quemadmodum ad hoc, ut dicatur ab æterno liberè volens non eſt neceſsè, quod priùs indifferens ad volendum, & non volendum fuerit, indifferentia ſuſpenſiva, ſed ſufficit ſola indifferentia poſitiva, denominativa, ita quoque ut diceretur liberè agere, &c.

Inſt. Ideo Pater non præcedit duratione Verbum, quia Verbum neceſſariò procedit à Patre: ergo ad hoc, ut cauſa ſit libera debet præcedere ut indifferens præcedentia durationis.

Reſp. primodùm poſſe permitti ant. & negari conſeq. Nam ſic formari argumentum debuiſſet: Verbum neceſſariò procedit, quia non præceditur duratione à Patre: ergo cauſa libera debet duratione præcedere ſuum effectum. Quo in caſu idonea foret conſequentia, ſed falſum ant. quia licèt omnis cauſa producens neceſſariò effectum producat in eodem inſtanti, in quo primò ipſa eſt, niſi impediatur; non tamen è contra omnis cauſa producens effectum in eodem inſtanti, in quo primò eſt, producit neceſſariò effectum.

Præterea, nego cauſalem ant. Cauſalis namque eſt, quia Filius procedit à Patre ut Deus, & ut unus cum ipſo in eſſentia, de cujus ratione eſt æternitas.

6. Arg. 3. Si mundus potuiſſet eſſe ab æterno, potuiſſet eſſe Deo coæternus; ſed hoc abſurditas magna eſt: ergo &c. Prob. min. Tum quia repugnat, creaturam eſſe Deo æqualem. Tum quia repugnat, creaturam eſſe ſine principio.

Reſp. diſt. maj. fuiſſet Deo coæternus æternitate participata, concedo, æternitate per eſſentiam, nego maj. ac diſtincta min. nego conſeq. Creaturæ ſiquidem æternitas (ſi ab æterno iſta extitiſſet) fuiſſet æternitas duntaxat participata, neutiquam verò per eſſentiam. Ob idque non foret Deo æqualis, quia licèt tanta duraret duratione, quanta durat Deus; tamen Deus habet illam à ſe, & per eſſentiam, continendo differentias omnes durationis, nimirum præteritum, & futurum, & omnimodam immutabilitatem tum ſecundùm eſſe, tum ſecundùm operationem, ſecùs creatura. Et per hæc patet ad primam maj. prob.

Ad 2. diſt. ant. repugnat, creaturam eſſe ſine principio durationis, nego, ſine principio eſſendi, concedo ant. & nego conſeq.

Neque dicas, quòd creatura non minùs eſt limitata in duratione, quàm in eſſendo, adeoque ſi nequit eſſe ſine principio in eſſendo, nec poterit eſſe ſine principio in durando.

Ne, inquam, id dixeris, quia paritas, licèt currat quoad hoc, nimirum eſſe limitatum; non tamen quò ad reliqua omnia. Quandoquidem ſi eſſet ſine principio in eſſendo haberet eſſe à ſe, adeoque etiam à ſe foret æterna, ſicque eſſet æterna per eſſentiam, & eſſet Deus. Ex eo autem, quòd habeat principium in eſſendo, tametſi non habeat durationis principium, adhuc dicitur, eſſe ab alio, adeoque & durationem ab alio, ac per conſequens æternitatem participatam.

Contra D. Ambroſius lib. 1. Hexameron cap. 4. inquit, nullam creaturam eſſe Deo coæternam, quia nulla eſt Deus: ergo ſentit, quòd ſi creatura aliqua eſſet ab æterno foret Deus.

Dicere autem communi reſponſo, ipſum loqui de æternitate participata eſt falſum dicere; quia hoc modo non probaret, creaturam non eſſe ab æterno, cùm poſſet reſponderi, creaturam eſſe æternam æternitate participata.

Conf. Ideo SS. PP. probant contra Arium, Verbum non eſſe creaturam, quia eſt æternum: ergo hoc ipſo, quod creatura aliqua eſſet ab æterno, eſſet Deus.

Reſp. quod Ambroſius, & reliqui SS. PP. loquuntur ſuppoſita revelatione in ſacris litteris. Sicque ſuppoſita, quòd cuncta ſint in tempore condita, ut ſcriptura teſtatur, jam quod eſt ab æterno eſt ſolus Deus: ergo vel nulla creatura poteſt eſſe ab æterno, vel ſi eſt ab æterno eſt Deus. Similiter eadem hypotheſi facta, jam quicquid ab æterno eſt nequit eſſe creatura; ergo Verbum ſi eſt ab æterno nequit eſſe creatura.

Inſt. Nulla ex creaturis poteſt eſſe omnipotens, aut immenſa omnipotentia, aut immenſitate participata: ergo nec poterit eſſe æterna æternitate participata.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Et diſparitatem aſſigno primò, in hoc ſempe, quia ex eo, quòd creatura ſit æterna æternitate participata non ſequitur, eſſe infinitam, benè verò ex eo, quòd eſſet omnipotens, omnipotentia participata, vel immenſa immenſitate participata. Ratio eſt, quia (ut diximus ad 1. ſub num. 4.) æternitas illa non foret tota ſimul, ſed eſſet ſucceſſivè. Cæterùm omnipotentia, immenſitas, & ſimilia attributa cùm non ſint de genere ſucceſſivi, eſſent tota, & totaliter ſimul.

Secundò. Cum aliis aſſignatur diſcrimen, quia nimirum omnipotentia unicum dicit conceptum indiviſibilem, nempe ſe extendere ad omnia poſſibilia. Et ſimiliter immenſitas dicit duntaxat eſſe ubique. At dum æternitas dicit in Deo, videlicet independentiam ab alio cum invariabilitate tum ſecundùm eſſe, tum ſecundùm operari, & ulteriùs eſſe ſine principio, & fine. Ob idque à creatura poteſt inadæquatè, ſcilicet ſub hoc ſecundo, & non ſub primo participari.

7. Arg. 4. De ratione creaturæ eſt habere eſſe poſt non eſſe; ſed ſi ex creaturis aliqua eſſet ab æterno non haberet eſſe poſt non eſſe: ergo repugnat, quamvis creaturam etiam permanens eſſe ab æterno. Prob. min. Talis creatura ſemper fuiſſet: ergo &c.

Conſ. Creatio eſt ex nihilo; ſed ſi creaturarum aliqua foret ab æterno non eſſet ex nihilo: ergo repugnat, &c. Min. eſt perſpicua, quoniam creatura nunquam fuiſſet nihil, ſed ſemper fuiſſet aliquid: ergo &c.

Reſp. 1. diſt. maj. habere eſſe poſt non eſſe poſterioritate reali temporis, nego, poſterioritate naturæ, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Ut namque §. antecedente vidimus, ſat eſt, quòd præcedat in aliquo priori naturæ duntaxat ipſum non eſſe creaturæ, quia non magis requiritur præcedere terminum *à quo*, quàm ipſam cauſam; ſed (ut ibidem vidimus) cauſa non ſemper petit præire prioritate reali temporis; ergo nec ipſe terminus *à quo*, ſive ipſum non eſſe.

Reſp. 2. diſt. maj. De ratione creaturæ eſt habere eſſe poſt non eſſe, poſitivè, nego, negativè, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Sufficit itaque habere eſſe poſt non eſſe negativè, quatenus fit non ex aliquo ſui, ſive non ex præſuppoſito ſubjecto. De ratione ſiquidem creationis eſt, quòd ſit non ex præſuppoſito ſubjecto, quia per hoc ſufficienter ſecernitur à generatione.

Reſp. 3. diſt. maj. eſt habere eſſe poſt non eſse exigitivè, concedo, formaliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. ſat enim eſt, habere eſſe poſt non eſſe exigitivè, per hoc, quòd creatura quantum eſt de ſe non exigit eſſe, imò ſibi relicta nihil eſt: ad eum modum, quo lib. 1. q. 3. art. 1. dicebamus, ad eductionem ſufficere, quòd præcurrat privatio exigitivè.

Et hæc tria reſponſa applica ad Conſ.

Contra primam, Poſſibile non eſt, eodem in inſtanti reali temporis eſſe ſimul hæc duo contradictoria, nimirum eſſe, & non eſse: ergo non ſufficit præire ipſum non eſse in aliquo priori naturæ, ſed neceſsè eſt præcurrere in aliquo priori reali temporis.

Contra ſecundam, & tertiam. Terminus *à quo*, & terminus *ad quem* debent invicem proportionari, ſibique correſpondere; ſed creatio quælibet petit terminum *ad quem* formaliter poſitivè, & non tantùm negativè, aut exigitivè, nimirum ipſum eſse: ergo quoque terminum à quo, videlicet ipſum non eſse poſitivè, & formaliter, & non tantùm, &c.

Conſ.

Digitized by Google

Conf. contra omnes. Quemadmodum creatio eſt ex nihilo ad eſſe, ita annihilatio eſt ab eſſe ad nihilum; ſed annihilatio eſſentialiter ſupponit in aliquo priori reali temporis ipſum eſſe, & tendit ad non eſſe poſitivè, & formaliter: ergo pariter creatio eſſentialiter ſupponit in aliquo priori reali temporis ipſum non eſſe rei, eſtque ex nihilo poſitivè, & formaliter, & non tantùm negativè, aut exigitivè.

Reſp. diſt. ant. non eſt poſſibile eſſe ſimul formaliter, concedo, unum per modum receſſus, ſeu in depelli, & aliud per modum acceſſus, nego ant. & conſeq. Quemadmodum namque dici ſolet, poſſe ſimul eſſe in materia formam, & privationem ejus, illam per modum acceſſus, iſtam verò per modum receſſus, & in depelli: ita dicimus, in eodem inſtanti poſſe ſimul componi non eſſe per modum receſſus, & in depelli cum ipſo eſſe per modum acceſſus.

Nec dicas, id depelli, quod eſt; illud autem non eſſe non eſt, adeoque nequit depelli. Ne, inquam, id dixeris. Falſum ſiquidem eſt, quòd non ſit, cùm, ut diximus, ſit in aliquo priori naturæ.

Ad 2. diſt. maj. per ſe loquendo, concedo, per accidens, nego, maj. & data min. nego conſeq. Per ſe loquendo equidem ubi terminus *ad quem* eſt per ſe formaliter acquirendus, etiam terminus *à quo* eſt poſitivè formaliter deponendus. Per accidens tamen poteſt oppoſitum contingere, ut explicuimus loco nuper relato de cineris, & vermis geneſi ex ſpeciebus Sacramentalibus. Noſtro autem in caſu per accidens non habetur poſitivè, & formaliter terminus *à quo* id eſt non eſſe, ex eo nimirum, quòd non præceſſit inſtans reale, in quo potuerit eſſe.

Neque dixeris, quòd ſi fit ex nihilo, ſive ex non eſſe præſuppoſito duntaxat exigitivè creabitur, & mutabitur tantummodo exigitivè. Ne, inquam, id dixeris, quia quemadmodum inhærere ſolùm exigitivè ſufficiens eſt ad eſſentiam accidentis formaliter, ut in Sacramento Euchariſtiæ habemus; & ſimiliter ad ſalvandam eſſentiam termini logicalis ſat eſt, quòd componat exigitivè propoſitionem, ut dicebamus lib. p. Summularum, ſuſtinendo, quòd termini etiam extra propoſitionem ſint termini; & pluribus aliis in rebus exemplificari poteſt: ita eſſe ex nihilo exigitivè ſufficit ad creationem formalem. Et ratio eſt, quia exigentia formalis debet in aliquo formali fundari. Ob idque ſi actio illa formaliter exigit eſſe ex nihilo eſt creatio formalis.

Ad Conf. diſt. maj. cæteris paribus, nego, cæteris diſparibus, concedo maj. cum min. & nego conſeq. Diſparitas in hoc ſita eſt, quia annihilatio ſupponit exiſtentiam rei annihilandæ; prioritas autem exiſtentiæ, ut in antepradicamentis explicatum eſt, eſt prioritas temporis; & hac ratione etiam terminatur ad non eſſe formaliter, & poſitivè, quia cùm prioritas exiſtentia ſit temporis prioritas formalis poſitiva, etiam poſterioritas non eſſendi eſt poſitiva, & formalis. Eò vel maximè, quòd non adeſt impedimentum aliquod extrinſecum, nimirum deficientia inſtantis ſubſequentis. Si autem eſſet ab æterno, deficeret inſtans reale præcedens.

8. Arg. 5. Repugnat creatura, quæ annihilabilis non ſit; ſed ſi creatura aliqua eſſet ab æterno non foret annihilabilis: ergo repugnat, aliquam ex creaturis eſſe ab æterno. Prob. min. Non poſſet annihilari ab æterno, ſecùs ab æterno non duraſſet; nec in tempore, quia creatura, ſi duraret ab æterno, duraret duratione infinita; quod eſſe minimè poſſet, ſi in tempore finiretur ejus duratio.

Conf. Si creatura aliqua fuiſſet ab æterno, productio non diſtingueretur realiter à conſervatione; ſed id procul eſt à vero: ergo &c. Prob. min. Conſervatio in hoc à productione ſecernitur, quòd iſta dat, illa conſervat eſſe; ſed ſi creatura aliqua eſſet ab æterno, ſupponeretur ſemper fuiſſe: ergo ſemper fuiſſet conſervata, proindeque conſervatio minimè ab ejus productione ſecerneretur.

Reſp. ad arg. nego min. Ad prob. dico, quòd non foret annihilabilis ab æterno, quia implicat contradictionem, fieri ſimul, & annihilari; Ob idque cùm ab æterno ſupponeretur produci, nequiret ab æterno annihilari. Nec hoc detrimenti quicquam Divinæ affert omnipotentiæ, quæ non extenditur ad ea, quæ implicant contradictionem. Fuiſſet itaque annihilabilis in tempore, quia eo in caſu duraret duratione infinita duntaxat à parte ante, at non infinita à parte poſt.

Ad Conf. dicimus ex Compl. quòd in tali eventu procul dubio non niſi virtualiter diſtingueretur à conſervatione.

Dices. Nequit eadem actio eſſe creatio ſimul, & eductio, juxta dicta à nobis lib. 5. q. 3. art. 2. contra Ortiz: ergo nec poteſt eſſe conſervatio ſimul, & productio.

Reſp. nego ant. Non enim diximus, non poſſe eandem actionem non poſſe eſſe creationem ſimul & eductionem; ſed repugnantiam poſuimus ex parte facti, nimirum repugnat, eandem rem eſſe creatam, ſimul & eductam.

Quomodo autem queat effectus dici una actione creatus, & conſervatus, creatus, & eductus; Hoc ideo eſt, quia conſervatio & productio non habent tanta diſcrepantiam ſicut eductio, & creatio. Siquidem conſervatio eſt quædam rei productæ continuatio. Ob idque dici conſuevit, quòd conſervatio eſt continuata productio.

9. Arg. poſtremò. Si mundus potuiſſet eſſe ab æterno, hæc inde ſequerentur abſurda, nimirum quòd Angelus ab æterno potuiſſet cum gratia creari, & mereri ab æterno, ſicque mereri præmium infinitum, quia quò magis diuturnus eſt actus meritorius, eo magis eſt meritorius, tunc autem per infinitum tempus potuiſſet mereri. Ex quo ſequitur, quòd illi ut præmium correſponderet lumen gloriæ infinitum, adeoque habere potuiſſet cognitionem Dei Comprehenſivam. Secundò ſequeretur hoc abſurdum, quòd propoſitio hæc *Deus creavit Angelum* foret falſa, quia non eſſet aſſignabile primum inſtans, in quo creaſſet.

Reſp. ad 1. primitùs ex his, quæ Deo dante dicemus in 3. p. tract. de Incar. q. 3. art. 3. ad 6. arg. contra 5. concluſionem, concedendo, potuiſſe ab æterno mereri, & negando, quòd potuiſſet mereri præmium infinitum. Ad prob. annexam dicatur, verum eſſe, quòd actu meritorius quò magis diuturnus, eò magis meritorius eſt, ſemper tamen ad menſuram principii operativi. Et quia principium operativum, Gratia nimirum, & Charitas, eſſet finitum, idcircò etſi ab æterno mereretur, adhuc non mereretur præmium actu infinitum.

Præterea dicatur, quòd actus ille meritorius non duraſſet in infinitum tum à parte ante, tum à parte poſt, cùm duratio infinita à parte poſt nunquam ſit completa, ſecùs infinita non eſſet. Ea de re Angelus tametſi fuiſſet æternus tum à parte ante, tum à parte poſt nunquam potuiſſe mereri præmium actu infinitum ſimpliciter, quia ceu finitus nequit ambire æternitatem à parte poſt, nec poteſt illam totam præterire, ſecùs infinita iſta non eſſet.

Demum reſpondent Compl. quòd equidem infinitum præmium mereri potuiſſet; illud tamen minimè meruiſſet, quia iſtud creaturæ repugnans eſt. Quemadmodum Chriſtus Dominus potuit infinitam ſuo corpori gloriam promereri; hanc tamen de facto non meruit, quia ipſi repugnat, eſtque impoſſibilis.

Circa quod reſponſum, dum dicitur, potuiſſe mereri præmium infinitum, intelligendum eſſe puto de infinitudine extenſiva, non verò intenſiva, ſecùs noſtra Theologia 3. p. ſalvare non poſſet, quòd non ſit poſſibilis creatura tanta gratia, totque donis ſupernaturalibus cumulata, quæ de condigno ſatisfacere poſſet pro mortali reatu, eò quòd mortale peccatum, ut ibi dicitur, ſit gravitatis ſimpliciter infinitæ in eſſe moris.

Ad 2. dico, quòd verificaretur, produxiſſe Angelum in inſtanti aliquo indeterminato, juxta dicenda art. ſequenti §. 3. Vel cum Compiut. quòd verificaretur produxiſſe, non in inſtanti, & nunc temporis, ſed in inſtanti æternitatis: ad eum modum, quo Verbum Divinum dicitur nunc generari, & dicitur ab æterno genitum.

10. Collige ex dictis, quòd ſi ab æterno Deus voluiſſet creare duo contraria ſimul, vel debuiſſet illa creare in aliqua diſtantia; vel ſi approximata creaſſet, debuiſſet miraculosè præpedire, ne unum aliud everteret, ſecùs ab æterno unum deſtrueret aliud. Ultraquamquod, id quod nos defendimus, eſt, potuiſſe creari quidpiam permanens ab æterno; quicquid ſit, num potuerit creari omne, & ſingulum permanens, puta etiam duo contraria.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Mundus potuerit eſſe ab æterno quo ad entia ſuccedanea.

§. I.

1. NOn ita ſicut in retroacto conſentiunt in præſenti dubio DD. ſed hinc indè ſunt diviſi, uni pro abnuente, alteri pro annuente parte, propter ingentes difficultates, quæ utraque ex parte emergunt.

Abnuunt igitur Suarez, Ruvius, & ex noſtris Soto, Maſius ſaltem de motu recto, Jo: à S. Th. & acerrimè Goudin.

Annuunt verò communiùs, ut Cajet. Nazarius, Capreolus, Ferrarienſis, Javelius, quos ſuis locis citat Cavinus. Rurſus ex recentioribus Complut. Ortiz, Lerma, Guerinois, & ex exteris Greg Ægidius, & complures alii. Arnù verò in tomo de Cœlo dicit, quòd ſucceſſiva ſi ſumantur ſecundùm ſua indiviſibilia, ratione quorum exiſtunt, non repugnat, eſſe ab æterno, benè verò ſi ſumantur ſecundùm ſua eſſentialia, nimirum ſecundùm quòd important priùs, & poſteriùs. Verùm hoc nil aliud eſt, quàm difficultatem ſubterfugere. Quomodo namque perceptibile eſt, ab æterno eſſe indiviſibilia entis ſucceſſivi, niſi etiam formaliter ſint ipſa entia ſucceſſiva.

§. II.

CONCLUSIO.

Entia ſucceſſiva potuerunt eſſe ab æterno, dempta Geneſi humana.

2. SIc S. T. opuſc. 27. relato art. antegreſſo §. 2. num. 2. ubi indiſcriminatim defendit, potuiſſe mundum eſſe ab æterno, ſolamque excipit humanam geneſim. Imò nonnulla ſolvit argumenta, quæ adverſus ſucceſſiva entia militant. Et

Prob. 1. Entia permanentia potuerunt eſſe ab æterno; ſed non ſtat, entia permanentia eſſe ab æterno, niſi ab æterno ſit etiam aliquod ſuccedaneum: ergo etiam quoad ſuccedanea potuit mundus eſſe ab æterno. Maj admittitur ab univerſis Thomiſtis, & ferè communiter Exteris. Prob. min Illius entis permanentis æternitas nequiret eſſe tota ſimul: ergo ſucceſſivè, adeoque &c Prob. ant. ſi eſſet tota ſimul, eſſet actu infinita, Tum quia illud permanens duraſſet actu in infinitum; Tum quia ſimul contineret præſens, præteritum, & futurum; ſed nequit eſſe actu infinita: ergo nequit eſſe tota ſimul Min eſt communis apud Noſtrates, & Prob. Duratio illa vel eſt idem cum re Durante, ſicque cùm iſta ſit finita, nequit Duratio eſſe infinita. Vel eſt accidens ab illa realiter diſtinctum, & in ea receptum, ſed hoc ipſo, quòd recipitur limitatur: ergo nequit eſſe actu infinita.

Reſpondebis ex dictis art præegreſſo §. 3 ad 1. quòd Duratio illa non eſſet actu infinita, quia eſſet quidem tota, ſed non totaliter ſimul, ideſt foret tota ſimul entitativè, non verò coextitivè. Sed

Contra Jam habemus, quòd totaliter non eſſet ſimul: ergo aliquantulum ſucceſſivè: ergo poteſt dari ſucceſſio aliqua ab æterno.

3. Probo 2. evertendo Adverſariorum fundamentum. Ideo ens ſucceſſivum per Adverſarios nequit eſſe ab æterno, quia cùm importet ordinem prioris, & poſterioris, eſſentialiter ſupponit aliquid prius ſe; ſed hoc falſum eſt, loquendo de aliquo ente ſucceſſivo ſecundùm totam collectionem: ergo ſaltem ſecundùm totam ſuam collectionem poteſt quidpiam ens ſucceſſivum eſſe ab æterno Prob min à pari. Quemadmodum de ratione entis ſucceſſivi eſt ſupponere aliquid prius ſe, ita de relationis ratione eſt eſſe ad aliud; ſed licèt relatio quælibet determinata, & ſeorſim ſit ad aliud; tamen tota relationum collectio non eſt ad aliud: ergo pariter &c. Min. eſt certa, cùm excogitabilis non ſit terminus, ad quem referatur tota relationum collectio.

4. Prob. 3. communiter. Non repugnat enti ſucceſſivo æternitas à parte poſt: ergo nec à parte ante. Ant. conceditur ab Adverſariis, & merito. Poteſt namque Deus conſervare Cœlos cum ſuo motu. Conſequentia prob. Non minùs repugnat æterno à parte poſt habere aliquid poſt ſe, quàm æterno à parte ante habere aliquid prius ſe; & de ratione entis ſucceſſivi non minùs eſt habere poſterius, quàm habere prius: ergo ſi hoc non obſtante non repugnat &c.

5. Prob. Ultimò. Homo, ceu ens permanens, potuit eſſe ab æterno; ſed non ſtat vita Hominis ſine motu cordis: ergo motus potuit eſſe ab æterno, adeoque etiam aliud ens ſucceſſivum, nimirum tempus.

Neque dixeris cum Goudino, quòd Homo ſi ab æterno fuiſſet, vixiſſet via, non ejuſdem, ſed diverſæ rationis ab illa, qua modò vivit. Ne, inquam, id dixeris. Siquidem fuiſſet Homo ejuſdem rationis, & ſpeciei, ac modò eſt, cùm humanitas ſit ſpecies atoma, ſeu infima: ergo quoque vixiſſet vita ejuſdem rationis, & ſpeciei, ac modò.

6. Quòd verò mundus non potuerit eſſe ab æterno quòad humanam generationem. Prob. quia cùm infinitæ fluxiſſent generationes, extarent in actu infinitæ Animæ rationales, quia iſtæ ceu incorruptibiles perpetuò durarent, adeoque extaret infinitum in actu, quod lib. 3. vidimus, eſſe impoſſibile.

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumentationes.

7. ARg. 1. Entia ſucceſſiva acquirunt, & amittunt eſſe extrinſecè, & in tempore, non verò in inſtanti: ergo repugnat fuiſſe ab æterno. Conſequentia irreprehenſibilis, quia quæ ſunt ab æterno fiunt in inſtanti, non verò in tempore. Ant. verò eſt communis Philoſophorum documentum, ut pateſcit ex dictis lib. 6. quæſtiuncula prima.

Reſpondeo diſt. ant quando incipiunt, & deſinunt, concedo, ſecùs, nego ant. & conſeq Entia itaque ſucceſſiva incipiunt, ac deſinunt extrinſecè in tempore. Si autem ab æterno extitiſſent nuſquam incœpiſſent eſſe, quia non haberent ſuæ durationis principium.

Contra. Entia ſucceſſiva dum fiunt modò in tempore, fieri nequeunt in inſtanti intrinſecè: ergo neque ſi ab æterno fierent. Prob. conſeq Ideo modò nequeunt fieri in inſtanti intrinſecè, quia ſequeretur, plures partes entis ſucceſſivi eſſe ſimul; ſed etiam cùm ab æterno fierent in inſtanti plures partes forent ſimul: ergo ſi &c. Prob. min. Ideo ſi nunc fierent in inſtanti intrinſecè plures partes eſſent ſimul, quia eodem indiviſibili in inſtanti nequit eſſe ordo prioris, & poſterioris; ſed hoc militat etiam illo de inſtanti, in quo facta fuiſſent ab æterno: ergo ſi &c.

Reſpondeo nego ant. Ad prob. data maj. nego min. ad cujus prob. diſt. maj. quia in eodem inſtanti determinato nequit eſſe prius, & poſterius, concedo, indeterminato, nego maj & min. Si autem fierent ab æterno, fierent in inſtanti indeterminato.

Inſt. Si fierent in aliquo inſtanti determinato, plures partes eſſent ſimul in inſtanti determinato: ergo pariter ſi fierent in inſtanti indeterminato, plures partes eſſent ſimul in inſtanti indeterminato.

Conſ. Judice Boetio æternitas eſt tota ſimul juxta definitionem, quam de ea tradit.

Urg. Entia ſucceſſiva ſi acquiſiviſſent eſſe ab æterno, adhuc illud acquiſiiſſent, ac entia permanentia, ſi iſta quoque ab æterno condita fuiſſent; ſed permanentia acquiſiiſſent eſſe in inſtanti intrinſecè: ergo è contra entia ſucceſſiva extrinſecè, &c Prob maj. ſiquidem haberent eſſe diverſum: ergo & diverſum eſſendi modum.

Reſpondeo conceſſo ant. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen eſt, quia acquirendo eſſe determinato in inſtanti determinatur ad illud, nec poteſt quicquam fuiſſe prius in inſtanti priori, ſive anteriori. Cæterùm acquirendo eſſe in inſtanti indeterminato poteſt ſemper alia pars fuiſſe in alio, & in alio, uſque in infinitum, inſtanti priori; ſicque per inſtantia indeterminata ſemper ſervatur ordo prioris, & poſterioris ſaltem indeterminatè.

Ad Conſ. Reſp. negando aſsumptum. Ad prob. annexam dico, Boetium loqui de æternitate per eſsentiam.

Ad id, quo urgetur Reſpondeo data maj. & min. nego conſeq. namque etiamſi cùm permanentia, tum ſucceſſiva acquirerent eſse in inſtanti intrinſecè, adhuc diverſus ſalvaretur modus acquirendi eſse; quia, ut diximus, & iterum infra dicemus, entia ſucceſſiva potuerunt fieri ab æterno, non ſecundùm eorum eſse determinatum, ſed duntaxat ſecundùm totam cujuslibet entis ſucceſſivi collectionem. Permanentia verò potuerunt fieri ab æterno etiam ſecundum eorum eſse determinatum.

8. Arg. 2.

8. Arg. 2. Repugnat id, quod eſt ab æterno habere quicquam prius; ſed ens ſucceſſivum, ſi foret ab æterno, haberet aliquid ſe prius: ergo &c. Min. eſt certa, quia ens ſucceſſivum dicit eſsentialiter prius, & poſterius.

Reſp. data maj. diſt. min. ſi eſset ab æterno ſecundùm aliquam ſui partem determinatam, concedo, ſecundùm omnes ſuas partes collectivè inſpectas, nego min. & ſic diſt. conſequens. Recole dicta num. 3. & 4.

Nec inde ſequitur, totam illam collectionem ſimul eſse ab æterno in inſtanti aliquo. Non, inquam, quia, ut prægreſso num. dictum eſt, non eſset in aliquo inſtanti determinato ab æterno.

Contra. Etiam tota collectio illius entis ſucceſſivi deberet habere eſse prius, & poſterius; ergo labitur reſponſum. Prob. ant. Quod cuipiam eſt eſsentiale convenit & cuilibet ſeorſim, & etiam toti collectioni; ſed habere prius, & poſterius eſt eſsentiale enti ſucceſſivo: ergo &c. Maj. fit inductivè manifeſta. Quia namque eſſe rationale eſt eſſentiale Homini, & eſſe incorporeum Angelo, etiam toti collectioni Hominum convenit eſse rationale, & toti collectioni Angelorum eſse incorporeum.

Conſ. Tota collectio conſtat ex partibus; ſed partes entis ſucceſſivi ſe habent per modum prioris, & poſterioris: ergo etiam tota collectio.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. quod eſt eſsentiale alicui per ordinem ad ſe, concedo, per ordinem ad aliud, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Ea itaque prædicata, quæ conveniunt eſsentialiter alicui in ordine ad ſe, quemadmodum eſse rationale convenit Homini, eſse incorporeum Angelo, &c. convenit etiam toti collectioni. Secùs verò ea, quæ conveniunt in ordine ad aliud, ut num. 3. de relatione vidimus. Habere autem prius, & poſterius convenit parti entis ſucceſſivi in ordine ad aliud, nimirum in ordine ad partem priorem, vel poſteriorem.

Inſt. Eſse productum convenit cuilibet enti creato in ordine ad aliud, nimirum in ordine ad primam cauſam; & tamen eſse productum convenit etiam toti collectioni: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. convenit in ordine ad aliud ejuſdem generis, nego, diverſi generis & ordinis, concedo ant. & nego conſeq. Ea itaque prædicata non conveniunt toti collectioni, quæ conveniunt in ordine ad aliud ejuſdem generis, aut ſpeciei, quia tota collectio comprehendit in ſinu ſuo omnia ſui generis, aut ſpeciei. Ob idque nequit dicere ordinem ad illud. Deus autem, à quo omnia entia creata habent eſse, non eſt in eodem genere cum illis, imò eſt in diverſo ordine.

Ad Conſ. dico, quòd tota collectio illa conſtat ex partibus, non ſecundùm earum eſse determinatum, ſed ſecundùm quod habent eſse indeterminatè, & confusè in illa. Undè ſolùm ſequitur, quòd habeant eſse ab æterno indeterminatè, & confuſaneè, ut continentur in illa.

9. Arg. 3. Probando, nullam generationem poſse eſse ab æterno. Nihil poteſt eſse ab æterno productum per motum; ſed quicquid generatur producitur per motum: ergo &c. Conſequentia eſt exacta, quia ubi repugnat terminus per motum productus, repugnat etiam motus. Maj. prob. Quod eſsentialiter ſupponit aliquid prius ſe repugnat eſse ab æterno; ſed id, quod fit per motum, eſsentialiter ſupponit motum V. G. generatio Equi ſupponit motum organizationis, generatio, ignis motum caleſactionis: ergo.

Conſ. Nulla corruptio potuit eſſe ab æterno: ergo nec ulla generatio. Conſeq. eſt idonea, quia cùm generatio unius ſit corruptio alterius non ſtat ſine corruptione generatio. Ant. verò. Prob. Corruptio ſupponit priùs exiſtentiam rei corrumpendæ: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. nihil productum per motum determinatum potuit eſſe ab æterno, concedo, per motum indeterminatum, nego maj. & diſtinguo min. quicquid generatur diviſivè producitur per motum, concedo, quicquid generatur collectivè, ſubdiſtinguo, fit per motum indeterminatum, concedo, determinatum, nego min. & conſeq. Ex hoc arg. evincitur duntaxat, quòd nihil productum per motum determinatum poſſit eſſe ab æterno. At non evincitur, non poſſe eſſe ab æterno collectionem eorum, quæ fiunt per motum collectivè; quia iſta collectio importat omnem motum illius rationis, & in iſto involvit omnia facta per hujuſcemodi motus. V. G. tota collectio eorum, quæ fiunt per motum caleſactionis includit, & involvit, ac confundit in ſe totam collectionem motuum caleſactionis. Repugnat autem totam collectionem motuum caleſactionis ſupponere priùs alium caleſactionis motum, ſecùs iſte eſſet, & non eſſet motus caleſactionis. Eſſet, ut ſupponitur. Et non eſſet, quia eſſe extra totam collectionem motuum caleſactionis.

Reſp. ad Conſ. nego ant. ſi loquatur de corruptione collectivè inſpecta. Ad prob. diſt. ant. corruptio determinatè, & diviſivè, concedo, collectivè accepta pro tota corruptionum collectione cujuſpiam lineæ, nego ant. & conſeq. Cùm etenim generatio unius ſit corruptio alterius, & è contra, corruptio unius ſit generatio alterius, fit inde, quòd tota generationum collectio alicujus lineæ includit & omnem illius lineæ corruptionem, & tota collectio corruptionum includit omnem generationem. Sicque nec corruptio hoc modo ſumpta ſupponit aliquam generationem, adeoque nec exiſtentiam rei corrumpendæ, ſecùs ſupponeret ejus generationem; quia quod deſinit per corruptionem habuit eſſe per generationem. Nec generatio hoc modo ſumpta, ideſt collectivè accepta, debet ſupponere corruptionem ullam.

Inſt. Omnis corruptio determinatè, & diviſivè ſumpta ſupponit exiſtentiam, & generationem determinatam, ſicut etiam omnis generatio determinata ſupponit corruptionem determinatam: ergo pariter corruptio collectivè, ac indeterminatè accepta ſupponit exiſtentiam, & generationem indeterminatam; ſed quod eſt ab æterno nequit ſupponere aliquid prius etiam indeterminatè, quia verificaretur, non ſemper fuiſſe, cùm non fuiſſet, quando primò fuit illud indeterminatum: ergo &c.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt quia Generatio determinata non includit corruptionem determinatam, ſed illam ſupponit, nec corruptio determinata includit generationem determinatam, ſed eam antecedit; ſicut nec etiam illud determinatum, quod fit per motum determinatum includit motum determinatum, idcircò ſupponerent aliud, &c. Cæterùm tota generationum collectio, ut diximus, involvit omnem corruptionem, & è contra tota corruptionum collectio claudit in ſe omnem generationem; ſicut etiam tota collectio eorum, quæ fiunt per motum includit omnem motum. Ea de re nec tota generationum collectio ſupponit corruptionem aliquam etiam indeterminatam, nec tota corruptionum collectio ſupponit generationem ullam etiam indeterminatam; nec demum tota collectio eorum, quæ per motum fiunt, ſupponit motum aliquem etiam indeterminatum.

10. Arg. 4. Ad idem ex Goudin. Tota generationum collectio neceſſariò debet ſupponere aliquid prius ſe etiam duratione: ergo repugnat eſſe ab æterno. Prob. ant. Tota illa materia, in qua exercerentur hujuſmodi generationes, cùm ſit ingenerabilis deberet creari à Deo ſub aliqua forma, quæ ſit creata, & non genita; ſed illa forma neceſſariò deberet eſſe prior tota collectione generationum etiam prioritate durationis: ergo tota collectio generationum neceſſariò ſupponit aliquid prius ſe etiam duratione. Maj. eſt certiſſima, cùm non potuerit creari materia omni forma nudata.

Nec reſpondere valet, totam collectionem generationum ſupponere aliquid prius duratione duntaxat indeterminata. Non, inquam. Siquidem, ut in præcedentis arg. Inſt. viſum eſt, repugnat id, quod eſt ab æterno, ſupponere aliquid prius ſe quomodocunque.

Conſ. Si ab æterno fuiſſet Leonum geneſis, debuiſſet priùs creari unus Leo, à quo initium haberet generatio: ergo generatio non fuiſſet ab æterno, quia ſupponeret prius duratione Leonem illum creatum. Ant. (quod negatur ex eo, quòd nec primum, nec ultimum Leonem invenire fuiſſet, eò quia infinitæ fluxiſſent generationes; & in infinito nec primum, nec ultimum datur.) Prob Generationes illæ quamquam non haberent principium durationis utpote ab æterno; tamen habuiſſent principium ſui eſſe, ſecùs haberent eſſe à ſe: ergo debuiſsent habere aliquod primum principium, à quo fuiſsent factæ: quemadmodum ſi haberent principium durationis eſset aſſignabile aliquod primum inſtans, in quo incœpiſsent: ergo cùm aliàs ſupponamus, habuiſse eſse per generationem, debuiſset aſſignari primus aliquis Leo generans; ſed iſte non fuiſset factus per generationem, ſecùs non fuiſset primus: ergo &c.

Urgetur hoc. Repugnat proceſsus in infinitum in moventibus; ſed ſi potuiſset eſse generatio ab æterno potuiſset dari proceſsus in infinitum in moventibus: ergo &c. Maj.

ſuppo-

ſupponitur, cùm Philoſophus hac ratione demonſtret, eſse deveniendum ad aliquod primum movens immobile.

Reſp ad arg nego maj Ad prob. data, vel omiſſa maj. nego min. Dico enim quòd forma aliqua genita potuit eſſe ſimul cum illa, quæ fuiſſet concreata, non quidem formaliter, & completè (quia hoc modo repugnat, plures formas ſimul eſſe in eadem materia) ſed una per modum acceſſus, & alia per modum receſſus. Quemadmodum namque dicebamus 1. Phyſ. poſſe ſimul in eadem materia adeſſe privationem formæ, & ipſam formam; illam per modum receſſus, & iſtam per modum acceſſus: ita dicimus, poſſe eſſe ſimul plures formas in eodem inſtanti, unam per modum receſſus, & aliam per modum acceſsus.

Dices. Impoſſibile eſt, quòd in eodem inſtanti forma aliqua producatur, & deſtruatur, ſive annihiletur: ergo impoſſibile eſt, quòd ab æterno forma illa creetur in materia per modum receſsus.

Reſp. diſt. ant. producatur, & deſtruatur formaliter, & completè, & in facto eſse, concedo, in fieri, nego ant. & conſeq. Quamquam etenim non potuerit ab æterno creari forma in materia, & annihilari formaliter, & in facto eſſe, ſecùs fieret ſimul, & annihilaretur, quod implicat. Potuit tamen creari à Deo in materia imperfectè diſpoſita, quæ proinde non per modum permanentis, ſed duntaxat per modum tranſeuntis, vialiter, & per modum abeuntis, ac ſecedentis illam reciperet, adeoque in eodem inſtanti eſſe in receſsu, permittendo alteri acceſsum.

Ad Conſ. nego ant Ad prob. diſt ant. deberent habere principium indeterminatum, concedo, determinatum, nego ant. & conſeq Tota itaque illa collectio generationum nullum determinatum ſui eſse, ſeu generationis principium haberet, ſed duntaxat indeterminatum, quia daretur proceſsus in infinitum in Leonibus gignentibus, nec unquam eſset invenire primum Leonem generantem, ſecùs eſset finitus numerus, ſicque ab æterno non eſset. Ideircò ex hoc argumento ſolùm evincitur, nullam generationem determinatam poſse eſse ab æterno.

Inſt. Si extra collectionem illarum generationum non eſſet aliquod primum generans, jam intra talem collectionem vel idem gigneret ſeipſum, vel duo invicem ſe gignerent, ſicque idem reſpecto ejuſdem eſset genitum, & generans: ergo ne hoc admittatur, dicendum eſt, extra illam collectionem extare aliquod primum generans.

Reſp. ex dictis lib 3. q. 2. art. 1. ad 2 nego ant. Siquidem vel ſumuntur omnes Leones geniti diviſivè ſecundùm eſse determinatum. Et hoc modo, quia unum debet eſse determinatè genitum ab alio, debet deveniri ad aliquod primum generans, ſecùs vel idem gigneret ſeipſum, vel duo ſeſe mutuò generarent. Alio modo, collectivè, & indeterminatè. Et hoc modo cùm nullum habeant principium determinatum, nuſquam idem gigneret ſeipſum, nec duo ſeſe mutuò generarent; ſed ad ſummum ſequitur, quod omnes indeterminatè ſeſe gignerent. & omnes indeterminatè, & collectivè gignerentur. Ratio eſt, quia (uti toties diximus) tota generationum collectio continet generationes omnes, & corruptiones; & è contra tota corruptionum collectio continet univerſas generationes, & corruptiones.

Ad id, quod urgetur diſt maj. in moventibus ſubordinatis, concedo, non ſubordinatis, nego maj & diſtincta min. nego conſeq Si namque extaret generatio ab æterno, illi generantes non eſsent inter ſe ſubordinati, ſicut modo cauſæ ſunt inter ſe ſubordinatæ.

11. Arg. 5 Ens ſucceſſivum ſunt motus, & tempus; ſed neutrum potuit eſse ab æterno: ergo &c. Prob. min. primitèr quoad p p. & primò de motu abſolutè, quia motus eſt poſterior ſuo mobili, cùm ſit hujus actus. Eò vel maximè, quòd ſubjectum incipit in inſtanti intrinſecè, ſecùs verò motus a de motu locali, tum recto, tum circulari. De recto quidem, quia motus rectus neceſſariò eſt inter terminos finitos, cùm repugnet infinitum ſpatium, ſupra quod motus protrahatur; ſed motus localis rectus, ſi foret ab æterno, cùm eſset infinitè durans, nequiret eſse inter terminos finitos: ergo &c. De circulari etiam. Siquidem Sol V. G. ſi eſset productus ab æterno cum ſuo motu, vel eſset conditus in hoc noſtro Hemiſphærio, vel in oppoſito; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min In quocumque conditus foret, nec ab æterno, nec in tempore poſset ad alium pergeſe: ergo in neutro potuit eſse conditus. Prob. ant. Non potuiſset tranſire in tempore, quia per infinitum, adeoque per omne tempus fuiſset in illo Hemiſphærio, in quo conditus eſset; nec ab æterno, quia ſequeretur, tranſitum illius ſpatii finiti duraſse per infinitum tempus.

Præterea ſi Sol ab æterno moveretur, ſequeretur, quòd infinitum lapſum eſset tempus, ſed id poſſibile minimè eſt, cùm infinitum ſit impertranſibile: ergo repugnat, motum Solis eſse ab æterno.

Tertiò prob. prima min. de motu augmentationis, & intenſionis. Quandoquidem ſi motus augmentationis fuiſset ab æterno, producta fuiſset quantitas infinitè extenſa. Similiter qualitas infinitè intenſa ſi ab æterno motus intenſionis fuiſset.

Præterea prob min. quoad 2. p. nimirum de tempore. Dato tempore ab æterno forent ab æterno infiniti anni; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c. Prob min Anni ſupponunt menſes, menſes ſupponunt dies, dies ſupponunt horas, ſed repugnat ab æterno id, quod ſupponit aliud: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad 1. prob. dico, ſatis eſſe, motum eſſe poſteriorem mobili poſterioritate *à qua*, & naturæ, non verò ſemper poſterioritate *in quo* temporis, & durationis. Ad id verò, quod dicitur, motum incipere extrinſecè, patet ex dictis num 7. ad 1. arg.

Ad 2. prob diſt min. ſi eſſet ab æterno, & per totam continuaretur æternitatem, concedo, ſi eſſet duntaxat per aggregationem unus, nego min. & conſeq. Non aliud evincitur, niſi, quod non potuerit eſſe ab æterno motus localis, qui ſit continuus per totam æternitatem, quia hoc modo eſſet infinitè durans, nec poſſet eſſe inter finitos terminos. At minimè probatur, repugnare plures, & plures motus diſcontinuatos, facientes unum per aggregationem, quia tunc non eſſet unus infinitè durans, ſed omnes diviſivè finitè durarent, & ſolummodò collectivè ſumpti durarent infinitè. Ob idque diviſivè inſpecti forent ſemper inter terminos finitos.

Ad prob de motu circulari. Reſp. cum communi, quòd Sol, ſi eſſet ab æterno creatus, ſub nulla determinata præſentia fuiſſet conditus, ſed ſub præſentia vagè, & indeterminatè accepta.

Dices. Sol eſt corpus determinatum: ergo determinatam exigit præſentiam.

Reſp. (omiſſis nonnullis reſponſis, quæ videntur non ſatisfacere ſatis) dato ant diſt. conſequens pro determinato tempore, concedo, ſecùs nego conſeq. Quemadmodum namque Sol, qui modò continuò movetur, eſt ſemper idem corpus, & tamen non ſemper eandem obtinet præſentiam, ſed pro diverſo tempore diverſas conſequitur præſentias: ita licèt ſit corpus determinatum, non tamen ſemper determinatam poſtulat præſentiam, ſed duntaxat pro determinato tempore. Et quia ſi eſſet ab æterno cum motu conditus, nullum foret excogitabile inſtans, & tempus determinatum, in quo fuiſſet creatus; Ideircò nulla ſub determinata fuiſſet præſentia conditus.

Ad id, quod ſubditur, primodùm poſſet concedi, quòd infinitum lapſum eſſet tempus, quia illud duntaxat infinitum eſt impertranſibile, quod eſt infinitum in actu. Si autem fuiſſet ab æterno tempus, iſtud fuiſſet infinitum, non categorematicè, ſive in actu, ſed ſyncategorematicè, hoc eſt in potentia; quia non totum ſimul, ſed ſucceſſivè fuiſſet. Præterea dico, quòd propriè non diceretur pertranſiſſe, ſed potiùs præteriiſſe infinitum tempus..

Ad 3. prob. diſt. ant. ſi fuiſſet unus totam per æternitatem continuatus, concedo; ſi duntaxat unus per aggregationem fuiſſet, nego ant. & conſeq.

Ad ult prob nego min. Ad prob. diſt. maj anni &c. diviſivè, & determinatè inſpecti ſupponunt &c. concedo, collectivè ſumpti, nego maj & data min. nego conſeq. Anni quippe collectivè accepti includunt omnes menſes; iſti omnes dies, iſti omnes horas. Ea de re nec menſes, nec dies, nec horas præſupponunt ſive determinatas, ſive indeterminatas.

12. Arg. 6. Si ſucceſſivum ens, puta generatio extare ab æterno poſset, ſequeretur poſſibile infinitum in actu ſecundùm multitudinem; ſed hoc execratur præſertim Thomiſta: ergo &c Prob min. Poſsent ſiquidem eſse infinitæ Hominum generationes; ſed iſtis poſitis, infinitæ extarent Animæ rationales, ceu immortales: ergo &c.

Ad hoc arg quod non inſequenter ſibi objicit S. Th. præſertim 2 contra Gentes cap. 38. opuſc. 27. & p p. q 46. art. 2. ad 8. dicimus, non aliter poſſe fieri ſatis, niſi ut ſupra n 6. dicendo, ens omne ſucceſſivum poſse ab æterno eſse, humana